Acutissimi ac Celeberrimi Philosophi

PETRI JOHANNIS FABRI CASTRINO VIDARENSIS DOCTORIS MEDICI MONSPELIENSIS

OPERUM

Voluminibus duobus exhibitorum

Volumen prius,

In quo

I. *Panchymicum seu Anatomia totius Universi.*

II. *Sapientia Universalis seu Anatomia Hominis & Metallorum, cum subjunctis aliis scitu jucundis arcanis.*

Cum Indicibus Cap. Rerum & Verborum locupletissimis.






FRANCOFURTI,

Sumptibus JOANNIS BEYERI.

Anno M. DC. LVI.



AMICIS OMNIBUS TOTIUS OPERIS HUIUS ARGUMENTUM.

CVm in Scholis natura doceatur cortice tenus, & nunquã eius nucleus, aperiatur ut quid intus sit, habeant notũ qui eius notitiæ perfectæ & absolutæ amore pereunt, in votis fuit in gratiam eorum cortices rerum omnium reiicere & solum medullas earundem degustandas præbere, ideo Chymicam artem advocare coactus sum, ut eas cortices, & rerum quisquilias reiicere possem: sine enim Vulcano, hoc peragi non potest. Solus ignis est, qui naturam universalem & particularem reserat & reseratam claudit. Ideo quicquid est in toto hoc opere, tum in genere, tum in particulari, ex universa hac visibili natura, ex Vulcano ipso apertum factum & reclusum vidi, & q stamur, & id ipsum vobis offerimus

ex auditu & relatu aliorum, quicquid mirum eſt & ra-
rum, quod quidem multum eſt & id ipſum tale fate-
buntur zoili mei, his in cartis expoſui ſed quod tantum
experientia ipſa certum, & verum judicavi & ratione
ipſa tale eſſe decrevi, publici Iuris facere jam diu in vo-
tis habui magno Chymicorum ferè omnium deſide-
rio: ut ex literis ad me miſſis, ex omnibus fere Regnis
Europæis ſatis claret, quas quidem literas, hic ante ap-
poſui, ut videant zoili mei opus hoc tamdiu expecta-
tum eſſe, & antequam enatum eſſet expoſtulatum fu-
iſſe & perinde aliquid magni, & rari in eo eſſe recondi-
tum exiſtimaſſe quam plurimos, qui ne defraudentur,
per viginti annos ferè continuos animo meo per volu-
tum opus tandem in lucem publicam prodiit Panchy-
mici nomine & titulo inſignitum, ut ex ipſo titulo ju-
dicent omnes, quot & quanta ſint quæ in opere coer-
centur à primo ſiquidem cœlorum mobili, ad centrum
uſque terræ, res omnes, quæ inibi clauduntur, tracta-
mus, ut hinc colligant ſanæ mentis homines, quid
Chymia poſſit, in rebus omnibus diſquirendis : non
enim in metallis ſolis notis faciendis jus habet, at etiam
in rebus aliis omnibus pernoſcendis ſummum habet
imperium. Crepent iam zoili Chymicorum, quan-
tum velint ; Vorabit ipſos ipſorummet internus livor,
quum Chymiam Philoſophiæ margaritam, radiis ve-
ritatis

ritatis undique illustratam spectabunt, & omnes electæ mentis viros, ejus amore exardescere conspicient, cùm tamen antea, ignotam Chymiam vilipenderent. Ridebunt ipsi nunc nî fallor, ipsosmet, quòd ignotum oderint, vacante enim odii, & risus notitiâ unde nam odii & risus justitia defendetur.

Præcipuus mentis meæ Scopus, & totius operis huius cardo, hic fuit, ut percipiant viri docti & sanæ mentis, Alchymiæ pondus & momentum in naturis rerum pernoscendis, sine enim Alchymia, vana est, & inutilis quæ habetur rerum notio, & hoc quidem non paradoxum est, sed verum & certum ipsius Eudoxum, ut perlecto hoc opere, cuilibet fiet manifestum: date, quæso paululum otii, & temporis huic lectioni & vos non pigebit nî fallor, temporis aliquid impendisse, cum & hinc vera & naturæ legitima clavis notissima vobis fiet, & perinde thesaurus ingens & fere infinitus apertus & notus. Sic me verum fabrum, & magnum Tubalca in ubique terrarum prædicabitis, nec ridebitis Alchymiam, quæ tanta, necessaria vitæ humanæ commoda pandit.

Habetis jam omnes amici mei, quoquot estis, id omne quod à me iamdiu per literas plures expostulastis,

omnes quæstiones solutas, omnia Ænygmata explicata, omnes Logogryphos Chymicos omnes metaphoras, omnia tandem intricata Chymica obscuritate, habetis non modo explicata & soluta, sed plus quam manifesta & clara, ita ut cuique sciolo pateat ars Chymica, ita imò & furore excandescent in me omnes familiares amici mei, præsertim, Dominus de Favier in supremo Sabaudiorum Senatu Cameriaco amplissimus præses, qui omni scientiarum genere illustris ac nobilis, hanc Chymicam artem peramat, & summo studio insectatur, non tamen vulgarem & trivialem fieri, obviamque esse omnibus vellet, cum multi ea abuti possint: sciat quidem vir ille illustris, omnia quidem illi facillima esse, & trivialia omnia hæc, quæ in opere continentur, abstrusa verò, & valde intricata Chymiæ tyrunculis, imo fortasse ipsius artis Sciolis & nasutulis. Quocira ne excandescat quæso in me Vir summus, clarè quidem admodum illi scripsi, cum & si Ænygmatice scripsissem, manifestum & clarum semper illi fuisset, at his qui multum ab ipso differunt & qui sole suo carent, lux hæc quæ illi meridionalis est, illis mox opaca & tenebris cymmeriis obvoluta apparebit. Vale ergo vir summe & cætera quæ supersunt Panchymico perficiendo expecta. Valete etiam & salvete omnes, qui Panchymicum hoc opus jamdiu effla-

gita-

gitaſtis, & ſi quid eſt, quod demorſos non ſapiat ungues neque pulpitum ſapiat, nec reſpondeat deſiderio veſtro, & expectationi id negotiis variis & occupationibus, in curandis ægrotis ferè infinitis condonate: pluribus enim intentus minor eſt ad ſingula ſenſus: eſt tamen id omne, quod ad perfectionem Chymicam obtinendam ſufficit, quod quidem gratiſſimum vobis eſſe meretur,




PAN-



PANCHYMICI SEU ANATOMIÆ TOTIUS UNIVERSI.

PETRI IOANNIS FABRI CASTRINOvidarensis Doctoris Medici Monspeliensis.

Præfatio ad Lectorem benevolum.



LAbyrinthos, errores inextricabiles; ne tenebras Philosophorum antiquorum ausus sum (benevole Lector) luce Chymica detecta fugare, perviasque facere, id tibi fortasse videbitur temerarium opus, dicesque mihi, feriunt altos fulmina montes, at feriendo, pereunt ipsa: Eorum dogmata, omnium ferè Orthodoxorum authorum applausu excipiuntur: Tuque Chymicorum tyruncule, quod animis omnium inculcatum est alteque menti incuneatum, vis jam igne tuo Chymico, in fumum convertere, & aquis tuis eluere, oleum & operam perdis: quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu, consurget in te turba Academicorũ & peripatheticorum omnium & multitudine sua, te obruet aut tanquam firmissima rupes, tuos irridebit fluctus, colligetque tuorum fragmenta conatum, ebullientis animi tui tempestate transacta. Specta parum (Amice Lector) non judicandum est nisi

nisi tota lege perlecta, Peripatheticus es adhuc, & deambulatorius in cognitione naturæ. Peripathetici cùm essent Peripathetici & deambulatorii omnes, non erant stantes ac sedentes in cathedra naturæ, nec eius nucleum ac medullam viderunt unquam, ut sequentibus fiet clarius, magnalia hæc, quæ Dei sunt, omnibus non innotuerunt infidelibus præsertim, paganis & Ethnicis, qui Deum negarunt, naturæque tantùm umbram habuerunt eamque æternam fecerunt: Aliamque Divinitatem non admiserunt, præter illam quam viderunt in rebus omnibus naturæ potestatem: hi, inquam indigni sunt naturam cognoscere, cùm eius causam ignorent: ignota enim causâ, ipsius effectus indicat noctem & tenebras: Omne enim lumen, & bonum à patre luminum est, ac descendit. Ipsi patrem illum, & fontem verum luminis omnis non noverunt, justum etiam & æquum est, luminis & scientiæ veræ aquas & scaturigines eos ipsos etiam latere.

Qua enim ratione fieri potuit antiquos hos Philosophos, Ethnicos & paganos lumen naturæ habuisse cognitum & manifestum, lumine verò & à quo solo dependet lumen omne, destitutos & orbatos. Natura siquidem non lumen est, sed corpus valde tenebrosum & obscurum in centro sui ipsius lumen continens, quod aperiri non potest nec manifestari, nisi corpore dempto: viæ autem hæ, à summo sunt creatore, qui ex nihilo corpus naturæ fecit, illique scintillam suæ Divinitatis indidit, & sibi soli reservavit detegendam cui vellet; ipsi autem qui nunquam Deum cognoverunt quo modo particulam sui ipsius notam habere potuerunt.

Id omne manifestum & liquidum fiet argumentis quamplurimis, ratione & experientia comprobatis: Animi vestri ac judicii paulò suspendite lancem, donec opus totum perlegeritis tunc liberam vestram date sententiam. Non enim procul dubio, temeritatis aut inscitiæ in me cudetur faba. At sæculorum

præteritorum accuſabitur nimia crudelitas, & incuria doctorum qui non intimum naturæ & centrum inveſtigarunt, at cortici eius contemplandæ adhæſerunt. Et maioribus ſuis crediderunt, opinionique eorum tantum dederunt, quantum & maius quam credi poteſt. Natura autem quid vere fuit, per experientiam ipſam cognoſcere neglexerunt opinionem maiorum ſuorum hac in parte ſequuti absque ulla opinionis huius fundamenti disquiſitione: quod tamen contra leges inveſtigandi veri, niſi in veneris & in inventione opinioni & aut́horitati non ſuperſedendum: ſed rei tantum naturæ incubandum.

Quærendi defatigatio turpis eſt, cùm id quod quæritur ſit pulcherrimum: Qualis autem quærendi defatigatio turpior eſſe poteſt, quàm opinioni ſuperſedere. nihil ſegnius & ignavius eſt, in disquirendis naturæ arcanis, quam ſophismatibus & variis argumentationum meandris naturæ purum involvere. Hac cortice duriſſima legitur, quam mentis noſtræ acies penetrare non poteſt, niſi vulcanicis utatur artibus, ut verum illud naturæ purum in quo lumen ſplendet in lucem & conſpectum omnium produci queat. Tunc temporis quod videmus, cernimus & palpamus, credere poſſumus. Et ad veræ ſcientiæ normam & regulam erigere. Tunc aliquid veri ſonat, commune Philoſophorum axioma. Nihil eſt intellectu, quin prius fuerit in ſenſu.


Ad opera ergo Chymica confugiendum erit & ad vulcani officinam, ut ſcientiam veram de rebus naturalibus inſtituere valeamus. Ignis enim verus eſt magiſter ac Doctor unicus qui nos docet occulta naturæ, ipſe ſolus naturæ corticem comburit intacto naturæ centro, in quo lux eiusdem quieſcit, unde non immeritò finxerunt Poetæ antiqui Vulcanum, è Iovis cerebro Minervam eduxiſſe: Minerva eſt rerum ſcientia,

quæ in occulto rerum, tanquam in Jovis cerebro latet, & nisi ope ac industria Vulcani educatur, in occulto semper persistit ac intra Jovis cerebrum requiescit. Alchymia ergo ultimum locum obtinet in reserandis naturæ arcanis, cùm Vulcania sit & nihil absque Vulcano operetur: Oculis & sensibus aliis nostris rerum naturalium partes omnes subjicit ac perinde scientiarum omnium, ac artium magistra censeri meretur, & luminis naturæ indagatrix acutissima.

Naturæ siquidem lumen, quod semper in centro rerum omnium latitat, ut res omnes conservet, nutriat, & foveat, est fundamentum & basis naturalis scientiæ, illo noto, tota natura patet, illo ignoto aut obtenebrato, tota natura latet, aut saltem obtenebratur nubibus adeo obscuris & caligine densis, ut vere non videatur, sed tenebris vere cymmeriis occultetur. Quocirca necessum est ut face accensa discutiamus umbras ac tenebras, quibus lumen naturæ seu vera rerum scientia obtegitur: Corpora autem rerum sunt umbræ ac tenebræ, quibus lumen naturæ obumbratur, & nisi corpora hæc dura & crassa attenuentur, ut lumen istud, quod in centro sui occultum est, luceat & clareat fieri non potest, quin semper in tenebris, & in nocte opaca maneamus, & nec Solem Orientem tandem aliquando videamus.

Itaque si Solis illius occulti lumine frui cupiamus, disrumpere nubes opacas, quæ illum occultant necesse est, cùm autem nubes illæ sint corpora, Alchymia opus est, qua corpora attenuantur, adeo ut radii illius Solis, & luminis quod nobis totam naturam ostendit & commonstrat irradient & fulgeant: Totum hoc opus internum istum naturæ Solem, Chymiæ alumnis clare admodum demonstrat, & viam quam tenere debeant ad attenuenda corpora crassa & opaca, ut lux illa appareat verissime indicat, & est verus Chymicorum Mercurius in

bivio positus, qui digito suo demonstrat quale sit insequendum iter, ut ad verum naturæ centrum perveniamus, in quo Solo quiescere debemus, quiescentis & incorruptæ naturæ gaudio, & perenni fructu fruituri.





INDEX
CAPITUM OMNIUM QUÆ IN HOC TOTO OPERE CONTINENTUR.

LIBER PRIMUS SEQUENTIA TRACTAT CAPITA.

LIBER SECVNDVS SEQVENTIA TRACTAT CAPITA & SECTIONES.

DE CONSTELLATIONIBVS singulis Firmamenti.

SECTIO I.

DE CONSTELLATIONIbus quæ in Medio sunt firmamenti

SECTIO II.

Et primo de Ariete.

Sagit-

DE CONSTELLATIONIBUS quæ firmamento insunt versùs austrum & Polum Antarcticum.

SECTIO III.

DE CONSTELLATIONIBUS quæ in polo antarctico reperiuntur.

SECTIO IV.

DE PLANETIS SINGVLIS quo lumine & qua virtute vigeant.

SECTIO. V.

LIBER TERTIVS SEQVENTIA tractat Capita & Sectiones.

DE HIS OMNIBVS QVÆ IN Aere continentur & primum DE RORE.

SECTIO I.

De Avibus.

SECTIO II.

DE AVIVM NATVRA particulari.

SECTIO III.

De Avibus Exoticis.

SECTIO IV

De Insectis avium.

SECTIO V.

De Vegetantibus.

SECTIO VI.

DE VEGETANTIBUS IN particulari.

SECTIO VII.

DE FLORIBUS Sectio octava.

LIBER QUARTUS, SEQVENTIA tractat Capita & Sectiones.

DE HIS OMNIBVS ET singulis quæ in sphæra aquæ continentur.

SECTIO PRIMA.

DE FLUMINIBUS. SECTIO II.

DE LACVBVS INGENERE SECTIO III.

DE FONTIBUS. SECTIO IV.

DE PISCIBVS ET CONCHYLIIS.

SECTIO V.

DE LAPIDIBVS.

SECTIO VI.

DE METALLIS ET MINEralibus,

SECTIO VII.

LIBER QUINTUS TRActat sequentia Capita & Sectiones.

DE QVADRVPEDIBVS quæ super terram reperiuntur & primo de Leonibus.

SECTIO PRIMA.

DE INSECTIS TERRESTRIBUS quæ in visceribus terræ reperiuntur ejusdemque cavernis.

SECTIO IV

DE FVNGIS ET ALIIS TERRÆ tuberibus,

SECTIO III.

DE MONTIBVS,

Sectio quarta & Vltima.


Quæ

PANCHY-



PANCHYMICI, SEV ANATOMIÆ TOTIVS UNIVERSI, LIBER PRIMVS.

Quid sit Natura & eius lumen.



CAPVT PRIMVM.

Naturam pauci cognoverunt.



IDENT omnes naturã, cognoscũt pauci, eius notitiã perquisiverunt permulti, innotuit tamen paucis. Si verè enim nota fuisset natura, non tot, ac tantæ, & hæ diversæ fuissent ab authoribus traditæ definitiones. Definitio siquidem est vera notio rei: non possunt autem variæ & diversæ tradi unius, & eiusdem rei notiones, quin eorum quamplurimæ sint falsæ. Verum autem est varias easque diversas, req; distinctas traditas nobis fuisse ab authoribus antiquis Naturæ definitiones.

Variæ naturæ descriptiones.

Aristoteles enim definit Naturam lib.3. de cœlo, cap.2. Principium motus quod in ipso, potentia autem id, quod est in alio, ut aliud est. Alii vero definiunt naturam id unde res habet, ut naturaliter moveatur: Alii

verò vim quandã per universã mũdi partes commeantem, alii Deum esse, alii Spiritum omnia penetrantem, & molientem omnia, alii calidum innatum cuiuscumque rei, alii mentem universi, alii igneum vigorem è cœlo ortum. Alii formam, alii materiam cuiuscumq; rei naturam definierunt.

Aristotelis naturæ definitio obscura & tenebrosa valde nec rem distinctam ostendit at potius tegit.

Hæ omnes definitiones vel potius descriptiones naturam potiꝰ occultant quàm manifestent. Primam siquidem Aristotelis, quam omnes ferè sequimur, qua dicitur principiũ motus & quietis ei crassam eamq; ponderosam menti trabem injicere proclamamus, cùm principium istud motus & quietis in natura ignoremus: non enim natura mihi notior est per hæc verba, quam antea, ignotum per ignotius definitũ auget ignorantiam: aliæ vero naturæ descriptiones obscuriores adhuc sunt, & crassiores menti nostræ inducunt tenebras, & naturæ veræ nubes & tegumẽta sunt. Superest enim nobis post has descriptiones, adhuc quærẽdi maxima difficultas, & innatum sciẽdi character, quid sit illud, per quod definitum definitur.

Non ergo perfectæ & absolutæ sunt eiusmodi naturæ definitiones, cum per has definitum clarius non pateat, quàm antea. Nolo propterea Aristotelem inscitiæ causare, in me ipsum potius crederetur hæc dura fabula. Primus siquidem fuit Philosophiæ cultor & indagator acutissimus, cui plurimum laudis & honoris debemus. Non tamen absolutam naturę cognitionem illi attribuere: Sufficiat illũ multa scivisse eaq; præclara, non tamen omnia, & ita absolutè, ut præter illa nihil aliud in natura sciri possit.

Natura quid verè sit & propria.

Naturam ergo definiamus secundum lumen ꝙ nos à patre Luminum industria Vulcani accepimus, & vidimus, esse Spiritũ luminis in principio à Deo creatum primis aquis incubantẽ & confusa in his tanquam in chaos rerum omnium semina de potentia in actum educentem & educta per constantem alterationis ortum versantem, componendo & resolvendo hæc inferiora Geometricè tractantem. Hic est Spiritus qui est principiũ motus & quietis in rebus omnibus per se, & non secundùm accidens, quem virtutẽ dixerunt alii per universas mundi partes commeantem, quem Deum, quem spiritum omnia penetrantem & molientem, quem calidum innatum, mentẽ universi, mundi animam, igneum vigorem è cælo ortum, formã ac materiam mundi. descripserũt per suas proprietates, virtutes & energias, non tamen fontem & scaturiginem harum virtutum cognoverãt ignoto lumine, quod lumen istud creavit, & ex nihili fõte divina ac omnipotenti virtute, ac agendi energia eduxit.

Natura est corpus.

Spiritus hic luminis quem Naturam dicimus, vera est substãtia corporalis: at quia invisibilis est & impalpabilis, ideo spiritum dico, non ta-

tamen substantiam supernaturalem divinam & incorpoream intelligo, dico enim Deum naturam corporalem fecisse, corpus siquidem competit illi cui corpora omnia fabricanda sunt. Quale autem corpus sibi vendicet natura, seu spiritus lucis altissimæ est inquisitionis, & qui Alchymiam ignorat eamq; tractare nescit, huc usque penetrare non potest; in corporibus enim omnibus latet istud luminis corpus, at invisibiliter, & suo spirituali modo; istud tamen à peritissimo artis chymiæ magistro visibile & tangibile efficitur, ita ut quod in corpore visibili invisibile & spirituale lateat, visibile redditur & corporale: ne autem ambages quæram, dicam corpus naturæ, Salis corpus esse, quod in centro cuiuscumq; rei creatæ latet, & quod per Alchymiam Vulcani ope, è centro rerum omnium educitur, cui inhæret Sulphur radicale, & Mercurius innatus ac primigenitus, ita ut duos secum habeat coniunctos fratres à se ipso inseparabiles, nec propterea id unũ compositum est, sed quid valde simplex & homogeneum, etsi tria in se coerceat, quæ quamvis distinguantur, non tamen differunt, nec diversas constituunt formas in suo esse, ut latissimè & clarissimè disputatum est, ac demonstratum in Alchymista Christiano à nobis iamdiu in lucem edito.

Corpus naturæ quale sit.

Trinum est naturæ corpus & tamẽ unum.

Sal centrale est corpus naturæ.

Hoc Sal centrale rerum omnium corpus est naturæ, in eo enim corpore latitat natura cuiuscumq; rei, ut per experientiam notum habuerunt Philosophi Spagyrici, natura siquidẽ incorruptibilis est, etsi individua & mixta corpora corruptibilia sint & alterabilia, ut in Sale illo suo corpore patet, ꝙ æternitatem & incorruptibilitatẽ observat, cõservatis illæsis virtutibus ac proprietatibus rerum omnium, quæ in illo Sale illæsæ manent & incorruptæ.

Si ergo quis Salis istius centralis naturam ac essentiã cognitam habet, habet & naturæ manifestam essentiam; naturæ enim omnes proprietates, virtutes, & energias quas antiqui omnes Philosophi in natura ipsa posuerũt, facillimè animadvertet ac reperiet in ipso centrali rerum Sale, humidi potissimũ primigenii, & calidi innati proprietates, in quibus antiqui totam naturę essentiam collocarunt, tanquam Principium motus & quietis rerum omnium.

Salis centralis essentia est naturæ cognitio & notitia.

Cognito ergo naturæ corpore, in quo tanquam in regio Palatio incorruptibili & æterno residet ac persistit, definitionem ampliorẽ & clariorẽ iam asserere possumus ut è tenebris cymmeriis antiquorum educamus Naturam, & in lucem edam⁹ illam, quæ nobis & rebus omnibus lucem prębet. Est ergo Natura Spiritus Luminis in principio à Deo creati, à quo omnia facta sunt per creationem divinam, quique in corpore Salis centralis cuiuscũq; rei radicaliter infusus est ad cõservationẽ & generationẽ rerũ omniũ; hic n est Spirit⁹ solus qui alterationes, mutatio-

Definitio vera & absoluta naturæ.

Explicatio definitionis naturæ Aristotelicæ.

nes corruptiones & generationes omnes molitur & patrat unde verè est principiū motus, q̄ in ipso, potentia autem id, quod est in alio ut aliud est, quod apud Aristotelē valde obscurum imo intellectu omnino difficillimum erat: at in spiritu illo Salis centralis manifestum habent & apertum omnes Spagyrici Philosophi, qui Vulcania tractant; est enim principium motus in ipsomet, dum est, & potentia, dum omnia ex ipso generantur, in quibus dum adhuc non sunt, ille Spiritus potest dici potentia, id, quod est in alio ut aliud est, sic claram ac manifestam habemus naturæ definitionem, & omnes Antiquorum philosophorū descriptiones apertas & claras.

De prima Natura causa.

CAP. II.

Natura non est æterna. NAturam æternam finxerunt multi antiquorum Philosophorum: at quàm perperam allucinati sint, satis indicat naturæ ipsius conditio & essentia, quæ in perpetuis alterationibus, corruptionibus ac motibus sita est, quod enti æterno repugnat, immutabile siquidem incorruptibile & inalterabile esse debet, etsi sit motus omnis radicale principium, tamen immutabile esse postulat entis æterni ratio.

Nullo pacto ergo Natura æterna est, nec esse potest, & qui id asserere contendit, Deum se ipsum facere tentat, nam si natura æterna, sit, Deus est ipsa natura, si natura autem sit Deus, & partes naturæ, Deum esse fateri oportet, cum partes naturam totius & essentiam participet, id autem quàm absurdum sit norunt omnes, nec in animis antiquorum unquam tantum absurditatis incidit.

Natura qua ratione sit æterna. Quod autem naturam in centro sui incorruptibilem & immutabilem cernerent etsi principium mutationis esset, ideo divinitatis scintillam in natura ipsa cognoverunt, eamque divinitatis participem asseruerunt, & propterea quodammodo æternam dixerunt, hoc est jam incorruptibilem, & inannihilabilem nisi à creatore suo, qui jus summum & omni ex parte absolutum habere in ea omnia quæ ipse creavit æquum ac justum est.

Causa naturæ qualis. Causam ergo natura habet à qua omnino dependet, persistit, conservatur, ac regitur: hæc causa independens est ab alia, & verum est ens æternum, potentia infinita & omnipotens, cuius solius fuit creare naturam hanc, nulli alii potentiæ quidquam creare datum est, ut nemo Angelum creare potest, ita nemo vermiculum creare valet, ut nemo cœlum expandere, ita nec arboris minimum folliculum extendere potest. *Augustin. in solilo quijs.*

Deus qua ratione naturam creavit. Amor ergo divinus qui intra se totus contineri non potuit quin tandem totus extra se quasi seipsum multiplicans migraverit, & totus se effuderit, ut tandem ab aliis cogno-

gnosceretur & amaretur creavit naturam & quæ in ea sunt omnia: Bonum enim omne, sui diffusivum est, nec enim alioquin bonum esse experiretur, nisi tale se communicaret, ac se in exteros diffunderet: Deus autem cum sit Summum Bonum, in exteros se diffundat necesse est, ut verò se effundat, aliquid extra se promere oportet, in quod sui boni talem & magnificentiam demonstret. Naturæ autem creatio bonitatis divinæ ac magnificentiæ communicationem quandam, & quantam creata percipere possunt ostendit ac manifestat.

Natura Deum repræsentat.

Et si quid est, in tota hac universa rerum mole, in quod Deus creator sui imaginem infixerit ac depinxerit natura est, seu spiritus ille lucis qui naturæ essentiam constituit, in quo Deus unius sui imagines ac figuras adeò depinxit, ut qui nota ac contemplata naturâ Deum non esse naturæ authorem & creatorem negare vellet, cæcus peritus, & cæco cæcior, ac verus lapis esse censeretur. Spiritum siquidem illum luminis, quem naturam dicimus, ideo Domini spiritum in Sacris lineis dixit Moyses, quod verè Domini esset & Creatoris, nulliusque alterius esse potuit. Vnus est & Trinus, & Trinitas unitatẽ nõ corrumpit, nec unitas Trinitatem diminuit, unus est rationis suæ simplicitatis, Trinus est ratione suæ distinctionis ac divisionis in Sulphur, in Mercurium & in salem: hæc n. tria sunt distincta in spiritu illo luminis, & tamen non differunt ratione suæ essentiæ: hæc enim tria unum constituunt spiritum, seu unam naturam, quæ totum regit orbem, ac perficit.

Natura est spiritus Domini; Trinus & unus est.

Natura quibus nominibus donetur.

Hæc tria Sulphur, Sal & Mercurius unico sæpe nomine efferuntur, aliquando dicũtur Sulphur & ignis naturæ, aliquando Mercurius, & humidum primigenium rerum omnium, aliquando Sal, seu nodus & cõpago rerum, aliquando materia prima, sæpe natura, rarò spiritus lucis, sępissimè mens & anima mundi, quæ omnia nullo pacto inter se differunt: at sunt unum & idem diversæ tantùm voces & nomina varia, quæ unicam & solam indicant essentiam, à qua omnes rerũ essentię dependent & ortum habent per generationem & corruptionẽ, hæcq; sola essentia natura dicta & spiritus luminis à solo est Deo creatur, & ab illo regitur ac gubernatur, nec ab alio, nec à se ipsa esse potest, cùm per se subsistere nequeat, aliusque alterius indigeat ope & auxilio, ut suas peragat actiones & in his fungendis assiduo persistat.

Varia naturæ nomina unam indicant essentiã simplicem.

Natura non potest cognosci absq; notione causæ suæ.

CAP. III.

Natura difficilis valdè cognitu.

ETsi naturam videamus & contẽplemur, ac in nobis ipsis persistat, ac resideat, nihilominus quàm cognitu difficilis sit & explicatu Satis indicat antiquorum omniũ Philoso-

losophorũ obscura illa notio, quam de natura ipsi habuerunt. Si enim clariorem habuissent de natura notionem, clarius etiam de ea tractassent ac dixissent. In tenebris erant antiqui omnes, & tenebræ lucé comprehendere nõ possunt, Natura autem lux est, Lux autem quamvis in tenebris luceat tenebræ ipsam non vident ac comprehendunt: viderũt lucem Solis & stellarum omnes, at quid sit lux eius, & unde nam habeat originem noverunt paucissimi, & si de ea luce tractarunt omnes, & fecerunt sibi quandam de ea scientiam ac lucem, si eam tamen expẽdamus, noctem veram & obscuram experiemur, ita ut de his dicere valeamus, nox nocti indicare voluit scientiam ac lucé tenebris cymmeriis involutam, quocirca hinc inde lux nunquã exorta est, sed vera nox, quæ semper perstitisset si verum luminum lumé nunquam exortum fuisset, & homines illuminasset, lumine vero, nam ab hoc solo Lumine, Christo putà, illuminatum est omne Lumen, ita ut clare toti orbi illuxerit, & quandiu mundus ab hoc lumine privatus permanserit, tandiu tenebrę obscurissimæ ac densissimæ mundum universum obscurarunt.

Antiqui in tenebris versabantur scientiarum.

Vera scientia & lumẽ à Christo.

Vnde verè Antiqui omnes Philosophi & præsertim Pagani & Ethnici naturã perfectè non cognoverunt, ut ipsorumet dogmatibus & præceptis facillimè colligitur; docuerunt n. omnes, ignotâ causâ, effectus latere notitiam: ergo cùm ipsimet causam naturæ ignorarint, & naturã ipsam ignorasse certum fuerit, quod & ipsorũ scriptis luce clarius patet; quæ enim ipsi scripserant de natura, meræ nugæ sunt, & adhuc ænigmatibus & griphis quãplurimis involutæ quod plurimi pro veritate nugis illis involuta reputarũt. At si purè ac syncerè de his discernendũ sit, vanitas Mera fuit, ꝙ nobis & posterioribus omnibus doctissimi, & rerũ omniũ peritissimi videri voluerint, cùm tamen corticé rerum & superficiem tantùm noverint, nucleum autem ac medullam nunquam degustarint, quod Morienus Romanus Philosophorum antiquissimus Regi Calidi naturam ediscere voléti apertissimis demonstrat verbis, testando naturam ediscẽi non posse ignoto Deo, naturæque cognitioné esse donũ Dei, quod si ipsemet Morienus ad magisterium Philosophorũ id referat, nihilominus perperam non interpretamur Morienum, cùm naturæ cognitionem esse donũ Dei ipsum asseruisse affirmamus, Magisterium enim Philosophorũ est naturæ totius breve compẽdium, cùm creationi naturæ assimiletur & hominis generationi. Unde si notio unius sit donum Dei, & alterius cognitionem divinam esse prorsus, & à supremo doctore dependere, asserere necesse est. Ergo intrepidè concludimus naturam non posse cognosci absque notione causæ suæ.

Antiqui naturam nõ cognoverũt

Natura cognitio est donum Dei.

Magisterium philosophorum est naturæ compendium.

Quo-

Quotuplex sit Natura & quibus constet.

CAP. IV.

Natura divisio ab antiquis non probatur.

Recentium ac modernorum Philosophorum quamplurimi, Naturam duplicem fecerunt, eamq; diviserunt in Naturam Naturantē, & Naturam Naturatā: Naturā Naturātē Deum appellant, & Naturā Naturatam creata omnia quæ extant. Hęc distinctio & naturæ divisio arridere ac placere mihi nō potest; Deus n. nulla ratione naturæ essentiā inducere potest, nec Natura Dei Thronū ac sedem conscendere; sunt n. essentiæ ac substantię omnino diversæ ac varię, nec datur supremum genus Deum cōprehendēs. Deus solus est, qui se ipsum comprehēdit qui extra omnibus est, non exclusus, & intra omnia habitat non inclusus. Itaq; non legitima est, hæc naturæ divisio, & qui hanc excogitarūt, Naturæ exactam nomenclaturam non contemplati sunt, at promiscuè cum Dei nomine confuderunt: quod tamen Philosophi Christiani pati non debent, nec ratio naturæ postulat, ut creator cū creatis confundatur, horum enim permixtio utrorū ignorantiam parit, separentur necesse est, quia differunt toto cœlo. Naturam nos aliis distinguemus nominibus, quæ ipsius essentiæ distinctionem penitus nobis ostendent.

Antiqui Deum & naturam confuderūt.

Natura unica est & simplex.

Naturæ essentia unica est, & simplex nec ullo pacto dividi potest, cùm homegenea sit, & partes dissimiles non habeat. Sunt tamen tria in ipsa naturæ essentia, quæ eam distinguūt non tamen differre faciūt; est enim Calidum innatum, Humidum primigenium, & Siccum radicale, quæ naturæ totius essentiam simplicem cōstituunt. Chymici vocant hæc tria naturæ Principia. Sulphur quod idem est ac Calidum innatum, Mercurium quod & humidum primigenium significat, & Siccum radicale quod per Sal indicant. Hæc tria Sulphur, Mercurius & Sal, naturam constituunt, nec tamē tres naturas dicim⁹ esse, at unicam, nam hæc tria ratione essentia naturæ idem sunt, nec in essentia naturæ diversa constituunt principia. Alioquin daretur natura naturæ, hoc est principii principium, cùm in supremo genere omnia debeant esse una, nec in eo diversa, & si sint diversa; datur ergo supremi generis supremum genus, quod fieri non potest, ergo etiam natura cùm sit rerum ōmnium supremū genus, non poterit in sui essentiæ cētro diversas constituere essentias, at omnia una esse oportet in naturæ essentia.

In natura tria sunt distincta & differentia.

Natura est rerū omniū supremum genus.

Qua ratione autem oportuit Naturā tria distincta secū habere principia, hinc colligere licet. Natura nō potest esse natura, quin Generationis, Nutritionis, & conservationis Principia secum habeat; naturæ enim est generare, nutrire & conservare, hæc autē tria principia distincta sunt, & sui fontē & scaturiginē debent calido innato, humido primigenio, & sicco radicali naturæ;

Natura principia tria distincta.

Cali-

Calidum enim innatum propriè generat, humidum primigenium nutrit, & siccũ radicale conservat, unde frigida maleficiata dicimus: Arida & sicca nutritioni inutilia: mollia & aquea conservationis incapacia. Hæc in lumine intellectu facillima sunt: natura siquidem lumen est & in lumine elucet eius lumē. Definimus n. naturam spiritum luminis, in lumine ergo est calidum quod radiat & illuminat, in eo Calido, est quid humidum q calidum illud & lumē nutrit & fovet. Et in illo calido & humido quæ lumen constituunt est quoddam Siccum: non possumus enim imaginari calidum igneum sine Sicco, Siccum autem istud conservat & fovet calidum istud & humidum, quæ luminis essentiam cōstituunt: Hæc autem in lumine etsi tria sint distincta, nihilominus non inter se differunt, nec diversam constituunt luminis essentiam, sed unica luminis existentiâ confundũtur. Sic & in naturæ essentia contēplari licet hæc prædicta naturæ principia Sulphur putà Mercurius & Sal, nullo pacto differunt in naturę centro, at unica naturæ existentia confunduntur: alioquin n. naturam diversam ac multiplicē, in centro sui ipsius constituerunt, quod nullo pacto fieri potest sine naturæ unitatis violatione, quæ una esse debet, ut trina unitatis vinculo adunata, ut imaginem ideam quandam rudem sui referat creatoris, quod si Deus sit Unus unitate essentiæ, & Trinus personarum divinarũ distinctione, sic & natura à Deo creata rudē quãdam illius Unitatis, & Trinitatis imaginem, nobis quadantenus repræsentat. Sic naturam dicimus unam, Sulphuris, Mercurii & Salis Trinitatis vinculo coadunatam, ut inferius clarius ostendetur: possunt dari & aliæ naturæ divisiones, sed cum identicæ sint & similes, de his non tractabimus, ut in cœlestem & elementarem in animalem, vegetabilem & minerabilem, de quibus omnibus infra dicetur in particularibus capitibus, ubi rationem dabimꝰ quare una & eadem natura tam varia conservat entia, generaque diversa, & species quæ in uno naturæ centro confunduntur & unicam constituunt naturam.

In lumine tria sunt & in eo non differunt sed distinguuntur.

Sulphur mercurius & Sal in naturæ centro non differũt.

Ut Deus trinus & unus sic natura trina & una

De variis ac multiplicibus naturæ nominibus.

CAP. V.

NAturam Antiqui omnes & moderni Philosophi variis insignierunt nominibus, quibus confusam & valde obscurã nobis proposuerũt, naturæ cognitionem & sciētiam. Id tamen ad hanc intentionem nō factum esse existimo, at potius, ut naturæ diversas proprietates & energias variis illis nominum titulis nobis indicarent & commonstrarent. Natura siquidem non unica pollet virtute, sed multiplici, & ferè infinita; quicquid enim est virtutis & efficaciæ in toto rerum creatarum ambitu, ab ipsa natura dependet, & ab ipsius

Naturæ varia nomina obscurant eius scientiam.

Natura est omnipotens naturaliter.

Pan dictus est natura & eius ratio. psius fonte fluit: Quam virtuté variam ac multiplicem indicarunt potissimùm hoc nomine Pan: Et sub eius Etymologia eiusq; genealogia, naturę indicarunt virtutem & essentiam: per eius nomen quod & totum & omne significat, indicarunt Antiqui omnia quę extant naturam esse, & nihil excludi extra naturæ claustrum ex his quæ à Deo creata sunt: Per eius cornua quæ in eius capite stabant eius vigorem & robur, cœlestisq; influxus indicarunt energiã, qui Solis Lunæq; radiis veluti cornibus hæc inferiora domant, hisq; dominantur. Per hispida eius inferiora membra naturam elementarem intellexerunt; horrida enim sunt & hispida omnia, corruptionibus & mutationibus obnoxia in natura elementari. Per eius pedes corneos & caprinos mineralem & terream nobis fecerunt naturam, hæc enim natura fixa est constans ac permanens, non secus ac cornua fixa sunt dura & permanentia respectu cæterarum rerum. *Cur instrumentũ musicum Pan habuit.* Instrumentum musicum illi dederunt, septemplici calamo dissonum, cuius authorem & inventoré illum ipsum fecerunt, ut nobis Harmoniam cœlesté septemplici cœlo, & influxu vario dissonam, cõsonam nobis indicarent, cuius sola Harmonia hæc inferius ducuntur. Dæmogorgon etiam dicta est natura quasi Deus terrestris, ꝙ natura seu Spirit9 ille luminis vitæ, in hæc inferiora, Dei imitetur naturam & virtutem, ꝓpter generationes, & rerum omnium ꝓductiones quæ ex centro sui ipsius educuntur, huncq; Terrenum Deum Dæmogorgona dictum superiorem Pana generasse ac ꝓduxisse, asseruerunt, quòd ex spiritu illo luminis natura dicto, per creationem educti sint primò cœli, & natura cœlestis omnis, & tãdem elementa, unde credimus in principio Deum creasse cœlum & terram ex natura illa, seu spiritu luminis, quem antiqui dixere Chaos: *Dæmogorgõ dicta est natura & ratio.* Dæmogorgon ergo in centro terræ residens naturam indicat matrem & altricé rerum omniũ, & ita dicta est ꝙ Deum imitetur vel spiritualis substantiæ fungatur muneribus & officiis, omnia siquidem penetrat, ac permeat spiritus instar.

Phœbus & Phœbe dicta est natura. Phœbus, & Phœbe dicta est natura quòd sit vitialis luminis fõs & scaturigo: Φοῖβος enim est quasi φῶς τοῦ βίου lux vitæ, Unde etiam Sol & Luna Phœbus & Phœbe dicuntur, ꝙ spiritus vitæ, seu lumen vitę in his duobus planetis scaturiat ac prælucear: Sol n. & Luna, se habent in natura ac Cor & Hepar in animalibus; in his enim visceribus spiritus vitæ abundat & fœtus parit copiosos, sic & in Sole & Luna spiritus vitæ mũdi copiosus habetur ac turget; ut hinc veluti inexhausto vitæ naturalis fonte, cuncta creata naturalis vitæ spiritu egentia, desumant vitæ suæ fomité & alimentum: Sic pars præcipuæ naturæ totam naturã indicat; Phœbus n. & Phœbe, si Sol & Luna pro his sumantur, non sunt nisi na-

turæ partes: at in his partibus natura præcipuas habet functiones, unde non immeritò hæ partes nomine totius insigniuntur ab antiquis, & natura dicuntur.

Iupiter dicta est natura.

Multiplici etiã ratione apud Chymicos eandem naturam reperimus nuncupatam fuisse Jovem. Primò quòd juvet: natura enim sola est, quę juvat omnia, & auxiliares præbet manus omnibus. Secundò ratione originis suæ; dicitur enim Saturni & Rheę fili⁹, hoc est cœli & terræ. Cœlum enim & terra generant & producunt quotidiè spiritum vitæ, qui verus naturæ Jupiter est, omnia naturalia conservans, generans, & fovens, unde Pater rerum omnium dicitur, & verè juvans Pater, unde Jupiter sumpsit nomenclaturã. Et quia spiritus ille vera est natura, ideo Jupiter meritò dicitur natura apud chymicos, ut ostendant naturæ proprietatem, officium & munus, ejusq; originem, quæ est ex cælo & terra, tanquam ex partibus sui ipsius principalibus, in quibus scaturiginem & fontem posuit Deus ipsius naturæ, quãvis ipsæmet partes à natura ipsa, seu ab illo spiritu luminis & vitę traxerint originem, ut clarum ac manifestum habemus in partibus seminidicatis, ipsæ partes seminales originem traxerũt à semine, & nihilominus ꝑducunt semen. Sic & natura, seu Spiritus ille luminis & vitæ, cœlum & terram fecit verbo Domini operante; & cœlum jam & terra producunt naturam seu spiritum illum

Cœlum & terra producunt vita spiritum.

vitæ, quem Jovẽ dixerunt Antiqui, & Æthera, propter quod aeris & ætheris omne spatium occupet spiritus ille luminis, in eoque prænitear.

Natura Deorum omniũ nominibus est nũcupata.

Deorum etiam ferè omnium nominibus nuncuparunt Naturã Antiqui Chymici. Dixerunt Saturnum, Neptunum, Plutonem, Mercurium, Dianam, Junonẽ, Proserpinam, Venerẽ, Palladem, Minervã, ut Naturæ divinam testarentur sortem & prosapiã, eamq; divinum numẽ imitari, Quòd si quis eorum Deorum nomina peculiaria, eorumque munera & officia, genealogias, & vitæ munera quærat & investiget, reperiet certè Naturæ varias proprietates & virtutes, hisce Deorum fabulis intelligere voluisse antiquos, ut de Saturno fabulantur qui filiis & natis saturabatur, unde Saturnus dictus est, quasi natis satur, vel nunquam satur, quia natura filiis & natis suis nunq̃ satiatur, semper nova producẽs & generãs, nec unquam à generatione desistens: tres habuit filios Saturnus, quibus pepercit, nec eos devoravit fraude & cautela matris, quę filios illos occultavit, & pro eis, lapides obtulit devorãdos. Natura pariter tres habet filios Sulphur, Mercurium, & Salem: hi tres filii à natura nũquam destruuntur ac devorantur: at eorũ loco, mater offert corpora mixtorũ destruenda ac devoranda, quæ sunt veluti lapides à Saturno devorati: ex eorum autem destructione manet semper Sulphur, Mercurius, & Sal, quæ sunt naturæ principia incorruptibi-

Natura quare Saturnus dicta

Iupiter, Neptunus, & Pluto, quare à Saturno non devorati quamvis eius filii.

ptibilia, ex corruptione rerũ omnium resultantia, quę nobis repræsentant Jovem, Neptunum, & Plutoné. Sulphur Jovem repræsentat, Mercurius Neptunum, & Sal Plutonem.

Sulphur per Iovem indicatũ, Mercurius per Neptunum, Sal per plutonem.

Sulphur cum sit vitæ pater, & fons vitalis luminis sub Jovis nomine meritò figurarunt Antiqui: Mercurium vero p Neptunum indicarunt, quòd sit vitæ fomes & alimentum; Aqua siquidem per Neptunum indicata est verus vitæ fons, cùm humidum radicale vitæ sit immensum æquor, Sal verò per Plutonem indicatur, multis hisq; gravissimis de causis. Primò quòd in ultima rerum natura semper reperiatur, ut Pluto in ultimis & infimis naturæ regnis sedem habet. Secúdò, quòd Sal sit naturæ thesaurus, & in eo naturæ pulchriora & cariora obtegantur, veluti Pluto divitiarum & thesaurorum pater est. Tertiò quòd Sal sit naturæ centrum, ut & Pluto, censetur mundi centrum.

Natura cur Entelechia dicta.

Dicta est etiam natura ab Aristotele Entelechia & quinta essentia, Entelechia, quòd sit principiũ motus; virtus enim motiva naturæ, quâ intrinsecus movetur ad generationes & productiones rerum omnium Entelechia est, & ab ipsis naturæ visceribus ortum habet; naturalis enim implantatus illi est motus & lumen, quibus vita exsurgit.

Natura cur quinta essentia dicta est.

Quinta vero dicitur essétia, quòd præter quatuor eleméta, quæ naturæ columnas & fundamenta constituunt, sit ipsa natura veluti quinta essentia, à qua sola, eleméta ipsa quatuor legem habent. Undè cùm in elementis aliquid aliud cerneret Aristoteles, quòd nullo pacto elementi naturã saperet, imò eleméta regeret & gubernaret, id quintã essentiã & quintũ elementũ ausus est pnunciare, cùm tamen nõ elementum sit: at elementorũ principium habeatur.

Quinta essentia nõ est elementum.

Id naturam noluit appellare cùm naturę vocabulum analogicum valdè, & confusum sit, & ad quæcumq; naturæ fundamenta referri queat, propterea voluerũt antiqui omnes Analogiam illam Naturæ explicare variis titulorum nominibus, ut variam illam, ac multiplicem Naturæ Analogiam tandem panderent explicatis variis illis naturæ analogiis, quæ chymicorum scriptis passim leguntur.

Qualia, & quot sint natura Principia.

CAP. VI.

Qualia natura principia.

PRincipia Naturæ ibi dicimus, quibus utitur natura ad generationes & rerum omnium productiones, non quibus componitur natura, nam si pprié & ex arte loqui volumus, natura nullis componitur principiis, cùm unica sit simplex, & sit principium rerum omnium; Absurdum autem est dare principium principii, & supremũ genus supremi generis, ut jam superius dictũ est, nec principia ex sese sunt, nec ex aliis sed ex his omnia sunt. At dicimus Naturæ principia ea ipsa quæ in natura sunt distincta, non differentia, quibus natura utitur ad generationes

nes rerum omnium ex centro sui ipsius sumés id omne, quod necessarium est, tùm ratione formę, tùm ratione materiæ, generationibus & productionibus omnibus. Ea autē principia sunt Sulphur, Mercuri⁹, & Sal, quæ calido innato, humido primigenio, & Sicco radicali æquiparamus, & similia facimus. Nil est in tota rerum serie, ꝙ non ex hisce principiis immediate componatur, in omnibus enim reperitur calidū innatum sive Sulphur, humidum primigenium sive Mercuri⁹, & Siccum radicale sive Sal. Sulphur omnia generat & est omnium verus & unicus pater, & cum Sole sympathiam quā maximam habet, cùm Sol sit fons Sulphuris seu vitæ caloris, & contineat in se fomitem & alimētum vitæ, quod diversum esse non potest ab ipso calido vitali, ꝙ nutrit; alimentum enim debet esse simile nutrito, undè si calor cœlestis, qui ex Sole, per eius radios, & influxus in hæc inferiora descendit nutriat, foveat, & conservet inferiora, similis esse oportet calido innato rerum unde Sol cœlestis cum Sulphure nostro, seu calido innato verè concordat, & similis est.

Sol est fons calidi innati.

Mercurius verò omnia nutrit & fovet, quæ Sulphur tanquam pater generavit; nutrit autem, quia aqueum vitale, seu humor vitæ propriè nutrit, & vitā sustinet, alioquin vita destrueretur, & periret: cùm in calore consistat, ni perpetuo alimento foveretur, eoque humido, & calido innato simili; ideo perpetuus & indesinens comes est, & fidelis Achates Mercurius Sulphuri, nec unquam possunt separari, quia alterna egent ope, & reciproco auxilio. Sal autem omnia conservat, quæ generat ac producit Sulphur, & nutrit Mercurius: Ea enim omnia postquam producta sunt egent conservatione, ut perdurent: Modus autem & vinculum, quo devinciuntur Sulphur & Mercurius in rebus omnibus productis, est causa conservationis, & rerum perdurationis. Vinculum verò istud est, Sal, quo solo calidum & humidum vitale uniuntur & vinciuntur.

Mercurius naturam nutrit.

Sal omnia conservat.

In his autem naturalibus principiis, quatuor vigent elementa, & qualitatesq; eorum: in Sulphure viget cœlum, & ignis, & calor, & siccitas, in Mercurio viget aer, & aqua, eorumque qualitates, in Sale floret aqua, & terra, & eorum virtutes & energiæ. Vigent autem ac florent elementa omnia in hisce principiis ut causa floret, ac viget in effectu suo; ortum enim habent hæc principia ab elementis: quamvis & elementa in principio creationis, ortum traxerint ab ipsis principiis, quæ immediatè ex nihili fonte per creationem divinam sumpserunt originem, & Naturam fecerunt, quam Chaos & Thyle dixerunt Antiqui, ex qua natura deinde, in qua omnia permixta confusè erant, Deus separavit elementa, quibus virtutem dedit & energiam Semina rerū omnium producēdi, quæ semina nihil aliud sunt, quam

In Sulphure quid vigeat in Mercurio quid floreat. In Sale quid polleat.

Semina rerū

qualia sint. quam hæc tria principia, ex quibus immediatè omnia producuntur.

Elementa qua ratione producunt tria rerum principia. Quâ autem iam virtute & actione elementa producant hæc principia in ꝓpatulo est apud Chymicos; sunt enim elementa quatuor inter se, ac invicem agentia, naturali instinctu, ut hæc rerum producant semina. Ignis agit in aerem & simul aeri ꝑmiscetur, & uniuntur simul, & coëunt, & ex coitu illo, & copulatione naturali ignis & aëris, fit Sulphur, seu calidum illud innatum vitæ & lucis vitalis pater; aer autem agit in aquam & simul coëunt, & ex coitu aeris & aquæ exsurgit Mercurius, qualitates & vitales horum elementorum secum retinens. Aqua vero agit in terram & jungitur cum illa, & ex permixtione istius exsurgit Sal, qui aquæ & terræ proprietates habet. Terra verò cùm non habeat elementum illud, in quod agat, & cũ quo conjungatur, quartum nõ producit principium, sed manet ipsa, uterus & matrix seminum reliquorum elementorum, eaq; digerit, coquit, & maturat, digestaq; in rerum diversas series & ordines distribuit.

Principia tria tantum quare. Sic tria tantùm reperiuntur rerum principia, ex quibus immediatè res omnes producuntur, non separatis, sed simul sumptis & unitis; non enim Sulphur seu calidum innatum producit aliquid, nec item Mercurius, & Sal, sive humidum primigenium & Siccum radicale aliquid producunt separatim, sed oportet, ut simul sint hæc tria simul unita, corpusq; seminis cõstituant, ex quo deinde fiunt res omnes & ortum habent secundùm species & genera, quæ in semine illo implantãtur Archæi & Iliastri virtute & efficacia, sumit autem hanc virtutem & specificandi energiã ex peculiaribus locis & uteris seu matricibus, in quas demandatur hoc semen, in quibus solis individuatur, ac speciem recipit peculiarem, semen illud elementorum generale, & ad omnia rerum entia producenda natum.

De Sulphure seu calido innato rerum omnium primo principio.

CAP. VII.

Sulphur intricatè & obscurè explicarunt antiqui. QUàm variè, & quàm intricatè Sulphur explicarunt Antiqui, Satis clarum habemus ex eorum scriptis, ex quibus, nihil ferè lucis & cognitionis reportare licet. Cùm enim Sulphur & calidum istud innatum sit rerum omnium pater & fons, ideo eius cognitionem & lucẽ obscurare conati sunt omnes, ex cognitione siquidem calidi innati seu Sulphuris cuiuscumque rei, oritur & cognitio, & rerum omnium scientia, cùm forma cuiuscumque rei, ex eo ortum habeat, quæ rei essentiam indicat & demonstrat, ex qua sola datur scientia.

Quid autem sit sulphur istud, seu calidũ innatum, quod rei uniuscuiusq; essentiam constituit, arduum est dicere, nam cortices rerum tantùm videmus, illud autem quod res

constituit, quod essentiæ & existentiæ fundamentum, occultum valdè est, nihilominus in chymicis Philosophis sæpissimè apparet in forma rei cuiusdã oleosæ & valde pinguis, unctuosæ & viscosæ, igneæ & æthereæ qualitatis; unde verè licet nobis cum rei veritate, Sulphur seu calidum innatum rerum omnium definire substantiam incorruptibilem, unctuosam & viscosam cælestis, igneæ, & æthereę qualitatis ex astrali cælestique penitus semine, & elementari limbo, in semine rerum peculiari procreatam, formas rerum omnium & existentias ex centro sui ipsius educentem, ac in intimis rerum thalamis occultatam & quiescentem.

Sulphur seu calidum innatum quid

Sulphur cur Sol internus dictus.

Hanc substantiam quamplurimi Chymicorum viderunt, & tractarunt, variisq; nominibus eam insignierunt, dixeruntque eam esse Solem internum, quòd internis vitæ functiones omnes ageret, & ignem naturæ vivum propter eandem rationem Leonemque viridem & Sulphur viride, & benedictam Naturæ viriditatem, quòd hoc Sulphur vigorem & virtutem omnem naturæ, viriditatis nomine indicatam in se contineret ac coerceret. Galenus verò eximia & inperscrutabili illius substantiæ virtute motus calidum illud nativum dixit, substantiam facultatum & virtutum, quòd facultates omnes & virtutes ac agendi proprietates ex hoc solo scaturiant fonte. Aristoteles pariter huic vitæ calori, omnes rerum omnium proprietates, & energias attribuit. His verbis: *Inest in semine quod facit, ut fæcunda sint semina, quod calor vocatur, idq; non ignis, non talis aliqua facultas, sed Spiritus, qui in semine spumosoq; corpore continetur, & natura quæ in eo est spiritu proportione respondet elemento stellarum*: quibus verbis videtur Aristoteles nostram, quam de Sulphure & calido innato attulimus definitionem approbare; non enim ignis est, & quid aliud elementare, sed quid cœleste spirituosum tenue valdè, omnia penetrans, omnia implens, & per omnia diffusum, in animantia, in stirpes, & in metalla propagatum; unde cùm hæc omnia sublunaria elementari semine sint orta, calidum eorum innatum oportet ex elementari limbo esse prognatum; ut asserimus in definitione nostra; non enim elementa sunt ex materia diversa ac differenti à substantia cœlesti, sed omnia ab uno scaturierunt fonte, & omnia, omnium genitorum seminales rationes producunt ac generant, semenq; constituunt, & quod in eo semine igneum est & æthereum spirituosæ substantiæ proportione respondens elemento stellarum incorruptibile & invisibile, miris & quammaximis elementorum excrementitiis amurcis occultatum id solum est sulphur, & calidum innatum rerum omnium, quod Chymici Philosophi tanti fecerunt, ut totam naturam ab eo dependere asseruerint, & in cognitione illius & sepa-

Lib. 2. de certis ad glauconem.

Lib. 2. de Animal generat. cap. 3.

A cognitione Sulphuris tota Alchymia dependet.

paratione, totam spectare Alchymiam.

Quòd si capite superiori demonstraverimus Sulphur hoc generari ac produci virtute ignis agentis in aeris substantiam, nihilominus non est hinc argumentandum Sulphur seu calidum innatum cùm sit ex igne & aere prognatum, elementaris solius esse propaginis, cùm & ignis & aer habeant aliquid cœleste illis immixtum, beneficio cuius habent actionem & seminalem producendi virtutem; calidum enim innatū, seu Sulphur est semen ignis & aeris, semen autem tale, purum cœli habet in se conclusum, ratione cuius cœlestis est originis: quamvis elemētari sit semine procreatū; neq; enim elementa quicquam possunt absq; illo cœli puro, quod est actionis & virtutis basis ac fundamentum: immo si ad primam rerum omnium creationem respiciamus, in qua primò creatum est cœlum & terra, cœlum illud, Sulphur est, & calidum illud innatum rerum omnium cum sit virt⁹ activa rerum omnium, quæ cœlo tantùm debetur & attribuitur. Vnde Sulphur illud nuncupant cœlum Spagyrici Philosophi, idque verè & propriè & summa cum ratione, nam Sulphur est prima rerum omnium virtus, quæ sola ex cœlo descendit. Etsi ex abysso illa prima, in qua omnia promiscuè confusa erant cœlum prodierit primò, seque in altum sublimaverit, ratio in promptu est, quia quod erat potentius ac agendi virtute maiori præditum in abyssi, primò se protulit in actionē; undè cùm Sulphur sit actionis totius pater & fons, hinc factum est, ut ex Sulphure seu calido innato abyssi, facti sint & procreati cœli, qui cùm suæ originis sapiant indolem actionum omnium sunt patres & fontes, & in procreatione rerum omnium primas tenent, & potissimum in procreatione calidi innati, seu Sulphuris rerum omnium. Vnde non immeritò Sulphur dicimus cœlestis esse propaginis, quamvis ex elementari limbo sumat exordiū, & hoc ut clarius percipiant Chymiæ alumni, dicimus & asserimus, corpus calidi innati seu Sulphuris, esse elementare, formam vero illius corporis esse cœlestis, & sic in uno & eodem corpore coit tota natura, cœlestis & elementaris. Abeant illi qui nobis perperam asseruêre, calidum innatum esse quid cœleste tantùm, valeant etiam qui illud qualitatem fecerunt & accidens, cùm totius substantiæ patrem ac fontem, substantiam esse oporteat, & cùm cœlum & elementa concurrant ad generationem rerum omnium, necesse etiam est, id quod immediatum ac proximum est generationis & productionis principium ac fundamentum, cœlestis & elementaris esse propaginis.

Ignis & aer habent aliquid cœleste illis immixtum.

Sulphur quare cœlū dictum.

Cœli cur vim activā maximam habeant.

Sulphur non est quid cœleste imò nec accidens.

De

De Mercurio seu humido primigenio secundo rerum omnium principio.

CAP. VIII.

Mercurii occultarūt antiqui.

SI Antiqui obscurè locuti sunt, de Sulphure, adhuc obscurius locuti sunt de Mercurio, nam sæpissimè Mercurium, Sulphur dixerunt, & vice versa Sulphur Mercurium fecerunt: Ita ut hæc duo unico nomine enunciarunt, non etiam differunt in rei natura, sed tantum distinguuntur, nec unquam invicem separata reperiuntur, nec naturaliter separari possunt, quin sint ambo coniuncta; quod si unius nomine efferantur, ratio in promptu est, quòd aliquando qualitates Mercurii & proprietates in eo eluceant, aliquando verò Sulphuris, & qualitates elucentes denominant subiectum: At in rei veritate in unoquoque illorum trium principiorum, semper includitur duorum aliorum substantia; oportet enim ut semper sint tria hæc simul coniuncta, & naturali ac indissolubili vinculo connexa. Ut generationes & rerum omnium productiones fieri possint, in singulis n. rerum productionibus, necessaria sunt hæc tria principia.

In unoquoq; trium principiorum includitur & alterum

Nihilominus quamvis hæc tria rerum principia separata nunquam reperiantur, nec unquam separari possint, cùm tamen distincta sint, definitiones habent diversas, seu distinctas ut distincta sunt. Quocirca definitionem Mercurii propriam & peculiarem asseremus, & proprietates eius distinctas enarravimus. Sic ergo definiemus Mercurium, quem dicimus humidum esse radicale rerum omnium incorruptibile, ex cœlesti ac elementari progenie enatum, cui quatuor elementa in pondere & iustitia sunt adunata, unà cum spiritu cœlesti, ad pabulum & alimentum nativi caloris. Ad hoc enim solum creatum est humidum radicale seu Mercurius, ut nutriat, foveat, & cōservet calidum innatū seu Sulphur, ideoq; simul continuo & indissolubili vinculo copulantur, ut Mercurius Sulphuri perpetuo & perenni sit alimento & pabulo.

Mercurius quid.

Sunt quamplurimi Chymicorum, qui Solius aquæ & terræ subtilis essentiam, ortum Mercurio dedisse asserant: At hi diminutè valdè de Mercurii origine loquuntur, & quod tantū in Mercurio manifestum est, ostendunt, quod verò occultum est & in penitissimis eius essentiæ recessibus ac antris delitescit occultant, & ideo ita ieiunè de Mercurio tractant. Non enim potest esse pabulum & alimentum totius substantię, quin & totius substantiæ habeat virtutes & energias, imò & essentiam omnino similem & eandem habeat, tota autem substantia est & quatuor elementis & spiritu cœlesti coadunata & prognata: Ergo etiam & pabulum eius & alimentum ex quatuor erit elementis, & spiritu cœlesti procreatum. Unde humidum primigenium seu Mercurium rectè diximus esse

Mercurius non est ex aqua & terra subtili tantum.

Mercurii tota substantia est

ex cœlo & elementis. esse substantiam incorruptibilem ex cœlesti ac elementari progenie enatam, debet enim totam naturam complecti, qui totius naturæ debet esse pabulum & alimentum, ut eam nutriat, foveat, & conservet.

Variæ Mercurii definitiones. Varias ac multiplices in Chyrurgia nostra Spagyrica attulimus Mercurii definitiones, quæ in unam & eandem coëunt definitionem, & eandem & similem testantur essentiam: Nam cùm diximus Mercurium esse elementorum quintam essentiam spiritu cœlesti impregnatam ad nutritionem & conservationem rerum omnium; vel cùm dicimus, Mercurium esse spiritum vitæ ad fabricationem mundi & conservationem à Deo creatum. Vel humidum radicale totius mundi ex quo omnia fiunt, nutriuntur, foventur & conservantur; Vel cùm dicimus proximam esse substantiam, ex qua immediatè partes cujuscunque corporis fiunt, nutriuntur & conservantur in statu naturali: primam nostram definitionem confirmamus. Nam hæ omnes definitiones similes sunt, & eandem testantur Mercurii indolem ac progeniem, quam Antiqui fabulis Mercurii obscurati sũt, & tamen id ipsum indicare voluerunt. Cùm enim Mercurium filium cœli & diei fecerũt, originem & ortum humidi radicalis totius mundi patefecerunt. *Mercurius filius cœli & terræ.* Ex cœlo enim est & elementis, quæ ab Antiquis hac in parte per diem indicantur. Sole siquidem surgente & Aurorâ oriente fit dies, & procreatur spiritus ille mundi, seu Mercurius ad conservationem universi, vapores siquidem qui per diem à Sole ac stellis aliis sursum elevati sunt tenuemque auram dederunt, in rorem tandem convertuntur, tepido noctis & Lunæ fotu, qui surgente sole impregnatur radiis & virtutibus ejus, & sic cœlesti virtute ac spiritu surgens cadit in terram, reliquaque elimenta, & fœcundat ea. *Qua ratione fiat Mercurius.* Sic fit, ac generatur Mercurius ille vitæ: Elementa in vaporem, tenuemque auram ascendunt cœlum versus, cœli verò spiritualiter descendunt radiis & influxu, & unà cum vaporibus elementorum copulantur & uniuntur, hoc autem omnes tepido noctis fotu, surgente sole, & aurorâ, convertitur in rorem, qui pondere suo iterum cadit in elementa inferiora, & fit eorum Mercurius *Ros est Mercurius.* qui deinde in locis propriis & peculiaribus, seu rerum matricibus individuatur, & species rerum peculiares producit, nutrit, fovet, & conservat: diciturque propriè Mercurius, quod sit totius naturæ negotiator ac Mercator, natura siquidem Merces suas in lucem promere non potest nec nobis exhibere ac divendere absque tali Mercurio, *Mercurius cur ita dictus.* qui totius naturæ est unicus nuncius, caduceator, mercator ac negotiator: *Mercurius cur nuncius Deorum.* Negotia enim illius omnia fidelissimè exercet: Perinde nuncius Deorũ fuit apud antiquos, ut hinc intelligamus voluntatem divinam in rerũ generatione & procreatione,

C pate-

patefieri non posse in rebus inferioribus, absque nuncio Mercurio, qui rerum omnium productiones gubernat.

De Sale seu Sicco radicali totius naturæ Tertio & Ultimo rerum principio.

Caput IX.

Siccum radicale occultum fuit apud antiquos quod totam naturam pandat ejus scientia.

De Sicco Radicali totius naturæ, nihil ferè dixerunt antiqui Philosophi, sed penitus occultarunt, ut ejus cognitio daretur tantùm divinitus his solis, quos Deus sibi fideles & amicos agnoscebat; Eo siquidem cognito, & apperto, cognoscitur & coram oculis manifestatur, ac exhibetur tota natura, & totius sapientiæ naturalis culmen: Clavis enim est totius naturæ, & absque ea nihil potest apperiri, imò natura ipsa non est natura, cùm nullo pacto possit operari: Sulphur siquidem nunquam Mercurium suum nec in animalium regno nec in vegetabilium opere, nec in Mineralium acervo, potest coagulare, nec Mercurius in partes solidas individuorum sive sicco radicali, sive Sale potest transmutari; unde maneret natura semper imperfecta, & sine ulla actione generationis, & productionis perfecta, ob quam rem natura meritò non esset natura, cùm totum esse naturæ consistat in perfectione generationis & productionis rerum suarum.

Antiqui secretorum tenacissimi.

Ideo parcè locuti sunt Antiqui de Sale mundi, quia totam ipsam naturam pandere noluerunt, nō quòd ipsum ignorarunt, sed quòd tantum secreti, pandere recusarunt; erant enim naturæ secretorum tenacissimi, & quod secreti callebant, id tantùm viva voce & cabalistico mysterio primogenitis suis tantum tradebant. Unde est quod si quid scriptis mandarent, id valdè obscurum erat & intricatum, & solis authoribus clarum & manifestum.

Nunc verò alio vivimus sæculo, & cùm sit gratiæ & benedictionis sæculum, necesse est ut gratiæ, & summo cum amore, omnia Naturæ dona omnibus communicentur, ob quam rem liberati manu & gratissimo calamo hæc scribo ut omnibus notum fiat, & manifestum Naturæ Donum, quod apperiri non potest, sine notione horum trium principiorum, de quibus ante me multi quidem scripserunt, sed valdè obscurè & ænigmaticè, idque parco & valde tenui calamo.

Sal seu Siccum radicale quid sit.

Accipiant ergo Lectores grato animo quæ de Sale, & sicco radicali totius naturæ in votis est scribere eaque verissima reputent. Nam quæ vidimus ipsi, & palpavimus scribemus. Sal ergo seu Siccum radicale totius naturæ, quod est vinculum & nodus calidi innati, & humidi primigenii, est totius naturæ gluten incorruptibile, quo tenacissimè adhęrent calidum innatum & humidum primigenium, ad conservationem & perdu-

perdurationem individuorum, cœlesti & elementali conflatum semine, non secus ac calidum innatum & humidum primigenium. Vel est substantia incorruptibilis cœlesti & elementari procreata spiritu, quâ inter se ligaretur indissolubili vinculo, calidum innatum & humidum primigenium ad generationem & conservationem mixtorum. Substantiam esse incorruptibilem patet manifestè, ex his omnibus quę comburuntur, & incinerantur, in cineribus siquidem eorum latet Sal, quod variis lotionibus, & martyrio ignis violentissimo in purissimam ac limpidissimam evadit substantiam, quæ ignis ipsius & reliquorum omnium actiones contemnit, ac sine ulla sui deperditione tolerat, imò in ipsis crepitantibus flammis ac adurentibus carbonibus gaudet & quiescit: Et hæc substantia, cùm fluat in igne humidum habere primigenium necesse est cùm & ligatio ab humido primigenio dependeat, & cùm nutriat, foveat, ac summoperè conservet præ omnibus alimentis, humidum radicale mixtorum omnium, humidum illud habere necesse est, quod est nutritionis & conservationis fundamentum ac principium; Et cùm eadem substantia habeat generationis & totius naturæ motus principium: Nam si iterum in terram projiciatur, ac seminetur, hinc exsurgit & enascitur mixtum idem specificum, ex cujus cineribus extractum est Sal, necesse est hinc habere calidum innatum, cùm & illud sit generationis & totius naturę motus fons, & scaturigo.

Sal quare sit substantia incorruptibilis.

Sal habet in se omnia reliqua naturæ principia.

Ex his omnibus clarissimè patet nulla artis industriâ principia naturæ ab invicem nunquam separari posse, sed semper indissolubili vinculo esse concatenata, cùm in resolutione ultima rerum, simul conjũcta reperiantur, nec ab invicem possint separari, quod ex peculiari cujuscumque principii definitione, colligere possũt, qui profunda mentis meditatione uniuscujusq; principii definitionem contemplantur.

Siccum ergo radicale totius naturæ, sive Sal mundi nunquam separatum habemus à reliquis duobus principiis, nec reliqua duo principia, à Sale separata unquã inveniuntur; Ad quid enim prodessent separata, cũ nihil producere, nihil nutrire, nihil conservare possent, & ad id solum enata sunt & à Deo creata, ad hunc naturę finẽ: Valeãt ergo Chymicorũ quãplurimi, qui hanc principiorum quærunt summo cum labore separationem: est enim impossibilis arti & naturæ, & inutilis utrique, studeant tantum, & labore improbo quęrant Salem purum, nitidũ ac limpidum ac ab omnibus terreis ac mutilibus spurcitiis repurgatũ, è quo arte levi elicient liquorem mirũ mercurii nomine donatum, quamvis in se habeat & coerceat reliqua duo naturæ principia, quem liquorem si igne perenni & continuo cõgelare sciant auri pura substãtia impregna-

Principia naturæ nũquam separata reperiuntur.

In Sale secretum latet curandi morbos omnes.

pregnatam, ut maturo ac fixo auri Sulphure citius coaguletur, habebunt procul dubiè medicinam morborum omnium curatricem: Advertant tamen antequam manus huic operi imponant, de quo Sale intelligendus sit hic locus: Sunt enim quam plurima & ferè infinita Salia, at huic operi inutilia, unum tantum datur Sal nobis utile, terreum ac metallicum, è quo solo hic mirandus mercurii liquor elicitur, & de quo solo gloriatur Alchymia tanquam sola hujus liquoris Inventrix, cujus ope durissima quæque metalla in primam solvuntur materiam: Imò & auri durissima compages in ultima sui ipsius reducitur elementa, non quidem separata, sed simul conjuncta & liquorem mercurialem constituentia. In quo liquore manifestè apparet ac elucet quid sit sulphur, quid sit mercurius, & quid Sal, nam hæc tria elucent ac prænitent in liquore mercuriali: Sulphur imprimis prænitet ratione caloris, ac albo & subflavo se ostendit calore, mercurius verò ratione humiditatis aëreæ & aqueæ substantiæ. Sal verò etsi manifestè non appareat, nihilominus virtus ejus in liquore mercuriali insignis est, nam pedetentim congelatur, & siccatur in rupem ille liquor, unde tunc temporis Siccum radicale, seu Sal manifestatur & appareat, necesse est, devicto humiditatis gradu. Sic apparent in uno & eodem subjecto virtutes horũ trium principiorum: imò & substantiæ distinctæ elucent.

Sale quale in alchymia utile.

In liquore mercuriali elucent tria naturæ principia.

Apud AlchymistamChristianum nuperrimè in lucem editum diximus Salem procedere ex calido innato & humido primigenio, nec perinde arguendum est Salem originem non ducere ex cœlo & elementis, ut asseruimus in definitione sua, nam dum cœlum & elementa producunt calidum & humidum innatum, eadem etiam productione generant & Siccum radicale, nec datur tempus separatum, & distinctum, nec quidem momentum temporis, in quo dicere valeamus, calidum innatum est & humidum primigenium & adhuc non est Siccum radicale, nam in ipso eodem instanti, in quo est calidum innatum, inest & humidum & Siccum radicale, nam in ipsomet temporis instanti quo calidum innatum producitur ab elementis & ab spiritu cœlesti, in eodem etiam temporis momento, ipsum calidum producit humidum primigenium & siccum radicale, quia hæc actio & productio communicatur à cœlo, & elementis calido innate, Unde quamvis calidum innatum sit prioritate naturæ prius humido & sicco radicali, non est tamen prius prioritate originis & tẽporis, cùm tria simul dependeant à cœlo & elementis, nec inde potest sequi Siccum radicale totius naturæ nõ esse originaliter ab elemẽtis & à cœlo procreatũ, cũ siccũ radicale nõ sit quid differens ab aliis principiis,

Tria naturæ principia in uno instanti fiunt omnia.

An Materia prima Antiquorum correspondeat alicui Chymicorum principio.

CAPUT X.


EXplicatis Chymicorum principiis, seu rerum omnium seminibus, ex quibus immediatè omnia fiunt, generantur, nutriuntur, ac conservantur, Doctrinæ ordo expostulat ut jam doceamus, an materia prima apud Antiquos, correspondeat alicui horum trium principiorum, An aliquid aliud penitus sit. Vt hæc quæstio probè expendatur, necesse est explicare verbi istius principii Analogiam & variam ejus acceptionem. Si latè enim ac fusè sumatur principium pro re quacumque, ex qua omnia incipiunt & habent esse, tunc temporis materia prima correspondet omnibus & singulis Chymicorū principiis, Si verò propriè & strictè sumatur pro eo solo, quod ex sese non est, nec ex alio, sed omnia ab eo illo solo fiunt & ortum habent. Tunc temporis materia prima non respondet principiis naturæ ex doctrina Chymicorum, cùm hæc principia, seu rerum semina fiant, & ortum habeant ex cœlo, & elementis; materia autem prima ex doctrina Antiquorum est ingenerabilis ac improducibilis, quatenus est rerū omnium principiū, cùm sit primum subjectum uniuscujusq; ex quo omnia fiunt substantialiter, non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc ultimum abibit: ex qua definitione colligimus materiam primam nullo pacto correspondere principiis superioribus sed cum natura, & cum Sale mundi habente in se tria principia, & sic considerata, materia est ipsamet natura, quæ est primum subjectum omnium, nec illà ipsa datur aliquid prius in rerum naturalium serie, nec ex se ipsa est, nec ex aliis naturalibus, sed ex ea omnia sunt substantialiter, & non secundùm accidens, & si aliquid corrumpitur, in eam ipsam naturam seu Salem mundi ultimò reducitur, ut vidimus sæpissimè in ultima rerum resolutione, in qua dum corrumpuntur mixta in salem abeunt, quod totius naturę virtutes ac proprietates continet, ac coercet, ac omnia illius principia, & ideo naturam vocare ac dictitare ipsum jure merito possumus, cum & generationes rerum omnium ab ipso incipiant, & resolutiones earundem in ipsum terminentur.

Materia prima qua ratione correspondeat principiis chymicorum.

Arist. 1. Physicorum. Materia prima quid sit. & cum sale convenit.

Resolutiones omnium terminantur in salem.

Quòd si principia nostra considerentur ut sunt ipsamet naturæ, quæ in tria hæc distinguitur principia, primò à Deo creata in creatione abyssi seu chaos, quod idem est ac natura ipsa, seu spiritus luminis à Deo creati in fabricationem universi, ut antea diximus, tunc omnia hæc principia conveniunt cum materia prima Peripatheticorum: definitio siquidem illius materiæ convenit illis principiis omnibus, simul sumptis & unitis, & in corpus natu-



Materia prima nomine Salem voluit indicare Aristoteles.

ræ adunatis. Quod mirum est Aristotelem noluisse sub hoc materiæ primæ nomine occultare principia hæc, & Salem hunc Chymicorum, qui totam naturam clarius patefacit ac ostendit ac ipsa materia prima, quam suis obscuris definitionibus, & variis descriptionis meandris invisibilem, inpalpabilem, & ferè in intelligibilem fecerunt, quam tamen si eam benè examinemus & visibilem & palpabilem & omnibus sensibus perspectibilem reddemus, quod enim omnibus naturæ mixtis, has omnes qualitates communicat ac tribuit, eandem etiam habere necesse est actu, dum eas communicat, non enim possibile est aliquod clarè, & ejus habere inopiam: certum autem est materiam primam dare rebus omnibus quantitatem, soliditatem, & qualitates omnes, quibus individua visibilia, palpabilia, & omnibus sensibus perspectibilia fiunt, ergo & necesse est, materiam primam visibilem, palpabilem, & omnibus sensibus perspectibilem esse, quod & Spagyrici Philosophi experientia comprobant, dum mixta dissolvunt in ultimam materiam ac corrumpunt: Quod enim ultimum reperiunt, in corruptione mixtorum Sal est, qui visibilis ac palpabilis est, cùm autem ultimus sit in corruptione mixtorum, & primus etiam esse oportet in compositione eorum, secundùm ejusdem Aristotelis axioma: quod est ultimum in resolutione est primum in compositione: hinc arguitur Salem esse primum in compositione, cùm sic ultimus in resolutione, & materiam primam esse visibilem & palpabilem, cùm & ejusdem Salis habeat essentiam & qualitates, hinc quod est apud peripatheticos cognitu valde arduum: ac intellectu difficillimum, apud Chymicos fit palpabile, ac visibile.

Materia prima visibilitas & palpabilitas.

Materiam primam esse visibilem unde colligatur.

An Forma Peripatheticorum habeat conformitatem aliquam cum Chymicis rerum principiis.

CAPUT XI.

PEr formam intellexerunt Peripathetici, essentiam rei & quidditatem præcipuam, ut eorum verbis Utar, quod enim essentiam constituit, & res omnes perficit, & integrat, forma est, eamque dicunt & asserunt educi ex potentia materiæ primæ, quam substantiam incompletam & imperfectam dicunt forma absente, præsente verò compleri ac perfici, & ea ratione, Formam eo nomine nuncupari, quod formet materiam, poliat ac perficiat. Chymici verò Philosophi nullam differentiam ponunt inter formam, & materiam primam, quæ est primum subjectum rerum omnium ex quo ortum habent; hæc siquidem materia est omnibus numeris absoluta, ac perfecta, & forma, est virtus ejus, & essentialis ac innata proprietas, quod & Peripa-

Per formam quid intelligant peripathetici.

Materia & forma non differunt.

ripathetici admittere coguntur, dum asserunt formam educi ex visceribus materiæ, seu ex ejus potentia, non potest autem educi, quin materia habeat illam virtutem ac innatam proprietatem, essentialem quidem, & quidditativam, cum ex materiâ primâ substantialiter, & non secundùm accidens omnia ortum habeant, cùm sit principium reale & physicum rerum omnium: Quòd si forma sit virtus & proprietas innata materiæ, non distinguatur à materia, sed unà simul erunt, antequam educatur: at postquam educta est, tunc temporis quidem distinguetur à materia, ut effectus à causa sua distinguitur: At etiam tunc temporis non est principium rei, sed est res ipsa, forma autem non potest esse principium alicujus rei, quin sit quid prius re ipsa, non est autem quid prius, nam eodem instanti, ac temporis momento quo forma est, eodem etiam momento res est, non autem sic se habent principia, nam hæc priora sunt & origine & tempore rebus omnibus, quibus dant existentiam.

Arist. 1. Physicorum.

Forma qua ratione distinguatur à materia.

Forma qua ratione principium rerum.

Ex his ergò concludimus formā Peripatheticorum ut est quid distinctum ac dissonum à materia prima, nullam habere conformitatem, ac similitudinis speciem, cum Chymicis rerum principiis, Si verò confundatur cum materia prima, cum sit virtus ejus, & naturalis energia, tunc temporis habet conformitatem, & similitudinem cum Natura seu cum tribus Chymicis principiis, simul sumptis & unitis; sic enim sumpta constituunt naturam & sunt Natura ipsa, quæ nullo pacto differt ac distinguitur à materia prima, ut ex definitionibus ipsis quas tradunt ipsimet Peripathetici clarè admodùm colligere possumus, nam Natura ex definitione Peripatheticorum est principium motus & quietis substantialiter in quo est. Nonne hæc definitio secundum omnes suas partes, convenit & quadrat formæ; hæc enim verè est principium motus & quietis substantialiter in quo est: Hęc eadem definitio convenit etiam materię primæ dum perfecta est & completa; ab hac enim incipiunt generationes, & corruptiones substantialiter, & non secundùm accidens, & in ea finiuntur ac terminantur, quod idem est, ac esse principium motus & quietis: Convenit etiam hæc definitio tribus principiis Chymicis; sunt enim hæc tria sive separatim, & conjunctim sumantur, principia motus & quietis, nam ab his solis uti diximus. Natura habet motum & quietem, & suas omnes molitur generationes & corruptiones.

Forma qua ratione habeat conformitatem cum principiis Chymicis.

Materia est principium motus & quietis.

An privatio conveniat cum aliquo Chymico principio.

CAPUT XII.

PRivatio est non ens, & figmentum ac Chymera mentis: pro ea

Privatio quid sit.

ea intelligunt Peripathetici carentiam, ac absentiam formæ in materia prima. Qua ratione autem absentia formæ, quæ vere est quid negativum & non ens possit esse entis veri principium, imaginari non possum: ea enim ratione possumus asserere principium mundi fuisse, illud quod non erat ante creationem mundi, seu privationem creationis mundi, quod falsissimum est idque percipi ac intelligi non potest. Nam ante creationem mundi illius privatio creationis non erat; sic enim dicere esset non ens est ens quod implicat. neque possum intelligere aliquid negativè ac desertivè, ut ajunt Peripathetici existere posse, nam hoc est dicere non ens existit in sua non entitate, quod est planè ridiculum, & à reali ac vera & positiva Philosophia explodendum.

Rationes cur privatio non sit principium.

Ens ab ente solo est.

Sic in materia prima, privatio formæ alicujus, quæ in ea reperitur, dicit non entitatem seu absentiam essentiæ formæ, quæ nullo pacto potest esse principium rei generandæ, cùm non habeat esse positivum in materia, esse siquidem dependet ab esse, & non à non esse, Si Deus non fuisset, qui est verus ens entium, nunquam mundus & reliqua cuncta, quæ in eo sunt, à privatione sua sumpsissent exordium.

Privatio ergo nullo pacto potest esse principium generationis cùm sit non ens, & verum figmentum, & Chymera humanæ imaginationis, quæ nobis excogitata est, & proposita à Philosophis antiquitatis, ut potentiam materiæ primæ energiam ac proprietatem occultarét. Potentia & aptitudo materię primæ ad omnes formas vicissim & successivè suscipiendas, dicit privationem ad illas, at toto cœlo differunt potentia & aptitudo suscipiendarum formarum â privatione illarum: Nam potentia & aptitudo est aliquid positivum in materia prima, & est utrius ejus ac proprietas ex innata & peculiari sua essentiâ diffluens ac dimanans: Privatio autem nullum habet esse in materia, est tantum quid excogitatum ac fictum ut absentiam & carentiam formæ exprimamus. Ut cum dico me privari mille nummis, indico carentiam & absentiam mille nummorum in me esse, ridiculum tamen foret, si assererem privationem illam fore principium habendi mille numos, nam omnes qui privationem illam habent, tandem haberent. At principium habendi est potentia & aptitudo, quæ industriâ revocatur in actum, & tunc temporis illa potentia & aptitudo, verum fuit principium habendi mille nummos, & non privatio mille nummorum, quæ per potentiam & aptitudinem coindicatur.

Potentia & aptitudo materia prima dicit privationem.

Concludimus ergo, ac perfricta fronte asserimus privationem nullo pacto convenire posse cum aliquo Chymicorum principio. Principia siquidem hæc habent esse positivum in generatione rerum: Priva-

Privatio non convenit in aliquo Chymicorum principio.

tio autem nullum habet esse, nam dicere habere ens negativum & desertivum dicere est, nullum habere, ens negative siquidem est, ac desertivè, & non esse: Sunt enim tantum verborum ambages, quæ in idem refluunt sensus centrum, quæ prorsus debent eliminari ab Scholâ Philosophorum; pariunt siquidem tricas, & altercationes clamosas inutiles, imò aliquando, & sæpe sæpius veritatem rei occultant, & obtegunt, quod tamen Spagyrici Philosophi pati non possunt; veritatem enim puram quærunt & amant, & simplici verborum eloquio ostendunt imò sæpius cum silentio, unde ænigmata infinita, apud Chymicos ortum habuerunt, ut his absque clamosa disputatione veritatem indicarent, & sic docendam esse professi sunt.

Philosophi Chymici cur ænigmatibus usi sunt.

Qua ratione Principia Chymica producant Elementa, & vice versa Principia producantur ab Elementis.

CAPUT XIII.

Principia Chymica & natura ipsa non differunt.

PRincipia Chymica sunt Natura ipsa, uti scripsimus superioribus in capitulis, Naturam autem producere elementa in confesso est apud omnes: at qua ratione id fiat, & qua methodo, scripserunt pauci, & qui id noverunt rarissimi sunt: Peripatheticè enim & per Scholas Philosophiæ docetur, omnia fieri, & generari immediatè ab elementis; eaque inter se invicem generari & produci, quod tamen falsum esse demonstrat experientia ipsa, & sine principiis Chymicis nullam generationem fieri testatur, non quòd principia Chymica, ut sunt idem cum natura, producantur ab elementis, tunc enim temporis sunt improducibilia, quia natura nunquam producitur; est enim ingenerabilis, sed ab ipsa omnia generantur. Sed elementa producunt rerum semina, quę principia Chymica, & immediata rerum omnium dicuntur, & illa semina rerum cum constituant essentiam & naturam rei cujusque, possunt dici aliquatenus natura. Unde & elementa possunt dici producere Naturam, sed naturam cujuscumque rei, non Naturam universi, quæ sola elementa fecit, hac potissimùm via. Postquàm Deus sua pura liberalitate, amore & misericordia abyssum ex nihilo creaverit sive Naturam universalem, vel ut alii volunt quintam essentiam & Chaos, in quo confusa erant omnia omnium rerum semina. Tunc essentia ipsius abyssi, voluntate divina mota est secundùm sua innata principia, ut partes integrantes istius mundi cōstitueret: Purissima sulphuris sui pars, ignes producit cœlestes omnes, qui lumen ac lucem vitæ dederunt & condensata sunt hęc omnia lumina in Solem potissimum vitalis luminis fontem, & in reliquas deinde stellas, ac alios planetas vitæ fomi-

Natura est improducibilis.

Lumen cœli qua ratione factum ex abysso.

Cœlum ex qua materia procreatum.

tes, à Sole ipso vitæ lucem mutuantes, ac in posterum ex ipso solo vitam ipsam, ac lucem foventes. Ex secunda minùs pura ac lucenti sulphuris parte, cum purissima mercurii parte, ut rarior fieret ac limpidior sulphuris pars procreati sunt cœli, quibus permeant ac deambulant, veluti pisces in aqua innatant Cœlestes omnes ignes. Sic procreatum est sive productum ex purissima sulphuris aurâ, seu calidi innati Naturæ purissima parte, primum elementum, quod est præcipua, ac integrans mundi hujus pars, quæ secum duas includit partes, lucentem unam ex qua sunt ignes cœlestes. Et non lucentem aliam, ex qua sunt cœli: Sic cœlum constituit Naturæ primum elementum, quod nonnulli Puerperam vocarunt ignem, ut inferiùs capite suo peculiari demonstrabitur.

Cœlum est primum naturæ elementum.

Aër ex qua materia factus.

Ex secunda deinde mercurii parte minus pura factus est aer, qui cũ non ita purissimis, ac subtilissimis Naturæ partibus constaret ac cœlum: infernis descendit & sphæram inferiorem constituit, quæ reliquis duobus inferioribus permiscetur. Aquæ putà & terræ; Superiora enim elimenta, inferiora permeant ac penetrant, ut vitæ fomitem illis communicent, vita enim ex alto est, & inferiora descendit. Et ut clarum ac certum est aërem, aquam & terram penetrare, nec minimam horum elementorum partem reperiri posse aeris essentia carentem. Sic etiam certissimum est nullam hujusce mundi reperiri partem cœlo absentem, Cœlum enim ubique est, cùm & vitæ spiritus & lucis anima cœli præcipua pars, ac verus ejus fœtus ubique reperiantur ut inferiùs ostendemus.

Vita ex cœlo est.

Cœlum ubique est.

Ex hac etiam mercurii parte, ex qua factus est aër, cui permixta est purissima ac subtilissima Salis pars, facta est aqua, tertium elementum ac tertia mundi columna, quæ sua satis crassa subtilitate terram penetrat omnem ac vitæ spiritum, lucisque animam ex supremo elemento descendentem illi communicat.

Aqua ex qua materia.

Ex reliqua ac superstite Salis parte, in qua recrementa Naturæ ac Sordes abyssi erant, procreata est terra, quæ omnium elementorum solidissima est ac firmissima, tanquã ex impurioribus reliquorum omnium principiorum partibus procreata, ex sententia quorundam Chymicorum, quæ satis confusa est, ferè falsa ni benè interpretetur, nam terra non ex impurioribus Naturæ partibus, sed ex solidioribus ac firmioribus procreata est, solidiores siquidem partes & firmiores, non sunt impuriores, sed in his resident ac sedem habent impuriores, ac fœculentiores partes, quæ veram & integram radicalium & essentialium partium unionem impediunt & cohibent. Unde exsurgit in inferioribus corruptio, & rerũ perpetua, ac indesinens mutatio. In cœlestibus

Terra ex qua materia.

Terra non ex impurioribus naturæ partibus.

Mors & corruptio unde.

verò

verò ac superioribus, in quibus non sunt partes adeò fœculentæ & impuræ, quia in inferioribus elementis descenderunt, in cœlis perinde non datur tanta corruptio & mutatio; At ex his non procreata est terra, sed ex firmissimis ac solidissimis abyssi partibus, quæ æquè puræ sunt, ac subtiliores aliæ partes & tenuiores, cùm tamen in his resideant partes impuræ, ideò solidæ illæ partes, crassæ dictæ sunt, & impuræ, & sic dixerunt nonnulli Chymicorum, terram ex impurioribus Naturæ partibus fuisse procreatam. Hanc autem elementorum compositionem, seu ortum ac generationem, ita Deum constituisse colligunt Chymici, ex resolutione mixtorum, quæ compositionem ostendit & indicat majoris ipsius mundi, nam singula mixta sunt Microcosmi, in quibus reperitur compendiosè quicquid reperitur latè ac fusè in majori mundo.

Terra ex solidis abyssi partibus est facta.

Singula mixta sunt Microcosmi.

At quia majoris mundi resolutionem facere non possumus, ut ex ea ejus compositionem colligamus, ideò minoris mundi seu mixti alicujus resolutionem tentamus, ut per eam compositionem majoris mundi contemplemur.

Quà imprimùm ergò resolutum est mixtum aliquod, in suum Chaos & abyssum seu salem, qui est ultima mixti materia, hæc etiam in partes miro modo potest dissecari, quæ nobis ra... em elementorum productionem indigitant: quod enim subtile ac tenue valdè, igneum ac lucidum elevatur, cœli seu ignis essentiam nobis ostendit, tanquam quid procreatum ex purissima sulphuris parte, quæ in Sale illo residebat: Quòd verò minus purum, ac nitidum & limpidum deinde exsurgit, tanquam quid ex sulphuris & mercurii purissima parte procreatum, nobis aëris naturam demonstrant. Quod verò aqueum est, tenue ac subtile, at humidum & liquorosum tanquam ex mercurii & salis purissima ac subtilissima parte natum, id nobis Aquæ symbolum est, & Aquam veram repræsentat. Quod verò adhuc minus purum est, seu subtile, terreũ ac firmum, in vasis fundo permanens tanquam quid ex sale puro progenitum, id nobis terræ est simulachrum ac terram puram exhibet. Sic compositionem suspicamur majoris mundi ex resolutione minoris alicujus mundi quæ nobis ostendit ac demonstrat elementorũ generationem, ac productionem ex abysso naturæ, seu ex ultima rerum materia, quæ primæ abyssi essentiam quadantenus repræsentat.

Qua ratione elementorũ generatio ex abyss. colligatur.

Singula elementa qua ratione prodierunt ex abysso naturæ.

Jam verò demonstrandum est, qua ratione elementa jam producta à natura, seu principiis Chymicis superiùs explicatis, producant rerum omnium semina, quæ à Chymicis Philosophis, principia rerum immediata dicuntur. Elementa ergò postquã facta sunt & producta virtute seminali naturæ, seu materiæ primæ, quæ rerum omnium virtute

Elementa qua ratione producant rerum semina seu principia.

in se continet, & coërcet, gestiunt inter se ut virtutem illam seminalem foras educant, & ex se promant semen illud generale, quod in terræ centro digeritur, & ab Archæo, seu ab ipso calore naturali mundi, foras in marginem terræ protruditur, ut ibi secundum locorum diversitatem specificetur, & individuam sumat naturam, & constituat varia naturæ mixta, hoc potissimum ordine.

Semen generale in centro terræ digeritur.

Cœlum imprimis, quod est primum & præcipuum naturæ elementum radiis suis & influxibus purum sui ipsius, quod est semen ejus extra se ejicit foras & in aërem infundit, Aër accipit illud cœli semen: & cum illo suum etiam purum, quod est ejus semen permiscet, & in aquam detrudit. Aqua accipit semina illa, cœli putà & aëris, & cum illis suum purum quod est ejus semen permiscet & sic in terram projicit: terra accipit illa semina, & suum etiam dat purum, quod est ejus semen pingue, & sic quatuor illa elementorum semina in centro terræ optimè permiscentur, digeruntur, ac coquuntur, ac semen illud generale naturæ constituunt, quod est mundi Mercurius & Balsamum mundi, quod in se continet tria illa principia naturæ, à Chymicis nuncupata Sulphur, Mercurius & Sal, quæ tria dicuntur rerum omnium Principia immediata, ex quibus proximè fiunt, & ortum habent res omnes. purum cœli & aëris præcipuæ constituunt sulphur, purum aëris & aquæ, mercurium progignũt, Purum verò aquæ & terræ salem progenerant: ut omnibus clarum fiet & appertum, modò Chymicis indulgeant operibus, ex his enim solis quod in occulto latet, & in umbra est densissima, foras protenditur ac Soli & lumini exponitur oculis ipsis spectandum.

Cœlum qua ratione semen suum projiciat & reliqua elementa.

Cœlum & aër sulphur progignunt, mercurius ab aëre & aqua, sal ab aqua terra procreatur.

De Cœlo rerum omnium primo & præcipuo Elemento.

CAPUT XIV.

Coelum est scaturigo, ac verus vitæ fons, ex calido enim naturæ innato ac primigenio procreatum est cœlum, ex illo autem calido vita viventium omnium surgit, imò si Aristoteli credamus, ut in naturalibus fidem illi debemus, vitam asseremus nihil aliud esse, quàm fixionem seu permanentiam caloris illius innati, in humido primigenio, Cœlum ergò cùm habeat plurimum calidi innati & humidi primigenii, necesse etiam est, ut sit vitæ omnis scaturigo, & naturæ præcipuus ordo, hoc ita expostulabit ut superiora inferioribus optimum quod habent impertirentur, optimum verò quod inferioribus inest, vita habetur, illa ex luce dependet, lucisq; fontem in cœlo posuit Deus, cùm ergò inferiora cuncta vita egeant & luce, ut perfectæ generationes fiant, hinc colligimus cœlum esse præcipuum

Cœlum vitæ fons ex calido naturæ factum est.

Cœlum quare vitæ fons & scaturigo.

Cœlum cur primum omnium elementum

puum rerum omnium elementum, cùm in omnibus rerum mixtionibus & compositionibus veris & perfectis inveniatur, est enim elementum corpus simplex constitutionem rerum omnium ingrediens ac componens.

Nec est objiciendum cœlum esse incorruptibile, & perindè non posse ingredi compositionem rerum inferniarum, cùm pati non possit alterationem; nec mixtionem ex incorruptibilitate sua; cui objectioni respondemus veterem esse & antiquatam hanc de corruptione cœli opinionem: constat enim jam nobis experientiâ ipsâ cœlum corruptibile esse, & aliquatenus alterabile cùm in ipso cœli medio Cometæ producantur, nam Cometa qui anno 1618. nobis apparuit, in cœlo veneris conspiciebatur & veneris cursum imitabatur, hinc alterationes in cœlo fieri jam non dubitatur, Quòd si cœlum sit adhuc aliquid incorruptibile respectu rerum inferniarum, non est tamen quid incorruptibile habito respectu ad spiritum lucis, qui ex eo defluit in inferiora, nam hic spiritus permiscetur inferioribus, & unà cum illis convertitur, & alterationes & mutationes patitur omnes, & cùm sit pars cœli, & præcipuus ejus fœtus ex hac parte corruptibili & mutabili, colligimus & totum mutari & corruptibile esse, quòd si & reliqua mundi elementa mutabilia sint & corruptibilia, quid ni & cœlum corruptibile erit? Quòd si antiqui incorruptibile fecerint & asseruerint, id secundùm totam sui substantiam intelligi voluerunt, nam cœlum secundùm totam sui substantiam incorruptibile quidem est, nam in se habet naturam, quæ est sui centrum, ex qua ortum habuit & secundùm ipsam est incorruptibile, natura siquidem est incorruptibilis, & si nos etiam multis in locis cœlum incorruptibile asseruimus id de ejus centro, seu naturâ ipsa, quæ in centro cœli residet intelleximus, quam naturæ essentiam non solùm in cœlo incorruptam, at omnibus naturæ mixtis incorruptibilem facimus & in singulis mundi elementis, quæ singula habent quid intrinsecum incorruptibile; quod est materia eorum prima, materia verò eorum secunda, quæ est eorum corpus corruptibile, est & alterabilis.

Cœlum est corruptibile.

Cœlum qua ratione incorruptibile.

Cœlum ergô ut est rerum omnium præcipuum elemẽtum, est quid corruptibile omnibus miscibile, estque spiritus tenuis ac valde penetrans ex purissimis ac subtilissimis abyssi partibus, per divinam potentiam eductus, & in varios cœli circulos distinctus ac separatus, non ad decorem & ornatum mundi, ut volunt nonnulli, sed ad vitam rerum omnium. Quam definitionem possumus ex sacris lineis confirmare & stabilire, scimus enim Deum ex abysso lucem à tenebris separasse, & ex luce factum esse firmamentum

Cœlum ut est elementum est quid corruptibile.

Cœlum quid sit.

mentum & cœlum: ex tenebris autem elementa inferiora fuisse. Lux autem in abysso, est purissima ac subtilissima illius pars, ex qua Deus fecit firmamentum & cœlum, nec arguendum est ex sacris literis cœlum & terram in principio creata fuisse, ex nihilo, & nulla præsupposita materia, quia etsi verba id sonent formaliter, sensus tamen alius esse debet, ut consequentia verba indicant. Per cœlum & terram intelligendam esse abyssum seu materiam primam, quam Deus primitùs creavit, in qua cœlum & terra confusè mixta aderant, hoc est materia eorum, ex qua facta sunt, ut indicant & commonstrant verba *Terra erat inanis & vacua, tenebræ erant super faciem abyssi; divisit lucem à tenebris, & fecit firmamentum, & congregavit aquas in unum ut appareret terra.* Quæ verba perfectissimè demonstrant, cœlum & terram, quæ Deus in primis creavit ac ex nihili eduxit fonte, esse quid mixtum & confusum, non separatum & distinctum, quod deinde consequenter separavit & distinxit Deus, & ex luce illius constat fecisse firmamentum seu cœlum, ex alia verò parte crassiori & magis tenebrosa fabricasse elementa inferiora.

Per cœlum & terram abyssus intelligenda est in sacris literis.

Cœlos ergò ex puriori, subtiliori, leviorique ac perinde lucidiori parte materiæ primæ fabrefactos, in altum sublimavit Deus & in circulos varios vel in globos lucentes tornavit, in quorum centro terram collocavit, tanquam fecem & amurcam abyssi, seu crassiorem naturæ partem, in quam perpetuò agerent cœli, ad eam purificandam, & sublimandam ad majorem dignitatem, ut inde esset perpetuum rerum infernarum & supernarum commercium.

Cœlum ex puriori abyssi parte.

Hæc appertissimis verbis, & doctissimis docet Mercurius Trismegistus in Pymandro capite 3. his verbis. *Erat enim umbra infinita in abysso, aqua insuper, & spiritus tenuis intellectualis, per divinam potentiam in chaos inerant, floruit autem splendor sanctus, qui sub arena & humida natura elementa deduxit, diique omnes seminalem naturam diligebant. Cumque indistincta fuissent levia postmodum in excelsam regionem provolarunt, gravia sub arena humida resederunt. Distinctis liberatisque rebus, quæ igneo spiritu vehebantur, emicuit cœlum septem in circulos.* Hactenus Trismegistus; quo nihil clarius doceri potest, cœlum ex purissimis ac subtilissimis abyssi partibus esse conflatum. Cum tamen in cœlo sint variæ partes, vidimus enim in eo lucentem, & coruscantem unam partem, aliam verò non coruscantem sed diaphanam transparentem & claram. Doctrinæ ordo postulat, ut essentiam uniuscujusque partis disquiramus, ut penitus quid sit cœlum pernoscamus. Notum habemus & experientia ipsa comprobatum in inferioribus lucere ea, quæ ac coruscare, quæ sulphuris innati copiosiores habent partes, ut patet ex quercu putrefacta & corrupta in

Verba Trismegisti de creatione cœli.

Cœli partes variæ, lucentes & non lucentes.

Cœli lucentes partes ex sulphure innato abyssi.

terræ visceribus, & præsertim ex radicibus illius, præcisa arbore, & amputato trunco: Radices quercus dũ adhuc terræ adhærent; cum arborem iterum producere non possunt vimque alimentitiam suscipiant, putrescunt tandem unà cum succo illo aliméntitio, quæ unà resolvuntur, in materiam quandam albam ponderosam noctu lucentem & coruscantem, in materia prælucere & turgere sulphur innatum & primigenium pater, quod in putrefactione, semper vigeat & polleat ratione caloris, qui putrefactionem inducit in humido, putrefactioné autem facta exharescit humidum; & solidæ partes sulphuris innati & salis naturalis portiunculæ remanét & apparent, quæ lucem effundunt in medio tenebrarum. Lapides etiam prætiosi nitent ac lucem emittunt ratione sulphuris puri & salis, quod in his turget, animalcula etiam illa, Nitedulæ lampanæ, & Lampirides dicta & nuncupata, quòd noctu luceant & coruscent; ideò lucem illam effundunt, quòd sulphuris innati puri & limpidi portiunculas quasdam habeant in eorum ventre, ratione cujus prænitéant: Sulphur enim solum est quod condensatum & coagulatum in subjecto, ac materia clara & limpida, splendorem & lucem emittit, ut claret & patet in flammâ, & lumine nostro artificioso, seu candelis ac lampadibus accensis dum ardent, lucem emittunt: sulphur, siquidem per calorem foras emittitur in medio aëris puri & clari, & condensatur, & tunc temporis lucem emittit; dùm verò rarescit, & in aëris majorem aulam expandescit non ampliùs lucet, sed extinguitur ejus lumen, in lampadibus autem quod exardescit sulphur esse manifestum est omnibus; nec ullus revocat in dubium, nec etiam inficias ire debet, quod lucet in lampadibus esse sulphur.

Quod ergo in cœlis est lucidum & corruscans, ex sulphure est puro & nitido, fixo, & valde coagulato, non urenti & combustibili; hoc enim solum est, quod lucem effundit ex principiis naturalibus; mercurius siquidem & sal nullas lucis & splendoris præbent scintillas, ut videre est in corporibus omnibus, in quibus turgent. In metallis omnibus, putà argento vivo, & liquoribus, quæ omnia etsi mercurio & sale turgeant, nullo modo lucent & coruscant, etsi sint nitida, polita, & limpida: Pars ergò cœli lucidior, est ex partibus lucidioribus materiæ primæ; hæ autem partes sunt ex sulphure, illud enim solum est quod lucet, & coruscat propter igné naturæ, quem de se gignit & producit, & habet in se innatum, Pars verò cœli non lucens, sed diaphana & limpida veluti aer, vel fumus tenuis ac subtilis, est ex partibus sulphuris crassioris, & mercurii subtilioris, quæ partibus abyssi seu materiæ primæ insunt; & hæ cœli partes, à Deo summo

Sulphur solum lucet & lumen emittit.

Pars cœli non lucens ex sulphure pauco & mercurio multo.

summo creatore, ita factæ sunt diaphanæ, limpidæ, tenues, subtilesq; & permutabiles, ut aliæ partes lucentes & coruscantes, vitali spiritu turgentes, in aliis veluti pisces in aqua, & aves in aëre permearent: & sic motu suo vitales spiritus toti naturæ & universo orbi communicarent. Hi autem spiritus cœlestes, qui de cœlo descendunt ad generationem rerum omnium propriè & verè cœlum dicuntur, & elementum primum & præcipuum rerum omnium: Quod enim est communicabile ex elementis, & permiscibile: est solum elementum: illud autem est solus spiritus, qui ex penetrabilibus sui ipsius scaturiginem habet, ideò spiritus cœlestis, quòd sit permiscibilis & communicabilis, est verum rerum omnium elementum, quod cùm sit igneæ & æthereæ cujusdam naturæ, ideò Nonnulli ipsum vocarunt ignem, ignemq; fecerunt primum rerum omnium elementum, quod quàm falsum sit, sequenti capite demonstrabitur.

Quid propriè cœlum dicatur & elementum primum.

An ignis vulgaris sit primum & præcipuum rerum omnium elementum.

Caput XV.

Ignis noster hic terrestris non est elementum.

IGnis hic noster, qui dicitur falsò elementaris, nullo pacto potest esse rerum elementum multis de causis. Primò, quòd in nulla rerum compositione reperiatur, ut manifestum habemus ex resolutione ultima rerum, in qua, quod ultimum habemus, nullo pacto ignis hujus sapit naturam & essentiam, & verè falsò vocatur hic ignis elementaris, quia nulla ratione elementaris est, sed quid arte sæpissimè productum, & natura corruptibile, & mutabile valdè, deficit enim secundùm materiam corruptibilem, tandiu durat ac persistit, quandiu materia ignibilis permanet, ac subsistat. Elementa autem diu durare ac persistere debent, & præsertim in suis locis ac sphæris naturalibus, ubi incorruptibilia fecerunt omnes Philosophi elementa, non datur autem ullus in natura locus, in quo ignis iste, quem falsò dicimus elementarem, nõ citò corrumpatur, imò & sub Sphæra Lunæ, ubi Sphæram ignis posuêre nonnulli; ubi corrumpi citiùs & extingui, animadvertimus, ut patet ex Comætis & Lampadibus, capreis igneis & lãceis, meteorisque aliis, quæ ex hoc igne fiunt sub concavo Lunæ, in suprema aëris regione, ac supra supremum illud aëris spatium & locum, in quo quicquid apparet igneũ, fat citò extinguitur, quod tamen non fierit, si ignis hic esset elementum, & peculiaris & proprius illi daretur in natura locus, ut videmus in reliquis naturæ elementis. Terra in terrâ quiescit, & perstat, Aqua in aquâ, & Aër in aëre, & cœlum in cœlo, ignis autem cùm nullibi persistat, elementum esse non potest, & quâ ratione,

Sub Sphæra lunæ non est Sphæra ignis.

ctione, elementum fecerunt antiquorum nonnulli, non video, nec suspicari possum; Ignis etenim omnia destruit, & in elementa sua reducit, quo modo autem fieri potest, generationis & productionis fundamentum & exordium, quod est destructionis & mortis principium. Elementa omnia ideò dicta sunt elementa quod ad compositionem & mixtionem rerum nata sint, & nō ad destructionem, omnia autem videmus præter ignē solum ad hanc cōpositionem & mixtionem creata fuisse, quo ergò fieri poterit ut ignem hunc calculo elementorum adnumeremus. Quod si gravissimi ac sapientissimi antiquorum Philosophi id fecerint, explicandi sunt, & quid per ignem elementarem intellexerint interpretandum est, dixerunt quidem ignem elementarem esse elementum, & sapienter quidem. At per ignem Elementarem, non ignē hunc adurentem & flammivomum intellexerunt, sed cœlestem ignem, vitæ spiritum, ad compositionem & mixtionem rerum omnium natum, quem Animam & Entelechiam mundi dixerunt, variisque nominibus appellarunt hunc spiritum elementarem. Quod omnibus insit, & verum sit omnium rerum elementum. Et ego ipse multis in locis, dùm de igne elementari loquor, hunc spiritum vitæ, cœlestis originis, & cœli partem intelligo. Itaque dum apud Authores antiquos, & Chymicos modernos, ignem elementum esse audimus ac legimus, spiritum cœlestem intelligere debemus, qui nullo pacto adurit ac flammas emittit, etsi sit igneæ naturæ. Unde & antiqui duplicem ignem fecerūt, cœlestem unum, eumque elementarem; alium verò terrestrem & inferiorem, quem Vulcani nomine, & fabella depinxerunt Junonis filium, absque ullo concepto semine virili, sed tantùm concepto aeris impetu ventoso, è cujus permixtione, Juno dedit Vulcanum, & propter deformitatem suam è cœlo, in terras præcipitem fecit. Quod omne interpretari possumus de generatione & productione ignis hujus terrestris. Spiritus enim cœlestis rerum omnium pater, à Junone ab antiquis indicatus, dùm exhalationibus & vaporibus terrenis, crassis, & pinguedine plenis inquinatur, vento flante, & agitante ipsum spiritum in media aeris regione incalescit, & tandem ignescit, comburendo crassam illam, & pinguem exhalationum, & vaporum materiam, & sic descendit in terras, & ex cœlo protruditur, è cujus ruinâ claudicat in terris, hoc est deficit, & extinguitur, nisi substratâ materiâ terrestri, nec veros & legitimos potest producere fructus & partus, etsi sit rerum omnium artificialium Pater, & Magister. Sic magnam differentiam posuerunt inter hunc ignem Vulcanum dictū flammivomū & adurentem, & inter ignem cœlestem, seu spiritum Cœli, qui quamvis

Elementa cur sint elementa.

Ignis qua ratione sit elementum & quid per ignem intellexerunt antiqui.

Duplex est ignis.

Vulcani fabella interpretatio.

Cœlum ex qua materia procreatum.

tes, à Sole ipso vitæ lucem mutuantes, ac in posterum ex ipso solo vitam ipsam, ac lucem foventes. Ex secunda minùs pura ac lucenti sulphuris parte, cum purissima mercurii parte, ut rarior fieret ac limpidior sulphuris pars procreati sunt cœli, quibus permeant ac deambulant, veluti pisces in aqua innatant Cœlestes omnes ignes. Sic procreatum est sive productum ex purissima sulphuris aurâ, seu calidi innati Naturæ purissima parte, primum elementum quod est præcipua, ac integrans mundi hujus pars, quæ secum duas includit partes, lucentem unam ex qua sunt ignes cœlestes. Et non lucentem aliam, ex qua sunt cœli: Sic cœlum constituit Naturæ primum elementum, quod nonnulli Puerperam vocarunt ignem, ut inferiùs capite suo peculiari demonstrabitur.

Cœlum est primum naturæ elementum.

Aër ex qua materia factus.

Ex secunda deinde mercurii parte minus pura factus est aer, qui cù non ita purissimis, ac subtilissimis Naturæ partibus constaret ac cœlum: infernis descendit & sphæram inferiorem constituit, quæ reliquis duobus inferioribus permiscetur. Aquæ putà & terræ; Superiora enim elimenta, inferiora permeant ac penetrant, ut vitæ fomitem illis communicent, vita enim ex alto est, & inferiora descendit. Et ut clarum ac certum est aërem, aquam & terram penetrare, nec minimam horum elementorum partem reperiri posse aeris essentia carentem. Sic etiam certissimum est nullam hujusce mundi reperiri partem cœlo absentem, Cœlum enim ubique est, cùm & vitæ spiritus & lucis anima cœli præcipua pars, ac verus ejus fœtus ubique reperiantur ut inferiùs ostendemus.

Vita ex cœlo est.

Cœlum ubique est.

Ex hac etiam mercurii parte, ex qua factus est aër, cui permixta est purissima ac subtilissima Salis pars, facta est aqua, tertium elementum ac tertia mundi columna, quæ sua satis crassa subtilitate terram penetrat omnem ac vitæ spiritum, lucisque animam ex supremo elemento descendentem illi communicat.

Aqua ex qua materia.

Ex reliqua ac superstite Salis parte, in qua recrementa Naturæ ac Sordes abyssi erant, procreata est terra, quæ omnium elementorum solidissima est ac firmissima, tanquã ex impurioribus reliquorum omnium principiorum partibus procreata, ex sententia quorundam Chymicorum, quæ satis confusa est, ferè falsa ni benè interpretetur, nam terra non ex impurioribus Naturæ partibus, sed ex solidioribus ac firmioribus procreata est, solidiores siquidem partes & firmiores, non sunt impuriores, sed in his resident ac sedem habent impuriores, ac fœculentiores partes, quæ veram & integram radicalium & essentialium partium unionem impediunt & cohibent. Unde exurgit in inferioribus corruptio, & rerum perpetua, ac indesinens mutatio. In cœlestibus

Terra ex qua materia.

Terra non ex impurioribus naturæ partibus.

Mors & corruptio unde.

verò

verò ac superioribus, in quibus non sunt partes adeò fœculentæ & impuræ, quia in inferioribus elementis descenderunt, in cœlis perinde non datur tanta corruptio & mutatio. At ex his non procreata est terra, sed ex firmissimis ac solidissimis abyssi partibus, quæ æquè puræ sunt, ac subtiliores aliæ partes & tenuiores, cùm tamen in his resideant partes impuræ, ideò solidæ illæ partes, crassæ dictæ sunt, & impuræ, & sic dixerunt nonnulli Chymicorum, terram ex impurioribus Naturæ partibus fuisse procreatam. Hanc autem elementorum compositionem, seu ortum ac generationem, ita Deum constituisse colligunt Chymici, ex resolutione mixtorum, quæ compositionem ostendit & indicat majoris ipsius mundi, nam singula mixta sunt Microcosmi, in quibus reperitur compendiosè quicquid reperitur latè ac fusè in majori mundo.

Terra ex solidis abyssi partibus est facta.

Singula mixta sunt Microcosmi.

At quia majoris mundi resolutionem facere non possumus, ut ex ea ejus compositionem colligamus, ideò minoris mundi seu mixti alicujus resolutionem tentamus, ut per eam compositionem majoris mundi cõtemplemur.

Qui imprimùm ergò resolutum est mixtum aliquod, in suum Chaos & abyssum seu salem, qui est ultima mixti materia, hæc etiam in partes miro modo potest dissecari, quæ nobis ratione elementorum productionem indigitant: quod enim subtile ac tenue valdè, igneum ac lucidum elevatur, cœli seu ignis essentiam nobis ostendit, tanquam quid procreatum ex purissima sulphuris parte, quæ in Sale illo residebat: Quòd verò minus purum, ac nitidum & limpidum deinde exsurgit, tanquam quid ex sulphuris & mercurii purissima parte procreatum, nobis aëris naturam demonstrant. Quod verò aqueum est, tenue ac subtile, at humidum & liquorosum tanquam ex mercurii & salis purissima ac subtilissima parte natum, id nobis Aquæ symbolum est, & Aquam veram repræsentat. Quod verò adhuc minus purum est, seu subtile, terreũ ac firmum, in vasis fundo permanens tanquam quid ex sale puro progenitum, id nobis terræ est simulachrum ac terram puram exhibet. Sic compositionem suspicamur majoris mundi ex resolutione minoris alicujus mundi quæ nobis ostendit ac demonstrat elementorũ generationem, ac productionem ex abysso naturæ, seu ex ultima rerum materia, quæ primæ abyssi essentiam quadantenus repræsentat.

Qua ratione elementorũ generatio ex abyss. colligatur.

Singula elementa qua ratione prodierunt ex abysso naturæ.

Jam verò demonstrandum est, qua ratione elementa jam producta à natura, seu principiis Chymicis superiùs explicatis, producant rerum omnium semina, quæ à Chymicis Philosophis, principia rerum immediata dicuntur. Elementa ergò postquã facta sunt & producta virtute seminali naturæ, seu materiæ primæ, quæ rerum omnium virtutẽ in se

Elementa qua ratione producant rerum semina seu principia.

in se continet, & coërcet, gestiunt inter se ut virtutem illam seminalem foras educant, & ex se promant semen illud generale, quod in terræ centro digeritur, & ab Archæo, seu ab ipso calore naturali mundi, foras in marginem terræ protruditur, ut ibi secundum locorum diversitatem specificetur, & individuam sumat naturam, & constituat varia naturæ mixta, hoc potissimum ordine.

Semen generale in centro terræ digeritur.

Cœlum imprimis, quod est primum & præcipuum naturæ elementum radiis suis & influxibus purum sui ipsius, quod est semen ejus extra se ejicit foras & in aërem infundit, Aër accipit illud cœli semen: & cum illo suum etiam purum, quod est ejus semen permiscet, & in aquam detrudit. Aqua accipit semina illa, cœli puta & aëris, & cum illis suum purum quod est ejus semen permiscet & sic in terram projicit: terra accipit illa semina, & suum etiam dat purum, quod est ejus semen pingue, & sic quatuor illa elementorum semina in centro terræ optimè permiscentur, digeruntur, ac coquuntur, ac semen illud generale naturæ constituunt, quod est mundi Mercurius & Balsamum mundi, quod in se continet tria illa principia naturæ, à Chymicis nuncupata Sulphur, Mercurius & Sal, quæ tria dicuntur rerum omnium Principia immediata, ex quibus proximè fiunt, & ortum habent res omnes, purum cœli & aëris præcipuæ constituunt sulphur, purum aëris & aquæ mercurium progignũt, Purum verò aquæ & terræ salem progenerant: ut omnibus clarum fiet & appertum, modò Chymicis indulgeant operibus, ex his enim solis quod in occulto latet, & in umbra est densissima, foras protenditur ac Soli & lumini exponitur oculis ipsis spectandum.

Cœlum qua ratione semen suum projiciat & reliqua elementa.

Cœlum & aër sulphur progignunt, mercurius ab aëre & aqua, sal ab aqua terra procreatur.

De Cœlo rerum omnium primo & præcipuo Elemento.

CAPUT XIV.

Cœlum est scaturigo, ac verus vitæ fons, ex calido enim naturæ innato ac primigenio procreatum est cœlum, ex illo autem calido vita viventium omnium surgit, imò si Aristoteli credamus, ut in naturalibus fidem illi debemus, vitam asseremus nihil aliud esse, quàm fixionem seu permanentiam caloris illius innati, in humido primigenio, Cœlum ergò cùm habeat plurimum calidi innati & humidi primigenii, necesse etiam est, ut sit vitæ omnis scaturigo, & naturæ præcipuus ordo, hoc ita expostulabit ut superiora inferioribus optimum quod habent impertirentur, optimum verò quod inferioribus inest, vita habetur, illa ex luce dependet, lucisq; fontem in cœlo posuit Deus, cùm ergò inferiora cuncta vita egeant & luce, ut perfectæ generationes fiant, hinc colligimus cœlum esse præcipuum

Cœlum vitæ fons ex calido naturæ factum est.

Cœlum quare vitæ fons & scaturigo.

Cœlum esse primum omnium elementum

purum rerum omnium elementum, cùm in omnibus rerum mixtionibus & compositionibus veris & perfectis inveniatur, est enim elementum corpus simplex constitutionem rerum omnium ingrediens ac componens.

Nec est objiciendum, cœlum esse incorruptibile, & perindè non posse ingredi compositionem rerum infernarum, cùm pati non possit alterationem; nec mixtionem ex incorruptibilitate sua; cui objectioni respondemus veterem esse & antiquatam hanc de corruptione cœli opinionem: constat enim jam nobis experientiâ ipsâ cœlum corruptibile esse, & aliquatenus alterabile cum in ipso cœli medio Cometæ producantur, nam Cometa qui anno 1618. nobis apparuit, in cœlo veneris conspiciebatur & veneris cursum imitabatur, hinc alterationes in cœlo fieri jam non dubitatur, Quòd si cœlum sit adhuc aliquid incorruptibile respectu rerum infernarum, non est tamen quid incorruptibile habito respectu ad spiritum lucis, qui ex eo defluit in inferiora, nam hic spiritus permiscetur inferioribus, & unà cum illis convertitur, & alterationes & mutationes patitur omnes, & cùm sit pars cœli, & præcipuus ejus fœtus ex hac parte corruptibili & mutabili, colligimus & totum mutari & corruptibile esse, quòd si & reliqua mundi elementa mutabilia sint & corruptibilia, quid ni & cœlum corruptibile erit? Quòd si antiqui incorruptibile fecerint & asseruerint, id secundùm totam sui substantiam intelligi voluerunt, nam cœlum secundùm totam sui substantiam incorruptibile quidem est, nam in se habet naturam, quæ est sui centrum, ex qua ortum habuit & secundùm ipsam est incorruptibile, natura siquidem est incorruptibilis, & si nos etiam multis in locis cœlum incorruptibile asseruimus id de ejus centro; seu naturâ ipsa, quæ in centro cœli residet intelleximus, quam naturæ essentiam non solùm in cœlo incorruptam, at omnibus naturæ mixtis incorruptibilem facimus & in singulis mundi elementis, quæ singula habent quid intrinsecum incorruptibile, quod est materia eorum prima, materia verò eorum secunda, quæ est eorum corpus corruptibile, est & alterabilis.

Cœlum est corruptibile.

Cœlum qua ratione incorruptibile.

Cœlum ergò ut est rerum omnium præcipuum elemẽtum, est quid corruptibile omnibus miscibile, estque spiritus tenuis ac valde penetrans ex purissimis ac subtilissimis abyssi partibus, per divinam potentiam eductus, & in varios cœli circulos distinctus ac separatus, non ad decorem & ornatum mundi, ut volunt nonnulli, sed ad vitam rerum omnium. Quam definitionem possumus ex sacris lineis confirmare & stabilire, scimus enim Deum ex abysso lucem à tenebris separasse, & ex luce factum esse firmamentum

Cœlum ut est elementum est quid corruptibile.

Cœlum quid sit.

mentum & cœlum: ex tenebris autem elementa inferiora fuisse. Lux autem in abysso, est purissima ac subtilissima illius pars, ex qua Deus fecit firmamentum & cœlum, nec arguendum est ex sacris literis cœlum & terram in principio creata fuisse, ex nihilo, & nulla præsupposita materia, quia etsi verba id sonent formaliter, sensus tamen alius esse debet, ut consequentia verba indicant. Per cœlum & terram intelligendam esse abyssum seu materiam primam, quam Deus primitùs creavit, in qua cœlum & terra confusè mixta aderant, hoc est materia eorum, ex qua facta sunt, ut indicant & commonstrant verba *Terra erat inanis & vacua, tenebræ erant super faciem abyßi; divisit lucem à tenebris, & fecit firmamentum, & congregavit aquas in unum ut appareret terra.* Quæ verba perfectissimè demonstrant, cœlum & terram, quæ Deus in primis creavit ac ex nihili eduxit fonte, esse quid mixtum & confusum, non separatum & distinctum, quod deinde consequenter separavit & distinxit Deus, & ex luce illius constat fecisse firmamentum seu cœlum, ex alia verò parte crassiori & magis tenebrosa fabricasse elementa inferiora.

Per cœlum & terram abyssus intelligenda est in sacris literis.

Cœlos ergò ex puriori, subtiliori, leviorique ac perinde lucidiori parte materiæ primæ fabrefactos, in altum sublimavit Deus & in circulos varios vel in globos lucentes tornavit, in quorum centro terram collocavit, tanquam fecem & amurcam abyssi, seu crassiorem naturæ partem, in quam perpetuò agerent cœli, ad eam purificandam, & sublimandam ad majorem dignitatem, ut inde esset perpetuum rerum infernarum & supernarum commercium.

Cœlum ex puriori abyßi parte.

Hæc appertissimis verbis, & doctissimis docet Mercurius Trismegistus in Pymandro capite 3. his verbis. *Erat enim umbra infinita in abysso, aqua insuper, & spiritus tenuis intellectualis, per divinam potentiam in chaos inerant, floruit autem splendor sanctus, qui sub arena & humida natura elementa deduxit, diique omnes seminalem naturam diligebant. Cumque indistincta fuissent levia postmodum in excelsam regionem provolarunt, gravia sub arena humida resederunt. Distinctis liberatuque rebus, quæ igneo spiritu vehebantur, emicuit cœlum septem in circulos.* Hactenus Trismegistus; quo nihil clarius doceri potest, cœlum ex purissimis ac subtilissimis abyssi partibus esse conflatum. Cum tamen in cœlo sint variæ partes, vidimus enim in eo lucentem, & corruscantem unam partem, aliam verò non corruscantem sed diaphanam transparentem & claram. Doctrinæ ordo postulat, ut essentiam uniuscujusque partis disquiramus, ut penitus quid sit cœlum pernoscamus. Notum habemus & experientia ipsa comprobatum in inferioribus lucere ea [illegible] ac corruscare, quæ sulphuris innati copiosiores habent partes, ut patet ex quercu putrefacta & corrupta in terra

Verba Trismegisti de creatione cœli.

Cœli partes variæ, lucentes & non lucentes.

Cœli lucentes partes ex sulphure innato abyßi.

terræ visceribus, & præsertim ex radicibus illius, præcisa arbore, & amputato trunco: Radices quercus dũ adhuc terræ adhærent; cum arborem iterum producere non possunt vimque alimentitiam suscipiant, putrescunt tandem unà cum succo illo aliměntitio, quæ unà resolvuntur, in materiam quandam albam ponderosam noctu lucentem & coruscantem, in materia prælucere & turgere sulphur innatum & primigenium patet, quod in putrefactione, semper vigeat & polleat ratione caloris, qui putrefactionem inducit in humido, putrefactioně autem facta exharescit humidum; & solidæ partes sulphuris innati & salis naturalis portiunculæ remaněnt & apparent, quæ lucem effundunt in medio tenebrarum. Lapides etiam prætiosi nitent ac lucem emittunt ratione sulphuris puri & salis, quod in his turget, animalcula etiam illa, Nitedulæ lampanæ, & Lampirides dicta & nuncupata, quòd noctu luceant & coruscent; ideò lucem illam effundunt, quòd sulphuris innati puri & limpidi portiunculas quasdam habeant in eorum ventre, ratione cujus prænitesant: Sulphur enim solum est quod condensatum & coagulatum in subjecto, ac materia clara & limpida, splendorem & lucem emittit, ut claret & patet in flammâ, & lumine nostro artificioso, seu candelis ac lampadibus accensis dum ardent, lucem emittunt: sulphur, siquidem per calorem foras emittitur in medio aëris puri & clari, & condensatur, & tunc temporis lucem emittit; dùm verò rarescit, & in aëris majorem aulam expandescit non ampliùs lucet, sed extinguitur ejus lumen, in lampadibus autem quod exardescit sulphur esse manifestum est omnibus, nec ullus revocat in dubium, nec etiam inficias ire debet, quod lucet in lampadibus esse sulphur.

Quod ergo in cœlis est lucidum & coruscans, ex sulphure est puro & nitido, fixo, & valde coagulato, non urenti & combustibili; hoc enim solum est, quod lucem effundit ex principiis naturalibus; mercurius siquidem & sal nullas lucis & splendoris præbent scintillas, ut videre est in corporibus omnibus, in quibus turgent. In metallis omnibus, putà argento vivo, & liquoribus, quæ omnia etsi mercurio & sale turgeant, nullo modo lucent & coruscant, etsi sint nitida, polita, & limpida: Pars ergò cœli lucidior, est ex partibus lucidioribus materiæ primæ; hæ autem partes sunt ex sulphure, illud enim solum est quod lucet, & coruscat propter igně naturæ, quem de se gignit & producit, & habet in se innatum, Pars verò cœli non lucens, sed diaphana & limpida veluti aer, vel fumus tenuis ac subtilis, est ex partibus sulphuris crassioris, & mercurii subtilioris, quæ partibus abyssi seu materiæ primæ insunt; & hæ cœli partes, à Deo summo

Sulphur solum lucet & lumen emittit.

Pars cœli non lucens ex sulphure pauco & mercurio multo.

summo creatore, ita factæ sunt diaphanæ, limpidæ, tenues, subtilesq; & permutabiles, ut aliæ partes lucentes & coruscantes, vitali spiritu turgentes, in aliis veluti pisces in aqua, & aves in aëre permearent: & sic motu suo vitales spiritus toti naturæ & universo orbi communicarent. Hi autem spiritus cœlestes, qui de cœlo descendunt ad generationem rerum omnium propriè & verè cœlum dicuntur, & elementum primum & præcipuum rerum omnium: Quod enim est communicabile ex elementis, & permiscibile: est solum elementum: illud autem est solus spiritus, qui ex penetrabilibus sui ipsius scaturiginem habet, ideò spiritus cœlestis, quòd sit permiscibilis & communicabilis, est verum rerum omnium elementum, quod cùm sit igneæ & æthereæ cujusdam naturæ, ideò Nonnulli ipsum vocarunt ignem, ignemq; fecerunt primum rerum omnium elementum, quod quàm falsum sit, sequenti capite demonstrabitur.

Quid propriè cœlum dicatur & elementum primum.

An ignis vulgaris sit primum & præcipuum rerum omnium elementum.

Caput XV.

Ignis noster hic terrestris non est elementum.

IGnis hic noster, qui dicitur falsò elementaris, nullo pacto potest esse rerum elementum multis de causis. Primò, quòd in nulla rerum compositione reperiatur, ut manifestum habemus ex resolutione ultima rerum, in qua, quod ultimum habemus, nullo pacto ignis hujus sapit naturam & essentiam, & verè falsò vocatur hic ignis elementaris, quia nulla ratione elementaris est, sed quid arte sæpissimè productum, & natura corruptibile, & mutabile valdè, deficit enim secundùm materiam corruptibilem, tandiu durat ac persistit, quandiu materia ignibilis permanet, ac substat. Elementa autem diu durare ac persistere debent, & præsertim in suis locis ac sphæris naturalibus, ubi incorruptibilia fecerunt omnes Philosophi elementa, non datur autem ullus in natura locus, in quo ignis iste, quem falsò dicimus elementarem, nòn citò corrumpatur, imò & sub Sphæra Lunæ, ubi Sphæram ignis posuère nonnulli; ubi corrumpi citiùs & extingui, animadvertimus, ut patet ex Cometis & Lampadibus, capreis igneis & lanceis, meteorisque aliis, quæ ex hoc igne fiunt sub concavo Lunæ, in suprema aëris regione, ac supra supremum illud aëris spatium & locum; in quo quicquid apparet igneũ, fat citò extinguitur, quod tamen non fierit, si ignis hic esset elementum, & peculiaris & proprius illi daretur in natura locus, ut videmus in reliquis naturæ elementis. Terra in terrâ quiescit, & perstat, Aqua in aquâ, & Aër in aëre, & cœlum in cœlo, ignis autem cùm nullibi persistat, elementum esse non potest, & quâ ratione,

Sub Sphæra lunæ non est Sphæra ignis.

tione, elementum fecerunt antiquorum nonnulli, non video, nec suspicari possum; Ignis etenim omnia destruit, & in elementa sua reducit, quo modo autem fieri potest, generationis & productionis fundamentum & exordium, quod est destructionis & mortis principium. Elementa omnia ideò dicta sunt elementa quod ad compositionem & mixtionem rerum nata sint, & nô ad destructionem, omnia autem videmus præter ignē solum ad hanc cōpositionem & mixtionem creata fuisse, quo ergò fieri poterit ut ignem hunc calculo elementorum adnumeremus. Quod si gravissimi ac sapientissimi antiquorum Philosophi id fecerint, explicandi sunt, & quid per ignem elementarem intellexerint interpretandum est, dixerunt quidem ignem elementarem esse elementum, & sapienter quidem. At per ignem Elementarem, non ignē hunc adurentem & flammivomum intellexerunt, sed cœlestem ignem, vitæ spiritum, ad compositionem & mixtionem rerum omnium natum, quem Animam & Entelechiam mundi dixerunt, variisque nominibus appellarunt hunc spiritum elementarem. Quod omnibus insit, & verum sit omnium rerum elementum. Et ego ipse multis in locis, dùm de igne elementari loquor, hunc spiritum vitæ, cœlestis originis, & cœli partem intelligo. Itaque dum apud Authores antiquos, & Chymicos modernos, ignem elementum

Elementa cur sint elementa.

Ignis qua ratione sit elementum & quid per ignem intellexerunt antiqui.

esse audimus ac legimus, spiritum cœlestem intelligere debemus, qui nullo pacto adurit ac flammas emittit, etsi sit igneæ naturæ. Unde & antiqui duplicem ignem fecerût, cœlestem unum, eumque elementarem; alium verò terrestrem & inferiorem, quem Vulcani nomine, & fabella depinxerunt Junonis filium, absque ullo concepto semine virili, sed tantùm concepto aeris impetu ventoso, è cujus permixtione, Juno dedit Vulcanum, & propter deformitatem suam è cœlo, in terras præcipitem fecit. Quod omne interpretari possumus de generatione & productione ignis hujus terrestris. Spiritus enim cœlestis rerum omnium pater, à Junone ab antiquis indicatus, dùm exhalationibus & vaporibus terrenis, crassis, & pinguedine plenis inquinatur, vento flante, & agitante ipsum spiritum in media aeris regione incalescit, & tandem ignescit, comburendo crassam illam, & pinguem exhalationum, & vaporum materiam, & sic descendit in terras, & ex cœlo protruditur, è cujus ruinâ claudicat in terris, hoc est deficit, & extinguitur, nisi substratâ materiâ terrestri, nec veros & legitimos potest producere fructus & partus, etsi sit rerum omnium artificialium Pater, & Magister. Sic magnam differentiam posuerunt inter hunc ignem Vulcanum dictû flammivomû & adurentem. & inter ignem cœlestem, seu spiritum Cœli, qui quam-

Duplex est ignis.

Vulcani fabella interpretatio.

Ignis terre stru artificii Pater & Magister.

vis ignis sit, nullo pacto adurit, imò conservat & nutrit, & est vitæ principium, fomes & pabulum; & est Cœlum, cùm pars sit cœli, & ex cœlo descendat & omnibus permisceatur ad vitam rerum omnium, cujus notitiam habere debent Philosophi Spagyrici, ut rerum omnium essentias notas habere possint, & mirabilium omnium naturæ patrem & fontem cognitum habeant, ex quo solo arcana exhaurienda veniunt.

De Aere secundo rerum omnium Elemento.

CAPUT. XVI.

Spiritus mundi primò in aëre ad generationem disponitur.

AEr est elementum, in quo primò spiritus mundi, seu cœli, vel ut alii volunt Entelechia primi Mobilis disponitur & apta est, ad generationem mixtorum perfectorũ. Superiùs enim in cœlis perfectas fieri mixtorum generationes negant permulti, quamvis ex ratione id fieri non possit: nam ubi causa materialis & efficiens generationum perfectarum reperitur, ibi etiam reperiri posse necesse est perfectas & absolutas generationes: Atqui & in cœlo ipso reperitur spiritus mundi, & Entelechia primi Mobilis, quæ est generationis totius fons & scaturigo, ergo etiam necesse est & in cœlo & supra aëris regionem reperiri, & fieri posse generationes perfectas & absolutas, Idque ipsum experientiâ oculari patet, ex Cometis, ex quorum reliquiis & cineribus, ut ita loquar, descendunt in terras metalla & lapides perfecti, non secus ac ex fulgure & fulmine metalla & lapides perfecti dejiciuntur in terras.

Vbicumq; generatio perfecta fieri potest.

In aëre omnes generationes fiunt.

In Aëre autem id fieri quotidiè animadvertimus ex generatione ranularum, buffonum, bruchorum, centipedarum seu erucarum, metallorum, lapidum grandinum & reliquarum aliarum rerum ejusmodi, quæ omnia fieri non possunt & generari in aëre ipso, nisi materia illa generationis disposita in aëre reperiatur. Quinimò & perfecta animalia, Aves & bruta, imò & ipse homo, in aëre vivunt, conservantur, & nutriuntur, quod signum evidens est & manifestum in aëre ipso, Entelechiam ipsam mundi esse jam aptam & dispositam ad generationes constituendas; vivimus enim & conservamur hisdem ipsis rebus, ex quibus originem habemus; ortus enim & conservatio fiunt ex unâ, & eadem re. Quòd si in aëre sit vitæ fons & nutrimentum, erit etiam & vitæ ortus & principium ipsius corporis viventis in ipsomet aere. Ergo magnifaciendus est aer, sine eo enim mundus imperfectus omninò esset, nec generationes ullæ perfectæ vel imperfectæ fieri possent: quod & de reliquis mundi partibus constituentibus seu elementis dici potest, quia omnia & singula elementa, seorsim sumpta & simul sumpta concur-

Entelechia cujuscunq; elementi est verum elementum. currunt ad generationem ipsius spiritus mundi seu Entelechiæ, quam Aristoteles generaliter loquẽdo verè dixit elementum, quamvis non sit elementum propriè. Nam Entelechia mundi seu vis illa vitæ, ut est quid productum ab omnibus elementis, non est elementum propriè sumptum, sed semen rerum omnium, & immediatum earum principium: dùm verò sumitur pro virtute uniuscujusque elementi, seu pro illius spiritu, tunc temporis potest dici elementum.

Aer quare dicatur Entelechia. Chymici Philosophi aerem dixerunt Entelechiam, quia in aere præcipuè virtus ejus manifestatur, ut in turba Philosophorum Eximidius ait. Aera magnifico, & honorifico, eo quòd in ipso, opus mundi emendatur, ibi enim inspissatur & calescit, & ejus calor convenit homini, & creaturis; simplex enim, & in sua simplicissima essentia, non convenit mixtis, quod intelligendum est, de spiritu mundi, seu de Entelechia illa elementorum, quæ est vitæ principium & fomes, in aëre primum se manifestans, congelans se & coagulans cum aëris purissima parte, ut indè spiritus vitales rerum omnium constituat. Unumquodq; siquidem viventium suscipit ex aëre spiritum vitæ, quo vita omnium sustentatur, spiritusq. vitalis omnium animantium fiunt ex purissima aeris parte; *Entelechia mundi unde fiat.* Spiritus autem ille vitalis est Entelechia omnium elementorum seu spiritus omnium elementorum; ad enim illum constituendum, singula elementa dant & communicant sui purum & tenue ac subtile, & ex his omnibus elementorum puris, per Archæum naturæ fit Entelechia illa mundi, seu spiritus vitæ, qui adhuc ut communicetur omnibus naturæ mixtis, purissimâ, ac subtilissimâ eget aeris portiunculâ, ideò potissimùm immoratur aeri, ut aer sit illi vehiculum, quo faciliùs penetrare possit omnia elementa, & in his generationes omnes in lucem emittere.

Hinc aerem nõ satis laudare possumus, & naturam ejus mirari, cùm reliqua cuncta, quæ naturæ insunt, aeris ope persistant: Ignis sine aere extinguitur, Aqua putrescit, terra evanescit, ac sterilis est, nisi perpetuo aeris fotu foveatur, & reliqua cuncta viventia beneficio aeris verè & perfectè subsistunt, imò pisces in aqua, & talpæ in terra absque aeris medio vivere non possunt.

Aer quid sit. Ut ergò Aeris naturam & essentiam notam perfectissimè habeamus, ejus essentiam altiùs investigabimus traditâ illius definitione, ac divisione. Est autem Aër ex doctrina Chymicorum elementum rerum omnium secundum, ex crassioribus sulphuris partibus & subtilioribus mercurii portiunculis, quæ in Chaos inerant per creationem divinã eductũ ad partem hujus mundi integrantem constituendam, & ad spiritum vitæ in eo potissimùm collocandum, ut ex illo veluti ex quodam

Aër cur precipuè vitalem spiritum contineat.

promptuario, omnia naturæ creata vitam susciperent. Est autem aer vitæ spiraculum supra alia naturæ elementa, quòd aer constet calore innato seu sulphure vitali, & humido primigenio naturæ, seu mercurio, quæ in Chaos naturæ inerant, quæ quidem partes abyssi vitales omninò sunt, & vitam potissimùm constituunt, ideoque cùm ex vitalibus naturæ principiis aer constet, ideò etiam aer, fons vitæ, & promptuarium esse meretur supra alia elementa, cœlum siquidem etsi sit fons vitæ & ex ipso descendat spiritus vitæ, nihilominus vitam ipsam verè & propriè non generat nisi adminiculo aeris purum enim cœli seu semen illius, non est adhuc vita nec vitalis spiritus, nisi conjungatur puro, & semini aeris, tunc enim temporis illa duo semina elementorum simul unitorum, sunt vita rerum omnium & spiritus vitæ, cùm in his calidum innatum seu sulphur naturæ, & humidum primigenium, quod est mercurius conjuncta repetiantur, in quibus duobus naturæ principiis vita consistit. Sunt qui aerẽ dividunt in tres diversas ac distinctas regiones, quas varias constituunt ex vario earum temperamento, at meræ nugæ sunt hæc, & figmenta imaginationis errantis.

Vita in quibus natura principiis consistat, potissimum.

Suprema aër's regio non est calida & humida.

Nam suprema regio, quã igni falsò dicunt contiguã, qua ratione poterit esse calida & humida. Primò calefieri non potest ex igne illo contiguo nullibi reperto, uti superiùs probavimus, nec ex cœli lumine, cũ lumen ex se non calefaciat sed vivificet, si enim calefaceret aeris supremam regionem, calefaceret etiã mediam & infimã, & ea ratione omnes aeris regiones essent temperamento similes. At lumen cœli non calefacit nisi per accidens ex reverberatione corporis solidi, in quod fertur, ibiq; terminatur, reflectitque radios suos, & reflectendo calefacit & accendit ea omnia in quę reflectitur, ut apparet in speculis ignivomis, in quibus experientia comprobatũ habemus radios solis ex natura sua vivificos & vitales, reflectione speculi adurentes fieri & mortales. Aer autem cùm non sit corpus solidum sed permeabile omnino & tenue. Ideo cœli lumen in eo reflecti non potest, nec inde calefieri ullo pacto: non ergo calidum & humidum habebit temperamentum aeris Suprema Regio. Nec dicendum est Comœtas, & Meteora ignea in ea fieri regione & perinde calidam esse oportere, nã hæc Meteora accenduntur ubique, non ex natura & proprietate loci, sed ex natura sua & innata proprietate. In media regione fiunt fulgura, in infima ignes fatui, & ex mediis aquis exsurgunt flammæ, & in visceribus terræ crepitat ignis, non ergo ex natura loci accenduntur & ignescunt sulphureæ illæ exhalationes, sed ex materia sua ita disposita, & ad ignem concipiendum enata, quæ ubicumque sit, quamvis repugnet loci temperamentum ex se promit ignem

Comœta & ignea Meteora ex natura sua & virtute ignescunt.

Aëris media regio non est frigida & humida.

ignem & flammam: Ex his omnibus argumentis concluditur etiam mediam aeris regionem non esse frigidam & humidam, ut volunt illi, qui ita aerem subdividunt, nam talem esse asserunt ex antiperistasi infimæ & supremæ regionis: Quòd si suprema regio non sit calida, nec etiam infima, non poterit fieri antiperistasis hæc, ratione cujus hæc regio frigida & humida sit, nec asserendum est in ea fieri grandines, nives, pruinæ, nubes, pluviæ, quæ cũ sint frigidæ naturæ, frigidum arguunt locum, in quo fiunt, quia hæc omnia frigida Meteora non ab illo loco fiunt, quamvis in illo fiant, sed à causis aliis superioribus, ut videbimus inferiùs: generata autẽ & procreata, loci temperamentũ non cõstituunt: nam in calido loco potest fieri quid frigidum, & in frigido calidum, ut videre est in rebus hisce multis inferioribus, in quibus animalia calidissima dant lapides & arenas, quæ natura sua frigidæ sunt & Aqua etsi frigida, nobis progignit perperitim calidissimam plantam.

Generata loci temperamentum non constituunt.

Infima aeris regio non est calida modò, nec frigida secundum solis accessus & recessus.

Nec iterum infima hæc nostra regio, in qua vivimus aquæ & terræ propinqua, modò calida est, modò frigida secundùm solis accessus, & recessus, quia sępissimè vidimus hãc regionem in media æstate frigidam esse, & in medio hyeme calidam esse, non ergò suscepit hoc varium & distinctum sui ipsius temperamentum ex recessu & accessu solis, hic enim accessus & recessus est semper similis, tamen variatur infimæ hujusce nostræ regionis tẽperies, caussa ergo hujusce varietatis alia esse debet, quam inquiremus, dùm aeris virtutes & proprietates omnes peculiares investigabimus.

Aer non dividendus in diversas regiones.

Quid ergo dicemus de temperamento aeris, cùm nullo pacto dividendus sit in diversas regiones & cataractas, sed in unã tantùm Sphæram ejusdem generis, naturæ & qualitatis, æquè enim suprema illa aeris pars cœlo contigua mutatur ac variat, nec ullo pacto quiescit, ac infima nostra pars, imo existimo hanc nostram infimam fieri tandem supremam, & supremam vice versa fieri infimam, ut in Sphęra aquæ contingit. His ita positis, dicimus, Corpus hoc universum aeris omnes habere in se qualitates, & omnes qualitatum combinationes. Id clarissimum est, quod corpus hoc universum aeris, non sit purum elementum, sed in eo sint reliqua omnia elementa, & perindè necesse est, ut in eo sint omnium elementorum qualitates, & earum combinationes, alioquin in eo generationes omnes fieri non possent, ut fiunt. De elemento autem aeris, quod in ipso aeris corpore latet, aliter censendũ est, hoc elementum quod est aeris hujusce nostri spiritus, est calidum & humidum: compositio autem ipsius, arguit ejus temperamentum, diximus superiùs componi partibus sulphuris crassioris, abyssi, & ex partibus subtilioribus mercurii e-

Aer cuius sit temperamenti.

Spiritus ae-

rius est calidus & humidus.

jusdem abyssi: hæ autem partes constituunt temperamentum calidum & humidum, ut ex sequentibus fiet clarius.

De Aqua tertio rerum omnium Elemento.

CAPUT XVII.

Aqua quam cernimus non est, elementum.

QVamplurimi sunt non solùm vulgarium hominum, sed & Philosophorum, qui totum Aquæ corpus, quod sensibus nostris objicitur, elementum esse putent. At errant tota mente, nam omnia elementa ut elementa sunt, invisibilia sunt, & imperceptibilia, sola ratione comprehenduntur, & spiritus sunt tenues & imperceptibiles, qui corporibus vastis & immensis elementorum occulti jacent, hæc enim corpora secum habent permixta reliquorum elimentorum corpora, ita ut sint corpora elementa, & non simplicia elementa, latet tamen in ipsis elementorum corporibus spiritus tenuis, qui est verum naturæ elementum, ipse enim est solus, qui mixtiones peragit, & generationes ex tenebris abyssi in lucem edit, materiam assumendo ex corporibus elementorum, quæ sunt generationum fundamenta & bases, quòd tamen ea corpora in rerum generatione non agant, sed patiantur. ideò non dicuntur ipsa elementorum corpora elementa, sed spiritus eorumdem elementorum verè dicuntur elementa; quod agant & sint actionis omnis principia. An verò hic spiritus purus putus cujuscumque elementi reperiatur in elemento suo ad agendum, arduum est scite, quia ut eductum est per naturam illicò & in eodē instanti ad Entelechiam mundi, seu ad spiritū illū generalem conficiēdum impeditur. Nihilominus ut in partibus animalium singulis reperitur spiritus particularis cujuscumq; partis extra animam, quę totum corpus & singulas ejus partes vivificat, animat & informat, sic & in mundo Philophādum est, & asserendum spiritum reperiri peculiarē & individuum cujuscumq; elementi, in unoquoq; elemento extra animam generalem seu Entelęchiam mundi, mundum hūc universum & singulas ejus partes animantem, foventem, vivificā-tem, & informantem. Agit anima generaliter & particulariter in quibus est, agit hic spiritus peculiaris & individuus peculiariter in quibus est, nec unius actio actionem alterius interturbat & impedit, sed omnes ad conservationem universi tendūt.

Quid est in Aqua elementum.

Spiritus elementorum sunt elementum.

Aqua habet spiritum peculiarem & proprium.

Sic Aqua quæ est tertium naturæ elementum habet spiritum peculiarem & individuum, quem ex pura sua substantia emittit in lucem, tanquam semen suum, quod impendit ad productionem seminis generalis seu Entelechiæ & animæ mundi; ut enim in corporibus animalium perfectorum singulæ partes habent spiritum seu semen suum peculiare & proprium, quod dant ad productionem

nem seminis totius corporis; semen enim illud educitur, ex singulis corporis partibus, illud autem quod dant partes ad generationem seminis, est spiritus peculiaris & innatus sui ipsius: Spiritus autem ille, est purissima pars sulphuris, mercurii & salis, quæ in unaque parte reperiuntur tanquam principia constituentia partem, sic partes omnes concurrunt ad generationem unius seminis, quod virtutem totius in se complectitur, & virtutem principiorum radicalium in se habet, & sic finis ultimus & scopus naturæ, qui est semen, respondet principio, & principium fini ultimo.

Elementum aqua quid sit & quibus principiis ortum habeat.

Notum ergò habemus quid sit elementum Aquæ, quod est spiritus tenuis & subtilis valde, ex quibus autem principiis naturæ ortum habuit hic spiritus aquæ, jam inquirendum est; sciant ergò omnes Spagyricæ artis alumni spiritum aquæ, qui est verum rerum omnium elementum, esse ex partibus crassioribus mercurii, & ex subtilioribus partibus salis, hæc duo enim principia dum inter se coeunt, nobis pariunt elementum aquæ seu spiritum ejus, & corpus illius: corpus etenim cujuscumque rei, & non solùm elementi, sed & reliquarum rerum omnium, est ex eâdem & simili materiâ, ex qua est ejus spiritus seu semen illius, semen autem & spiritus, est ex subtiliori materia, corpus

Corpus aqua, & ejus.

verò ex crassiori: itaque non differunt inter se corpus, & ejus spiritus seu semen illius, nisi in quantum subtilioribus constantur partibus.

Spiritus quibus differant.

Ideò definire possumus Aquam Elementum tertium rerum omnium, ex crassioribus mercurii partibus, & ex subtilioribus salis porticunculis, quæ in chaos primò inerāt, per divinam potentiam eductum, ad generationes & productiones rerum naturalium omnium. In quo elemento Deus posuit spiritum vitæ seu mundi Entelechiam, crassiori materia & corpore indutam, ut mixta omnia terrena & crassiora, eo spiritu nutrirentur, conservarentur ac fierent; Ut enim in aere subtilior est spiritus, & tenuior Entelechia ad animalia omnia fovenda, nutrienda & conservanda, quia ipsa egent subtiliori alimento: Ita & in aqua crassior est Entelechia, & materialior spiritus vitæ, ad terrena cuncta conservanda, & fabricanda, metalla siquidem omnia, & mineralia, talia & lapides omnes crassiori egent alimento, quam animalia, ut enim ex crassiori fiunt materia, ita crassiori egent spiritu, ut conserventur, ut fusius dicemus, dum de his omnibus quæ ex singulis elementis fiūt tractabimus, sufficit jam nobis ut sciamus Elemētum aquæ superioribus elemētis esse crassius, ad crassiora & materialiora rerum mixta conservanda, & enutrienda: Paravit siquidem Deus conveniens, & idoneum unicuiq; rei alimentum. Inferiora elementa crassiora sunt, quia ea omnia, quæ in his

Quare in aqua crassior sit spiritus quàm in aere.

Terrena cuncta crassioris constant materia.

his progignuntur elementis, crassissima ac densissima constant materiâ: ideò etiam crasso & materiali valde egent pabulo & fulcro, ut enutriantur, & conserventur.

De Terra, Quarto rerum omnium Elemento.

CAPUT XVIII.

Terra est centrum mundi.

TErra est centrum totius mundi, à quo omnes lineæ ductæ ad superficiem sunt æquales, & quamvis præmaxima ejus sit moles, ut oculis ipsis cernere licet, nihilominus respectu primi mobilis, & firmamenti punctum esse videtur: Nam in quacumq; parte terræ collocati simus, si cœlum aspiciamus, medietatem cœli semper videmus, quod non contingeret, nisi Terra, respectu firmamenti, puncti quantitatem imitaretur. Apparet autem semper medietas firmamenti, quia videmus in nostro horizonte sex signa zodiaci, quæ cùm sint quasi immobilia, & medietatem firmamenti constituant, certissimum tunc est molem hanc terræ quantulamcumque videamus, puncti quantitatem imitari, in hoc ergò puncto, tanquam centro, virtutes omnes universi confluunt, descendunt, ut ibi perficiantur, & in actum prodeant, & in generationes rerum omnium abeant.

Elementa omnia in terra projiciunt sua semina.

Terra siquidem est centrum, seu matrix elementorum omnium, in qua elementa projiciunt sua spermata & semina, quæ terra suo sinu fovet, coquit ac digerit, & in actum deducit, secundùm primam naturæ intentionem, & primum suum velle, ideoq; varias ac multiplices constituit Deus in terra matrices & loculos, ad diversas rerum omnium generationes complendas: Spiritus enim universi seu Entelechia mundi, à primo Mobili, primò descendens & per firmamentum transiens, suscipit in ipso firmamento secundùm varias & ferè infinitas firmamenti constellationes, & stellas, diversitatem & varietatem correspondentem, & quadrantem varietati ac diversitati mixtorum omnium, quæ in sublunari concavo uniuntur.

In terra diversi sunt loci, & hi loci correspondent stellis firmamenti.

In terra matrices & loculi, etiam tot diversi sunt, quot in firmamento diversæ stellæ & constellationes reperiuntur ad fovendas, conservandas & in actum deducendas virtutes seminum, quæ descendunt ab ipso firmamento, in quo virtutes illæ variantur ab spiritibus variis, qui ex variis constellationibus descendunt & permiscentur Entelechiæ mundi, & eam disponunt ad rerum varias formas producendas, quæ in actum producuntur in variis ac diversis terræ loculis, qui etiam proprietatem habent ac virtutem innatam, producendi spiritus proprios, & peculiares, qui cùm jungantur Entelechiæ mundi, variis firmamenti spiritibus impregnatæ, facillimè eam actuant & informant forma pecu-

culiari & propria, correspondenti spiritus dominantibus, tùm firmamenti, tum matricis terræ, qui spiritus concordant inter se, & Entelechiam disponunt & actuant. Vndè non immeritò Philosophi omnes antiqui terram dixerunt Vestam, Cibelem & Opem, uxoremque cœli fecerunt, quæ unà cum cœlo virginem Rheam peperit rerum omnium conservatricem, pro qua virgine intelligenda est Entelechia illa, quam alii Philosophi vivam flammam dixerunt, quod ignem vivum, seu spiritum cœlestem terræ inclusum cognoscerent, quo solo vivimus omnes ex nectareo illius pabulo. Estque verus terræ & cœli filius, Rheaque Virgo verè & propriè dici potest ἀπὸ τοῦ ῥέω, quod est defluo, ab astris enim defluit ac descendit in hæc inferiora.

Terrà cur dicta sit, Vesta, Cybeles & uxor cœli.

Spiritus mundi cur Rhea dictus

Sic Poëtæ antiqui, & Philosophi Arcana hæc occultant, sub cortice fabellarum, in quibus tota Philosophia pura, & defecata clauditur, & coercetur, ut multis aliis in locis declaravimus, & præsertim in Hercule nostro Chymico, ubi totam Alchymiam & Philosophiam moralem fabulis involutam deteximus: & ubi terram Chymicam sub nomine Alcmenæ patefecimus: Hic verò terra ut est rerum omnium elementum nobis patefacienda est, quod ut facilius Chymicorum mentibus inculcare valeamus, definienda nobis est terra & in suas deinde differentias dividenda, ut hinc penitus sciatur quod propriè sit terra, omne siquidem quod sensibus nostris objicitur, non est terreum elementum, sed excrementum terræ, quod quidem nullo pacto est elementum, imò potius mors rerum & destructio, quam eorundem principium, ex excremento enim illo, inferiora hæc omnia morti, & destructioni sunt obnoxia, ex terra habent principium, conservationem & nutrimentum, ut ex reliquis aliis elementis, falsum enim est, & erroneum terram nihil producere ac gignere, sed tantum quæ ex aliis elementis producuntur fovere & conservare, quia si foveat & conservet, & producere ac gignere necesse est, cùm ea quæ fovent & conservant, ea etiam producunt & gignunt, materia enim conservationis & nutritionis est materia generationis: ex eisdem enim fimus & generamur, ex quibus nutrimur & conservamur.

Terra quā videmus nō est elementum.

Excremētum terra est mors rerum.

Terra producit ac gignit.

Terra ergo est quartum & ultimum rerum omnium elementum, ex crassioribus principiorum partibus, quæ in abysso erant conflatum & procreatum ex divina potentia, ad generationem rerum omnium, & præcipuè ex partibus crassioribus salis, hic enim coagulationem præber omnibus mundi rebus, ac corpus densum ac durum producit, Omnia siquidem elementa ut & terra ex tribus sunt primis principiis, quam-

Terra quid sit.

Omnia elementa

ex tribus principiis.

is quamvis duo tantùm prædominium in his habeant, ratione quorum duorum prædominantium ; duobus tantùm constare principiis superiùs diximus ; quamvis in rei veritate, tria principia in omnibus reperiantur. Invicem enim sunt inseparabilia, uti diximus capite peculiari de principiis, ergò necesse est ut omnia reperiantur in singulis etiam elementis ac in eorum spiritibus, etsi dixerimus duo tantùm principia facere compositionem Ignis, Aeris & Aquæ, quia id diximus tantùm ratione prædominantium principiorum, quæ in hisce elementis reperiuntur. Ut & terræ Sal solummodo prædominatur, Salem etiam componere terram asserere possumus: Nam terra pura nihil aliud est, quàm Sal coagulatum, sed Sal illud habet & reliqua duo principia, Sulphur putà & mercurium, ratione quorum producendi habet virtutem & enutriendi efficaciam, unde & Anima terræ verè dicitur, cujus ope & virtute suas exercet facultates: hinc si privetur terra suo sale, privatur etiam virtutibus omnibus, præcipuè pullulandi & germinandi, & enutriendi. Ut apparet in Vitro, quod vera terra est igne lota; sed emortua & privata suo sale, unde sterilis est & infœcunda, nullasque habet virtutes & proprietates: Hinc colligere licet virtutes omnes, quæ innumerabiles sunt hujusce terreni globi, dependere à Sale, quod includitur intrà terræ corpus, & virtutes ipsius salis, quod est terreum verum elementum, dependere tanquam ab agente præcipuo, ab spiritibus vitæ qui in eo sunt innati, & ab spiritibus cœlestibus nutriuntur & suo innato calore salis corpus in terrâ indicant, & in centro ipsius virginem illam unicam Rheam dictam, cœli & terræ filiam producunt, quæ est rerum omnium productrix ac conservatrix.

Terra pura quid sit & unde habeat germinandi virtutem.

A Sale dependent virtutes terræ.

1. Reliquum quod in terræ visceribus reperitur extra Salis hujus naturam ac essentiam est quid excrementitium, quasi menstruum terræ, quod natura suscipit ad generationem rerum terrenarum, ut corruptibiles & citò pereuntes fiant hæ res omnes. Nam si ex solo puro sale fieret, & ex reliquis elementorum spiritibus puris ac defæcatis incorruptibiles ferè essent, & in ævum longius perdurabiles, ut in auro apparet, ac lapidibus præciosis, qui cum solo sale puro, ac spiritibus elementorum puris constent, ideò diu perdurabiles sunt. Reperitur ergo in terræ globo duplex terra, pura & impura. Pura est, Sal illud, quod est anima & forma terræ, & est terreum verum elementum, ex quo cum reliquis elementis fiunt res omnes, impura verò terra, est excrementitium quid ex omnibus abyssi principiis separatum, & terræ globo permixtum, ut hinc unà cum terræ puræ seu

Excrementum terræ est ejus menstruum.

Res perdurabiles ex sale puro fiunt.

Impura terra quid sit & quid illa producat.

seu salis puri partibus res omnes corruptibiles componantur? Excrementum enim illud, quod in elemento terræ copiosissimum coacervatur, impedit elementorum perfectissimam & absolutissimam unionem, quæ verò perfectè non uniuntur, diu persistere non possunt, nexus enim absolutus principiorum & elementorum mortem ac destructionem sui nescit, hinc ævi duratio, & temporis longissimi tranquilla persistentia exsurgit, ex nexu autem debili facilis rerum interitus citissimè conspicitur, ut videre est in rebus omnibus corruptibilibus, quorum omnium debilem esse nexum facilè colligimus, ex eorundem artificiali destructione, quæ facilis valdè est, quæ enim fortissimum habent nexum, difficillimè dissolvuntur, quæ vero debilem, facilem etiam patiuntur mortem, hæc in auro & in plumbo clarissima patent.

Ævi durationis unde sit.

Crassities corporum undenam exsurgat.

Statutum ergò sit terram, purissimam esse salis substantiam, quæ virtute omnium aliorum elementorum, seu semine impregnatur, ad generationem rerum omnium, idque de terra pura intelligendum est; de terra verò impura quæ globum hunc vastum & crassum constituit, aliter censendum est, nam hæc nullam sapit salis essentiam, sed illius excrementum, quòd terræ menstruum crassum dicere possumus ut supra, quod natura suscipit, ad grossitiem & crassitiem corporum terrenorum constituendam.

Vndenam Elementa singula habeant virtutem & proprietatem agendi, & primò Vndenam Cœlum habeat suas virtutes.

CAPUT XIX.

Error antiquorum de cœlo.

QVàm plurimi sunt veterum Philosophorum, qui existimant cœlum nullo pacto agere in hæc inferiora neque lumine suo, neque motu, neque ulla vi interna sua. Sed solùm corticem esse mundi variis luminibus ornatam ad ornatum universi, & commoditatem hominum. At falsissimum est hoc omne & erroneum, cœlum siquidem est pars universi & præcipuum ejus elementum, unde actione non potest privari, imò & experientiâ constat actionem habere manifestam. Undenam autem habeat actionem hanc, vel ab Entelechia mundi, vel ab innata sua peculiari forma, & virtute particulari & sibi propria, quæstio valdè difficilis est, & ardua, nam gravissimi antiquorum omnium censent mundum hunc universum mentem habere, quam Entelechiam dicunt, à quâ Cœlum, & reliqua elementa, asserunt habere agendi proprietatem, modò illi individuetur, & uniatur: unde illud Virgilii.

Cœlum unde habeat virtutem

Principia cælum & terras camposque liquentes
Lucentemque globum lunæ, titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Mens universi non est Deus.

Quod nullo pacto est interpretandum Deo ubique diffuso, ut falsò & perperam interpretati sunt nonnulli Virgilii Commentatores, nam Deus non se miscet corporibus tanquam pars constituens & componens, ut agit spiritus ille seu mens universi, quæ præcipuam constituit partem uniuscujusque; est enim forma vera & propria rei. Ab illa ergò universi totius mente, seu Entelechia mundi, Elementa singula, & Cœlum præcipuè habent præcipuam & principalem agendi facultatem & vigorem, quamvis non negem nec inficias eam elementa singula & præcipuè cœlum, ut elementorum omnium potentissimũ habere propriam & innatam agendi facultatem, quæ ex eorum forma dependet, hæc tamen facultas, nullo pacto est contraria universali illi facultati, Entelechiæ dictæ, constat enim ex hisdem principiis, ex quibus constat Entelechia mundi. Nam ut elementa sunt singula, ex tribus principiis superiùs declaratis cum accidentibus forma eorum pariter ex qua dependet, & exsurgit agendi facultas & virtus, sic & Entelechia, ex hisdem & similibus est principiis, alchoolisatis ut ita loquar, & in semen conversis, ut videbimus capite proprio de Entelechia.

Entelechia constat ex hisdem principiis ac forma particularis.

Quòd si aliquando cum Chymicis multis nos diximus Elementa ex se relollocea, hoc est nullas nulliusque vigoris habere facultates: & agendi potentias, hoc diximus in gratiam Entelechiæ, cujus facultas tanta est, & tanti momenti ac ponderis ut si ea per momentum temporis desineret naturam, tota natura corrueret, & in chaos primum abiret. Ut levi experientiâ colligere possumus ex Ecclipsi Solis & Lunæ, quæ etsi non omnino deficiant, sed solùm per aliquod tempus directè non fundant radios suos in terras, tantùm detrimenti adherunt terræ, & mixtis omnibus, quantùm enarrari non possit, & quid fieret si omninò deficerent duo illa sola lumina, in quibus Deus Entelechiæ fontem posuit, quàm maximum, etsi in primo Mobili majorem.

Entelechia pereunte tota corrueret materia.

Entelechia fons in Sole & Luna.

Corpora ergò elementorum omnium, & præcipuè ipsius cœli, quod est elementorum omnium activus & potentius, mortua sunt & sine ulla ferè actione, si priventur illa mundi Entelechia, quæ variis insignitur nominibus, ob infinitam & variam agendi facultatem, quam elementis impertit, & omnibus naturæ mixtis secundùm varias corporum omnium dispositiones, quas ipsamet mundi Entelechia facit Archæo suo, hoc est, innato

Absque Entelechia elementa omnia mortua sunt.

nato suo calore. Ita ut ipsamet elementa obediant ipsi Entelechiæ sponte non coactè, quia ipsamet elementa facta sunt ex intimo eoque puro Entelechiæ, unde obediunt Patri & Agenti Primò. Itaque virtutes omnes quas Philosophi antiqui tribuunt cœlo, non sunt propriè & immediatè à corpore ipsius cœli. Sed ut ita loquar, à forma ipsius cœli. Qualis autem sit hæc forma cœli, ignorant multi. Nam duplicem nos constituimus formã in cœlo, unam propriam & verã cœli formam quæ est spiritus mundi individuatus in ipso corpore cœli. Alia verò impropria, quæ verè non dicitur ej9 forma, sed impropriè, veluti nauta potest dici forma navis, cùm gubernet & actuet navim. Sic hæc forma quæ est spiritus mundi seu Entelechia antequã individuetur, ubiq; reperta in quibusvis mũdi partibus & mixtis ad solum alimentum & conservationem formarum omnium propriarum, potest dici forma impropria cœli, cùm actuet & gubernet aliquomodo corpus cœli, velut nauta navim, Ab hac ergò Entelechia, quæ est alimentum mundi, antequam ultimam suscipiat in cœlo formam, virtus cœli, & facultas non dependet nisi impropriè & mediatè, sed ab ipsa Entelechia quæ est forma propria & innata cœli, non à corpore cœli quod ex se relollaceum est, & nullius efficaciæ, tanquam quid patiens, & nullo pacto agens.

Forma cœli qualis sit.

Ab Entelechia virtus cœlestis dependet.

Vndenam Aer habeat agendi suas facultates & virtutes.

CAPUT XX.

OMnes ferè Philosophi, qui Peripatheticam doctrinam sectãtur existimant aërem rarefacere & humectare solum, nihilque aliud virtutis habere: at hallucinantur omninò, pace eorum dixerim: Nam aer ut est elementum & quarta basis istius mundi, non solùm calefacit & humectat, sed & nutrit & alit, & componit, & omnia agit quæ ad compositionem, nutritionem & conservationem pertinent, quæ infinita ferè sunt præter calefactionem & humectationem: non quidem ex se, ut est corpus rarum & penetrans, sed ut est corpus Entelechiâ mundi impregnatum, cujus solius auxilio, & beneficio possidet has virtutes & proprietates, & multò majores alias, quas nullo modo recensent Peripathetici. Nam ut est corpus rarum & penetrans, est vehiculum Entelechiæ seu spiritus mundi, undè per Entelechiam hanc, aer vivificat omnia elementa, uti superiùs diximus, imò & reliqua cuncta, quæ in elemẽtis singulis vivunt, virtutes enim omnes mixtorum omnium proveniunt & dependent ex virtute illius Entelechiæ seu spiritus mundi, qui est delator, & Bajulus virtutum omnium. Et aer

Aer ut est elementum multas habet virtutes quia ut tale est habet Entelechiã.

raritate sua & penetrandi facultate; corpore suo subtili ac valdè tenui defert Entelechiam illam. Vndè cùm in aëre virtus illius Entelechiæ potentissima sit, virtutes aëri communicat, cujus solius ministerio & ope quicquid in orbe generatur, sive in cœlo sive in aëre, aquis & terris, conservari non potest in suo esse perfecto & naturali, absque illa Entelechia aërea, hoc est sine spiritu mundi, qui aeri peculiariter inest. Est enim in aere vitæ cibus, vitæ fomes, sine quo vita, & fundamentum vitæ omnis, sive terreum, sive aqueum sit, sive ex alio quovis elemento conservari non potest.

Aer quare subtilis & penetrans.

UndeDeus naturæ Author, & Creator necessitaté istius fomitis perfectè cognoscens sciens ac videns, aerem constituit, fecit, & ordinavit, substantia peculiariter subtili, & tenuissima omnibus convenientissima, & familiaris, ut spiritum istum vitæ fomitem & fulcrum, ad penitissima terræ antra, & profundissimos aquæ gurgites deportaret: Sic clarissimum est, & verissimum aerem esse vehiculum virtutis totius mundi. Vnde asserere possumus absque mendacio in rei veritate aerem possidere potentialiter virtutes omnes, quas possident mixta singula & omnia. Et actualiter possidere actum vivificandi, germinandi, pullulandi, & similes alias omnes virtutes, quæ absque aere in lucem, & in actum educi non possunt, cùm in aere potissimum tanquam in sede sua principali, Entelechia & virtus totius naturæ collocata sit, ex qua sola virtutes illæ omnes exsurgunt & ortum habent, tanquam ex fonte primario. Non quod Entelechia illa originem habeat, & fontem suum ex aere, at ex superiori multo loco, & sublimiori fonte, uti diximus capite suo peculiari in aere tamen principalem habet locum, non ratione sui ipsius, sed ratione mixtorum, quæ ortum habere debent ex quatuor elementis & principiis naturæ. Aer siquidem ratione mixtorum est elementorum omnium convenientissimus, ut vitam foveat, nutriat & conservet, cœlum siquidem tenuius est, quàm par sit ad compositionem rerum omnium conservandam & enutriendam. Aqua verò & terra crassiora habent corpora, ratione quorum non possunt ubique sublimari, ad eundem Scopum, superest ergò, ut aer hoc solum agat, & toti naturæ inserviat, ut spiritum vitæ, & virtutem universi, ac totius naturæ vigorem deferat per totum orbem, ut omnibus orbis partibus, vita distribuatur, ne ulla orbis pars reperiatur, vitæ hujus ac vigoris vidua, atque vacua tali & tanto vitæ fotu.

Aer est elementorum omnium convenientissimus generationi & nutritioni mixtorum.

Vnde concludimus, & appertum omnibus facimus virtutes illas innumeras omnes quas ex aere nasci contemplantur omnes naturæ indaga-

Entelechia cur sedem suam in aere potissimũ habeat.

indagatores dependere ex Entelechia illa, seu spiritu mundi, qui sedem principalem sibi in aere elegit ad commoditatem & utilitatem totius naturæ: reliqua enim elementa aut propter nimiam crassitiem non poterant deferre illam mundi Entelechiam, per totas universi partes, & esse omnibus alimento & conservationi ut aer est.

Vndenam aqua habeat suas virtutes & agendi proprietates.

CAPUT XXI.

Philosophorum multi aquam refrigerare & humectare censent, existimantque alimentum esse multarum rerum; nihilque aliud dicendo nec Philosophiam suam dilucidiùs explicando, conjiciunt animos inquirentium in barattrum & labyrinthum, è quo educere se minime possunt, etsi filo alterius Ariadnæ utantur, nam aqua multas alias habet virtutes & proprietates quam antea enumeratas nec ipsas habet, ut est aqua simplex & corpus aqueum elementare, sed quatenus est elementum elementatum, & virtute spiritus mundi, & Entelechiæ impregnatum. Nam beneficio spiritus ipsius, aqua humectat & refrigerat, humiditatem siquidem & refrigerium ortum habere diximus ex mercurio, qui in Entelechia reperitur copiosè. Et est alimentum multarum rerum propter eundem Mercurium & sulphur, quæ simul insunt Entelechiæ, non ut est elementum simplex: Virtus enim & proprietas nulla reperitur in simplicibus elementis, oportet ergò ut habeant aliunde virtutem agendi, virtutem illam siquidem variam ac multiplicem, quâ multa componuntur, producuntur, enutriuntur ac conservantur. Virtus siquidem omnis ex forma est, forma autem suscipit virtutem agendi actualem, ex spiritu illo, qui comes individuus est formæ, cujuscumque elementi. Aquæ ergò proprietates omnes, quæ illi insunt, dependent ac ortum habent ex spiritu illo, qui per aquas deportatus generat ac producit, nutrit ac fovet quicquid in rerum naturâ est; aquâ indigens, ad sui nutritionem, productionem & conservationem: Hoc autem est quicquid est in rerum natura: Videmus enim animalia cuncta, vegetabilia & mineralia omnia cujuscumque generis sint, & speciei, egere aquâ, ad sui productionem, nutritionem & conservationem.

Aqua unde habeat virtutes suas.

Spiritus Entelechia est comes individuus formæ. unde forma non agit nisi mediante illo spiritu.

Etsi terra habeat infinitas, ut videmus, virtutes & proprietates, tanquam basis & fundamentum generationis, in qua spiritus iste mundi, Vulcanus naturæ & Dædalus fabricat & producit res omnes. Nihilomi-

hilominus tamen aqua non minores possidet, imò majores obtinet virtutes & effectus ipsa terra. Cuncta enim quæ generantur in terra, egent aqua ad sui nutritionem & generationem. Lapides siquidem pretiosi omnes, Margaritæ, Corallа, metalla perfecta & imperfecta, & mineralia omnia in aquis generantur, & ex aqua ortum habent, & incrementum suscipiunt, unde pretiosiora multò fiunt in aquis, quàm in terræ visceribus. prædicta enim sunt omnibus pretiosiora, hæc autem generari ex aqua & incrementum suscipere clarissimè patet ex scriptis Chymicorum omnium, tum ipsamet experientiâ; quæ nos docet, ex resolutione ultima metallorum, Lapidum & Mineralium, eorum principium & semen aqueum esse, & non terreum: Mercurius siquidem viscosus & unctuosus, vera est aqua metallica ponderosa valdè, quæ congelatur & fixatur beneficio sui sulphuris & Salis in undis & aquosis terræ cavernis, & citiùs in siccis quia focus Mineræ aquosæ, seu ignis & sulphur aquæ mineralis, nullo pacto extinguitur extera loci aqua, ubicumque enim reperiatur, incommotus est ille ignis, quamvis sit principium motus, hoc est non movetur ab alio nisi à se ipso, inde generantur æquè Metalla & Lapides cujuscumque generis in aqua, ac in terra, aqueum tamen est semper eorum principium & semen, etsi in terræ visceribus aliquando, & sæpe sæpius projiciatur, imò & aliquando in aere ipso, unde & in aere Metalla & Lapides generantur & descendunt in terras, nihilominus in terra tantùm ultimam suscipit dispositionem spiritus ille mundi, seu virtus & Entelechia universi, & à terra per Archæum suum seu calorem innatum ascendit ad reliqua elementa, & in aere potissimùm conquiescit, quamvis aquam non desinat, cum qua deportatur per universos terræ poros in matrices varias ac multiplices, in quibus procreantur varia mixtorum genera, & omnes individuorum species, in quibus ultimò individuatur spiritus iste, ad generationem particularium mixtorum, ope & auxilio constellationum & planetarum Firmamenti ac Cœli. Ex quibus dum descendit in terras, suscipit inclinationem & propensionem ad hanc vel illam rem. At hæc inclinatio & propensio, non est ultima dispositio, seu, ut ita loquar, individui compositio, quam solam in matricibus, ac variis terræ, & aquæ & aeris locis suscipit, quia ipsa loca seu matrices rerum habent quosdam spiritus individuatos, & particulares ad sui nutritionem & conservationem, advenientes inde novi spiritus, statim ipsi fiunt similes aliis, qui in locis & matricibus stagnantur ac stabulantur, quia illis commiscen-

Metalla & lapides omnes ex aqua ortum habent.

Metalla in aere aliquãdo generantur.

Qua ratione Entelechia producat omnia in elementis omnibus.

miſcentur,& propter inclinationem & propenſionem quam habent, à ſuperioribus conſtellationibus & planetis cœleſtibus, ideò citiſſimè commiſcentur & ſine ulla repugnãtia invicem facta producunt, & in lucem edunt, quod locus & Cœlum poſtulant, & exigunt. Quòd ſi aliquando pugnantes ſint ſpiritus illi, ſeu ſemina, quæ de foris adveniunt locis & matricibus, ſpiritib⁹ & ſeminibus locorum, tunc fiunt abortus, & generatur id, quod locus non poſtulat, nec matrix exigit. Sic individuatur ſpiritus ille cœleſtis communis rebus omnibus, qui eſt virtus, proprietas & facultas cuiuscumque elementi, à quo ſolo aqua ſuſcipit virtutem & facultatem generandi & nutriendi ea omnia quæ in ſua Sphæra conſiſtunt.

Abortus & monſtra quo modo fiant.

Vndenam Terra Deſumat ſuas virtutes & proprietates.

CAP. XXII.

Chymia ſola elemẽtorũ virtutes perquirit.

MVltiplices terræ virtutes perquirere, Chymicæ ſcientiæ ſolum eſt, ea enim ſola elementorum omnium, imò & reliquarum partium Anathomen perquirit & tractat, beneficio cuius, & ſeparatione quã exercet in omnibus rebus, virtutes cognoſcit, & eſſentias, formarumq; materias manifeſtas habet, nihil enim eſt occulti, quin ipſa rerum Chymicâ Anathome manifeſtum fiat. Vnde ſi terræ virtutes perquirat, per ſeparationem partium omnium, quæ terreum iſtud corpus, & elementare conſtituunt, eius virtutes occultas manifeſtas apperit & oſtendit. Inveniunt enim Chymici omnes in Anathomia huiusce terrei corporis, Salem quemdam igneum, incremabilem, fixum, & permanentem, cuius virtutes adeo mirabiles ſunt, ut incredibiles videantur omnibus, qui ignorant virtutes totius mundi qualeſcumq; ſint, in centro terræ reperiri. Etenim mixta omnia qualiacumque ſint ex ordine animantium, vegetantium aut mineralium, hæc, inquam, omnia mixta foventur, nutriuntur, & conſervantur & generantur ex ſpiritu illius terreni ſalis, qui ſpecificatur, & individuatur in ſemine cuiuscumq; mixti, & fit mixtum tale, quod ſemẽ particulare intendit, Vnde colligere ſatis licet, ſalem iſtum habere virtutes omnes & proprietates, quas terra poſſidet & obtinet, non enim generare ac producere poſſet omnia, eaq; conſervare valeret, niſi in centro ſuo has omnes coerceret proprietates; hinc non immeritò Moſes Patriarcha & Propheta populi ſancti, clamat capite ſecundo Geneſeos. Aſcendebat vapor è medio terræ, ſuperficiem univerſam terræ irrigans: Alii legunt fontem aſcendere &c. At hic fons ſeu vapor nihil aliud eſſe poteſt, quàm ſpiritus illius terreni ſalis, qui in centro terræ ſedem ſuam poſuit, ut aſcendendo ex terræ centro, ad ſuperficiem illius mixta omnia, quæ in terræ ſuperficie creſcunt

Salem inveniunt chymici eſſe virtutem & vigorē terræ

Sal habet virtutes omnes terræ.

ſcunt & generantur, irriget, & ſua irrigatione foveat, conſervet & producat ipſa permixtione ſpiritus cœleſtis.

Entelechia virtus tota in ſale.

Fœlices & beati ſunt admodum, qui notitiam illius ſalis habẽt, & beatiores & fœliciores adhuc ſunt, qui Pyrotechnica arte, eius proprietates ſciunt extrahere. Habent enim in unico corpore Entelechiam totius mundi, quâ ſolâ gaudere poſſunt & fœlices omni ex parte vivere.

Spiritus ergò terreni iſtius ſalis, eſt cauſa efficiens virtutum omnium, quæ in terra reperiuntur. Nec putandum tamen eſt, ſpiritum hunc, partem eſſe terreni globi, quod conflatus ſit ex elementis. Nam ad fabricationem & compoſitionem iſtius ſpiritus, non ſolùm elementa omnia concurrunt, ſed & cœli omnes, Planetæ & conſtellationes: undè eſt quid conflatum, ex puriſſima parte rerum iſtarũ, undè unaquæque pars infundit ſuam peculiarem & innatã virtuté huic ſpiritui hinc omnes reperiũtur in ipſo ſolo ſpiritu, qui in terrę viſcerib⁹ ſuſcepit corpus firmũ, cuius vapor & nectareus halitus, eſt aptus generationi & nutritioni mixtorum omnium ſublunariũ. Quod corpus nullum aliud eſſe poteſt, quàm ſal, quod ſolum nutritioni & generationi aptum eſt, hinc in rebus omnibus quibuſcumque reperitur ſal quod eſt fundamentum & baſis mixtionis & generationis rerum omniũ: Sal ergò ſeu ſpiritus eius, eſt cauſa efficiens virtutum omnium & proprietatum terreni iſtius globi, eo abſente perit eius virtus, & ſteri-leſcit omnis terra, undè notum habemus experientiâ cõmuni & vulgari terram quamcumque pingueſcere, ac fertilitatem ſuſcipere ſparſis in ea cineribus, & ſtercore immiſſo, latet enim in his omnibus copioſum ſal, quod per putrefactionem diſſolvitur & in diſſolutione emittit ſpiritus ſuos, qui terram fœcundant.

Spiritus Entelechia non poteſt aliud ſuſcipere corpus quã Salis.

Quare terra fœcũdetur, ſtercore & cinere.

De Entelechia mundi, Vndenam ſit & quid ſit.

CAP. XXIII.

Ex ſuperiori doctrina ſatis clarum eſt undenam ſit & quid ſit Entelechia: at ut omnis eius doctrina, quam in diverſis capitulis ſparſam poſuimus, habeatur hic in peculiari capitulo, ideò totum hîc doctrinam colligemus, ut clarior & notior videatur, ſpagyricæ artis alumnis.

Entelechia ergò, quam alii ſpiritum mundi, mentem univerſi, & mercurium dixerunt, aliiſque ferè infinitis nominibus inſignierunt, eſt pars tenuiſſima omnium elementorum & cœli ſeu lucis, quæ in terræ viſceribus ſimul unita, tranſit & mutatur in ſemen mundi, è quo prodeunt omnia, quæ naturaliter fiunt in hoc mundo & facta conſervantur.

Entelechia quid ſit.

Duplex eſt Entelechia fixa una & permanens, quæ in terræ viſceribus, ac per totum eius corpus inhærens fixa reperitur: Alia verò volatilis & infixa ſpirituosè volitans per omnes mundi partes ubiq; diffuſa, ut præſto ſit omnibus naturæ rebus, quæ

Duplex eſt Entelechia, fixa & volatilis.

fotu

fotu perenni & continua alimenti irrigatione egent, hæc & alia Entelechia eiusdem sunt generis, & materiæ, nec ullo pacto inter se differunt, nisi quod Entelechia fixa & permanens, quæ est humidum radicale, fixum, & permanens universi, plus habet seminis terrei, ratione cuius radicaliter hærent & fixè permanent aliorum elementorum semina, volatilis verò Entelechia, quæ est spiritus mundi, habet quidé partes nonnullas illius seminis terrei, sed valde diminutas, & aliorum elementorum seminibus subjacentes, & obedientes, ratione quorum in perpetuo est motu, & ubi locorum volatu suo defertur, & hoc valdè est necessarium, & naturæ consonum: nam permanens Entelechia & fixum humidum radicale mundi, eget perpetuo & continuo alimento, quia interno suo calore, & nativo sulphure perpetuo consumitur ac devoratur, itaque ni perpetuo refocilletur, ac restauretur alimento, brevi temporis ævo consumeretur mundus, ac marcesceret, nec quotannis virescerent omnia, ni Entelechia illa volatili, seu spirituosa mundi mente, refocillaretur eorum omnium radicale humidum fixum, quod est eorum robur & vigor. Elementa omnia & cœlum producunt & constituunt illas duas Entelechias eiusdem generis & essentiæ, unũ quodque elementorum ex innata sua natura producit suum semen, quod est eius alchool, sive tenuissimum & purissimum quid sui corporis & extra corpus suum projicit in sphæram alterius elementi, in qua permiscetur cum alio semine alterius elementi, & ambo decidunt in sphæram inferioris elementi, donec in centrum terræ devenerint, ubi omnia elemẽtorum semina unà cum luce simul permixta & unita perfectè digeruntur, & coquuntur, & fiunt semen illud universale mundi, quod diximus Entelechiam quòd sit principium motus, & virtutis ac vigoris omnis naturalis in omnibus naturæ rebus, definivit enim Aristoteles Entelechiam, vim motivam & virtutis totius naturæ, eius autem naturam, materiam & essentiã non declaravit: est autem materia & essentia Entelechiæ, semen & virtus cœli & elementorum omnium. Elementa siquidem omnia & cœlum, ut multoties dixi projiciunt in terræ centrum suum purum, quod est eorum semen & virtus, ibiq; digeritur & excoquitur & inde sublimatur in Entelechiam seu spiritum mundi, quo res omnes naturales foventur nutriuntur & conservantur, imò productiones omnes fiũt naturales.

Entelechia fixa eget perpetuo alimẽto quod est Entelechia volatilis.

Elementa & cœlum constituunt Entelechias omnes.

Quare semẽ mundi dicatur Entelechia.

Natura Entelechia qualis.

Non est autem Entelechia, quid ab elementis re & loco distinctum & separatum, quamvis sit res omninò distincta ac differens, sed est in ipsis elementis immixta & inhærens, non secus ac semen in rebus viventibus, quod in omnibus, viventium partibus latitat & occultatur, etsi locum habeat digestionis

Entelechia non est realiter & localiter separata ab elemẽtis.

peculiarem & idoneum, sic & in cẽtro terræ, est locus digestionis seminis mundi sive Entelechiæ, in quo loco digeritur, & excoquitur quamvis in omnibus elementorum partibus reperiatur & latitet. Hinc non accusandi sunt Philosophi Chymici, obscuritatis & logogriphi, dum asserunt passim in scriptis, semen metallorum passim reperiri, & in omnibus esse locis, quia verè Entelechia hæc, est proxima & immediata seminis metallici materia, ubique reperiatur & nulla pars hujus mundi, neque ullus locus est, in tota & universa natura, quin sit plenus Entelechiæ, quod facillimè patet ex eius definitione & descriptione; si enim sit virtus, & proprietas motiva mundi & naturæ, qua ratione fieri posset ut illa virtus & proprietas naturæ, quæ est inseparabilis ab ipsa natura, cùm sit pars illius intrinseca & verè formalis, posset non reperiri in aliqua parte huiusce mundi.

Quare dixerint Philosophi Lapidem ubique reperiri.

Dividimus hanc Entelechiam, seu virtutem hanc & proprietatem motivam naturæ, in infixam & permanentem cùm in unaquaque parte mundi, & in toto ipso, sit aliquid permanens & fixum, è quo effluit virtus illa motiva, & sit etiam aliquid influens & infixum ejusdem generis & materiæ, quo nutritur & fovetur illud fixum & permanens in natura, quod est huiusce virtutis motivæ fons; Potest autem hoc influens & infixum æquè dici & nuncupari Entelechia, ac illud quod est fixum & permanens in natura, cùm unum & idem sit in natura rationę materiæ, & virtutis agentis, ut ex compositione Entelechiæ cernere licèt, beneficio cuius compositionis, aliam possumus dare & constituere, Entelechiæ divisionem, ut meliùs & clariùs intelligatur essentia istius Entelechiæ.

Alia Entelechia divisio in elementarem, & cœlestem.

Dividemus ergò Entelechiam ex compositione ipsius, in cœlestem & elementarem, cùm Entelechia componatur ex spiritu cœlesti, & elementari: Entelechiam Cœlestem dicimus, virtutem illam naturæ, quæ ex spiritu lucis & luminis cœlestium omnium orbium Planetarum & constellationum omnium ac stellarum componitur, in eo ergò spiritu lucis & luminis, est compendium Cœlestis omnis virtutis, & quicquid Cœlum potest, in eo ipso spiritu lucis est irradiatum, & implantatum: nihil enim in cœlo est, quin virtute & energia actuali, in ipso reperiatur spiritu: Spiritus ergo hic cœlestis, qui præcipuam Entelechiæ partem constituit, totius cœli virtutem, & energiam in se complectitur, & nihil tamen est quàm splendor lucis ac luminis: Hæc autem lux, seu lumen hoc, quod constituit essentiam veram & formalem hujusce spiritus, non est accidens & verè quid adventitium formæ spiritus huius, sed est vera essentia & quid formale, & quidditativum constituens essentiam ipsius spiritus lucis:

Entelechia cœlestis quid sit.

Lux est vera substantia & non accidens.

Er-

Errant siquidem omnes Peripathetici Philosophi, qui lucem accidentis cujusdam essentiam esse volunt, lux enim in quocumque subiecto fit, vera est substantia, nec ab eo detrahi potest quin & subiectum ipsum pereat & destruatur. Et si in aëre adveniat & pereat absque aëris destructione, non tamen accidens fateri possumus, cùm aer corpus penetrabile fit, & facillimè substantiam lucis perpetuò è sole fluentem admittat, non tanquam accidens, sed quid corporeum, subtile & substantiale, spirituale, quod vim a-ctivam & motivam tribuit aeri, & reliquis elementis, quod quamvis non assiduè appareat nisi Sole corruscante, nihilominus in plenitudine tenebrarum residet in ipsis elementis, & lucet in tenebris, etsi non videatur, rarescit enim ita lux hæc in elementis, ut non percipiatur, nisi plenis & corruscantibus Solis & stellarum radiis illustretur.

Lux ubique est etsi non videatur.

Spiritus ergò hic cœlestis, qui lucem omnem cœlestem, in se coercet, præcipuam Entelechiæ partem constituit, & ratione hujus spiritus Entelechia nostra, compendium totius cœli est. Ratione verò alterius spiritus, qui virtutem elementarem omnem complectitur, compendium est elementorum omnium. Et ratione huius elementaris spiritus, elemētaris Entelechia dici potest, cùm in se habeat virtutem omnium elementorum, hoc est purum semen elementorum omnium: Elementa siquidem omnia concurrunt ad compositionem Entelechiæ nostræ, tanquam fœmina concurrit ad compositionem perfecti embrionis. fœmina siquidem in se habet semen, at nisi semini virili permisceatur, infœcundum est & inutile, generationi faciendæ; sic & pari modo elementa habent semen, at inutile illud est, mundano partui, nisi cœlesti semini permisceatur. Semen etiam cœleste pari ratione inutile est, & infœcundum, nisi semini elementari permisceatur utrumque eget permixtione alterius ut fœcundentur. Tota fœcunditas in permixtione utriusque seminis consistit. Sic explicandi sunt Philosophi, qui elementa asserunt nullam habere vim, ac virtutem agēdi in generationibus sublunarib⁹: ea siqudem nisi cœlo conjungantur, inutilia sunt productionibus rerum infernarum: Quod etiam de cœlo effari possumus, cœlum enim nisi etiam pari ratione connectatur elementis, infœcundum est, & nihil producere potest, ut vir inutilis est generationi absque fœmina, & fœmina itidem inutilis absque viro, sic & cœlum inutile est generationibus etsi fœcundum ex se ipso promat semen, absq; elementis, & Elementa itidem absque cœlo inutilia sunt, etsi etiam fœcundum habeant omnia semen: Semen enim horum omnium tùm cœli & elementorum, fœcundum est, ratione aptitudinis tantùm, quam habet se permiscere, & fœcundum illud uni-

Entelechia cœlestis est compendiū totius cœli.

Semen elementorum infœcundū est nisi seminĕ cœlesti permisceatur.

Cœlum etiā infœcundū est nisi elementis permisceatur.

versale producere semen permixtione sua.

Rhea quid indicet in natura.

Illud omne indicarunt & testati sunt Philosophi antiqui, & Poëtæ, dùm asseruerunt Cœlum duxisse in uxorem, terram, ex qua, producta est Rhea cœli & terræ filia, quæ deinde mater fuit rerum omnium quæ sub cœlo sunt, eamque fingunt poëtæ pulcherrimam Deam, coronatam turribus & civitatibus, tanquam omnium hominum matrem, veste variegata, auro & argento, variisque & omnibus florum generibus adornata, indutam tanquam vegetantium omnium productricem, & metallorum & mineralium omnium generatricem, sceptrum dextrâ, lævâque clavem gestantē, ut indicarent insignem potentiam ac energiam, quam habet, in res omnes cœlestes & sublunares, insignis enim virtus ac potentia sceptro & clavi indicatur, sic Entelechiam nostrā Rheæ nomine & fabella indicarunt antiqui, quam verè cœlum & elementa producere habent, alioquin infœcunda est, & inutilis mundanæ œconomiæ, nec quicquam potest in generationibus, etsi semen elementorum omnium & totius cœli, in unum chaos habeat secum unitum, ut mixta omnia quæ omnibus elementis & cœlo constant, generare, nutrire & conservare queat.

Entelechia quid propriè sit materialiter.

Ex his ergo omnibus quæ dicta sunt in hoc capite, clarū est & apertum, Entelechiam, quam Aristoteles cognovit ac definivit, vim ac virtutem motivam totius naturæ, nihil aliud esse quàm purum & quasi sublimatum quid, ex luce cœlesti & splendore omnium Stellarum & Planetarum, cum aliquo puro & sublimato elementorum omnium coadunatum & connexum, ut hinc fiat generale quid, etiam pura utrarumque partium cœli videlicet & elementorum participans, ad generationem rerum omnium, nutritionem & conservationem commune & aptum, sine quo natura persistere non potest, nec ullo pacto frui suis dotibus generandi, nutriendi, conservandi, crescendi, germinandi, & aliis multis similibus, quæ totam naturam exornant, imò constituunt, adeo ut natura sine illis esse non possit, ideo etiam dotes illæ cum ipsa natura confusæ sunt, & pro ipsa natura sumptæ ab antiquis.

Natura sine Entelechia existere non potest.

An motus Diurnus, nocturnusque cœli sit omninò necessarius ad Entelechiam rebus omnibus communicandum.

CAP. XXIV.

QUi Cœlestes orbes immobiles fecerunt, terramq; solam mobilem constituerunt, de Entelechia distribuenda omnibus elementis ad generationem rerum omnium non cogitarunt, nec undenam Entelechia proveniat scire voluerunt, & ad quid motus ille perpetuus cœlestium orbium naturæ conveniat medi-

meditati sunt, nec ultimò unde motus generaliter habeat exordium, æqua animi lance perpenderunt, certum enim est apud omnes Philosophos calorem principium esse motus. Qualis autem sit calor iste, qui est motus cuiuscumque principium, non clarè admodum dilucidarunt. Calor autem hic, vitalis est & omni ex parte naturalis, ac vitæ plenus, qui cum lumine ac luce confunditur. Et propriè calor non est, sed calidum quid, luminosum ac luceos vitale principium: Vitá siquidem & vitale principium nullo pacto distinguũtur à calore vitali, nec calor vitalis à calido innato, nec calidum innatum à luce cœlesti, quam Deus in creatione mundi dispersit per omnia elementa & cœlos, & in sole posuit tabernaculum eius. Sequitur inde Lucem esse principium motus, cùm lux & calor naturalis seu vitalis non distinguantur, & calor vitalis ex sententia omnium Philosophorum sit principium motus.

Motus cœlestis causa est lumen quod & alii calorem vitalẽ dicunt.

Calor naturalis & lux non distinguuntur.

Hinc ergò clarum est & manifestum cœlum potiùs moveri, quàm elementum terræ, cùm manifestum sit Lucem principium motus ex cœlo, non ex terra oriri. Si quid autem lucis in terra & elementis aliis reperiatur, non ex ipsis est, sed solùm ex materia prima cui primùm lux infusa est. Si quid etiam in terris est, & in alimentis aliis quod moveatur, non ex terra & aliis elementis motum habet, sed ex luce illa, quæ totius motus est principium.

Cœlum movetur cum sit principium lucis.

Quicquid movetur à cœlo habet motum.

Quo circa summè necessarius est motus diurnus nocturnusque cœli circa reliqua elementa, ut lucem illam è cœlo perpetuò effluentem ac emanantem, singulis naturæ mixtis (quæ illa opus habent ut alimento & pabulo quotidiano) dispergat. Sine enim motu illo circulari, Entelechia illa cœlestis, quæ nihil aliud est, ut supra diximus quàm lumen cœleste, non optimè & æquali manu omnibus naturæ mixtis communicaretur, ut enim omnia mixta & singula toto cœlo, hoc est influentiis omnibus egent, ut producantur, nutriantur & conserventur. Sic totum cœlum seu influentiæ omnes, si cœlum quiesceret, & per se firmiter staret, non possent communicari omnibus, & singulis naturæ mixtis, media siquidem tantùm pars cœli influeret mediæ terræ parti, quam spectaret, reliqua verò media pars, nullas huiusce cœli influentias reciperet, nisi oppositas.

Motus cœli natura necessarius ut Entelechia distribuatur

Pari etiam modo si terra moveretur, & cœlum quiesceret, terra motu suo satis violento non posset recipere commodè, & motu suo perpetuo coquere & digerere Entelechiam illam & virtutem cœlestem, quã recipit ex cœlis, motus enim talis præpediret influxum illum Entelechiæ ne mixtis implantaretur singulis, ad satietatem, iustum enim est & naturæ decretum, ut quod recipit, quiescat, & quiete sua possideat & frua-

Ratio cur terra non moveatur sed tantùm cœlum.

& fruatur datis. Quod verò dat, moveatur & in perpetuo sit motu, ut distribuat & donet quod illi est distribuendum, non enim uni sed multis, ac ferè infinitis est distribuendum, quæ cum loco mul o distent, ideò circa illa est discurrendum Entelechia ergo seu vitalis, hęc virtutis quæ omnibus mundi partibus est necessaria ad esse conservandum, non potest commodè & justè distribui, quin cœli perpetuò moveantur circa elementa, ut illis impertiant vitam illam illis necessariam; Terra autem cùm recipiat ultimo loco virtutem illam vitalem quiescere debet, ut sibi & suis attribuat quod superiora elementa illi administrant.

Cœli cur moveantur.

Terra cur quiescat.

Qua mirabili ac stupenda ratione, varia, ac ferè infinita mixta producantur ab unica & sola natura.

CAP. XXV.

Productio rerum ex mixtione.

OMnes qui productionem rerum omnium tractarunt Philosophi, eam variam ac diversam esse dixerunt ex varia ac diversa elementorum mixtione, in qua sola mixtione: hanc variam ac distinctam rerum productionem posuerunt: nam secundùm quod variis ac ferè infinitis modis elementa possint in se invicem permisceri, ex ea varia mixtione, exsurgunt varia ac infinita mixta, quam quidem Philosophiam veram esse profitemur, at obscuram valdè, & nisi dilucidetur clarius; superest adhuc perquirendum, qua ratione elementa inter se possint ita variè permisceri, ut hinc varia enascantur naturæ mixta, nam inter se contraria sunt.

Non potest hæc elementorum mixtio, faciliùs & clariùs intelligi, quam ex notione & intelligentia compositionis Entelechiæ, superioribus in capitibus sat ad modum declaratæ: Elementa siquidem omnia suum unũ quodq; semen, quod pars est tenuior & subtilior uniuscujusque elementi, effundunt in terræ centrum unà cum parte subtiliori luminis omnium orbium cœlestium, ibique hæc omnia naturali instinctu, quem antiqui Archæum dicunt, permisceantur; ita ut omnia elementa & cœlum omne ibi reperiantur simul confusa & permixta in chaos unum, & semen quod inde è terræ centro, calore suo & virtute innata sublimatur per omnes terræ partes, ibique generationes & productiones varias inchoat & perficit: Cùm autem quicquid generari possit secundùm naturæ leges, in eo sit semine, non distinctum & separatũ, sed confusum, & ut ait Aristoteles in potentia, ideo calor naturalis & insitus, qui in eo semine est copiosus, quotidiè & perpetuò agit, ut distinguat & determinet quod in ipso cõfusum est, & in potentia, & tandem actuat & perficit, & sic fiunt variæ & di-

Qua ratione elementa permisceantur.

Archaus quid in materiam.

Productiones quaratione fiant ex elementis & cœlo.

& distinctæ ex illo & unico naturæ semine rerum productiones: elemẽta omnia, & cœlum omne, dant omne quod habent in seipsis potentius & efficacius, (id autem est pars tenuior & subtilior eorum omnium) ut efficiant semen illud universale, quod Aristoteles Entelechiam dixit. Lumen autem quod in eo est semine calore vitali plenum & turgidum agit in elementorũ semina, & ex his educit quod in eis potentia est. Est autem in potentia quicquid generari potest, non tamen potest in uno & eodem tempore potentiam illam universalem actuare in omnibus & singulis illius seminis partibus. Sed cùm semen illud universale sit divisibile in infinitas ferè partes, in ipsis partibus divisis, nunc hanc, nunc illam actuat potentiam: Ad hanc potentiam particularem actuandam confert, & plurimum adjuvat, locus particularis, qui semen in se ipsa commissum particulariter disponit ad productionem. Vndè clarum est, ac manifestum, omnia naturæ mixta, quæ variis ac ferè infinitis modis, in natura producuntur produci & in lucem emitti calore cœlesti seu lumine, quod in Entelechia universi turget, & copiosum est: Illud est quod elementa invicem mixta in ipso semine universali actuat & ad generationem stimulat, & stimulata ad finem ultimum in quem tendunt perducit.

Quid actuat semen universale quod est materia prima rerum.

Locus confert ad actuandam materiam primam.

Modus generationis.

Itaque modus ille mirabilis ac stupendus, quo natura utitur ad productiones rerum omnium, est primò mixtio elementorum omnium unà cum cœlesti lumine: Lumen suoproprio & innato calore vitali educit ex elementis vapores, qui sunt partes tenuiores & subtiliores earum, & sublimat illos, & permiscetur unà cum eis, & agit in illos, & agendo, educit ex eis, quod in his potentia est. Et sic interpretanda est & dilucidanda elemetorum & cœli totius pexmixtio, ad generationes rerum omnium. Existimo Aristotelem scivisse modum hunc permixtionis, sed noluisse dilucidiùs manifestare.

Aristoteles scivit verã elementorũ mixtionem sed noluit manifestare.

Vndenam potentia varia ac ferè infinita res omnes generandi quæ in Entelechia est proveniat

CAP. XXV.

RECentiores omnes Philosophi, simul & Antiquissimi modò veritatis lumine illustrati asseruerunt potentiam illam variam res omnes generandi, quæ in Entelechia reperitur, ex Deo & primâ omnium causâ descendisse. Creavit, inquiunt, Deus ex nihili fonte materiam primam, quam Hyle & Chaos dixerunt, ex qua deinde materia verbo suo efficaci eduxit cœlos & elementa, & omnia quæ in his sunt: Omnia ergò primò Deus in materiam illam primam infudit, & cum deinde lumine verbi distincta sunt & separata,

Potentia res omnes generandi ex Deo est infusa materia prima.

ta, non tamen potentiam illam variam & ferè infinitam amiserunt, cùm primam illam materiam in qua Deus posuit omnia secum adhuc retineant & possideant. Vnde non falsum est illud Pytagoricum *omnia in omnibus esse.* Quia si materia rerum prima in centro rerũ omnium resideat, verum est omnia in omnibus esse, cùm materia illa habeat omnia, & verè omnia dici queat. Potentia ergò illa varia ac ferè infinita res omnes generandi, quæ in Entelechia est, ex materia illa prima dependet & originem habet, quæ quidem materia prima, uti declaravimus superioribus in capitulis, in Entelechia sedem habet præcipuam, tanquam eius basis, & fundamentum, se habet enim materia prima, respectu Entelechiæ, tanquam eius corpus, & moles indigesta, Entelechia verò est materiæ primæ virtus, & efficacia, digestaque moles illius. Et ita distinguenda sunt materia prima, & Entelechia rerum. In his duobus est potentia & aptitudo generandi res omnes, inest tamen Entelechiæ dependenter à materia prima. Inest verò materiæ primæ originaliter, & fundamentaliter, in qua Deus posuit sua virtute infinita in principio creationis, variam illam potentiam seu aptitudinem generandi ac producendi res omnes, & cùm ex quolibet fieri possit variis alterationibus ac mutationibus quodlibet, id provenit, & dependet quod in quolibet sit materia ista prima quæ quodlibet producere potest.

Qua ratione omnia in omnibus possint esse.

Ex quolibet potest fieri quodlibet ratione materia prima.

Nec audiendi sunt nonnulli Chymicorum, qui hanc diversam & variam aptitudinem producendi res omnes, ex firmamento dependere affirmant, cùm in eo infinitæ sint constellationes ac stellæ variæ & distinctæ, quæ singulæ peculiare habent semen & proprium aptum generare aliquid illi simile, quod semen ex firmamento descendens, & elementis permixtum disponit & actuat materiam elementorum ad generationem & productionem variorum individuorum, cùm varium ac diversum sit semen illud ex firmamento descendens tanquam ex diversis constellationibus veluti fontibus effluens, quod cùm habeat calorem illum vitalem & cœlestem illi ingenitum & naturalem, citò disponit, & actuat materiam suam ad particularem generationem aliquam, quæ suo semini respondet, Hæc Philosophia non destruit ullo pacto, ea quæ superiùs asseruimus de prima materia, illa enim infinita virtus quæ in firmamento reperitur, variis in suis constellationibus, nisi ex materia prima nostra effluxisset in firmamentum & constellationes omnes quæ in eo sunt, non in eo reperiretur. Ut ex sequenti exemplo clarum admodum fieri potest: verum est omnia animalia & vegetabilia cuncta qualiacumque sint, unum quod illorum habere in se semen proli-

Aptitudo res omnes generandi non ex firmamento.

Infinita ferè virtus qua in firmamẽto est ex materia prima dependes.

lificum, & productivum sui ipsius, illudque qualecumque sit habere materiam primam individuatam in se, ut subsistat & permaneat; absque enim materia prima nihil existere potest, basis enim & fundamentum est rerum omnium naturalium. Itaque si semina rerum infernarum omnia habeant secum primam illam materiam, non inficiẽdum est quin & semina superiora, habeant eandem materiam primam ad eorum subsistentiam: Superius enim est idem, quod & inferius, & inferius idem est quod & superius ex Trismegisti sententia.

Materia cœlestis & inferior est eiusdem essentia.

Itaque quamvis diversa & distincta sint rerum semina tum superiora cum inferiora, non inde arguendum est, fontem & aptitudinem generandi res omnes dependere ex diversis rerum seminibus, quæ in natura reperiuntur, sed ex sola & unica materia prima, quæ sola verè & realiter semina illa diversa & omnia constituit, tanquam fundamentale rerum omnium principium: semina enim rerum omnium, in materia prima erant confusa & indistincta, Deus virtute & potentia verbi *fiat* distinxit & separavit, & sic individuata est materia prima & induta elementorum corporibus visibilibus, quæ solent corrumpi & alterari secundùm qualitates externas quas oculis exhibent nostris, non secundùm qualitates internas quæ invisibiles sunt & corruptibiles & eatenus non differunt à principiis naturæ, necà natura ipsa, cùm ea omnia in centro suo, & intimis eorum thalamis corrumpi non possint. Concludamus ergò potentiam illam seu aptitudinem realem & quidditativam res omnes generandi, quæ in Entelechia reperitur, ab ipsa sola materia rerum prima procedere ac derivari, nec ex aliis posse scaturiri fontib⁹, nihil est in tota natura quæ illam habeat energiam solâ primâ materiâ excepta.

Semina omnia in materia prima confusa & indistincta.

Elementa qua ratione incorruptibilia.

Qua ratione distinguatur Entelechia, ab ipsa rerum forma & anima, & quid forma & anima sit.

CAP. XXVII.

MUlti sunt antiquorum & Neotericorum Philosophorum, qui Entelechiam & ipsam rerum formam & animam confundunt, & unam eandemq; rem in natura constituunt; est tamen aliquid distinctionis inter Entelechiam & formam rerum, nam per Entelechiam nos intelligimus, uti superiùs explicavimus, materiam & essentiam ipsam spiritus cœli & elementorum, per formam autem, actum & vim ipsam agentem illius spiritus, quem Entelechiã dicimus; ita ut forma sit actus ipsius Entelechiæ, & Entelechia sit corpus & substantia ipsa, in qua residet, & ex quâ educitur vi propria & innata sua, forma, & anima: Quæ quidem duo, forma & anima nõ etiam inter se differũt nisi se-

Forma & Entelechia rerum ut distinguentur.

Forma & anima qua ratione differant.

cundùm gradus perfectionis: nam si nimio elementorum pondere, suprà cœli spiritus pondus Entelechia gravetur, adeo ut elementa prævaleant ipsi cœlorum spiritui: tunc actus primus, qui hinc educitur, ut actuet materiam ipsam, dicitur forma, qui solùm informat & actuat rem ipsam, nulla alia insigni apparente virtute & energiâ; Quòd si verò cœli spiritus prævaleat elementorũ spiritui, aliquo tantum, gradu, in compositione Entelechiæ tunc act⁹ primus, qui hinc educitur, dicitur anima vegetans, quòd non solùm actuet simpliciter & informet materiã hanc, sed etiam animet vegetabiliter, adeo ut in ipso actu primo illius materiæ & corporis, appareat virtus vegetabilis, suprà actum simplicem, & informationem: Quòd si adhuc majori gradu & excellentiori vigeat spiritus ille cœlestis luminis in Entelechia, tunc actus primus, qui hinc educitur, dicitur anima sentiens, quia spiritus ille lucis, quo maiori inest gradu Entelechiæ, eo majores & illustriores educit actus ex ipsa Entelechia, adeò ut non differant genere, nisi secundùm magis & minus, omnes actus qui hinc educuntur.

Anima vegetans quid dicatur.

Anima sentiens quid dicatur.

Hinc clarum est, & manifestum, quâ ratione formæ omnes materiales inter se distinguantur, & Undenam sumant differentiã generalem & particularem, & Undenam sumant originem, & quâ mirabili magis ex centro materiæ educantur, & in idem ipsum cẽtrum redeant dum interire dicuntur: Forma enim simplex cuiuscumque rei, quæ simplex habet esse in natura, ut est forma Lapidum omnium, mineralium & metallorum, nihil aliud est quàm actus Entelechiæ, in qua viget spiritus elementorum inferiorum suprà spiritum elementorum superiorum, unde propter crassitiem, & spissitudinem ipsius Entelechiæ, actus ipse crassus est, & lentus adeò ut non edat actiones, nisi simplicis esse, attamen habet in se spiritus elementorum superiorum & inferiorum, æquè ac reliqua cuncta, quæ maiores & illustriores promunt ex se virtutes, ut sunt vegetabilia & animalia cuncta, quæ etiam inter se differunt sequenti ratione.

Forma Lapidum & metallorũ quid sit.

Forma vegetantiũ omnium in genere, quòd vegetandi, germinandi, crescendi & similes habeat in se virtutes & proprietates, nihil aliud est, quàm actus Entelechiæ, in qua viget spiritus primo excellentiæ gradu superiorum elementorum suprà spiritum inferiorum elementorum, unde Entelechia ipsa propter gradum illum excellentiorem spiritus luminis, qui ex superioribus elementis est, tenuior est & subtilior, & ideò subtiliores & tenuiores educit, & promit ex se actus, qui sunt vegetandi, crescendi, & germinandi, & similes proprietates & energias, suprà actus simplicis esse.

Forma vegetantium è quibus fit.

Forma verò animantium, quæ ulti-

...rma ve-animan-...em ex ...ibus fit.

ultimum gradum habet, nihil aliud etiam est, quàm actus Entelechiæ, in qua viget spiritus secundo excellentiæ gradu, superiorum elementorum suprà spiritum inferiorum elementorum, adeò ut actus ille, sit excellentior & subtilior, propter excellentiorem & subtiliorem Entelechiam, ex qua educitur, unde sentiendi, gustandi, videndi, olfaciendi, audiendi facultates & proprietates habet. Quæ facultates non possunt educi, nisi spiritus lucis, qui est totius cœli compendium, sit copiosus & turgens in Entelechia, cuius vi & facultate actus omnes, qui in hoc sublunari globo, ex materia prima educuntur, subsistunt & differunt inter se secundùm gradus excellentiæ & subtilitatis, quos habet spiritus ille lucis in Entelechia inclusus, ex quibus solis distinguitur forma animantium, quæ dicitur eorum anima, ab anima vegetantium, & anima vegetantium à forma mineralium omnium. His ita positis concluditur rerum omnium formam & animam ab Entelechia distingui realiter, tanquam causam ab effectu: promit enim Entelechia actus illos, qui formæ dicuntur & animæ, non in se ipsa, sed extrà se, & in subjecto seu individuo, ad hoc apto & idoneo.

...acultates ...nimales fi-...nt ex copia ...tis.

Quid vita sit, & an distinguatur ab Entelechia & calido innato rerum.

CAP. XXVIII.

Vita cùm sit ex Aristotele ipso, radicatio caloris cœlestis & luminis in humido elementorum sublunarium, non potest ullo pacto distingui ab Entelechia & calido innato rerum; Sunt enim hæc vocabula synonyma, & eiusdem significationis, Entelechia siquidem cùm sit vis & energia totius naturæ, & sua substantia sit calidum illud cœleste & lucis spiritus, cum subtili elementorum sublunariũ simul sumpta & unita, & calidum illud innatum pariter, quo vivimus omnes, nihil aliud est, quàm radicatio seu unio spiritus illius cœlestis luminis cum subtilioribus elementorũ sublunarium partibus, non inde ambigere possumus hæc posse distingui, sed unum & idem esse, quod diversis nominibus effertur, sunt enim infinita ferè nomina ad hanc unionem spiritus cœlestis cum spiritu elemẽtorum efferendam, Magi siquidem & Astronomi dicunt & appellant hanc substantiam, Solem invisibilem. Physici verò & Medici primam materiam, Chymici autem infinitis ferè nominibus eam insigniunt, secundùm varias & ferè infinitas eius proprietates & energias: Imprimis,

Vita quid sit ex Aristotele.

Vita calidũ innatum & Entelechia non differũt.

Varia nomina vitalis substãtia.

ſequentibus eam exornant titulis, & dicunt eam ſubſtantiam radicem mineralium ſimplicem, Aurea Heſperidum mala. Palladis Palatium, internum elemẽtum, vitale ſulphur, humidum radicale totius naturæ, humidum primigenium, totius naturæ theſaurum, ſubſtantiam facultatum & virtutum innatam mumiam, δύναμιν ſpiritum totius formæ cuſtodem & propugnatorem, viridantem ſulphuris auram, ſolem & cœlum Microcoſmi, totius cœli & elementorum compendium, Irrogationem roridam Microcoſmi, ignem naturæ vivum, ignem ſapientiæ, mediam naturam, Leonem viridem, Arcanam vim numinis, lucis optimam virtutem, vim lucidam ſulphuris, vim cœli occluſam, inſignia vivæ formæ, florem naturæ, inacceſſæ virtutis ignem, nobile totius naturæ germen, fontem juventutis Cœli & elementorum centrum, ſphæra virtutum & facultatũ, multisq; aliis nominibus eam efferunt, ut variam ac ferè infinitam eius ſubſtantiæ proprietatem demonſtrent, ac indicent veris & legitimis naturę alumnis, qui veram ac ſinceram volunt profiteri Philoſophiam.

Vita cur dicitur calidũ innatum & Entelechia, & alii. nominibus inſigniatur.

Itaque concludimus, vitam rerum omnium calidum innatum & Entelechiam rem eandem eſſe in eſſentia & ſubſtantia vario ſolùm efferri nomine, ut proprietates eius eſſentiæ diverſas & diſtinctas, connotent; dicitur enim vita, quòd vitales ex ea exeant & egrediantur functiones; & facultates: dicitur calidum innatum, quòd calor nativus & primigenius in ea vigeat ſubſtantia, & in ea radicetur: dicitur Entelechia, quòd principium motus totius naturæ ab ea ſubſtantia habeat exordium: dicitur ſphæra virtutum & facultatum, quòd virtutes & facultates omnes in ea ſubſtantia reperiantur: dicitur cœli & elementorum centrum, quòd cœli & elementa omnia ſpiritualiter in ea terminentur: dicitur fomes juventutis, quòd ea ſubſtantia, juventus in florida vigere poſſit ætate, & nunquam ſeneſcere, & ſic de cæteris eius ſubſtantiæ nominibus, quæ illi à Philoſophis data ſunt, ut eius virtutem variam ac diſtinctam connotent.

Vndenam, & quâ ratione formæ rerum omnium oriantur & quò eant dum pereunt.

CAP. XXIX.

Calor nativus & cœleſtis qua ratione diſponat materiã primam ad generationes

DIximus ſuperioribus in capitulis calorem nativum ſeu cœleſtem illam lucem, quam Deus in primam materiam rerum radicaliter & ſubſtantialiter, implantavit, agere perpetuò in materiam primam, & ſua actione eam diſponere, ad quaſcumque rerum formas ſecundùm eius materiæ diſpoſitiones, & nunc hanc, nunc illam educere ex illius

illius centro formam: Nunc verò restat dicendum quo peculiari modo id fiet beneficio huius dispositionis: Quando calor ille naturalis & cœlestis, qui in centro materiæ residet, semina rerum omnium confusa & indistincta, sua tandé actione distinxit, & ad rem peculiarem destinavit, tunc temporis ex materia illa particulari, unà cum forma peculiari educuntur spiritus quidam particulares qui unà cum forma rei & materia semen aliquod constituunt in ipso individui centro, quod semen quamdiu viget, potentiam & facultatem conservat similem ex se ipso educere formam, & sic se in natura ipsa, & rerum serie, & ordine multiplicare solet, & multiplicem producere sobolem eiusdem speciei, donec tandem senescant illi spiritus, qui sunt soboles illius particularis & individuæ formæ, tunc temporis calor ille cœlestis qui nunqam materiam deserit, sed semper assiduus comes est, materiam aliter disponit, & sua peculiari actione, indefinitam illam materiæ potentiam determinat, & peculiarem aliam educit formam, unà cum suis propriis spiritibus, qui eiusdem sunt naturæ, sed tantùm volatilis sunt, & volubilis essentiæ, forma verò est substantiæ fixæ, & subtilioris eiusdem materiæ, cùm verò introducta est forma illa particularis unà cum suis spiritibus, qui ad eam conservandam & tuendam sunt necessarii, tamdiu durat & persistit illa forma, & individuum illud quamdiu vigent illi spiritus, qui cùm sint caloris & luminis illius cœlestis participes, attrahunt ex aëre vim illam lucis cœlestis, ad nutrimentum & ad sui conservationem: attrahit autem unumquodq; individuum illã vim cœlestis luminis visibiliter, vel invisibiliter. Animalia attrahũt visibiliter, vegetabilia verò & mineralia, invisibili modo sic omnia visibiliter & invisibiliter nutriuntur ab spiritu illo lucis: Quòd si nutriuntur, ut manifestum est, illo spiritu, eodem etiam fieri necesse est.

Spiritus in individuo, ad quid prosint.

Formæ & spiritus qua ratione differant.

Mixta omnia cur lucẽ attrahant.

Fiant ergò cuncta illo spiritu luminis cœlestis, qui materiam rerum omnium primam sua perenni actione determinat ad aliquam peculiarem formam, & sic actuat, & informat & conservat eam illam, quam eduxit ex materia formam, spiritu luminis ejusdem speciei, qui per totum aëris spatium, reperitur diffusus, ex influxu perenni Planetarum & stellarum. Quòd si tandem alteretur mixtum, & corrumpatur, deficientibus propriis & innatis eius formæ spiritibus, qui successu temporis senescunt, & debiles fiunt, adeò ut alimentum illud externum quod ex luce est, nequeant concoquere & digerere, & in sui alimentum convertere tunc temporis calor ille naturalis & insitus, qui nunquam materiam deserit, & variam ac multiplicem expostulat generationem, aliter disponit materiam, & aliter dispo-

Omnia fiũt ex spiritu lucis & nutriuntur.

Quomodo oriantur forma & quo tunc dum perire dicuntur.

nendo

nendo novam aliam, & à prima seu præcedente distinctam educit formam, & hac apparente & vigente occultatur alia, & recedit in potentia materiæ; non enim propriè pereunt, hoc est, annihilantur formæ, sed occultantur & recedunt in potentia materiæ: quod Hippocrates his verbis expressit libro primo de Diæta: nihil fit, quod prius non erit, neque quicquam perit, sed permixta alterantur, homines verò arbitrantur hoc, ex orco in lucem actum generari, illud vero ex luce in orcum imminutum perire ac corrumpi, Animalia sunt, tam illa, quàm hac, nec ullum animal mori potest, nisi universa pariter corruant, undè enim motiantur, neque quod non est, generatur, cùm non sit, undè generatur, hactenùs divinus ille senex, qui ut Orthodoxè interpretetur ea, quæ diximus superiùs, præsenti in capite pernotanda sunt: materia siquidem prima manet incorruptibilis, unà cum spiritu illo luminis cœlestis, qui eam impregnat, & actuat perpetuò, aliquâ peculiari formâ, cum potentia & aptitudine aliam educendi, Sic verè nihil fit, quin subsistentiam habeat primò in materia illa prima, & spiritu illo lucis, neque quicquam perit, cùm semper materia illa prima superstes sit, & spiritus ille lucis, in quibus occultantur omnia, quæ vulgi opinione mori ac perire dicuntur, & ex quibus fiunt & generantur omnia, quæ nobis de novo in lucem apparere videntur, quæ tamen omnia occulta erant, & sepulta in potentia & aptitudine materiæ primæ, & spiritus lucis, qui materiæ incorruptibiliter adhæret, & incubat.

Quomodo interpretanda est Hypocrates de generatione & productione rerum ut sit Orthodoxus

Concludamus ergò formas omnes materiales educi, & oriri ex ipsa materia, & in eadem ipsa occultari actione spiritus lucis cœlestis essentiæ, qui materiæ semper & perpetuò inest, tanquam illi essentialis, & eiusdem essentiæ, ut capite sequenti disputabimus, & notum & manifestum certò certius habeamus generationis, & corruptionis principium.

Concluditur formas omnes ex materia educi actione spiritus lucis & ab eodem in eadē occultari materia.

An spiritus ille cælestis, qui materia prima semper incubat, sit eiusdem cum materia prima essentia.

CAP. XXX.

QUamvis ex ipsa rerum notitia videatur & appateat, spiritum illum cœlestem, luce vitali turgidum, differentem esse, & quid realiter distinctum ab ipsa rerum materia prima, quæ solidum quid & crassum sonare videtur, spiritus autem quid materiæ & solidæ substantiæ expers; nihilominus in rei veritate, si creationem rerum omnium primam expectemus, à Deo factam ex nihili fonte, videbimus, & percipiemus materiam primam, ex nihili fonte

Materia prima non distinguitur ab spiritu lucis qui materia inest.

fonte creatam, esse quid simplex, & quid homogeneum, & nihil in ea esse, quod sit ab ipsa distinctum, sed penitus unum & idem, crassum & subtile, quæ in illa erant, non erant distincta & separata, sed omninò confusa, & benè permixta: adeò ut nulla esset pars, in qua non esset subtile & crassum simul permixtum & unitum: Divina tantum virtute tandem distincta sunt & separata; hinc ex illa separatione exsurgit cœlum septem in circulos, & elementa sublunaria, non tamen hinc differentem habuerunt materiam cœli & elementa, sed tantùm quod in ea subtilius fuit & lucidius, per divinam separationem evolavit in cœlos, quod autem erat crassius & ponderosius, facessit in elementa. Hinc facile est arguendũ, Spiritum illum lucis seu vitam rerum omnium, quã Deus in materiam illam primam infuderat, non esse quid distinctum & differens realiter ab ipsa materia, sed unà cum materia, unum & idem esse. Ut etiam in præsentiarum videre est in corporibus homogeneis, veluti in auro, argento, lapidibus prætiosis, in quibus singulis, spiritus ille lucis, quamvis sit determinatus ad hoc peculiare subjectum, non est quid distinctum ab ipsis corporibus, sed unum & idem cum ipsis, alioquin non essent corpora homogenea, & omni ex parte similia. Sic omni pari modo, materia prima, quæ perpetuum habet spiritum lucis & vitæ, non distinguitur ab ipsa materia, sed omninò sunt unum & idem: distinguuntur tamen ratione ratiocinata, quòd nobis videatur materiam esse quasi corpus, spiritum verò esse, quasi formam illius corporis, at verè ut res se habet, spiritus ille est verè materialis, nec ullo pacto potest à materia separari, etsi consideretur ut forma, quia forma ipsa ut educitur ex centro materiæ, est materialis, nec distinguitur ab ipsa materia, sed unum & idem sunt substantialiter, cùm utrumque sit vitę principium actionum omnium fons, quorum beneficio elementa repugnantia concordi mixtionis lege ligantur, & surgunt in mixta, & individua naturalia; hisque consumptis ac corruptis, remanet tamen adhuc illa materia, & spiritus ille lucis illæsus, & incorrupt⁹, quod fieri non posset, si essent ambo quid varium ac distinctum, agerent enim inter se invicem donec unum vinceret aliud, & remaneret unum simplex & incorruptibile.

Cœlum & elementa qua ratione differant.

Spiritus lucis & materia prima rerum qua ratione distinguantur.

Spiritus lucis etsi consideretur ut forma in materia, non inde distinguitur à materia prima.

Concludamus ergò spiritum illũ vitæ, cœlestis essentiæ, qui materiæ primæ semper incubat, nõ esse quid realiter distinctum ab ipsa materia prima, sed unum & idem esse, & esse partem materiæ primæ subtiliorem, & tenuiorem.

Quid valeant elementa individuorum generationi facienda.

CAP. XXXI.

Diximus capite vigesimo quinto hujus operis, quâ ratione elemen-

mentorum omnium fiat mixtio, in Entelechia & semine universali rerum omnium, ut inde exsurgant individua, & corpora rerum. Iam verò perquirendum est, & demonstrandum omnibus Chymiæ artis alumnis, quid valeant elementa ad generationem rerum omnium extrà ea elementa, quæ sunt in compositione Entelechiæ, & seminis universalis. Purum enim elementorum omnium, & cœli fecerunt semen illud universale, quod nos Entelechiam dicimus, quæ est fundamentum, & basis generationum omnium. Quod verò superest ex puro illo elementorum, quod Entelechiam constituit, non adhuc diximus ad quid valeat, & prosit generationi faciendæ; semen enim quod est ex illis elementis, est quidem basis, & fundamentum generationis, sed eget alimento & nutritione, ut crescat in corpus, & individuum, quod inde generatur, non enim ex se ipso crescere potest & nutriri, sed ex simili. Restat ergò ut elementa, quæ supersunt ex compositione Entelechiæ & seminis universalis, sint necessaria nutritioni & accretioni mixtorũ & corporum omnium, quæ ex semine generali producũtur. Unumquodq; enim suo simili nutritur & accrescit. Quòd si elementa & cœlum fecerint semen illud universale, ex quo fiunt omnia: necesse est ut ex hisdem elementis, & cœlo eodem nutriatur & accrescat semen illud, cùm ex hisdẽ factum sit, & procreatum. Id ipsum quotidiana comprobatur experientiâ in animantibus omnibus, quę semine procreantur. Semẽ illud fit ex eorum sanguine, & eorumdem spiritibus. Semen autẽ illud ipsum dũ fit animal & accrescit in corpꝰ simile, ex quo ortũ habuit, nutritur hisdem & similibus, ex quibus procreatum est, scilicet sanguine & spiritibus animalis, qui semen eiusdem animalis constituerunt.

Elemẽta quæ supersunt ex cõpositione seminis universalis sunt necessaria nutritioni.

Semen accrescit & nutritur ex quibus fit & generatur.

Id etiam in vegetantibus omnibꝰ cernere licet, quæ quidem omnia semen linquunt in quo multiplicantur. Semen autẽ illud vegetantium omnium factum est & procreatum ex subtili elementorum & spiritu luminis, simul permixta, & unita, in unum corpus subtile & aëreum quod semen dicimus, quod quidem, dum in terram cadit, tanquam in propriam suam matricẽ ibi putrescit & dissolvitur, & crescit in corpus simile, quod tale semẽ dedit, crescendo autem convocat elementa omnia, & spiritum illũ lucis, ex quibus omnibus factum antea fuit, ad sui nutritionem & augmentum, ita clarũ & fit manifestum omnia similibus nutriri & augmentari, cùm ergo semen universale, & Entelechia rerũ omnium, ad generationem & productionem egeat nutritione & alimento, ut crescat in moles varias ac distinctas corporum: necesse ut nutriatur hisdem & similibus, ex quibus facta est, & procreata, cùm autem facta sit Entelechia ex elementis & spiritu lucis: Ideò elementa, quæ supersunt

Semen vegetantium unde, & unde nutriatur.

Semen universale ex elementis & cœlo ex hisdem etiam nutritur.

&lux

& lux residua, necessaria sunt ad productionem rerum omnium, ut Entelechia nutriatur & crescat in moles corporum, quæ indè fiunt.

Obiectio elementa nutrire non posse.

Objicet aliquis ex doctrina mea, multis in locis eiusdem operis, & præcipuè in compendio secretorum spagyricorum, quod gallico idiomate nuperrimè in lucem prodiit, me asseruisse eleméta ex se nullas habere proprietates & qualitates agendi, si spiritu illo lucis priventur & denudentur. Itaque nullo pacto posse inservire nutritioni Entelechiæ, nec proinde generationibus & productionibus rerum inservire posse.

Respondetur qua ratione eleméta nutrire possint.

Respondeo, dùm hæc locutus sum, me intellexisse elementa simplicia & separata à se invicem, & ab ipso spiritu luminis. Tunc enim temporis rellolaceas, ut cum Paracelso loquor, habeat qualitates, hoc est inanes & vacuas, quod testatur Moses ipse Divinæ & sacræ Philosophiæ Interpres, Sacris ipsis lineis, dùm asserit antequàm lumen creatum fuisset, terram inanem esse & vacuam, hoc est nullius actionis & qualitatis: Ex terra autem intellecta sunt cætera elementa; Cùm autem creata fuerit lux, & elementis immissa, statim elementa viva fuerunt cum anteà mortua fuissent, vita solùm ex luce est, & actionis omnis & motus principium.

Elementa à luce viva facta sunt.

Vita Qua ratione differat ab spiritibus vitalibus & quid sint spiritus vitæ.

CAP. XXXII.

Vitam quam disputavimus superioribus in capitulis, non differre à calido innato rerum, & ab Entelechia, differre quidem ab spiritibus suis vitalibus, jam asserem⁹, etsi magna cum difficultate id palam facere fieri possit, cùm quid sint spiritus vitales, arduum sit explicare, calidum enim innatum seu substantia illa vitalis emittit ex se ipsa vapores subtiles, & halitus, qui spiritus vitales dici possunt, cùm vitæ seu calidi innati facultatibus inserviant, nihil ergo sunt spiritus vitales, quàm substantia tenuis & subtilis admodum, quæ perpetuò effluit & emanat ex calido illo innato, seu substantia vitali, ad usus & facultates vitales inserviendas. Sunt autem facultates vitales & potentiæ, nutritio, & accretio potissimùm, & sensus omnes in brutis, quæ facultates fieri non possunt absque tenui illa, & ætherea calidi innati substantia: quæ ab illo perpetuò effluit, tanquam ex perenni fonte: Est enim spiritus vitalis vita quasi effluens, ut radius Solis, est quasi Sol effluens, lux enim, quæ emanat & effluit ex Sole, & aliis micantibus astris, est sol, & quid substantiale, ex sole & astris effluens, à sole & astris distinctum; Sol

Difficile est explicatu quid sint spiritus vitæ.

Spiritus vitæ quid sint.

Lux solis & radii solis qua ratione distinguantur. In sole & astris principia naturæ fixa sunt.

enim & astra, fixæ & permanentes sunt substantiæ, lux autem quæ ex his effluit, est substantia infixa & volatilis, eiusdem tamen est essentiæ: distinguuntur tamē & differunt ratione fixitatis & permanentiæ, ut Chymicè loquar, quia in Sole & astris omnibus principia naturæ, de quibus anteà disseruimus, fixa sunt & permanentia: Sulphur enim naturæ, quod est primum naturæ principium, adeò fixè & tenaciter congelavit mercurium suum suo sale intrinseco, ut indè corp⁹ fixissimum exsurrexerit, naturam & essentiam ex se ipso diffluens ejusdem essentiæ: Non enim implicat, & contrarium est naturæ, dari in natura substantias permanentes & fixas, perpetuò ex se ipsis quid sibi simile effluentes absque sui ipsius diminutione, ut sunt astra omnia, quæ perpetuò influunt in inferiora: Quod autem influunt, est quid substantiale & simile sibi ipsis, distinctum tamen ratione fixitatis, & permanentiæ, ut dictum est: Idque se habet, ut spiritus vitales, è fonte vitę emanātes; Quòd si hi sint quid substantiale, ut substātiam ipsam nutrire & conservare possint, nullo pacto ambigendum est, quin radii solares, & influxus cœlestes omnes, sint etiam quid substantiale, cùm ad substantias verè reales inferiores nutriendas, fovendas & conservandas, è cœlo deducantur in terras, non secus ac vitales spiritus, è fonte vitæ deducuntur in partes, ad eorum nutritionem & conservationem.

Quod influant astra est quid substātiale radii & influxus cœlesti, & se habent ut spiritus vitales.

Quòd si etiam calidi innati nostri, seu vitæ nostræ essentiam notā habeamus ex disquisitione partium, quæ vitam componunt nostram, ut purà ex radicatione, & implantatione lucis cum pura elementorū substantia: Sic etiam ex eadem inquisitione perquiremus substantiam solis, qui cùm sit totius vitæ fons, & scaturigo, dicemus in eo esse (tanquam partes componentes eum) Lucem & elementorum purissimas partes simul unitas, & coadunatas in solem. Eiusq; radios dicemus esse spiritus eius, hoc est lucis & elementorum suorum partes subtiliores, ex eo perpetuò effluentes.

Solis compositio undè inquiratur.

Hinc concludimus vitam esse, (in quibuscumque mundi partibus reperiatur) Lucem radicatam & fixam cum purissima elementorum sublunariū parte etiam fixa & coadunata in unum corpus, quod calidum dicimus innatum, quod antiqui dixerunt Sophi, Solem internum & invisibilem, quia compositio eiusdem corporis, est similis & eadem cum compositione Solis, undè non mirādum est, si vitæ essentiam perquirēdo, & eius spiritus, Solis essentiam & compositionem perquisiverim unà cum eius radiis, quæ spiritus vitalis essentiam repræsentant, sunt enim ambo lucis effluentis substantia & essentia.

Vita quid sit

Ex vitæ essentia colligitur solis essentia.

Quòd si quis adhuc Philosophorum in ambiguo sit, & capere nequeat hanc spirituum vitalium definitionē, claudat oculos suos quęso, & di-

Experientia ad probandū spiritus vitales esse lu-

cis creata ortionem,

& digito comprimat unum oculorum in superiori vel in inferiori eius parte & experiétia ipsa videbit in suo ipso oculo, spiritus vitales, qui oculum vivificant & facultatem visivã præstant, nihil aliud esse præter lucem, quam oculis clausis cernere licet in ipso oculo, modò comprimatur, quia compressione substantia illa spirituum magis condensatur, ergò eius lumen fit fortius & lucidius in condensata substantia, quàm in rarefacta. hinc elucet & apparet in humore cristallino ipsius oculi; Itaque si oculis apertis illam lucem videre nequeant, oculis clausis eam fateri cogentur.

An vita, Quæ reperitur in rebus inferioribus, sit ab astris & Cœlo.

CAP. XXXIII.

An vita sit ab astris.

MAxima & occulta admodùm est hæc quæstio, An vita descẽdat ab astris, Passim enim omnes Philosophi & Medici, qui de vita tractarunt, asserunt vitam esse calorem cœlestem sive lucem cœlestem, nõ enim distinguunt in vita constituenda, calorem & lucem cœlestem, sed asserunt unum & idem esse. Nos etiam ex doctrina eorum idem & simile docuimus, & demonstravimus cum calidum innatum, vitam & Entelechiam rerum, quæ unum & idẽ sunt, asseruimus nihil aliud esse, quam spiritum luminis cœlestis cõjunctum & unitum vera unione, cum purissimis elementorum inferiorum partibus: hinc colligere possent aliqui, vitam hanc ex astris descendere, & verè esse cœlestis originis, cum lucis principium & fons perennis sit cœlum & astra.

Cœlum & astra non sunt principium lucis.

At si rem penitiùs contemplemur, & creationem mundi & lucis investigemus, ex sacris lineis, videbimus cœlum & astra non esse principium lucis, cùm lux ex sacris literis creata fuerit seorsim & separata à cœlo & firmamento, undè colligere possumus lucem fuisse principium cœli & firmamenti, Solis & astrorum, cùm verè cœlum, firmamentum, Sol & astra omnia facta sint ex luce, undè si jam producant lucem, non hinc est arguendum, fontes esse lucis, at ex luce facta fuisse: Nõ ergò cœlum & astra principia sunt & fontes lucis, sed è contra lux est fons, & scaturigo cœli & astrorum omnium, cum verè ex luce prodierint. Si ergò lux non sit ex cœlo ex origine, sed ex Deo solo, qui eam virtute sua infinita & bonitate creavit, vita omnis, quæ lux est, non ex astris est, & firmamento, sed ex solo Deo, qui solus vera vita est, & totius vitæ fons, & scaturigo.

Lux est origo & fons cœli & astrorum.

Lux est vitæ principium, & lucis principium est Deus.

Quo modo jam ergò interpretandi sunt Philosophi antiqui & Medici, qui vitam asserunt calorem esse cœlestem, seu lucem cœlestis originis, & essentiæ: dicendum eos intellexisse, inferiorem hanc vitam lucem cœlestem imitari substantiam & essentiam, cùm sint ambo eiusdẽ essentiæ, lux enim cœlestis & vita,

quæ in inferioribus rebus reperitur, ex uno & eodem lucis fonte, promanarunt, ut colligere est ex creationis exordio, Deus enim cùm primò creasset cœlum & terram, terra erat inanis & vacua; nullis vitæ spiritibus turgida, & cœlum tenebris erat involutum, cum autem creata fuerit lux, statim & terra vitæ plena fuit, & cœlum tenebris privatum, undè & lucem cœlestem & vitam terræ, ejusdem esse originis & essentiæ, colligere est facillimum, cum statim à Lucis creatione & cœlum ornatum fuerit luce, & terra vitæ fontibus irrorata fuerit.

Lux cœlestis & vita terrestris sunt ejusdem originis.

Scimus etiam ex antiquorum Philosophiâ, materiam primam rerum omnium, quæ cœli & elementorum omnium inferiorum fuit exordium, spiritu lucis fuisse exornatam, imò ita intricatam cum spiritu illo luminis, ut nullo pacto distinguatur ab ipso lumine, sed tota materia sit lumen, & lumen tota materia, ut videre est capite 30. huius libri. Itaque cùm prima materia rerum omnium sit lumen, & lumen sit ipsa prima materia, dicere non possumus vitam rerum infernarum, quæ species lucis est, ex astris esse & firmamento. Sed ex vera prima luce originem ducere, quæ verè prima rerum materia fuit, quod ex sacris ipsis paginis interpretari licet in confirmationē hujus antiquæ Philosophiæ, quia primo die cœlum, terra, & lux creata sunt: quæ quidem omnia primæ materiæ veram imaginem repræsentant, cum in materia illa prima antiquorum, omnia confusa & indistincta erant, cœlum & elementa omnia, & lux, putà. Sic ergò per cœlum, terram, abyssum, aquas & lucem, quæ primo die creata sunt à Deo, verè materiam primam rerum omnium intellexerūt antiqui, cùm in ea ipsa materia prima, hæc omnia indistinctè confusa sint, ut in primo ipso die creationis hæc omnia indistincta esse videatur, cùm adhuc per lucem non fuerint distincta & separata, ut secundo die factum est, cum separatæ fuerint tenebræ abyssi ab ipsa luce, & lux ipsa omnia distinxit & separavit, quæ in instanti creationis erant confusa, & indistincta.

Materia prima est lux & lux est materia prima.

Per cœlum, terram, abyssum aquas & luce intelligitur materia prima.

Concludamus ergò ex his omnibus vitam quæ in inferioribus rebus reperitur non ex astris esse, & cœlo, sed esse solùm ex se ipsa, cùm fuerit prima rerum omnium creata materia, ex Divina potentia, cui soli habet & debet exordium. Extrà verò Deum, nullum aliud habet primordium, sed est naturæ sponte proveniens, non extrinsecus accedit materiæ, non è cœlo deducitur, non ex elementorum commixtione nascitur, non à stellarum momentaneo positu, in inferiorem naturam derivatur, sed in ipso materiæ centro & circumferentia perlucet & quiescit, & sponte nascitur ex se ipsa cum vix distinguatur à luce, cuius actus est, & opus. Nec hanc conclusionē perturbat quod diximus, & plures alii Phi-

Cōcluditur vitam esse ex se ipsa & à solo Deo originem habere.

Philosophi, vitam hanc inferiorem foveri & nutriri cœlesti luce, non enim fovetur & nutritur cœlesti luce, tanquam ex ejus fonte, sed tanquam ex suo simili, sunt enim eiusdem essentiæ & eiusdem originis, alioquin alimentum ex cœlesti luce sumere non posset, si esset diversæ substantiæ, nutrimur enim ex hisdē & similibus.

An substantia vitalis distinguatur à temperamento & Quid sit temperamentum.

CAP. XXXIV.

An substantia vitalis distinguatur à temperamento.

NUlla planè est difficultas, temperamentum distingui à substantia vitali, id enim ab elementis est, hæc verò à nullo alio est, quàm à se ipsa, cum enim vita sit, creata lux immixta elementis, nullo pacto ab elementis dependet, multò minus ab ipsis est, sed solum à Deo, creatore suo originem, & ortum habet, nihilominus si Galeno fidem adhibere velimus, temperamentum non distinguemus ab ipsa substantia vitali, quum ipse dixerit ac definierit temperamentum, animæ essentiam, quę quidem animæ essentia, nullo pacto distinguitur ab ipsa substantia vitali, cùm utraque sit lucis essentia, in brutis saltem vegetantibus & mineralibus, nam hîc de essentia animæ humanæ non est sermo: At ibi Galenus est allucinatus, pace tamen illius dixerim, non potest enim temperamentum esse animæ essentia, quòd temperamentum sit animæ

Tēperamentum non est anima essentia.

instrumentum ad functiones suas obeundas, ut ipsemet testatur, nam mutato temperamento mutantur & functiones, non tamen mutatur anima; non ergò temperamentum est anima, neque substantia vitalis, non enim multùm differunt, ut visum est superiùs, anima & substantia vitalis, sed est quid aliud à substantia vitali distinctum & separatum, & tantùm ab elementis est, cùm sit concors illa pax & Harmonia elementorū discordantium, quæ à luce illa creata ligantur in cōpositione & mixtione uniuscuiusq; corporis, cōsensus ille elementorum omniū, qui reperitur in unoquoq; mixtorum, dicitur temperamentum, undè substantia illa vitæ, seu lux illa creata, quę omnibus elemētis inest, ut mixtionem eorum faciat ad productionem mixtorū, dicitur facere & moliri temperamentum, dùm mixtionem eorum facit, dùm enim miscentur, temperantur, & se compatiuntur invicem, remanente aliquo eorū victore & Imperatore, à quo denominantur temperamentum calidū, frigidum, humidum & siccum secundùm elementum, quod prædominatur mixto.

Temperamentum est distinctum à substantia vitali.

Lux seu vita facit tēperamētū.

Sic clarum, est & manifestū quid sit temperamentum, & quid substātia vitæ & qua ratione inter se distinguantur, quod tamen apud antiquos, clarum admodum non fuit, cùm non distinxerint temperamentum à calido innato, & substātia vitali: cū enim in calido innato, cernerent

rent elementa simul unita & concreta simul ad pondus aliquod, cum luce illa divina & cœlesti, calidumque illud innatũ esse quid simplex, & homogeneũ, temperamentumq; exsurgere ex calido illo innato, nescierunt aliqui illorum distinguere, temperamentũ à calido innato rerum, cùm simul omnia confusa sint & indistincta in corpus unum: Harmonia tantùm elemẽtorũ, quæ sunt in calido illo innato rerum, quod est vera substantia vitalis, est temperamentũ. Substantia autem vitalis & calidum innatum, quod idem est, est totũ illud adunatum ex elementorum Harmonia & luce illa cœlesti, in qua potissimum consistit vita, nam elementa sola quamvis simul permiscerentur, si sola per se, absque luce illa permisceri possent, non constituerent vitalem substantiam, cum ejus substantia præcipua & principalis, lucis sit & luminis cœlestis, & divini, quod Deus creavit, & elementis immisit, ut ea permisceret, & componeret ad usum & commoditatem naturæ, undè cum illa lux misceat & componat elementa, miscendo & componendo facit uniuscujusque temperamentum, & est causa temperamenti, & sic verè & realiter distinguitur à temperamento, tanquam causa ab effectu.

Temperamentum & substantia vitalis quid propriè sint.

Sola elementa non possũt facere sine luce temperamentum.

Concludamus ergò temperamẽtum esse elementorum omniũ Harmoniam & consensum pacificum & concordans in calido innato rerum, seu substantiâ vitali, quæ quidem distinguitur realiter ab ipso tẽperamento, tanquam causa ab effectu. Est enim temperamentum modus pacificus unionis elementorum omnium, in substantia vitali, vitalis verò substantia, est lux ipsa creata à Deo & unita cum elementis, ad actiones omnes naturales educendas.

Cõcluditur quid sit tẽperamentũ & qua ratione distinguatur à substantia vitali.

An in temperamento constituendo pereant elementa & remaneant solum qualitates eorum.

CAP. XXXV.

HÆc quæstio solet agitari inter Philosophos Peripatheticos, & Medicos, eorumque opiniones partim elementa non remanere in mixtione sustinent, sed tantùm secundùm eorum qualitates, essentiã verò & formam elementorum non persistere. Quod quidẽ quantum habeat absurdi ex eorummet doctrina, & dogmatis jamjam ostendere in votis est.

An in temperamento constituendo pereant elementa.

Ajunt ipsi qualitates remanere non posse, & existere in rerum natura, destructâ & pereunte essentia & forma earum, cùm accidentis sapiant & redoleant naturam, quæ inesse & adhærere est. Si ergo tota natura & essentia qualitatum omnium est habere existentiam in formis. Qua ratione potest destrui & perire elementorum essentia & forma, remanentibus eorum qualitatibus, si qualitates ex dogmate horum Philosophorum, non possint existe-

Qualitates nõ possunt existere sine subiecto inhæsionis.

Objectiones adversum id quod diximus qualitates existere non posse sine subjecto inhæsionis.

existere sine essentia & forma elementorum, cùm proprium sit, & innatum qualitatibus elementorum, adhærere & inesse formis elementorum. Nec dicendum est, dum miscẽtur elementa & producitur mixtum, ex illa mixtione exsurgere formam peculiarem illius mixti, quę qualitates & proprietates elementorũ formis inhærentes induit, & sustentat, pereuntibus in mixtione elementorum formis.

Solutio.

Unde non est quod qualitates elemẽtorum existant sine forma, quia forma mixti suscitatur ex morte formarum elementorum, quæ sustentat illas qualitates, & perindè habent esse semper in forma mixti, quia pereuntibus elemẽtorum formis, & dùm transeunt qualitates elementorum ex formis eorum, in formam mixti, datur saltem instans, in quo verum est dicere jam qualitates elementorum sunt sine subjecto, quia instans mortis formam elementorum, non est instans generationis & productionis formæ mixti, alioquin duo contraria in uno & eodem instanti esse possent in uno & eodem subjecto. Ergo necesse est, si formæ elementorum pereant & maneant in mixto qualitates eorum, qualitates esse posse sine subjecto, quod est omninò absurdum ut clarum fecimus.

Alia objectio.

Nec etiam objectandum est si in mixtione remanerent formæ elementorum cũ eorum qualitatibus & forma mixti, quæ ex mixtione exsurgi debet mixtum, quod inde producitur, non esse quid simplex & homogeneum, nec posse dari & produci ex tali mixtione elementorum mixtum simplex & homogeneum, cùm formæ elementorum sint inter se contrariæ, & perindè simplicem mixtionem & homogeneam impediant,

Solutio.

quia formæ elementorum in mixtione uniuscujusque mixti sunt reconditæ in materia ipsa elementari: surgenti formæ mixti tanquam reginæ cuidam & imperatrici obediunt aliæ omnes formę & obsequuntur, undè non dicuntur agere, sed tantùm forma mixti agit & imperat, & ab actione & imperio ejus solius formæ, denominatur tota illa actio, cumque illa simpliciter effluat & emanet ex illa forma mixti, dicitur simplex actio, & totum compositum simplex, cùm formæ elementorum non prædominentur & suas non exerceant actiones nisi cõcomitanter cum forma mixti, & dependenter ab illa. Si verò agerent independenter ab ipsa forma mixti, tunc verè mixtum illud, non esset mixtũ, sed quid aggregatum ex pluribus & multis mixtis.

Vera mixtio quo modo fiat.

Sed aliter se habet mixtio verã, & compositio rerum naturalium: miscentur elementa invicem beneficio lucis & Entelechiæ mundi, quæ elementa miscet, & miscendo temperat, undè ex illa mixtione exsurgit temperamẽtum, quod in se habet formas omnes & qualitates elementorum, sed temperatas & refractas, & nos dicimus reconditas in materiis elemen-

 torum,

torum, ut obediant & obsequantur formæ mixti, quæ ex illo temperamento, & mixtione exsurgit ope & ministerio miscentis Entelechiæ, quæ ex sinu suo formas omnes educit, & in se ipsa easdem recōdit quas promit eas agere permittit, quas recondit in sinu suo, etsi actu sint non finit eas agere, & cum non agant manifestè, dicuntur à Peripatheticis non esse actu, sed tantùm potentia, quod tamen falsum esse dictat Philosophia nostra, cum nihil pereat & omnia sint in centro, & substantia sua radicali immortalia.

Nihil perit sed omnia sunt immortalia.

Concludamus ergò in temperamento constituendo formas elemētorum omnium non perire, sed remanere verè, & formaliter, at temperatæ, & refractæ, & reconditæ in centro elementorum, adeò ut non agant nisi per formam mixti, quæ sola in mixtione habet omnis actionis imperium & dominiū: Reliquæ formæ obsequuntur huic, & obediunt omninò, tanquam ejus mancipia; est enim in lucem educta vi Entelechiæ ex sinu suo, & elementorum ut regnet & imperet, reliqua omnia quæ in ejus sunt regno, debent illi obsequium purum putum, imò temperamentum ipsum non agit per se solum sine concursu formæ mixtionis, ut videbitur capite sequenti.

Concluditur formas elementorum non perire in mixtione sed refractas & reconditas remanere.

An temperamentum agat per se solum sine concursu formæ mixtionis.

CAPUT XXXVI.

PEripathetici omnes Philosophi asserunt temperamentum per se solùm agere, cùm dicant qualitates esse instrumenta agendi formarum substantialium, formasque substantiales non habere vim agendi, nisi beneficio qualitatum, cumque temperamentum ex eorum sententia, sit tantùm consensus & harmonia qualitatum, non elementorum, hinc concludunt temperamentum agere per se solum absque forma mixtionis.

An temperamentum agat per se sine forma mixti.

Nos verò aliter sentimus, & cum asseruimus superioribus in capitulis temperamentum, esse elementorum harmoniam, & non solitarium qualitatum, principiumque omnis actionis esse formam, hinc etiam asserere possumus, temperamentum non agere nisi beneficio formæ mixtionis, quæ temperamentum conservat, quòd liget & temperet elementa ad hoc temperamentum: Quod est ergò causa causę, est etiam causa causati, forma mixtionis est causa causę quòd sit causa temperamenti, quod est causa actionis, ergò erit etiam forma causa causati, scilicet actionis quæ est effectus temperamenti, at beneficio & virtute formæ mixtionis, quæ sola temperat & ligat elementa ad temperamentum con-

Forma mixti est principium actionis & non temperamentum.

constituendum: Pereunte & abeunte forma mixtionis, abit & perit unà cum forma temperamentum illud peculiare, quod forma induxerat in mixtionem.

Temperamentum non potest existere sine forma.

Temperamentum nō potest habere subsistentiam in mixto, sine præsentia formæ particularis illius mixti, quo pacto ergò possunt imaginari, qui contrarium sentiunt, tēperamentū habere posse vim agendi, absq; formâ, si non possit subsistere absq; præsentia formæ; subsistentia enim requiritur necessariò ad actionem. Temperamētum subsistere non posse, absq; præsentia formæ clarum admodum est & manifestū, cum in mixtione non pacem & concordiam ineant elementa, quæ miscentur, nisi exsurgat forma mixti, ea ergò exsurgente, pax conclamatur inter elementa, & concordia manet, donec abeat forma illa, quę concordi pace ligat elementa, ad hanc mixtionem: videtur enim mixtum regnum aliquod & imperium: rege regnante & imperatore imperante, omnia pacifica sunt & fiunt omnia regis imperio, eo verò mortuo, omnia tumultu ingenti, ac bello agitantur, sic in mixto, vigente seu regnante forma mixti, tunc pacata sunt omnia, & fiunt omnia imperio & jussu regnantis & vigentis formæ, ea verò pereunte, & mortua, undique bellum personat, & elementa, quæ antea pacata inter se erant & concordi pace vivebant: jam verò inter se præliantur, & de victoria

Mixtum est veluti regnum aliquod.

cogitant, ut iterum nova forma, tanquam rex novus exsurgat.

Concluditur temperamentum non agere nisi ex vi formæ mixtionis.

Itaque in ancipiti hujus quæstionis bivio non hæsitātes facilè concludimus, temperamentum non agere per se solum, sed tantum ex vi formæ mixtionis, cujus ope & ministerio habet subsistentiam, & perindè vim actionis, imò & forma mixti, cùm sit principium totius actionis, habet ex se sola alias actiones formales & substantiales, quas occultas dicunt Peripatherici, in quibus edendis non concurrit ullo pacto temperamentum, sed ex sola forma prodeunt, ut videre est sequenti capite.

An præter actiones, quas educit forma ex temperamento, sint aliæ, in quibus edendis non concurrat temperamentum.

CAPUT XXXVII.

An dentur actiones quæ ex sola forma dependent.

QVàm plurimæ sunt actiones, quæ nullo pacto educuntur vi formæ ex temperamento, at forma sola ex sinu suo, nullo temperamenti concursu promit, quales sunt omnes actiones, quæ occultæ dicuntur, cùm non ex manifestis elementorum qualitatibus exeant, sed ex sola substantiali formâ: virtus siquidem illa, quâ Magnes ferrum attrahit, & qua Succinum paleas, & qua virgo adolescentem, & qua aurum argentum

vivum ad se adducit, non est ex temperamento. Non enim hæc fiunt virtute caliditatis; nec siccitatis, nec humidi, nec frigidi ope, at vi formæ substantialis, quæ ex se sola educit illas actiones, vi & proprietate occulta, ut ajunt quidam Philopsohorum, quia nesciunt qua peculiari virtute, id agat forma, si autem scirent substantiam & essentiam formæ, scirent utique, qua virtute & proprietate, educeret forma ex sinu suo proprietates illas, quas alii dicunt occultas.

Actiones occulta sunt tantùm ex forma.

Est autem essentia & substantia formæ cujuscumque lucis creatę essentia, lux enim creata dum permiscetur puris elementorum partibus in Entelechia mundi constituenda, educit actus secundum magis & minus puros & illustres ex vigore sui ipsius, & prædominio elementorum inferiorum, qui actus formæ sunt, ut diximus capite superiori 27. ex quo loco tanquam ex solo veritatis fonte, colligendum est formas omnes qualescumq;, modò ex materiæ pœnu educantur, esse lucis creatæ sobolem. Cùm autem lux illa sit actionum omnium fons, non dubitandum est actiones illas, quæ non ex temperamento dependent, dependere ex luce illa creata, quæ formæ initium & exordium dedit: Undè si magnes ferrum trahat, & succinum paleas, & aurum argentum vivum, & virgo adolescentem, hoc fit ratione lucis creatæ, quæ individuata est in hisce corporibus, & similem habet essentiam, & ita similem, ut adunari & simul jungi ubique quæritet, undè ex appetitu unionis, fit illa attractio. Sic occultæ illæ formarum substantialium proprietates, manifestæ fiunt, quamvis ex temperamento non dependeant.

Magnes undè ferrum trahat & succinum paleas.

Ex his ergò actionibus formarum substantialium clarum est & appertum dari actiones præter eas ipsas, quas educit forma ex temperamento, & quas in lucem prodit in mixtione ratione primarum qualitatum, & beneficio secundarum. Ex quibus possumus nulla labyrinthea difficultate detenti concludere, dari in quibuscumque mixtis & individuis actiones formarum substantialium, in quibus edendis non concurrit ullo pacto temperamentum, at forma sola, ex sinu suo & penu educit, ac in lucem emittit, undè emicant omnes actiones, quas referunt nonnulli Peripatheticorum ad causas occultas, cùm nesciant earum actionũ fontes, & scaturigines, quas hoc capite manifestas & luce clariores, tanquam ex ea emanantes fecimus & proclamavimus.

Concluditur dari actiones quæ à sola forma dependent sine temperamenti concursu.

An facilitas & difficultas agendi dependeat à solo temperamento, vel an substantia forma tenuis & crassa concurrat.

CAPUT XXXVIII.

Facilitas & difficultas agendi; dependet ex tenuitate & crassitie mate-

An facilitas & diffi-

cultas agendi dependeat à temperamento.

materiæ cujuscumque formæ agentis, constat enim experientiâ ipsa, res omnes tenues, & subtiles, ad agendum agiles & promptas esse, è contra verò res omnes crassas & corpulentas, tardas esse & difficiles ad agendum: At dicet aliquis id ex temperamento est, nam temperamentum calidum materiam mixtionis attenuat, & subtilem reddit, undè si quid sit tenuitatis & subtilitatis in mixto, id secundario est in illo mixto, & ratione temperamenti calidi, quod tenuitatem & subtilitatem in mixtione induxit, simili etiam & pari ratione, de crassitie arguere possumus, nam temperamentum frigidum crassitiem inducit in mixtum, ergò & etiam tarditatem & difficultatem agendi: ergò facilitas & difficultas agendi ex temperamento dependet, cum temperamentum tenuitatem & crassitiem in mixtione introducat.

Id omne verissimum esse fateremur, si temperamentum crassitiem & tenuitatem in mixtis per se solum induceret. At nos aliter sentimus cùm superioribus in capitulis asseruimus temperamentum nullo pacto agere, nisi ex vi formę mixti, quę temperamentum fecit, ligando, miscendo, & temperando elementa. Si ergò forma mixti temperamentum fecerit, & ligaverit, & miscuerit elementa, ea etiam est, quæ tenuitatem, subtilitatem & crassitiem in mixtione introduxerit, ergò etiam ea erit, quæ facilitatem & difficultatem agendi in mixtione pariet. Nec adhuc in rei veritate temperamentum calidum vel frigidum tenuitatem, vel crassitiem in mixtis inducit per se solum, cùm dentur in rerum natura, calida valdè crassa, ut sunt mineralia omnia calidi temperamenti, qualia sunt Vitriolum, Sal & Auripigmentum, & frigida valdè, quæ sunt tenuia & subtilia, ut est argentum vivum: Ex his patet temperamentum non semper & assiduè, in mixtione introducere subtilitatem & crassitiem ex qualitatibus prædominantibus elementorum calidorum & frigidorum, & perindè subtilitatem & tarditatem agendi, non dependere ex temperamento calido vel frigido. At potius substantiam formæ tenuis, & crassæ id per se solam, & aliquando cum temperamento facilitatem & difficultatem agendi producere. Est autem substantia formæ tenuis & subtilis valdè, cum portio lucis creatæ prædominatur elementorum partibus, quæ unà cùm luce illa concurrunt ad productionem formæ. Si lux illa prædominetur & copiosa sit, tunc temporis forma illa, quæ ex illa Entelechia est, subtiles admodùm & promptas educit ex se ipsa actiones, imò, & temperamentum suum, quod in eductione sua exsurgit, attenuat & subtile reddit, sive sit frigidum, sive sit calidum, aut alterius elementi, nam lux illa omnia attenuat, & subtilia & penetrantia facit ut ipsa subtilis & pe-

Temperamentum non inducit in mixto, subtilitatem & crassitiem.

Forma totam mixti materiam attenuat

netrans est, è contra verò si partes elementorum, quæ compositionem Entelechiæ sive substantiæ formalis ingrediuntur prædominentur luci creatæ, ita ut sint copiosiores, hinc educitur forma materiæ immersa, & elementis immixta, quæ actiones suas exercere non potest, nisi tardè, & lentè, cùm illa elementa, quibus immergitur, impediant suas actiones, nam elementa sine luce, ut diximus nullas habent actiones, sed vacua sunt & inania.

Facilitas & difficultas actionu dependet à forma tenui vel crassa.

Concludimus ergò facilitatem & difficultatem agendi non dependere à solo temperamento, atq; à subtili & tenui substantiâ formæ, quæ à copiosa portione lucis creatæ, super partes elementorum seu semina eorum, in compositione Entelechiæ dependet, hinc facilitas agendi à luce copiosa est, difficultas verò agendi, à seminè elementorum dependet. Quam quidem conclusionem satis probat experientia ipsa; videmus enim mineralia omnia, & metalla actiones habere tardas & segnes, cum Entelechia eorum sive substantialis forma, in qua esse debet lux illa cœlestis, sit omninò elementis immersa, & prævaleant elementa in compositione ipsius substantialis formę, lux verò diminuta sit, & subjaceat elementis, in animalibus verò, in quibus viget illa lux, & prævalet elementis, cernimus actiones miras & visibiles, quæ nullo pacto in mineralibus sunt nec reperiri possunt.

Lux in animalibus prævalet elementis.

Temperamenta quæ immutent.

CAPUT XXXIX.

CVm temperamentum sit harmonia elementorum ligatorum & permixtorum in mixtione vi formæ mixtæ, ego non possum mihi persuadere qua ratione possit permutari temperamentum impermutata forma, cùm ipsa temperamentum constituat, permixtionem elementorum faciendo, nisi admittamus cum nonnullis Philosophorum duplex esse temperamentum, ascititium unum, quod in humore alimentitio consistit, & radicale aliud temperamentum quod verum est, & innatum mixti temperamentum, de quo solo locuti sumus superioribus in capitulis, hoc autem radicale temperamentū proprium & innatum, est impermutabile, cùm non possit permutari, nisi destructo & corrupto mixto, quia dependet à forma ut vidimus suprà, Ascititium verò temperamentum permutabile quidem est & alterabile, cùm in humoribus alimentitiis consistat, qui in dies solent permutari & alterari, tùm ab aëre ambienti, tùm ab alimentis externis, tùm à regionibus, & variis terræ Clymatibus, tum à morbis & aliis similibus præter naturam causis, quæ omnia cum soleant humores alimen-

Temperamentum nō potest permutari immutata forma.

Duplex tēperamentū radicale & ascititium.

mentitios (qui in venis & arteriis, alisq; corporis nostri vasculis continentur) alterare ac permutare, solent etiam ascititium illud temperamentum, quod in his humoribus continetur permutare: nihilominus si hæc justa & æqua animi lance ponderentur, inveniemus etiã temperamentum illud ascititium, quod in humoribus alimentitiis continetur, etiam inalterabile & impermutabile reperiri, nisi forma permutetur, nam si verum sit, humorem alimentitium permutari à causis præter naturam, tùm internis tum externis, verum etiam est formam humoris alimentitii etiam permutari, undè non mirum est, si mutata forma, mutetur & temperamentum.

Illud autem ascititium temperamentum, non est verum mixti temperamentum nec verè & propriè ullo pacto potest dici temperamentum mixti, cùm humor ille alimentitiùs, in quo consistit illud temperamentum, non sit pars mixti, cùm adhuc non uniatur mixto, nec sub eadem forma gubernetur, nisi priùs alteretur, & verè permutetur in substantiam mixti: tunc temporis est vera pars mixti & idem subit temperamentum cum mixto, nec aliud ac differens habet cum mixto temperamentum, sed radicale & proprium est illius mixti, & impermutabile, quod quidem nec morbus, nec aër ambiens, nec varia terræ clymata, nec diversa ac distincta alimenta permutari possunt, sola mors est, & destructio formæ, quæ illud temperamentum permutare potest.

Radicale temperamẽtum est impermutabile.

Objectio

Nec objectandum est, senes & juvenes esse diversi temperamenti, ergò hinc mutari temperamentum patet, immutata forma, cùm verbi gratiâ, Petrus puer habet temperamentum calidum & humidum, idem verò Petrus Senex habet temperamentum frigidum & siccum, cùm ex doctrina omnium Medicorũ temperamentum juventutis sit diversum & distinctum à temperamẽto senectutis, unum autẽ & idẽ suppositum potest esse diversis in temporibus, & juventute plenum, & senectute rigidum, ergò inde colligimus permutari posse temperamenta, immutatis formis.

Respondemus huic objectioni, hæc dici posse de temperamento illo ascititio, quod in juventute & senectute diversum est, de radicali verò & fixo temperamento, quod est in calido innato, totius corporis, sive id in juventute, sive in senectute contemplemur, impermutabile sẽper est, senescit quidem, hoc est debile fit & marcescit successu temporis, at idem omninò est, quamvis senescat & debile fiat, potest enim aliquid, & verè omnia debilia fiunt absque mutatione sui ipsius: Itaque juventutis & senectutis temperamentum unum & idem est formaliter & essentialiter, comparatè verò diversum est & distinctum, ut si dicamus temperamentum juvẽtutis calidum & humidum, idẽ etiam & simile

Solutio.

Iuventutis & senectutis idem radicale temperamentũ.

mile dicemus temperamentū senectutis, sed comparatione facta minus erit calidum, & ea ratione frigidum dici potest, sed verè non est frigidum, quia vita animalis sentientis non potest consistere in frigido omni ex parte temperamento, sed in calido & humido tantùm, unde cùm animal sive in juventute sive in senectute, vivat, & vita eadem fruatur, fruetur etiam eodem & simili temperamento. Quòd si etiam temperamentum causetur à forma, uti probavimus, permanente eadem forma, permanere & persistere idem temperamentum necesse est.

Vita animalis sentientis in quo temperamento.

Concludamus ergò temperamēta, permutari non posse nisi permutentur & formæ, cùm autem verissimum sit formam non permutari, non enim ut dicitur *animum mutant, qui trans mare currunt*, verum etiam erit temperamenta mutari non posse: ac toto vitæ decursu in animalibus, & toto durationis ævo, in vegetantibus & mineralibus immutabilia persistere, animal omne qualecúque dùm vivit, semper est, & eadem & simili fruitur vita, & perinde etiam eodem & simili fruitur temperamento, cum vita & anima eadem persistat, quæ est causa temperamēti, idem dicendum in vegetantibus & mineralibus, hæc enim qualiacumque sint toto durationis tempore, eadem formâ fruuntur, quæ cum sit causa efficiens temperamenti, eodem etiam temperamento fruentur toto suo durationis ævo.

Temperamenta immutabilia sunt in omnibus vitæ generibus

Temperamentorum differentiæ undè desumantur.

CAPUT XL.

Varia sunt & distincta temperamenta, tùm in animantibus, tùm in vegetantibus, tùm in mineralibus omnibus, quæ non solùm differunt ex vario ac distincto elementorum, quæ miscentur & alterantur nexu, at etiam ex peculiari formâ, quæ in singulis elementorum mixtionibus præest, tanquam domina, & imperatrix quædam, quæ quidem forma, cùm temperamentum efficiat, peculiari afficit dote, qua temperamentorum differentia desumi potest, extra nexum & ligaturam elementorum miscibilium. Ex peculiari illa dote, quam forma mixtionis temperamento impertitur, colligimus eadem & similia temperamenta non easdem & similes habere actiones: Omnia enim temperamenta calida & humida simul, vel calida simpliciter & humida, non promunt simplices & easdem vi formæ suæ, actiones, at omninò differentes. Id formæ tribuitur à nonnullis, cum tamen non è directo & simpliciter formæ tribuatur, sed peculiari doti, & dono, quod temperamentum accepit ab ipsa forma, dum ipsa elementa permisceret, & simul ligaret, ad temperamentum efficiendum, alioquin temperamentum calidum & humidum nihil agere posset aliud, quàm calefa-

Differentia temperamentorum unde.

calefacere & humectare, nihilomin⁹ experientia cernimus in hisce temperamentis, & aliis, alias omnino esse actiones & diversas à simplicibus & compositis illis elementorum qualitatibus. Vinum siquidē, quod est temperamento calidum & humidum, non solùm calefacit & humectat, at infinitas habet alias actiones & proprietates, quæ quamvis vi formæ suę, exeant ex temperamēto illo calido, & humido, nihilominus non exeunt ex illo ut calidum & humidum est, at quatenus forma vini fecerit illud temperamentum, & faciendo, illud dotaverit peculiari aliqua virtute, quæ non ex caliditate, & humiditate ortum habet. Ut est virtus & proprietas exhilarandi, quæ nullo pacto dependet ex caliditate, & humiditate vini, at ex peculiari dote, quam accepit illud temperamentum ex forma sua, quæ cùm sit lucis creatę plena, est gaudii & hilaritatis fons inexhaustus, undè non immeritò qui cæci sunt, & lumen oculorum amiserunt, dicuntur amisisse hilaritatem & lætitiam mundi, cùm verè sciant in lumine hilaritatē & lætitiam consistere, nec extra lumen & in tenebris posse quenquam exhilarari, undè in abysso mortis & tristitiæ, tenebræ perpetuæ sedē posuerunt, in abysso verò vitæ & lætitiæ, lucis increatæ & perennis adest perpetuus fons.

Vinum undè habeat virtutem exhilarādi.

Lætitia fons & causa est lux.

Concludamus ergò temperamētorum differentias, non solùm desumi ex simplicibus elementorum miscendorum ligaturis & nexibus, at etiam ex peculiari dote, quam nexus ille elementorū accipit in mixtione, & forma peculiari, quæ exsurgit ex Entelechia mundi ut elementa permisceat & producat mixtum, illa enim sola cùm misceat elementa & temperet in mixtione, dat elementorum omnium temperamenta, & perindè temperamentorum omniū differentias, quæ à causa sua intrinseca & formali debent potiùs desumi quàm ab effectu, qui est varius ille elementorum in mixtione nexus.

Concluditur temperamentorū differentias desumi ex variis elementorum mixtionibus & ex peculiari forma dote & dono.

An temperamentum Sanitatis Symmetriam constituat.

CAPUT XLI.

CUm Sanitas sit temperies quædam corporis & partium, qua perfectè & optimè fiunt actiones omnes secundùm naturam, non dubitandum ullo pacto est, quin in temperamento constituatur Symmetria sanitatis, quamvis enim ex sententia nostra actiones omnes dependeant à forma, nihilominus forma ad illas edendas utitur temperamento tanquam organo præcipuo, hinc non ambigendum est, quin sanitatis symmetria constituatur in temperamento, cùm sanitas constituatur in actionibus optimè edendis; actiones siquidem optimè fieri non possunt sine sanitate, nec quadam temperie & corporis & partium singularium, quibus actiones, ut optimè fiant, habent collocari:

Sanitas ex temperamento.

Si febris siquidem collocetur in corde, totumque indè corpus calore illo febrili præter naturam afficiatur, nec pulsus qui est præcipua cordis actio, nec aliarum partium actiones rectè fieri possunt cùm à calore illo præter naturam lædantur, & impediatur eorum omnium debita & recta actio, & naturæ proportio nata, non enim omninò impeditur, at cùm fiat præter solitum & ordinarium naturæ usum, ideò dicitur lædi & impediri, cùm sit in his partibus aliquid præter naturam adnatum & adventitium, quod eorum temperamentum, si non omninò radicitùs evertat, saltem evertere tentat, & in ipso conatu fit motus quidam præter communem & ordinarium naturæ usum, undè sanitas læditur, scilicet motus ille ordinarius & communis naturæ interturbatur, (qui in actionibus ordinariis & communibus consistit) à causis præter naturam, sic sanitatem perturbari videmus, interrupto totius vel partium temperamento, & interruptis hinc indè actionibus solitis & ordinariis, quæ modò rectè, ac debitè, & secundum naturæ leges & normas fiant, sanitatem veram ac legitimam constituunt.

Sanitas læditur læso temperamento.

Objectio.

Nec objiciendum est temperamentum ex doctrina nostra impermutabile esse & inalterabile, & ideò temperamentum sanitatis symmetriam constituere non posse, cùm clarum sit, & manifestum sanitatem permutabilem esse, & omni ex parte alterabilem: Ideò symmetriam non sumere posse ex temperamento, alioquin esset impermutabilis & inalterabilis, ut temperamentum.

Solutio.

Hæc objectio subtilis admodum est, & captione plena. nihilominus solutionem habe: quod sanitas constituatur in quibusdam certis ac determinatis temperamenti gradibus, qui si amittantur, sanitas amittitur impermutato omninò tēperamēto, nam verbi gratià quamvis gradus primus, secundus & tertius temperamenti calidi evanescant, non erit propterea temperamentū illud frigidum, at erit tantum minùs calidum ergo erit idem & impermutatum, erit enim calidum temperamentum: Sanitas autem quæ in primo, secundo, & tertio gradu illius temperamenti collocatur, evanescet, cùm actiones rectæ & debitæ, quæ sanitatem constituunt, pereuntibus illis temperamenti gradibus, pereant, aut saltem non ita fiant, ut fieri solebant, ergò quamvis sanitas pereat, non peribit perinde temperamentum radicitus, ex quo sanitas dependet, nec etiam cùm temperamentum radicitus sit impermutabile nisi immutetur ejus forma, sanitas erit immutabilis, cùm illius natura consistat in certis ac determinatis temperamenti gradibus, qui facili de causa solent permutari, impermutato radicitùs temperamento.

Sanitas consistit in certis temperamenti gradibus.

His

Concluditur temperamentum esse sanitatis symmetriã.

His ita positis & declaratis nulla labyrinthea difficultate detenti cõcludemus temperamentum esse veram & unicam sanitatis symmetriam, cum in rectis ac debitis actionum proportionibus consistat, quæ à certis ac determinatis temperamenti gradibus ortum & scaturiginem habeant.

An temperamentum anni, & temporum pariant morbos.

CAPUT XLII.

Tempus & annus non habet temperamentũ.

MAxima hic oritur ac difficilis quæstio, an annus & tempus habeat temperamentum: est enim annus tempus illud quod curriculo solis per singulas & universas Zodiaci domus determinatur, & est temporis pars, quæ certis ac determinatis dierum spatiis definitur. Tempus autem est Mensura motus, quæ impenditur ad dies illos, & menses, & annos metiendos, & ad singulas eorum omnium partes commensurandas. Cùm ergò tempus, & annus sint in perpetuo motu, & effluant perenniter, qua ratione fieri potest, ut habeant tẽperamentũ, nec enim elementa, nec eorum qualitates, nec forma, quæ exsurgit ex eorum mixtione & eorum mixtionem facit, reperitur in tempore, & anno. Si ergò quæ temperamenta constituunt: nõ faciunt tempus & annum, qua ratione dicere possumus annum & tempus habere temperamentum, idque facere posse morbos.

Divinus ille Hypocrates, cùm mutationes temporum parere morbos asseruerit, non intellexit temperamenta anni & temporis, multùm enim differunt temperamenta, & mutationes temporum, ergò qua ratione possumus Galenum & nos ipsos deffendere ab hac loquẽdi improprietate, verissimum enim est Galenum *commento 3. in Hypp. lib. de Morbis vulgaribus*, hæc dixisse, & nos cum Galeno volumus hisdem uti terminis & verbis. At per temperamenta anni & temporum, intelligimus temperamenta cœli & elementorum quorum motus constituit tempus, itaque non impropriè loquitur Galenus, dum annum & tempus, quæ à motu cœli fiunt, asserit habere temperamentum, quia in ipso anno & tempore temperamentum cœli dignoscitur, non quòd sit temporis, sed causa temporis, & quòd insit tempori, non dependenter à tempore, sed à solo cœlo, à quo tempus & annus.

Quid intelligatur per anni & temporis temperamentum.

Videamus ergò an temperamentum, quod inest tempori, à cœlo dependens & elementis, morbos parere possit, certissimum est morbos constituere posse, ea omnia quæ actiones lædere possunt in corporibus: at influxus cœlestes, qui verè dici possunt tẽperamenta, ascititia annorum & temporũ, possunt lædere actiones nostras, nullo pacto ergò ambigendũ erit, temperamenta añi & temporũ facere posse morbos, influxus autẽ cœlestes lędere posse acti-

Temperamentum anni & temporis qua ratione faciat morbos.

ones nostras; hinc probare possumus quod actiones lædantur ab his omnibus quæ vitali substantiæ tanquam actionum omnium fonti, inimica sunt & contraria, atqui venena omnia & reliqua quę vitali substantiæ contrariantur possunt produci ab influentiis & verè producuntur, cùm cœlum concurrat ad generationem rerum omnium, ergò influentiæ quatenus concurrunt ad generationem & verè producunt ea omnia quæ vitali substantiæ nostræ inimica sunt, actiones nostras lædere possunt, & ita temperamenta anni & temporum, quæ sunt influxus cœlestes, qui tempori insunt, quatenus in tempore ab astris descēdunt, possunt morbos omnis generis producere: hæc quæstio dilucidiùs multò tractabitur volumine secundo hujus operis, dum de morborum origine fient quæstiones.

Cœlum producit venenum.

An Temperamentum corporis animæ functiones immutet.

CAPUT XLIII.

IN hoc capite non functiones animæ rationalis intelligere volo, quia quę de anima rationali dicturus sum, volumine secundo persequar, cùm de homine totius naturæ compendio fiet sermo, hic tantùm functiones animæ sentientis, vegetantis, & formæ naturalis tractare cupio, quæ quidem functiones cum à temperamento, maxima ex parte dependeant, anima enim qualiscumque sit, sive sentiens, sive vegetans, sive naturalis forma lapidum & mineralium, utitur temperamento ad agendum, tanquam organo præcipuo, ad functiones suas eliciendas: Itaque immutato aliqua ratione instrumento & organo, functiones & immutari necesse est, quamvis in fonte & origine non mutentur. Nam exempli gratiâ vident animalia, audiunt, sapiunt, tangunt, & olfaciunt: apprehendunt & imaginantur, & appetunt, & irascuntur in certo quodam gradu temperamenti calidi & humidi, quod si gradus ille evanescat & declinet ad temperamentum frigidum & humidum depressis omninò gradibus temperamenti calidi, hæ omnes animæ sentientis functiones, ita etiam deprimuntur, ut à prioribus valdè differunt quod quotidiè experientiâ comprobatur, in equis ferocibus & martidicatis, qui modò castrentur, amittũs omninò ferocitatem omnē, quam habent & virtutem; quasi omnem, ita ut omninò mutentur & si audaces priùs fuerint, nec ulla extimescant occasione, jam levissimis & ferè omnibus rebus expavescunt, quod testiculis amotis, temperamentum illud calidum, quod præsentibus ipsis, toti corpori inerat, hisdem absentibus pereat & evanescat, & succedat aliud temperamentum multò minus calidum, & perindè videmus experientiâ non solùm in equis, at in bobus & fe-

Formæ omnes utitur temperamento ad agendum.

Alterato temperamento alterantur &

Functiones animæ sentientis.

& ferè omnibus animalibus, quòd si subitò mutetur gradus temperamenti sui innati & proprii, ut fieri potest; castratione, mutari etiam eorum omnium functiones.

Mala persica in Asia venenata sunt, in Europa vitali succo plena.

Quod in animantibus castratione clarum & manifestum est, id etiam in vegetantibus insitione & transplantatione appertum habemus, uam Mala Persica, quæ apud Persas & ferè per totam Asiam venenata sunt & lethali plena succo, in Europam transplantata, & præcipuè in multas Galliæ & Hispaniæ regiones, vitali abundant nectare, & nullam veneni sapiunt qualitatem. Cicuta etiam & Napellus, quæ versus meridiem, in montibus scilicet Pyreneis venenata sunt, si transplantentur versus loca Septentrionalia & humida valdè, amittunt malignitatem omnem, & comestu possibilia fiunt, mutato eorum trāsplantatione temperamento, ut ego ipse vidi in Britannia, & in hortis Civium Rhedonensium, qui Napellum in hortis suis colunt nulla noxa & incommodo, cùm tamen in Pyrenæis montibus, ubi calor viget & siccitas, plantæ huic non possit appropinquari sine noxa & periculo perflante adversus astantes austro, tantam ex se efflet venenatam auram & malignos spiritus, qui effluunt ex calido suo innato, beneficio temperamenti ascititii, quod ex loco natali acquiritur, insitione etiam multæ & insignes fiunt mutationes in vegetantibus, adeò ut proprias & innatas formæ vegetantium proprietates (quæ functionibus animalium correspondent) mutari videamus, quod eorum insitione alteretur temperamentum, non minus quàm transplantatione.

Napellus & cicuta in Britannia non lethalia.

Concluditur temperamentum immutare functiones animæ sentientis & proprietates omnes vegetantium & mineralium.

His itaque constitutis, hujusce quæstionis veritate, tum ratione, tùm experientia comprobata fulti concludimus, temperamētum corporis, animæ sentientis functiones imutare, & proprietates omnes & virtutes innatas vegetantium & mineralium omnium, quæ quamvis non ita apertè mutent temperamentum, quod fixius sit, & non ita leniter immutetur, tamen potest immutari ut in animalibus, & vegetantibus, & sic etiam mutabuntur proprietates & virtutes innatæ mineralium formarum, immutatis eorum temperamentis.

An cognito uniuscuiusque rei temperamento, cognoscantur & illius proprietates omnes.

CAPUT XLIV.

Cognito temperamēto non perinde cognoscuntur proprietates omnes.

PRoprietates omnes cujuscumque sint originis, hoc est sive manifestè à temperamento exire videantur, sive occultè à formâ originem trahant, ab ipsa substantiali forma scaturiunt, & perindè in earum proprietatum essentia dignoscenda, non sufficit temperamenti cognitio, nam quamvis forma in multis edendis suis actionibus, uta-

tur temperamento, tanquam organo, ut adeo temperamenti proprietates esse videantur, nihilominus non sunt temperamenti sed formæ solius, quæ eas omnes ex sinu substãtiæ suæ, in lucem edit, temperamentum siquidem formæ subditum est, & illi subservit omni ex parte, adeò ut nullas ex se ipso promere possit actiones, reluctante forma, cùm sit omninò illi subditum, & subactum, mixtionis naturalis legibus, & normis; forma siquidẽ est regina & imperatrix mixtionis, nihil in mixtione est quin ab ipsa forma regatur, si elemẽta & qualitates eorũ in mixtione reperiãtur, sub jugo sunt formę, & imperio. Itaq; non possunt agere, quin forma ipsa impellat ad actionem, & cùm forma ubique sit per omnes mixti partes diffusa, & teneat ubiq; subdita & subacta elementa, per omnes mixti partes, qua ratione fieri posset, ut elementa sic subacta, & legibus formæ astricta, possent aliquid agere, ex quo tota mixti ratio, & œconomia dignosci possit, non enim elementa mixtionis claves obtinent, & perindè ejus seras reserare nequeunt, ut quicquid in ea est mixtione apertum fiat, & manifestum: forma verò totius mixtionis œconomiam gubernat, leges facit, easq; observare cogit, velint nolintq; elementa, cumq; quis ex elementis, vel eorum temperamento cupit mixtorum proprietates indagare, idem facit ac ille qui pulchritudinem, & dotes internas alicujus domus ex imagine, & pictura ejus, se apprimè scire & cognoscere putat, quæ sunt verè domus penitus ignorat: Elementa in mixtione, & quod ex his exsurgit temperamentum, sunt veluti pictura quædam, quæ mixtum repræsentant: at verum & reale mixtum non constituunt, essentiam enim & naturam mixti non constituunt, sola forma mixti est, quæ eam naturam & essentiam componit: Ex ea etiam sola virtutes & proprietates indagare oportet, fluunt enim ex natura & essentia mixti, & non ex temperamento, alioquin temperamentum constitueret essentiam & naturam mixti, vel esset una & eadem res, & cum forma confunderetur, quod Galenus & multi alii Philosophorum & Medicorum admiserunt, nihilominus à veritate ipsa summoperè aberrarunt ut probavimus superius.

Forma est semper principium actionis.

Elementa mixtionis claves non obtinent, sed forma.

Ex forma sola virtutes sunt indagandæ.

Eorum autem omnium error ortum habuit, quòd in mixtione nihil aliud esse ac reperiri firmiter putarint præter sola elementa, ex quorum sola mixtione (quæ calore solo fieri putabant) mixtum exoriebatur & surgebat, id autem erroneum est, nam ille calor qui mixtionem facit ex eorum sententia, non est elementaris nec igneus, nec sola & nuda est qualitas, sed quid substantiale, & lucis creatæ portio, quæ toto cœlo differt ab elementis, & ab eorum omnibus qualitatibus, hæc sola est substantia, quæ in se con-

In mixtione est aliquid aliud præter elementa.

cōtinet tria rerū principia, quæ quidem in ipsa, ab ipsa non differunt, hæc est materia illa prima, quæ formam rerum omnium in se coërcet, quæ elementa produxit, eaque miscet ad productiones rerum omnium, sine ipsa, elementa subsistere nō possent, nec ad ullam propelli productionem: hæc est sola, quæ mysteria mixtionis continet ac complectitur, hanc ignorarunt antiquorum Philosophorum quamplurimi, ex cujus ignorantia errores ferè infiniti in Physica surrexerunt, & præcipuè quæ de mixtione dixerunt eam elementis tribuendo, quam tamen soli materiæ primæ, quæ solum in rerum natura activa est, tribuere debemus, cum sit lucis creatæ vera essentia, materia verò elementorum passiva est omninò, & alterius subjicitur actionibus: hanc materiam elementorum primam existimarunt antiqui, quæ tamen secunda est, & alteri subjecta, ita ut moveatur ad quamcumq; voluerit partem: quòd quotidiana cernitur experientia, videmus enim elementorum materiam, omnes figuras, & formas induere, & tamen non dicimus id ipsum oriri ex ipsa materia elementorum, at ex quovis alio invisibili & interno, quod materiā illam movet ad varias illas figuras & formas, ergò indè colligitur materiam elementorum non agere mixtionem & productionem rerum, sed tantum inservire mixtioni & rerum productioni, & aliam esse materiam, quæ id moliatur, & quæ elementorum materiam ad productionem compellat & cogitat, ex qua elementorum materia non possumus colligere proprietates mixti, cū ipsa non sit essentia & materia mixti, sed tantum ex ea ipsa quæ mixtionem fecit, quæ sola est essentia & natura mixti, ex qua sola proprietates omnes cognosci possunt, cùm fluant & emanent ex ipsa sola.

Materia prima activa est, materia verò elementorum passiva.

Perfricata ergò omnis suspicionis fronte concludere possumus, cognito uniuscujusque rei temperamento, non perinde cognosci posse illius proprietates, cùm proprietates non effluant ex temperamento, at tantùm ex forma mixti quæ sola agit & imperat in toto mixto, temperamentum est illi omninò subditū, & si quid agit, agit virtute formæ, imò ut clarius dicam non agere potest nisi forma præsens semper sit, quæ illi actiones illas administrat, quod si aliquando virtutes & proprietates mixtorum nobis sapere videantur naturales & innatas elemētorum virtutes, hoc est ex eò quod mixti forma virtutes habeat omnes & proprietates elementorum, cùm ipsa elementa ab ipsa forma originē habuerint; non enim distinguimus formam à materia prima, sed tantùm à materia secunda, quæ est elementorum materia, primæ materiæ omninò subjecta, ut hinc corpora visibilia sibi fabricet & componat; quorum virtutes & proprietates

Proprietates non effluunt ex temperamento sed ex forma.

Forma non distinguitur à materia prima.

tates ab eo solo dependent, à quo fabricata & composita sunt, non ex eo ex quo facta sunt, ex eo enim non sunt virtutes, sed tantum materia corporis, quæ inanis est & vacua, nisi forma impleatur, à qua sola virtutes sunt & proprietates, & ab ea sola petitur earum cognitio.

An forma quæ mixtionem facit promat actus vitales in omnibus naturæ mixtis.

CAPUT XLV.

POstquam naturam omnem ejusque principia, elementa, & temperamenta declaravimus, jam ordo hujus operis postulare videtur, ut ad eandem naturam particulariter indagandam revertamus, ut quid sit in particulari jamjam rimari valeamus, & quid valeat etiam in omnibus naturæ mixtis perquiramus, an vitam producat in omnibus naturæ mixtis; diximus enim multis in locis eam ipsam naturam, quam jam peculiari nomine formam dicimus, vitalem omninò esse & mortis nullas habere dotes, restat nobis jam ut id peculiari eloquio demonstremus.

Forma in omnibus naturæ mixtis vitam producit.

Forma in quibuscumque naturæ mixtis reperiatur, non ex elementis est, sed quid aliud, extra elementorum essentiam, ex Deo solo omnium creatore ortum habens, qui cùm lucis increatæ, ac sempiternæ naturam sapiat, lucis alterius creatæ ac definitæ naturam voluit ex nihili fonte educere ut imago sui ipsius esset, & creatoris sui similitudinem quandam haberet, ut autem creator ipse Deus, lux est, veritas & vita, ita etiam forma in rebus omnibus, naturalis lux est, veritas & vita, imaginem quandam sui creatoris ubique referens, cùm ergò forma vita sit, impossibile est ubicumque reperiatur, quin actus vitales educat, cùm actus omnes vitales sint, qui ex vita educuntur: formam autem vitam esse nullo pacto dubitandum est, cum formâ definiant Philosophi omnes essentiam & naturam rei, essentia aut natura cujuscumque rei, est substantia calidi innati, quæ substantia, ut superiùs probavimus, nullo pacto distinguitur à substantiâ vitali, in ea enim sola substantia radicatur calor ille cœlestis seu lumen illud creatum cœlestis essentiæ, cum humido elementorum, & illa unio luminis cœlestis, cum humido elementorum constituit calidum illud innatum & humidum primigenium seu substantiam vitalem, quæ unum & idem sunt, ergò si substantia vitalis sit essentia & natura rei, & forma sit natura rei, forma erit vitalis substantia, & perindè cùm actus vitalis substantiæ, sint semper vitales, actus etiam formæ qualescumque sint, vitales erunt, in omnibus naturæ mixtis, & vita reperietur in mineralibus omnibus, lapidibus ac metallis, quæ quamvis communiter vivere non dicantur, *Vita est in mineralibus*

at

at simplicis esse naturalis essentiam habere, non possunt tamen illius simplicis naturalis esse, essentiam habere, quin vivant, cùm simplex illud esse, vivere sit, esse enim dependet à formâ & à naturâ, natura autem ubicumque, spiritus luminis creati est, qui vita ipsa est, & mortis ideam omnem fugit & impellit.

Esse simpliciter, vivere est.

His itaq; jactis fundamentis concludere possumus, & asserere, formam quæ mixtionem facit, promere ex se ipsa actus vitales in omnibus naturæ mixtis, cum eadem res sit forma, ac natura rei, quę semper spiritus lucis creatæ habet essentiam, quæ vitalis est, & mortis actus nescit ullos, tanquam huic contraria & inimica.

Forma Quid sit in mineralibus, & ex quo gradu suæ perfectionis vitam educat mineralium.

CAPUT XLVI.

QVæ in penitissimo elementorum recessu conduntur, explicatu difficillima sunt; ideo non mireris Amice Lector si iterum de forma aliquid dicturus sim & anima, nam quæ superius de his diximus generalia sunt, jam verò particularius eorum essentiam indagabimus, ut perfectè cognoscamus: quid sit actus ille informans & actuans res omnes, & quo peculiari gradu suæ perfectionis, differentias formarum constituat, quod antea nisi per transennam tetigimus.

Forma ergò in genere tres differentias ex suo sinu educit, quæ constituunt tria viventium genera, scilicet mineralium, vegetantium, & animalium: Tria enim hæc genera actuantur, & informantur ab una & eadem generaliter substantia spirituosa lucis creatæ, quæ tamen diverso & peculiari perfectionis suæ gradu, seu mixtionis cum elementis modo vario & diverso, diversas illas & distinctas constituit viventium differentias.

Forma tres actus differentes habet in materia.

Antequam autem hæc singulatim inquiramus, sciendum est & demonstrandum, quomodo elementa concurrant in mixtione, & qua vi & proprietate misceantur cum spirituosa illa luminis creati substantia: Sciendum ergò in principio rerum Deum creasse ex nihili fonte, ut multoties diximus, lumen, ut materia prima, rebus omnibus haberetur, ex qua fierent in posterum res omnes, ut autem series quædam observaretur & ordo, in hoc mundo, ut in ipso sunt ordinata cuncta, & summus est rerum ordo, ne omnia simul confusa, & indistincta permanerent in ipso lumine creato, & materia illa prima, distinxit & separavit, eduxit cœlos & elementa, & Luminaria fecit & Planetas, & stellas ferè infinitas, quæ luminis illius creati vigorem in se haberēt majorem quàm reliqua cuncta creata, & subtiliorem etiam illius luminis creati partem possiderent, crassiorē verò luminis partem elementis cō-

Lumen in principio creatum ut materia prima esset rerum omniū.

Elementa & cœli ex qua luminis parte creata sunt.

cessit inferioribus, ita ut terra elementorum inferiorum, pars crassior luminis illius creati esse videatur, quòd si nullas in terra nostra hujus luminis scintillas videamus, hoc est ab extrementis quibus turget: quibus solis obnubilatur lumen illud creatum terræ principium, à quibus si purgetur, lumen illud statim irradiat, & vigorem suæ lucis ostendit, ut est manifestum in lapidibus pretiosis, & auro, in quibus cùm vigeat terræ pars pura & ab excrementis defœcata, radios lucis effundit.

Aurum & lapides pretiosi cur luceant.

Lumen ergò istud creatum in principio rerum divisum fuit in cœlum & elementa, cumq; lumen istud haberet à creatore suo, potentiam & facultatem omnia producendi, ideo etiam cœlo & elementis relicta est, & crassa potestas illa & facultas omnia producendi. Unde autem colligere lumen esse rerum omniū primam materiam, id ratione & oculis ipsis fit manifestum: Lumen enim in omnibus rebus est, nec est quicquam, quod lumine carere possit: Animalia cuncta lumen habent pro anima, vegetantia item omnia lumine carere nequeunt, cum eorū vita lumen, & lumine perpetuo egeant ad fotum vitæ, mineralia etiam omnia luminis radios tùm occultos, tùm manifestos, ut lapides pretiosi & aurum effundunt, cœlum & elementa lumine plena, contēplamur, & nihil in ipsis esse præter excremēta, quin luminis sapiat essentiam.

Unde cœlum & elementa habeant virtutem producendi res omnes.

Lumen in omnibus rebus est.

Cum ergo lumen sit in omnibus naturæ rebus, & nihil subsistere possit absque lumine, ita ut sit basis & fundamentum naturæ tùm cœlestis tum elementaris, quæ nihil aliud sunt quàm lucis portiones, quæ invicem agunt, ut suis alternatis actionibus foveantur & conserventur, quis judicio potens, & rationis scintillulis illustratus negare poterit, lumen esse rerum omnium primam materiam, & cœlos & elementa fecisse, & quæ in eis sunt omnia, quæ quidem singula habent potentiam & facultatē generandi & producendi sui simile, ex eo quod lumē illud, quod in eis est, actu & reale sit generationis & productionis principium, & unicus fons, quòd autem sit individuatum in singulis naturæ mixtis, ideò ex individuatione particularem illam observat rei similis productionem, quòd si ad elementa redeant singula quædam mixta, tunc amittunt illam particularem rei similis productionem, & generalem & universalem recuperant, quod in elementis lumen illud productionis, & generationis principium non ita particulariter & individualiter astringatur, sed generalem & universalem adhuc obtineat producendi facultatem, unde ex elementis omnia promiscuè & indifferenter vi luminis generari possunt, cùm tamen ordo & series quædam observetur in rerum productionibus, ut videre est in mineraliū productionibus, vegetantium & animan-

Nihil subsistere potest absque lumine.

Lux est prima rerum materia.

mantium, perquirendum nobis est primò qua ratione, & qua occulta facultate lumen istud ex elementis producat & generet mineralia cuncta, ut hinc formam mineralium cognoscamus & vitam eorum, quam quidem indagare, & manifestam facere difficillimum, imò impossibile erat, absque notione eorum quæ jamjam de lumine diximus: demonstrata deinde forma mineralium, vegetantium formas, & animantium tum postea declarabimus.

Lumen primo ex elementis mineralia producit.

Mineralia ergò cùm producantur omnia ex luce, forma eorum lux erit, cùm quod dat esse, sit forma, ut autem hæc altiùs & lucidiùs multò fiant, perquirendum est quo modo lux det esse mineralibus, lux ergo cum se diviserit in subtiliorem & crassiorem ejus partem, ex subtiliori ejus parte facti sunt cœli, & ea omnia quæ in cœlo sunt, ex crassiore verò lucis parte facta sunt elementa huic superius & inferius sunt ejusdem materiæ, & pares & similes habent in agendo vires, superius tantum agit potétius, inferius verò debiliùs & ambo concurrere necesse est ad productionem rerum omnium. Quæ verò magis habent cœli, hoc est lucis subtilioris majores partes, ea obtinent fortiores, & potentiores agendi vires, cùm subtilior lucis pars sit ad agendum promptior & fortior, mineralia ergo cum generantur, lucis crassioris partes obtinent, fiunt enim visibiliter ex aqua & terra, quę lucis crassioris partes sunt, hæ partes tamen, aliquas habent lucis subtiles partes, quę cœli & aëris naturam sapiunt, & nihilominus occultæ sunt, & non apparent, sed sub aliis lucis crassioribus partibus latitant. Hæ ergò lucis partes tam occultæ quàm apparentes, quæ in elementis sunt, agunt in ipsa elementa, & miscent ea, & temperant, & postquam mixta sunt & tẽperata, cum semper elementa crassiora, quę sunt aqua & terra in mixtione victoriam obtinuerint cũ partibus crassioribus lucis, victis aliis & occultis sive depressis subtilioribus elementis, tunc in illa mixtione exsurgit actus primus illius lucis crassioris, quæ talem mixtionem fecit, hic autem actus primus, dicitur forma mineralium, quòd actuet & informet mineralia. Quæ cum sit lucis creatæ crassioris portiuncula, ideò dicimus formam mineralium, crassiorem esse lucis creatæ partem: cum autem uti probavimus particulari capite, lux ubicumque reperiatur, vitales ex se ipsa edat actus, itaque cum reperiatur in mineralibus, & illud esse quod habent ex luce, vitale etiam erit, & vitam dicemus mineralium illud ipsum esse, quod ex luce habent, quæ quidem vita educi patet, ex mixtione illa elementorum (in qua victoriam obtinent aqua & terra,) quam facit crassior lucis pars, & faciendo illam mixtionem, educit illud esse mineralium, quod formam illorum appellamus, cujus actus vita est, opus enim formæ cu-

Forma & essentia mineralium est lux.

Qua fortius agunt lucis habent majorem partem.

Mineralia qua ratione generentur ex luce.

Mineralia unde habeant vitam.

jufcumque vita eft, at diftinctionem habet & differentiam, ex craffa illa lucis parte & fubtili ejufdem lucis portiuncula, quę cùm formas faciat omnes, ex luce illa tanquam ex caufa propriâ & naturali, petenda eft earum omnium differentia.

Opus formæ vita eft.

Itaque concludimus formam in mineralibus lucem effe creatam, craffiorem, & minus fubtilem, quæ elementa mifcuit & temperavit in corpus mineraliũ, remanente aqua & terra in illa mixtione victrice, quęque formam ex illa mixtione eduxit ejufdem lucis craffæ participem, cujus actus & effe, vita eft mineralium, generantur fiquidẽ & producuntur vera productione, mixtione fcilicet elementorum, & nutriuntur fimili fubftantia, ex qua fiunt, ut confervenrur & multiplicentur & crefcant in ingentem molem veluti reliqua mixtorum genera. Quæ de vegetãtibus fuperfunt dicenda, qua ratione fulphur, fal & mercurius ea producat ex fententia Chymicorum, & quo modo in luce illa creata, rerum omnium opifice illa tria rerum principia reperiantur inferius dicetur capitulis de generatione & productione vegetantium & animalium, ubi lux clariores effundet ex fe ipfa radios.

Forma qualis & quid in mineralibus.

Forma quid fit in vegetantibus & quo in gradu mixtionis edat facultates fuas.

CAPUT XLVII.

Vegetantia cuncta cùm cœlum verfus tendant, & luminis radiis & fole gaudeant, quis ex luce non oriri, negare vellet, humidum enim illud aëreum, aqueum, & terreum, ex quo nutriuntur lucis partes, quammaximas habet, lumen cœlefte noctu & interdiu aëri, aquę, & terræ incubat, ut lumine illo effluente & elementa cuncta permeante, foveatur lumen illud internum, radicale & fixum, quod omnibus ineft elementis, cujus pars cum puriori elementorum parte, in qua vigeat aëris & aquæ craffioris portiuncula, fit alimentum vegetantium omnium, ex quo alimento, poffumus & nos colligere ex Hyppocratis fententia, quid fint vegetantia, quibus conftituantur, cùm materia alimenti fit eadem & una, cum materia generationis & productionis, fi ergo materia alimenti vegetantium omnium fit humidũ, aëreum & aqueum, craffum & terreftre, in quo partes aquæ & terræ vigent cum modica aëris parte, & lucis creatæ portiuncula, eadem etiam materia erit ipfa quæ vegetantia producet & faciet, alimentum autem vegetantium lumine effe plenum & turgidum hinc patet, & ma-

Vegetantia quod cœlum verfus tendant lucis arguunt habere naturam.

Humidum alimentitium vegetãtium luce plenum.

& manifestum est experientia ipsa, quod cum in altum feratur & sublimetur, per aëris spatium, ita subtile fit & ab humido frigido, & aqueo copiosiori privatur, & terreo, ut nō remaneat, nisi pinguior & subtilior lucis illius pars, quæ cito flammas concipit, & fulmina facit, comœtas & stellas cadentes, in quibus manifesto claret & lucet lumen illud humidi illius alimentitii vegetantium, quod ante illius sublimationem occultum erat in eorum humido alimentitio: quodque etiam si ab arte tractatur, coctione perenni in vase optime clauso ne expirare possit, totum convertitur in aquam ardentē, quæ dum ardet luminis ipsius radios sat effundit, ut cęci ipsi videant & increduli, alimentum vegetantium luminis esse plenum, non potest autem alimentum lumine turgidum esse, quin & quod alit, sumat illud lumen in alimentum, & non potest sumere in alimentum, quin convertat in suam substantiam, & ita clarum est & manifestum lumen esse in vegetantibus ex parte alimenti.

humidum alimentitiū vegetantiū convertitur coctione perenni in aquam ardētem.

Lux est in vegetantibus ex alimento.

Lux est in vegetantibus ex parte seminis.

Ex parte autem seminis, ex quo generantur, id etiam sole clarius fiet sequenti demonstratione, semen enim est ex Philosophorum omnium & Medicorum sententiâ subtilissima pars alimenti ultimi, quod natura præparat ad mixti propagationem; Subtilissima autem illa pars alimenti ultimi nihil aliud est quàm lumē, nam si lumen sit pars alimenti ut vidimus, erit subtilissima pars illius, cū lumen sit rerum omnium subtilissima pars, lumen etiam subtilissimam partem esse alimenti ultimi patet experientia, si quis equos feroces & pingues, & catos & homines biliosos, modò pingues sint, manu fricet motu satis valido, idque in umbra, & in loco obscuro fiat, ne lumen majus lumen minus impediat, videbit ex eorum omniū animalium mēbris, quæ motu satis valido fricantur lumen erumpi, quod subtilissima pars alimenti ultimi, quod in his residet membris motu illo excitetur, & attenuatur, ita ut in exitu suo cōprimatur & condensetur ab aëre frigido ambiente, & beneficio illius condensationis subitaneæ & raritatis motu illo factæ, radios apparentes & visibiles effundat: Quòd si id in animalibus contingat, id etiam simile in vegetātibus apparet, nam Alvus, Abies, Pinus, Piceaque dum franguntur motu aliquo violento, maximè si jam putruerint scintillas luminis copiosi emittunt, dum verò putrescunt, quia eorum materia dū resolvitur, arescunt elementa, & in ipsa raritate, & tenuitate lumen internum, quod incorruptibile est, visibiliter apparet in ipsa elementorum materia rarefacta & attenuata per corruptionem.

Lumen ex omnibus ferè rebus motu solo elicitur.

Vegetantia ergò cuncta, tùm alimento quo utuntur ad sui nutritionem, tum ex semine quod habent ad sui productionem, lumen in se habere tanquam præcipuam sui partem demonstravimus, jam verò superest

demonstrandum ipsamet, copiosissimum habere lumen, nullú est vegetantium quin per distillationé copiosú det oleú, imò multa sunt quæ per se resinam, picem, therebentinã, & gummi species multas, & oleum ipsum copiosè effundũt, omnes autem hæ substantiæ luminis sunt plenæ, dum enim comburũtur, flãmas concipiũt, quæ visibiles lucis radios satis emittunt, quod fieri non posset, nisi lumen radicaliter in ipsis substãtiis implantaretur, nec dicendum est ignem illud esse, potius quam lumẽ, quis ignis ex nostra sententia, qualiscumq; sit luminis est opus: Lumen enim si minus condensetur in subjecto raro, parit ignem ut videre est ex condensatione radiorũ solis in concavis speculis, qui dum reflectuntur ab speculo concavo condensantur, & ex ipsa sola condẽsatione, radii fiunt, flãma comburens & ignea, unde apparet ignem nihil aliud esse, quã lumen condensatum in subjecto raro & tenui. Itaq; si oleum & pinguia cuncta & resinosa, dum comburentur præbeant ignẽ, hoc est quod lumen, quod ex his rebus effunditur, dum resolvuntur, condensetur in eorum partibus exhalantibus & attenuatis, & ita condensatum parit ignẽ: at ignis ille nihil aliud est, quàm opus luminis, vel lumen ipsum condensatum in subjecto tenui & raro, at de his plura in 2. libro hujus operis, dum de his quę in cœlo sunt agetur, ubi de lumine & igne plura agemus, jam verò formam vegetantium perquisitam habere sat est: ita ut alacriter concludere valeamus.

Vegetantia lucem habent sive lucidam substantiam quæ lucem ex se ipsa effundit.

Ignis est opus luminis.

Ignis quid propriè sit.

Quare omnia ferè dum comburuntur præbeant lucem & exhibeant ignem.

Formam vegetantium omnium nihil aliud esse quàm lucis creatæ portiunculam, quæ miscet elementa & temperat, ad productionem vegetantium, & in tali gradu mixtionis, & temperamenti, ut aqua & terra vigeant supra aërem & cœlum, in quo gradu se collocat ipsa, & firmiter tenet elementa ligata, & educit vitam vegetantium, quæ actus est ipsius lucis creatæ, seu formæ, & vi magnetica se nutrit & alit hisdem & similibus elementis & luce, hęc verò portiuncula lucis, quæ formam in vegetantibus constituit, major est & copiosior multò, quàm in mineralibus, unde elementa quę compositionem vegetantium constituunt magis etiam attenuata sunt & subtilia, quàm in mineralibus, hinc forma vegetantium subtilior est & tenuior, & actus etiam edit subtiliores, hinc apparenter & visibiliter vegetat, pullulat, & crescit, & fructus edit copiosos, quod in mineralibus ita visibiliter cernere non licet, propter crassitiem elementorum & lucis illius creatæ paucitatem.

Forma vegetantium quid propriè sit.

Vita quid sit in vegetantibus.

Forma vegetantium subtilior est forma mineralium hinc visibiliter germinat & crescit.

Forma quid sit in animalibus, & qua ratione à mineralium & vegetantium formis differat, & quo in gradu mixtionis suas edat facultates.

CAPUT XLVIII.

ANimalium naturam perquisivimus Palladio nostro jãdiu in lucem

Hyle ele-

mentare quid sit.

lucem edito, in eoque asseruimus esse ey hyleo elementari, per hyle autem elementare intelligimus elementorum omnium subtile confusè mixtum, quod naturam hujusce mundi constituit, quæ est anima ipsorum elementorum & forma & anima totius mundi appellatur: hoc in loco satis obscurè locutus sum de hyle illo elementari, at naturam appellando & animam elementorum, & totius mundi, satis admodum clarè locutus sum Sapientibus, qui constitutionem animæ illius & naturæ sciunt, in hoc tamen opere dilucidiùs multò naturam & essentiam ipsius animæ mundi declaravi; capite 25. de Entelechia & capite 1. de natura, ubi quamplura de luce illa creata, quæ essentiam illius animæ constituit diximus, jam verò clarius adhuc hanc rem dilucidabimus animalium naturam & essentiam perquirendo.

Forma brutorum animalium quid sit, & quinta essentia in ipsis.

Est ergò forma animalium omnium, (præter hominis formam) ex luce illa creata ex qua facta sunt elementa, est enim lux quinta illa essẽtia quæ fuit in principio, rerum omnium prima materia, quę cùm jam in nullo naturæ loco, ab elementis separata reperiatur, nihilominus in elementis persistere non desistit, & sedem suam & tabernaculum in sole posuit, & jam cœlo toto tanquam pręcipuo nobiliori & subtiliori naturæ elemento, diffunditur, ac ejus stellis & planetis dispersa est, ut inde facilius per totum mundi ambitum spargeretur, mixta tamen semper, & elementorum corporibus induta, ne quis allucinetur, cum de luce loquimur, & miracula ejus ostendimus, nos de luce separata ab elementis loqui potuisse, nec cum formam mineralium, nec cùm formam vegetantium perquisivimus, separari enim nullo pacto potest ab elementis, cum ipsa dum facta sunt ex luce, lux ita in eorum substantia perfusa est, ut nihil aliud sit quàm lux ipsa. Itaq; lucem illam primam quærere extra elementa, & elementa investigare extra lucem, impossibile est. Sic etiam quæ componuntur & fluunt in rerum natura ex elementis, impossibile est extra lucem, eorum naturam, & extra elementa investigare, cùm ea omnia utrorumque naturam & essentiam obtineant.

Lux cur in cœlo potissimum collocata sit.

Lux non potest separari ab elementis.

Animalia ex quibus partibus elementorũ fiat.

Animalia ergò cùm fiant ex elementis, ex eorum luce quæ subtile eorum est, etiam fieri necesse est. Et cum forma eorum sit subtilissima eorundem pars, lucis etiam subtilissimam partem habere sat notum erit quod confirmare possumus tùm ab eorum motu & functionibus & facultatibus, quibus pollent ac vigẽt, moventur ipsa per se & non secundùm accidens, & principium motus ab ipsis est, itaque cum principium motus sit natura & natura ipsa sit spiritus illius lucis creatæ, inde concludimus animalia ipsa, quod moveantur habere lucẽ illã tanquã naturam & sui motus principium.

Animalia ex luce esse probatur ex motu illorũ.

Videre

Probatur etiam ex sensibus omnibus quibus vigent.

Vident præterea, audiunt, gustant, olfaciunt, sentiunt, imaginantur, recordantur, & quæ illis familiaria sunt, cognoscunt: hæ autem omnes eorum formæ facultates, fieri non possunt sine luce interna & radicali, quæ facultates eas moveat, & pariat; quis enim videre, audire, gustare, olfacere, sentire, imaginari, recordari & cognoscere potest sine præexistente luce, quæ facultatum illarum, & sensuum objecta suis facultatibus sensibilia reddit, siquis lucem ex omnibus tollit, & videndi facultatem ex hisdem tollere necesse est, si quis etiam lumen ex auditu, gustu, olfactu, & tactu, & ex reliquis internis animæ sensibus tollat, & auferre eorum omnium facultates oportet, cùm & spiritus animales auferre necessarium sit, qui in luce sola, totam eorum etiam & naturam collocarunt.

Spiritus animales ex luce sunt.

Cùm ergò ex animalium motu, & eorum omnium facultatibus omnibus pateat, & clareat, animaliũ formam & essentiam, ex luce ortum habere, cum eorum naturã imperscrutabilem sensemus, lux vita eorũ est, & in tenebris lucere solet, & tenebrę eam comprehendere non possunt. Cicindelæ & Lampanæ quæ sunt animalia quę noctu verno tempore lucent, assertioné nostrã confirmant, & quæ animalia sint sua luce externa & visibili commonstrant. Catorum oculi, & serpentum ferè omnium, noctu etiam lumen illud, nobis ostendunt, quod animalium formam constituit, quę si ex luce nõ esset, in animaliũ partibus subtilioribꝰ, ubi ejus actiones fortiùs vigẽt, non ita visibiliter appareret.

Lux vita animalium est.

Lux cur in multis animalium partibus appareat.

Nec adversus has rationum clarissimas, & luce clariores scintillas objectandum est, nos ipsos & ferè omnes Philosophos chymicos dixisse, res omnes naturales, mineralia cuncta, vegetabilia, & animalia ex tribus naturæ principiis, sale putà, mercurio & sulphure ortum habere, neq; enim id nubes ullas opacas objicit huic luci nostræ, ut quis videre potest perlectis his quę de his principiis, suis in propriis capitulis diximꝰ.

Lux enim illa, quæ natura est, & tria secũ habet principia illa Chymicorũ & elementa, ab illis separari nõ potest, nec ipsa etiam principia sine ipso lumine persistere possunt. Calidũ enim illud innatũ quod Chymici sulphur dicunt, à lumine separari nõ potest, & primum est, quod in eo activum reperitur, humidũ verò illud primigeniũ calidi innati pabulum, quod mercuriũ appellant, est luminis præcipua pars, cũ nutriat lumen, sive calidum quod in lumine est, siccum verò, quod in eodẽ lumine semper connexũ est, sal dicunt Chymici: est enim vinculum & nodus calidi & humidi luminis, sic tria illa Chymicorum principia, in lumine ipso rerum omnium prima materia reperiri licet, nec extra ipsum persistere possunt, cum verè naturaliter in eo radicentur, & ex ipso sortiantur originem, nec ab ipso lumine differant, sed

Lux quæ cuncta componit, tria habet secum naturæ principia.

Sulphur mercurius & Sal quid sint in luce.

Tria rerum principia non distinguuntur à luce.

ſed ſimul omnia luminis conſtituant naturam & eſſentiam. Sic tria illa rerum principia, de quibus egimus in primis hujus operis capitulis, res omnes componunt, nec perinde lucem eadẽ omnia componere inficiendum eſt, cùm lux illa primordialiter & originaliter habeat ſecum illa tria rerum principia & unà confundantur.

Concluditur formam brutorũ lucem veram eſſe.

Sic dilutis adverſæ opinionis argumentis, nihil impedire poteſt quin alacriter concludamus formam animalium brutorum omnium nihil aliud eſſe, quàm lucis creatæ ſubtilem portiunculam, quæ ſua iñata & propria facultate vi principiorum naturæ, quæ illi naturaliter innata ſunt elementa miſcet & temperat in certo quodam mixtionis & temperaturæ gradu, in quo viget cœlum primum naturę, elementum & aër, aqua & terra depreſſa ſunt & infimum tenent, in quo gradu mixtionis & temperamenti, forma illa actuat & informat corpus animale, quod ipſamet ſibi ipſi fabricavit in domicilium, in quo cum animet, & alias edat animæ facultates, anima dicitur, & à mineraliũ formis & vegetantium diſtinguitur, quod ipſamet ex luce ſubtiliori & vegetiori ſit, & tenuioribus & ſubtilioribus immergatur elementis, lux autem ſubtilitatis habet gradus quãplurimos ex mixtione elementorum, quibus immergitur, ſunt enim elementa alia aliis ſubtiliora, ex quibus ſolis lux noſtra varios ſuſcipit ſubtilitatis & tenuitatis gradus, qui gradus differentiam omnem conſtituunt inter omnia naturę mixta, ut toto hoc volumine cernere & contemplari licebit.

Forma brutorum cur anima dicatur.

Forma brutorum qua ratione distinguatur à mineralium & vegetantiũ formis.

An lux illa quæ nos illuminat, induat qualitatis vel ſubſtantiæ naturam.

CAPUT XLIX.

An lux ſit ſubſtantia vel accidens

POſtquam toto hoc libro naturam omnem, tum principiorum, tum elementorum, & eorum omnium, quæ ex his fiunt mineralium putà, vegetantium, & animalium naturam & eſſentiam ex luce ſola dependere aſſeruimus, jam nobis ſupereſt declarandum an lux illa cœleſtis quæ nos diu noctuque illuminat, qualitatis vel ſubſtantiæ induat naturam: Cum Peripathetici paſſim doceant, & ubique in ſcholis ſuis, lumen tum cœleſte, & lumen aliud quodvis verum eſſe accidens, & qualitatis habere naturam, non potui tantam in Phyſica & craſſam perferre inſcitiæ umbram & nubẽ, quin peculiari capite à lumine noſtro diſcuterem has Peripatheticorum tenebras.

Lux & lumen non differunt. Probatur lucem non eſſe qualitatem ſex argumentis.

Lux ergò ſive lumen (non enim differentiam ullam inter hæc nomina pono) qualitatis eſſentiam induere non poteſt, ſex potiſſimum rationibus, & argumentis. Primò, ſi qualitas eſſet, proprietates qualitatis haberet, & ſeſe pedetentim & ſucceſſivè in ſubjecta ſibi propria & peculiaria diffunderet & inſinuaret,

N ut

1. ut qualitatis proprium est, quod minimè luci competit, imò contrarium, cùm mox & in uno instanti, corpora diaphana integra penetrare conspiciatur, ut ex lumine solis clarum est, quod ab Oriente, in Occidens totum aëris spatium undiquaque & instanti penetrat & actuat. Secundò, qualitatis adventus naturalem subjecti dispositionem immutare videtur, at luce adveniente nullam prorsus diaphanum corpus suscepit mutationem. Tertio qualitas ut in subjectum extendatur, determinatum spatium requirit: at lux in diaphanum nullo prorsus ejus limite aut termino circumscripta diffundi solet. Quartò ablata causâ qualitatem efficiente atq; introducente, subjectum qualitatem illam sibi impressam diu retinere & conservare videmus, (cujus quidem rei fervens aqua, jam ab igne seclusa, certissimam fidem nobis efficere potest.) at illuminante remotè diaphanum universam suam lucem an ittere cernes. Quintò qualitas cum proprio simul subjecto movetur: at lux quatenus diaphanum illuminare conspicitur, propter aëris, aut aquæ ubi residet mutationem, ne minimum quidem movetur. Sextò plures ejusdem speciei qualitates, idem subjectum afficientes confunduntur, simulq; permiscentur, & in unum componuntur; ut plura lumina in unum conjungi minimè possunt; lux enim ignis, lampadis, & solis quamvis simul in uno & eodem aëris spatio præluceant, distinguuntur invicem & discriminantur, nec in unam & eandem coëunt lucem. Hæ sunt rationes & argumenta inexpugnabilia quibus utitur Leo Hebræus ad probandum & confirmandum lucem, veram esse substantiã, nec ullas habere qualitatis qualitates. Sed spirituosę cujusdam substantiæ actum habere, quibus ego argumentis addam & ea omnia quę de luce dicta sunt in hoc primo libro, quæ esse non possent & veritatis habere scintillas, nisi lux vera, esset substantia. Qua ratione enim componeret omnia, misceret elementa, ac temperaret, nutriret ac foveret cuncta, ni substantię rationem haberet accidentis ne esset, commissum tantum naturæ opus & onus, & cujus tantum est inesse & adhærere, posset ne producere radicales sui substantias, sine existentia verè reali & substantiali, hoc solùm imaginari non possum, producere posse, & nõ existere nisi beneficio alterius.

Qualitas mutat substantiam. 2. 3. 4. 5. 6.

Lux componit omnia & perinde est substantia.

Ut hæc quæ de luce diximus vera esse fateantur omnes Philosophi, hisce rationibus & argumentis addam authoritatem Leonis Hebræi Philosophi acutissimi, cujus authoritates rationibus ferè præponderant: ille enim circa principium dialogi tertii de amore in hæc verba prærumpit: Quin illud quoque audacter proferam, quod lux solaris neque corpus, neque corporis affectio, aut qualitas aut accidens, sicut quidam ignobiles Philosophi existimarunt

Leo Hebræus lucem ait esse substantiam.

marunt

Lux solis est forma ejus.

marunt sibique falsò persuaserunt, debet existimari: At lux solis non accidens sed ejus spiritalis quædam forma, ab intelligibili divinaque luce profecta atque formata existimari debet, quæ ad cætera astra, deinde traducta, eorum quoque perfectio, ac forma spiritualis existit: hæc eadem lux corporali ratione postea, ut forma igni, cæterisq; luminosis corporibus in inferiori mundo residentibus communicatur ac impertitur, & inferiùs ait, nec alia ratione, diaphano lumen assistit quàm intellectus sive intelligens anima corpori, quæ cum ipso assistente, & ut ita dicam essentiali quadam ratione conjungitur & copulatur, nequaquam autem cum eo permiscetur, ex quo fit, ut mens, nec propter corporis mutationes permutari, neque propter ejus interitum occidere jure dicatur, hactenus Leo Hebræus, cujus verba verbo ad verbum recitare volui & his inscribere cartis, ut Hebræi illius Cabalistæ opinionem & sententiam de luce in medium afferrẽ, & quàm distet ab opinione Aristotelis videant omnes, & percipiant an lux creata cœlestis quæ nos illuminat & quæ verè nos nutrit & alit, qualitatis an substantiæ habeat naturam & rationem.

Lux cœlestis nos nutrit & alit.

Lucem esse formam

Sic rationibus quam multis & authoritate tanti viri confirmata nostra sententia, nullo pacto ambigere debemus quin lux creata quę nos illuminat, tum cœlestis, tum aliorum corporum omnium lucidorum & quæ in corporibus diaphanis & perspicuis recipitur, sit vera & realis substantia, & forma vera spiritualis essentiæ rerum omnium quibus adest: quod etiam confirmari potest invito ipsomet Aristotele qui quamvis sentiat lucem puram esse qualitatem, & accidentis sapere naturam & conditionem definit rerum mortem, extinctionem calidi illius innati quod vitam constituit, si ergò vita sit lux, cum extinguatur per mortem rerum ex Aristotelis sententia, nihil enim extingui potest, quin lucis cõditiones habeat, & vita sit substantia per eundem Aristotelẽ multis in locis, hinc ex Aristotele ipso concludimus lucem esse substantiam & vitalem omninò formam. Sic Aristotelem ipsum veritati refragantem. veritatis ipsiusmet assertorem, ex definitionibus vitæ & mortis in ipsummet retortis commonstramus. in confirmationẽ conclusionis nostræ: non propterea Aristotele ipso me subtiliorem aut doctiorem profiteor: at in gratiam veritatis ipsimet Aristoteli refragari cogor, amicus quidem Aristoteles, & amicus Plato, sed magis amica veritas.

concluditur veramque esse substantiam spiritualem.

Lux est substantia ex Aristotelis sententia.

Panchymici Libri primi

FINIS.



PANCHYMICI SEU ANATOMIÆ TOTIUS UNIVERSI.

LIBER SECUNDUS.

In quo quicquid in toto cœli ſpatio continetur, quid ſit & quibus conſtituatur, Chymicè indagatur & perquiritur.

Cœlum quid propriè ſit ex Chymicorum doctrina.

CAPUT I.

Philoſophi ſpagyrici qua ratione potuerint cœli rationē & naturam indagare.



Va virtute mentis & animi vigore potuerunt Philoſophi Spagyrici, cœli naturam & eſſentiam indagare, difficilis non eſt inquiſitionis cùm experientia quotidiana comprobetur, mixta omnia ſublunaria cœlum componere, & unà cum elementis concurrere ad generationem mixtorum, ſi ergò mixtorum naturam omnem indagarunt & cognoverunt: Si cœlum ſit præcipua naturæ mixtorum ſublunarium pars, Cœlum inde quid ſit colligi poteſt & cum in mixtis inferioribus lucem inveniamus eorum productricem, tanquam cœli præcipuam partem: Ideò intrepidè docuerunt Chymici, cœlum eſſe lucis creatæ tenuiſſimam partem, cum autem lux illa creata habeatur apud Chymicos omnes, pro materia rerum omnium

Cœlum quid ſit unde colligatur.

mnium prima: Ideo Cœlum ita definire possumus.

Cœlum quid sit. Cœlum est ex materiæ primæ seu lucis creatæ subtilissima parte, concretum corpus, quod igneo seu lucido suo spiritu in altum se sublimavit & elementorum omnium inferiorum corpora, undiquaque circumvallavit, quod Trismegistus Chymicorum coryphæus confirmat his propemodum verbis cumque indistincta fuissent, levia postmodum in excelsam regionem pervolarunt, gravia sub arena humida resederunt. Distinctis libratisque rebus quæ igneo lucidoque spiritu vehebantur emicuit cœlum septem in circulos.

Ante creationem cœli & terræ nihil nisi Deus. Ante creationem cœli & terræ, nihil erat nisi Deus solus, qui in se ipso erat, & nihil ipsemet nisi lumen & vita erat, cùm autem & cœlum & terram & quæ in eis sunt, & mundum universum creaverit, sui luminis & vitæ imaginem quandam & umbram mundo huic, tanquam operi suo, ut suum cognosceretur, communicavit & impertiit, si ergo lux & vita quædam, mundo communicata est, hæc est illa lux & vita *Materia mundi lux & vita.* quæ ope & juvamine alterius increatæ lucis, & vitæ, elementa confusa in materia rerum prima, seduxit & separavit, cœlumque ut præcipuum rerum elementum in altum sublimavit, ut ait Trismegistus in Pymandro, floruit autem splendor *Lux mundi dicitur* sanctus, qui sub arena humidaque natura elementa deduxit: dicitur autem lux & vita quæ materiæ primæ inerat, splendor sanctus quòd à *Splendor sanctus.* lumine sacro & sancto, increato & divino penitus educta sit & procreata, sic Cœlum cernimus ex luce & *Cœlum non ex simplici luce.* vita creatum, non autem ex luce pura & simplici, sine aliis elementis quæ in ipsa luce & materia rerum prima erant, quod & nomen hebraicum quod cœlo inditum est, satis etymologia sua indicat & testatur; dicitur enim Hebraicè Cœlum, *Cœli nomen hebraicum quid indicet* *Schamaim*, quasi *esch umaim* id est ignis & aqua, quasi sit factum & compactum ex igne & aqua, ex igne tanquam ex luce, & ex aqua tanquam ex subtili elementorum aliorũ parte; aqua enim apud antiquos Philósophos & Poëtas, principium fuit rerum omnium, & humida natura, dicitur à Trismegisto, in qua omnia reperiuntur elementa, & sub ejus latitant umbra.

Materia prima purissima pars est lux. Cœlum ergo conflatum esse ex purissima materiæ parte, non ambigendum, quæ purissima pars materiæ primæ, cùm lux sit, non utique negandum cœlum ex luce ortum habere, & supremum & altissimum universi locum occupare, cum lucis proprium sit & naturale, in altum & sursum tendere.

Concluditur quid sit propriè cœlum. His ita positis, & ratione & authoritate confirmatis, nullis difficultatum meandris occupati concludimus, Cœlum esse ex purissima ac subtiliori materiæ parte concretum corpus, in quo vigent & fulgent lux & aqua, tanquam subtilio-

res materiæ primæ partes, quę adeò subtiles sunt & penetrantes, ut propter earum subtilitatē, & penetrationem spiritus cujusdam naturam & essentiam habere dicantur, & cœlum Spiritus etiam dicatur ex abyssi partibus subtilioribus per divinam potentiam eductus, & in septem circulos, seu spatia septem diversa distinctus, ad vitam rerum omnium sublunarium, quam definitionem attulimus capite 14. libri 1. hujus operis, nec distinctam & differentem sed eādem & similem esse asserimus huic nostræ definitioni, quā capite præsenti afferimus, lux enim & aqua subtiliores sunt abyssi, seu materiæ primæ partes, in luce latitat aëris subtilior pars, in aqua clauditur subtilior terrę pars, itaque in cœlo hoc componendo fuerunt omnes subtiliores elementorum omnium partes, ne quis putet ex luce simplici compactum esse, sed ex reliquis etiam elementis, quæ nullo pacto possunt separari à se invicem, in singulis enim singula reperiuntur, lux quæ sæpissimè dicitur cœlum, & materia prima quòd lux in his præniteat, habet reliqua omnia elementa, & singula alia elementa habent etiam lucem secum ita unitam, ut ab ipsa separari non possunt, & quod de elementis dicimus, idem etiam de tribus naturæ principiis confirmandum, nam tria hæc principia ita luci & elementis aliis sunt connexa ut ab invicem sejungi minimè possint: sic tria hæc naturæ principia & quatuor elementa in omnibus rebus reperiuntur, & sunt origo rerum omnium, unde septimum numerum dixerunt Sophi esse cunctorum principium: hinc Linus Poëta vetustissimus

Cœlum componitur ex luce & aqua in luce latitat aër in aqua latitat terra.

Lux habet in se omnia elementa.

Tria principia naturæ in luce latitant. & sic septem sunt in omnibus.

Septima cum venit lux cuncta absolvere cœpit
Omnipotens pater, atq; bonis est septima & ipsa,
Est etiam rerum cunctarum septima origo,
Vnde etiam cœlum stellis errantibus altum
Volvitur & circlis totidem circum undiq; fertur.

Sic cœlum habemus notum, & quibus ex partibus componatur, jam verò persequamur quæ de cœlo supersunt dicenda, ut ejus supellectilem omnem in medium proferre queamus.

An Cœlum sit corpus homogeneum in omnibus suis partibus.

Caput II.

Si cœlum sumatur pro omnibus stellis, planetis & constellationibus, quæ in eo lucent, nullo pacto ambigendum est, quin Cœlum sit corpus heterogeneum, & multis ex partibus diversis & variis compactum: Saturnus enim planeta, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna, sunt inter se differentes, & variæ, ac diversæ cœli partes, & omnes etiam aliæ stellæ, quæ totum cœlum exornant sunt inter se di-

Cœlum est corpus heterogeneum.

versæ; sic Cœlum ex diversis illis, ut variis partibus coadunatum, nullo pacto potest esse corpus homogeneum, & ejusdem & similis substantiæ omni ex parte: Quòd autem planetæ omnes inter se differant & stellæ etiam reliquæ quæ firmamento insunt etiam inter se discriminentur, sat patet ex variis ac distinctis influxibus, qui ex his promanant; sunt enim influxus proprietates & virtutes earum, quæ cum variæ sint ac diversæ, ex formis etiam diversis ac substantiis oriri necesse est, sic cœlum etiam ex formis multis ac substantiis diversis constare necessum erit, & perinde corpus non esse homogeneum, sed valdè heterogeneũ, cum multis ac variis, & distinctis substantiis constituatur.

Planetæ cur variis sunt unde patet, & stellæ omnes.

Sunt etiam Philosophorum multi, qui cœlum etiam ab omnibus stellis, & planetis denudatum & simpliciter & nudè consideratum pro corpore illo raro & diaphano, quod extra micantia sydera cærulei coloris apparet, Heterogeneum Corpus esse dicunt cùm variis ac distinctis partibus constituatur. Ut enim tota Sphæra aëris non continet aërem ejusdem tenuitatis & qualitatis, sed omninò distinctum & differentem; ratione raritatis, tenuitatis & variarum aliarum qualitatum, quæ aërem totum distinguũt in tres regiones distinctas & diversas, & quod in aëre est manifestum, in aliis duobus inferioribus elementis aqua & terra, clariùs adhuc manifestatur, sunt enim aqua, & terra, Corpora Heterogenea valdè, & multis ac variis commixta substantiis. Si hæc substãtiæ varietas reperiatur in tribus naturæ elementis, qua ratione & qua peculiari dote, ab ipsa substantiæ varietate absolvi poterit, & quartum naturæ elementum quod cœlum facimus. Cœlum ergo erit & corpus Heterogeneum & permixtum variis ac multis forma differentibus substantiis, præter illa micantia sydera, quæ in toto illius spatio, tanquam in vestimento quodam prælucentes & radiantes lapides prætiosi, conspiciuntur.

Cœlum nudè consideratum sine stellis est corpus Heterogeneum.

Cùm enim cœlum sit naturę pręcipuum elementum, & generationi, nutritioni & conservationi rerũ infernarum perpetuò invigilet, necesse est ut ab eo defluat in inferiora, omne quod illis necessarium est ad generationem & nutritionem, illud autem varium est, & diversum, cum & generanda, & producenda varia sint, ac diversa, sic quoque cœlũ ex variis rerum productionibus, quibus ut primũ naturę elemẽtũ inservit, Heterogeneũ esse colligim⁹.

Cœlum est præcipuum naturæ elementum & quare.

Unde his ita confirmatis & appertis concludimus cœlum ex omni parte, cum ab omni micanti sydere & astro denudatum, cum variis ac diversis eorumdem astrorum luminibus exornatum, heterogeneũ corpus esse, & variis coadunatũ formis ut reliqua naturę elementa quãvis omnia quæ in cœlo sunt subti-

Concluditur cœlum esse heterogeneum.

lia & tenuia sint in adeo ut spirituosam substantiam participent, ut clariùs videbitur sequenti capite.

In Cœlo qua ratione sint tria naturæ principia & elementa rerum infernarum.

Caput III.

Qua ratione sint in cœlo elementa inferiora & cœlum in inferioribus elementis.

COelum corpus esse mixtũ nullo pacto est ambigendum. Et nescio quibus mentis tenebris obcæcati Philosophorum quamplurimi fuerint, qui cœlum alterius & diversæ esse substantię cum elementis inferioribus esse putant, naturam enim vident universam unam & eandem in omnibus suis partibus, & tamen cœlum extrà naturam collocare volunt, cùm tamen sit naturæ claustrum & firma & ultima paries. Quasi verò Deus aliam peculiarem habuerit materiã ad inferiora mundi facienda hujus, & diversam penitus ab ea, ex qua exteriora & ultima ejusdem mundi fecerit, ex una eademq; materia ac simili prorsus finxit Deus utraque elementa, superiora putà & inferiora, Cœlum scilicet, aër, aqua & terra, quod si in aëre perspicuas lucis scintillas, aquæ & terræ portiunculas subtiliores conspiciamus. Et in aqua ipsa ejusdem lucis, aëris & terræ particulas etiam subtiliores videamus, & in terra pari modo lucis, aëris & aquæ partes puriores introspiciamus. Quid ni etiam pari ratione superiùs ascendendo, in cœlo, aëris, aquæ & terræ partes subtilissimas cernere licebit. Quod enim inferioribus concessit Creator omnium, superioribus non denegavit. Quòd si cœlum concurrat ad productionem rerum infernarum ut masculus quidam, & elementa inferiora tanquam fœmina quædam, hinc arguendum est, cœlum & elementa inferiora esse ejusdem materiæ & essentiæ, cum masculus & fœmina in omnibus naturæ rebus, sint ejusdem materiæ & essentiæ, quòd si etiam producat res inferiores, ejusdem etiam esse materiæ cum inferioribus esse oportet. Nam producens & productum, esse ejusdem essentiæ, nemo ambigit, cùm producens producat suum simile.

Quod est superius est sicut quod est inferius & viceversa.

Producens & productũ ejusdem essentia.

Radii cœlestes & influxus, quibus Cœlum concurrit ad productionem rerum infernarum se habent tanquam spiritus subtiles quidam, qui de cœlo descendunt & se elementis immiscent, & inferiora omnia per mixtionem & elementorum temperiem producunt, atqui spiritus illi cœlestes, sunt ejusdem materiæ cum elementis, non enim alioquin se illis permiscerent & temperarent & unirent ad mixtum unum faciendum homogeneum si diversam genere substantiam invicem haberent. Nullo pacto ergo est ambigendum cœlum & elementa inferiora, esse ejusdem substantiæ generali modo sumptæ, nec ullo pacto inter se distingui nisi per accidens, secun-

Rationes cur cœlum sit ejusdem essentia cum elementis.

ſecundùm raritatem, tenuitatem, groſſitiem, & craſſitiem, & alias ſimiles qualitates, quæ ſubſtantiæ genus non mutant, at variis accidentibus exornant, & tanquam veſte externa induunt & cooperiunt.

Cùm ergò jam nobis appareat, & indubitatæ ſit veritatis, cœlum & elementa eſſe eiusdem ſubſtantiæ, videamus jam quæſtionis noſtræ præcipuum fundamentum & baſim, quâ ratione, tria rerum principia & quatuor elementa in cœlo reperiri queant. Calidum innatum, Humidum primigenium & ſiccum radicale tria ſunt rerum Principia uti probavimus ſuperiori libro, quis autem Philoſophorum negare poterit in cœlo & in omnibus ſui partibus, hæc tria rerum principia reperiri, cùm luceat & ardeat manifeſtò in luce, nonne calor vitalis conjunctus eſt, adeò ut ſeparari nō poſſunt, ubi unum alterum reperiri neceſſe eſt, quòd ſi calor vitalis in luce ſit (alibi enim eſſe non poteſt) & tria imbi eſſe rerum noſtra principia oportet, nam in calore vitali, & calidum innatum, & humidum primigenium, & ſiccum radicale eſſe neceſſum eſt, nam calor ille vitalis eget perpetuo humido primigenio, ad ſui pabulum, itaq, uniatur & cōjūgàtur illi oportet, ad ſe ipſum ſuſtinendum & conſervandum, nodus autem & vinculum illius unionis, caloris innati & humidi primigenii, eſt ſiccum radicale, uti probavimus multis in locis, & capite ſuo peculiari de ſale, tertio rerum principio: Ergò cùm in cœlo lux ſit, vita etiam eſt, & cùm vita in cœlo ſit, calidum innatum, humidum primigenium & ſiccum radicale in cœlo eſſe neceſſe eſt, quum hæc vitam ſequantur.

Quo modo elementa & tria principia in cœlo ſint.

Quatuor autem eſſe, & reperiri in cœlo elementa probatu facillimū eſt, ex eo quod in eo reperiantur tria rerum principia ſupradicta, illa enim ſeparari non poſſunt ab elementis. Si hæc reperiantur in cœlo, ut probatum eſt, & hæc etiam reperiri contingit, cum ſint invicem inſeparabilia: nec una ſine aliorum conſortio exiſtere poſſunt, hæc eſt enim catena aurea naturæ, omnia in omnibus eſſe. Si ergo ſint omnia in cœlo, quo modo ſint quærere oportet, non ſunt enim pari, ac ſimili prorſus ratione, ut in elementis inferioribus: ſunt enim omnia videlicet & tria rerum principia, & elementa reliqua, ſublimata penitus & attenuata valdè, ut puriſſima ſint & ab omni elemētorum ſpurcitie víndicata, adeò ut ſi cœlum elementis inferioribus comparetur, videatur & appareat cœlum quædam forma à corpore ſuo ſeparata, & elementa inferiora, quoddam corpus mortuum & exanimatum ſunt tamen corpus & forma ejusdem eſſentiæ, differunt tantùm quòd forma ſit ſubtiliſſimum corporis, & corpus ſit reliquum, quod ex ſubtiliſſimo relinquitur. Sic cœlum eſt ſubtiliſſimum materiç mundi. Elementa inferiora, ſunt reliquiæ quæ ſuperfuerunt ex

Vbi reperiūtur tria rerū principi. ibi etiā reperiuntur elementa quatuor.

Omnia in omnibus ſunt.

Cœlū quid. Elementa quid.

O ele-

electione & sublimatione partium subtilissimarum materiæ mundi, ita ut elementa omnia, quæ in partem illam subtilissimam evolarunt, ad cœlum fabricandum, sint subtilissima & purissima. Reliqua verò elementa quæ in inferiorem partẽ remanserunt ad inferiora elementa constituenda sunt fæx, & recrementum materiæ mundi, itaque videntur elementa inferiora respectu cœli, corpora ferè mortua, nisi perpetuo cœli influxu, tanquam vitali nectare instaurentur.

In cœlo sunt tria rerum principia & quatuor elementa.

Sunt ergò tria rerum principia, & elementa inferiora in cœlo, subtilissima & purissima, & formæ cujusdam imaginem habentia, quæ corporis sui similem habet & eandem substantiam, subtilissimum enim est sui corporis, & corpus est crassum & spissum quod superest, sic de cœlo, & elementis est arguendum.

An cœlum moveatur, & unde motus eius.

CAP. IV.

Lux est principium motus.

DOminus multis in locis Lucem, principiũ esse mot⁹ cujuscumque, cum calorem vitalem & calidum innatum non distinguamus à luce, lux enim & vita idem sunt; itaque si vita sit motus principium, lux item erit & motus principium. Cùm autem lux vigeat & præniteat in cœlis, cœlos indè moveri contingit, nihil est in toto orbe, totiusque naturæ ambitu, quod motum naturalem habeat, quin illũ habeat à luce illa interna, quam habet: est enim lux illa, ut probavimus, eorum forma, eorũ natura, itaq; cùm natura sit principium motus & quietis uniuscujuscumq; rei, natura cœli & forma cœli, erit principium ipsius cœli motus: Lucẽ verò esse formam cœli, & ejus naturam inde patet, quòd factum fuerit cœlum ex luce, seu ex subtiliori materiæ primæ parte, ut capite primo probatum fuit huius libri, quòd si etiam forma cujuscũq; rei ex luce ortum habeat uti etiam probatum fuit ultimis primi libri capitulis, quid jam imus inficias, cœli formam ex luce non ortũ habere, & ex luce sua motum habere.

Omnia moventur à luce interna quam habẽt

qua est natura cuiuscumq; rei.

Objicitur formam cœli lucidam esse non lucem.

Nec est objiciendum formam cœli lucidam quidem esse & lucem effundere ut proprietatem & qualitatem quandam propriam & sibi innatam, non tamen lucem esse, quia lux ex cœlo effunditur, forma verò manet immota, & semper persistens in eius substantia, & perindè lux movebitur, cùm ex cœlo effundatur, & indè lux non movebit cœlos, at movebitur ex hisdem, cùm ex hisdem effluat: ad hanc objectionem diluendam necessarium est explicare, & dicere lucidam substantiam nõ emittere lucem ex se ipsa, tanquam proprietatem quandam & nudam qualitatem substantiæ nõ in hærentem, & à substantia separabilem, sed emittere lucem tanquam spiritum quendam subtilissimæ substantiæ, qui spiritus effluens lucis, eiusdẽ est sub-

Solutio.

substantiæ cum ipsa luce, itaq; si lux sit substantia, emittet ex se ipsa aliã lucem effluentem tenuissimæ substantiæ, quæ erit veluti ejus spiritus. Itaq; ex his duplicem facim⁹ lucem, permanentem unam & radicalem, quæ totius est motus principium, aliam verò infixam & volatilem seu effluentem lucem, quæ spiritus lucis est, similis & eiusdem cũ priori substantiæ, hęc movetur ab alia radicali & permanente luce; & non movet cœlos, sed movet deinde inferiora elementa ad mixtionem, sic cœlum in inferiora elementa descendit, & totam rerum naturam permeat, & movet, quod accidenti & qualitati non permitteretur, & id mediante luce, quam ex se ipso effundit. Lux item habet proprietates, & qualitates quasdam ut substantiæ proprium est, sunt autem lucis proprietates & qualitates illuminatio, corruscatio, claritas, tenuitas, raritas, penetratio, extensio in infinitũ, aut saltem longissimum spatium, & remissio in paucum & strictum spatium, & aliæ multæ qualitates, quæ ex spirituosa forma, & essentia lucis ortũ habent: Itaque cum tantas, & tam miras ac stupendas habeat proprietates non mirum est, si lucem substãtiam esse profiteamur, & veram cœli substantiam, & formam & naturam esse contendamus, à qua motũ cœlestem esse non diffidendum, cùm autem motus cœlestis circularis sit, & in gyrum vertatur, inde etiam peculiari circũstantia ex luce esse colligitur, cùm enim cœlum, omnesq; ejus partes ex luce sint, luxq; in altũ & sublime feratur, cumq; non possit in infinitum altitudinis spatium sublimari, at certos limiteq; terminatos habuerit sublimationis modos, in quibus coagulata fuerit & corpus facta, inde sequitur, cùm altiùs se sublimare non posset, & motus haberet in se principium, quòd se in gyrum vertat, & circularé habeat motum, quæ enim recta ferri & moveri non possunt, gyrant circum circa, si motus eo nõ impediatur. Sic de cœlo arguendum est, materia cœli, cùm tenuis valdè lucida, ac subtilis fuerit, sublimioré mundi partem occupata est, & cùm terminos ac limites à creatore summo habuerit suæ elevationis, quos transire non potuit, & cùm æqualiter à centro suo ad terminos illos, tanquam ad superficiem quandam elevata & sublimata est, hinc terminus suus & superficies circularis & rotunda facta est, & cùm motum naturalem habuerit ipsamet materia in altum sublimata, sic motũ etiam retinet circulariter in superficie illa rotunda se moventem, cùm se altiùs, & recta movere non possit, ut ex se satis notum habemus, at ex sequenti figura, luce clarius omnibus manifestum, & compertum erit.

Lux emittit lucem effluentem quæ est spiritus vitæ.

Accidens non movet, sed movetur, substãtia movet & movetur à seipsa.

Motus circularis in cœlo unde fiat.

Vndenam cœlum rotundum sit.



Globulus ille niger qui in medio circuli positus est, repræsentat nobis materiam mundi, chaos illud confusum & hyle rerum, quod omnia secum habebat indistincta & confusa, ut illicò creatum fuerit, & ex nihili fonte eductum, quæ illi inerant tenuia & subtilia valdè spiritu lucis turgida, ac plena in excelsam regionem pervolarunt. Cum autem illis datum sit certum ac determinatum spatium, in quod se extendere possint, non enim in infinitum altitudinis spatium se extendere datum fuit, sed in certum ac determinatum. Lineæ illæ, quæ à globulo illo nigro egrediuntur, & in altum tendunt, repræsentant materiam cœlestem, quæ ex chaos & hyle seu materia prima mundi, undiquaq; egressa est, & altum petiit circulus ultimus lineas omnes terminans, cœlum jam factum ex illa tenui materia, ex materia prima evolante sursum, nobis exhibet, vel spatium illud, quod prætergredi non poterat, materia illa tenuis & subtilis ex qua fieri cœlum oportebat, his ita positis, & oculo ipsi obiectis nonne fatendum est, materiam illam tenuem & subtilem, ex materia mundi egredientem & in altum tendentẽ, cum undiquaq; æqualiter ex materia prima efflueret, se in circulum componeret, cum una pars altera magis & altius non se extendere posset, & cum naturalem habuerit motum in altum tendere ibi cum altius se extendere non posset, non quievit, quia moveri oportebat, ut sua natura postulabat, superest Ergò necess-

Concluditur cœlum moveri circulariter, & aliter moveri non posse.

cessariò vi circulariter moveatur in loco ipso, & circa ipsum, quod illi determinatum fuit, cum altiùs, nec retrò moveri possit, hisce de causis concludere necesse est Cœlum moveri à se ipso, & ex natura sua lucis plena, tenui ac subtili, ad motum proclivi, & moveri circulariter cùm aliter moveri non possit.

An Cœlum vivat, & quâ vita vivat, & an emittat vitales spiritus in inferiora.

CAP. VI.

Mundus est animal quoddam Sententia quorundam Philosophorum.

MUndum universum fecerunt quamplurimi Philosophorum Hebræorum, Græcorum, & Ægyptiorum animal quoddam vita plenum, at quâ vitâ viveret, perperam multi eorum interpretati sunt. Ratione & intellectu fecerunt participem futili cum ratione, & inani penitus intellectu: Philo Judæus, & Rabby Moyses, & alii multi ex Arabum & Caldæorum familia. Quam sententiam tanquam inanem penitus & ratione vacuam relinquam intactam, & ex se ipsa satis confutatam, non enim in cœlo materia idonea & conveniens reperitur, ad animam rationalem, nec ad animam sentientem & vegetantem recipiendam, quamvis lux reperiatur, & materia elementorum, quæ actus illos sentientes & vegetantes in inferioribus rebus particulariter præparatis & peculiari modo dispositis educere possunt. Ut enim nec terra tota, nec aqua, nec aër, à luce sua, quam internam & naturalem habent, ita possunt disponi & præparari, ut sentientes vel vegetâtes in toto suo corpore habere queant actus, & ita dici queant animalia sentientia, vel vegetantia, pari etiam ratione nec Cœlum ullo pacto potest præparari & disponi ad actû illum formæ sentientis, vel vegetantis habendum, itaque si nullus Philosophorum antiquorum reperiatur qui aquam, terram & aërem animata esse dixerit, anima vegetanti vel sentienti, quamvis lucem habeant & spiritus lucis, ex quibus actus harum animarum fiunt & educuntur. Ex quibus rationibus cœlum esse animatum vegetanti vel sentienti aliquo actu, dixerint non video, nisi animatum dicant & asserant, tanquam luce actuatum & informatum. Nam lux quæ corpus cœli actuat & informat, impropriè & latissimo loquendi genere potest dici anima, sed anima tantum informans & actuans simpliciter, sine ullis aliis peculiaribus, & propriis animæ sentientis, vel vegetantis facultatibus, quæ peculiarem expetunt materiæ dispositionem & præparationem ad has facultates & energias educendas.

Cœlum non potest præparari ad animam sentiẽtem vel vegetantem recipiendã.

Cœlum qua ratione animatum.

Qua ratione sunt interpretandi qui

Ita interpretandi sunt Philosophi antiqui, mundum hunc anima-

mundum animatum dixerunt.

tum esse asserentes, hoc est luce vitali & calore plenum & turgidum, quæ lux & calor vitalis, cum mundi huius sit forma actuans & informans ipsum, ideo dici potest anima simpliciter actuans & informans, & ab ea mundus dici potest animatus, hoc est informatus & simpliciter actuatus. Et quod de mundo asserimus, idem de cœlo, & aliis elementis enarrare & enunciare valemus. Et dicere cœlum esse animatum, hoc est forma aliqua informatum & actuatum: cùm forma generaliter loquendo, dici possit anima, cum informet & actuet, ut ipsa forma, quæ cùm sit lucis & vitæ plena, ut multis in locis probavimus & peculiari suo capite 45. libri primi huius operis, non dubitamus, quin actus quos educit in materia cœli, sint etiam vitales in cœlo, ut sunt in omnibus naturalibus rebus, quæ ab ipsa luce & elementis producuntur, at vitales dicuntur actus, non quòd à facultate sensitiva vel vegetabili oriantur, at quòd à substantia vitali, & calido innato rerum, quòd verè vita dicitur in omnibus, educantur. Quid est in rerum natura, quod justiori titulo possit vitale nuncupari, quàm id quod verè & immediate è vita ipsa, & substantia vitali, & calido innato oritur, esse autem, est præcipuus vitæ actus, nam esse vivere est, ut diximus superiùs, cùm omne esse dependeat ab ipsa vita, & luce, quæ omne esse constituit: Si ergò Cœlum habeat esse, ut nemo

Forma generaliter potest dici anima.

Esse est primus actus vitæ, vegetare est secũdus, sentire est tertius, ratiocinari est quartus vitæ grad9.

Philosophorum refragatur. Quis cœlum vivere cum habeat esse, negabit, nec est quod rideant Peripathetici, quòd nos esse vivere dicamus, cum primus actus ipsius vitæ, sit esse, secundus vegetare, tertius gradus vitæ sentire est, quartus verò & ultimus, est ratione uti & intelligere, quòd si Peripathetici non attribuant vitæ nomen, nisi secundo, tertio, & quarto vitæ gradui, ridendi sunt ipsi, quòd obliti sint vitæ primi gradus, nam si esse simpliciter sumit originem à substantia vitali calidi innati & à vita ipsa, quæ est rerum omnium fundamentum & basis, & centrum, è quo omnia educta sunt, esse erit primus vitæ gradus, & esse vivere erit.

Esse quomodo vivere sit

Si ergò Cœlum vivat, cùm habeat esse, jam nemo inficias ibit, quin suo modo vitales ex se ipso, in inferiora effundat spiritus, non secus ac reliqua cuncta quæ simplicis esse, seu vitæ gradum primum obtinent, ut sunt elementa reliqua, quæ halitus ex se emittunt tenues & subtiles, qui cùm ex luce seu vitali substantia, & calido innato cuiuscumq, elementi prodeant, eatenus vitales dici & nũcupari possunt. Sic etiam in cœlo halitus illi tenues ac subtiles, qui influxus dicuntur, quòd è forma cœli, & calido innato suo, & substantia vitali educantur, vitales jure merito nuncupari possunt, & duplici quidem ratione, prima quòd è forma cœli, quæ vita dicitur, eliciantur, secunda quòd vitam verè vitalem in omni-

Cœlum quomodo vitales effundat spiritus.

Influxus cælestes spiritus vitales sunt.

omnibus naturæ generibus producant: mineralia enim omnia, vegetantia & animalia cuncta, ex cœlo beneficio spirituum eius vitam habent, habent enim spiritus cœli, ut probatum est primo libro huius operis, quidquid opus est ad vitâ infernarum rerum producendam: itaque jure merito vitales dicentur. Experientiâ etiam quotidianâ comprobatur vitam inferiorem produci, conservari, & nutriri ab spiritibus illis cœlestibus: Nam si Sol lunaque ecclypsem ac defectum patiantur, adeo ut momento quasi temporis ab influxibus suis & spiritibus priventur, inferiora sequuntur illicò sterilitates ingentes, & annonæ caritates, & mortes frequentes & copiosæ; quid sequeretur quæso, si cœlum universum defectum pateretur & Deus divina sua & omnipotenti virtute, effluentes illos è cœlo spiritus, aut perderet, aut impediret, ne in inferiora laberentur, animalium certè totum genus, vegetantiumque imo & mineralium tota supellex in Chaos suum & Hyle rediret, imo tota machina mundi in nihilum corrueret, si spirituum illorum fontem inexhaustum Deus exhauriret; & annihilaret. Est enim fons spirituum illorum, forma & essentia mundi, quæ non potest annihilari & destrui, nisi totus destruatur mundus.

Probatur influxus cœlestes vitam inferioribus producere.

Fons lucis est forma mundi. quæ non potest destrui nisi destruatur mundus.

Ratum ergo sit, & rationibus & experientiis confirmatum. Cœlum vivese, & vitæ primum gradum obtinere, qui est esse, & ex illo esse seu primo vitæ gradu, vitales suos effundere spiritus in inferiora ad vitam rerum infernarum producendam, conservandam, & nutriendam.

Cōcluditur cœlos vivere primo vitæ gradu qui est esse.

An Cœlum habeat lucem pro forma sua essentiali & verè substantiali.

CAP. VI.

COElum habere formam, à quâ habeat existentiam in rerum natura, nemo ambiget, quid autem sit illa forma, pauci norunt, etsi in propatulo sit; & coram omnibus luceat. Primo capite huius libri rationibus multis, & argumentis patefecimus, quid esset Cœlum in intimis sui thalamis, ex quibus satis notum fuit, lucem veram esse & legitimam ac naturalem cœli formā Jam verò iterum dilucidiùs multò hanc quæstionem agitavimus, & lucem veram esse substantiam & cœli formā naturalem comonstravimus.

Lux est forma cœli.

Cœli forma est illud, à quo cœlum habet esse suū proprietates omnes, virtutes & energias, cùm forma sit ex Philosophorum omnium authoritate id quod dat esse rei, & à quo fluunt omnes proprietates & virtutes, tanquam à proprio & innato fonte. At certissimum est, & sine mēdacio verùm, lucē dare & constituere cœlo esse suum, & omnes proprietates & virtutes, quæ ex cœlo effluunt, ex luce sola profluere, ac depen-

Lux constituit esse cœlo.

pendere, tanquam ab unico suo principio, sine enim luce tali cœlum non esset cœlum, nec ab eo fluerent tales proprietates & virtutes, ex luce sunt & cum luce descendunt, tolle lucem, & reliqua quæ ex cœlo sunt, & cœlum ipsum tolli necesse est, ergo ex his patet lucem esse veram ac legitimam cœli formam essentialem.

Probatur multis rationibus lucem esse formam cœli.

Patet etiam cœlum suam habere essentiam & substantiam ex luce sola, quòd nisi lux, quæ in materia mundi subtilior erat eius pars, in altum se sublimasset, cœlum non fuisse, quia solum ex ipsa luce, in altum se sublimante, factum fuit cœlum, crassior siquidē, & spissior pars materiæ mundi, sursum ferri nō potuit, nec ergo ex illa materia factum est cœlum, superest ergò ut ex subtiliori factum sit. Lux autem ut experientia patet, subtilior est pars omnibus aliis partibus, ex quibus mundus est factus, ergò cœlum suprema pars mundi, ex luce factū est, & cùm lux in omnibus reb' quas cōponit, sit illis tanquam spiritualis quædam substantia, & elementa quæ semper lucem sequuntur inseparabilia se habent ut corpus. Sic etiam lux erit in omnibus rebus vera forma essentialis, & elementa erunt veluti corpus, sic pariter in cœlo lux erit forma essentialis, elementa verò erunt corpus & vestimētum ipsius formæ, forma siquidē est subtilior pars corporis uniuscuiuscumq;, lux autem est subtilior pars, ergo lux etiam erit forma cuiuscumq; corporis, & perindè erit vera & essentialis cœli forma.

Lux quid sit in rebus omnibus.

Sulphuris innati, seu calidi naturalis & vitalis præcipua pars, est forma cuiuscūq; rei, atqui pars illa præcipua sulphuris vitæ est ipsamet lux, ergò ipsamet lux erit forma cuiuscumq; corporis: fons item & scaturigo actionum omnium est forma in omnibus, atqui lux est scaturigo & fons actionum omnium, luce enim extincta seu calido illo innato extincto quod idem est cum luce, cessant actiones omnes & sequitur mors, ergo cùm lux sit actionū fons in omnibus, erit etiam & forma in omnibus, & perindè lucem formam esse cœli essentialem & substantialem nemo ambiget.

Lux est origo & fons omnium actionum.

De partibus Cæli distinctis diversis ac heterogeneis.

CAP. VII.

PRobavimus capite secundo hujus libri 2. cœlum esse corpus heterogeneum, varias ac diversas habere substantias, extra micantia illa sydera, quibus ornatur undiquaq;. Iam verò disquirendum est, quæ sint illæ diversæ partes in cœlo, quæ in ipso diversas constituunt formas, & qua mixtionis lege, & temperamento lux quæ universas cœli partes composuit, eas diversas fecerit.

Notum est omnibus partes Septētrionales & Australes cœli à partibus Meridionalibus, & Orientales ab Occidentalibus distingui, varias omni-

Cœli partes omnes differentes.

omninò esse & differentes, quòd ex effectibus earum partium distinctis ac diversis comprobatur, omnia siquidem quæ nascuntur & prodeunt in Septemtrione, diversa sunt omni ex parte, ab his quæ in Meridie nascuntur, & quæ in Oriente Oriuntur, diversa sunt omninò ab his quæ in Occidente prodeunt, effectus ergo diversi ac penitus varii causas varias, & diversas testantur, partes autem hæ cœli sunt causæ efficientes & materiales horum effectuum diversorum in diversis terræ partibus, ergò etiam erunt differentes & variæ, si ergò sint variæ & diversæ, ut verè sunt, qua mixtionis lege diversitatem illam ac differentiam nactæ sunt: nonne lux & materia illa subtilis & tenuis valde, quæ ex materia mundi egressa est, & sursum sublimata, ad cœlum efficiendum, nonne inquam, illa materia æqualis omni ex parte & homogenea fuit, & elementa æqualiter miscuit & tẽperavit ad cœlum compingendum, fuit quidem æqualis & homogenea, at loca diversa & varia fuerunt, ad quæ sublimata fuit hæc mundi materia, ubi mixtiones varias ac distinctas passa est, non ex causa efficiente mixtionem, nec ex materia ipsa, sed à loco, in quo facta est mixtio: locus enim mutat generatum; plurimum enim confert ad generationem, & mutat & cogit causam efficientem se accommodare sui ipsius naturæ, ut patet in omnibus ferè generationibus, in quibus vigor & virtus seminis permutatur ex loci temperamẽto vario ac diverso. Sic cœli materia permutata est, ex loco diverso ac vario. Vt etiam mutata est in reliquis elementis, singulorum enim elemẽtorum fuit una & eadem homogenea materia. At ubi fuit ex materia mundi expressa ad compositionem sui peculiaris elementi, locus illicò ex diversitate & varietate sua mutavit materiam, hinc elementa singula variis constant partibus ex varietate loci.

Qua ratione probatur cœlum constitui diversis partibus.

Quã ratione partes diversæ factæ fuerint in cœlo, ope loci

Locus mutat materiã

Nec est objiciendum locum tunc temporis varium ac diversum non fuisse, cùm non esset ullo pacto, erat enim tantùm Deus qui locus erat sui ipsius, & rerum omnium, quæ adhuc non erant. Creando res, creavit & locum earum. Itaque si creando res creaverit & locum, dicimus nos locum fuisse prius locato, saltem prioritate naturæ, & ideo habuisse potentiam ac virtutem mutandi & alterandi locatum, Deus enim dedit illi talem potentiam ac virtutem, quã adhuc retinet. Si ergo Deus creaverit priùs locú locato; ut ex ordine debito & prudenti fieri oportet, virtutem propriam & peculiarem illi dedit, quam statim ipse locato suo advenienti communicavit: sic elementa singula varias obtinuerunt virtutes, & proprietates, imò formas & essentias varias ex diversis loci partibus, quas occupant.

Deus creando natura creavit & locum illius eodem instanti.

Sic etiam cœlum varias habet formas & essentias, ex diversis loci partibus, quas in mundo occupat. Sunt

autem hæ partes, quæ visibiles inter se differunt Septentrionales, Meridionales, Orientales & Occidentales potissimum & australes. Et in Septentrione multæ & variæ inter se differentes, & pariter in Meridie, Oriente & Occidente, & Australi parte, sic totum cœlum partibus diversis quamplurimis est compactum, lux enim & elementa, quæ cœlum fecerunt, non æqualiter & omni pari modo permixta sunt & temperata, sed diverso modo, omni ex parte, unde ex mixtione illa varia ortæ sunt partes variæ ac diversæ in cœlo, quæ varios habent etiam influx⁹, quibus in terra defluxis, varia ac diversa oriuntur mixtorum genera, quæ varias illas cœli partes testantur, cum ex illis varium sortita sint genus.

Ex mixtione varia lucis cum elementis ortæ sunt partes variæ in cœlo & in tota natura.

Varia autem est mixtio, ex varietate & diversitate loci, quod dũ materia homogenea universi in his locis se exaltaverit, variam acquisiverit dispositioné, ad variam illã mixtionem & temperiem acquirendam, variam verò acquisivit dispositioné & temperiem, quòd lux & elementa omnia quæ inerant materiæ mundi confusè & indistinctè, hoc est quod erant tantum potentia in luce sola, quæ erat tota realis & essentialis in materia mundi, & materia mundi nihil nisi lux & vita creata, sicut creator suus & summus opifex, nihil nisi lux & vita increata.

Lux actu in natura mũdi elementa potentia.

Lux ergo sola actu in materia mũdi, reliqua verò elementa potentia tantum, & occulto modo erant in ipsa materia, seu luce, quæ verè erat materia mundi, & sic verè erat homogenea illa mundi materia, cum nihil nisi lux esset, quæ ad varias mũdi partes se sublimaverit, eduxit elementa ex potentia sua, in lucem & ortum diversis eorum et gradib⁹, Ita ut in partibus Septentrionalib⁹ plurimũ sit aquæ & cœli, minus verò aëris & terræ, lux autẽ ut quinta essẽtia æqualiter ubiq; diffusa est, ut tẽperiem illam & mixtionem elementorum quã fecerat, continuò fovere & sustinere possit, in partibus verò meridionalibus, cùm medium cœli occupent, & cœli centrum habeantur, lux miscuit plurimum cœli & aëris, & terræ, & aquæ minus, & ut uno verbo dicã, partes hæ Meridionales sunt subtiliores aliis partibus, quòd sint in medio cœli, subtile enim, & potens mediũ occupat: crassum & minus potens extremas occupat partes, ideò partes Australes & Septentrionales minus subtiles, & minus potentes habentur, & infirmiores partibus meridionalibus, Id autem non ex alia potest exoriri causa, nisi quòd elementa subtiliora & in agendo potentiora prævalent in hisce partibus, in aliis verò minus vigeant, & ideo infirmiores esse.

Partes cœli australes, Septentrionales, Meridionales & alia quæ mixtionis lege factæ sint.

Partes australes & Septentrionales quare cæteris partibus cœli infirmiores.

Orientales autem partes differũt ab Occidentalibus, compositione etiam differenti & mixtione, plus enim aëris & cœli cum maxima luce, minus verò terræ & aquæ, habent partes Orientales, quàm partes Occiden-

Orientales cœli partes cur prævaleant Occidentalibus.

cidentales, ideo partes Occidentales minus habent lucis, & minus energiæ & virtutis partibus Orientalibus: Oriens prænitet & prælucet Occaso, & omnia etiam quæ nascũtur in Oriẽte, efficaciora sunt & plus virtutis habent, quàm quæ nascuntur in Occidente. Quòd lux & elementa quæ vigent in Oriente, efficaciora sint & potentiora, quàm quę sunt in Occidente.

Australes etiam partes ab his omnibus meridionalibus, Orientalibus & Occidentalibus partibus differunt, quòd Septentrionalibus similes sint, & similem sortiãtur, cum Septentrione mixtionem & temperamentum. Ideò quæ in Australibus partibus reperiuntur, similia sunt his omnibus quæ in Septentrione nascuntur, frigus occupat, & glacies hasce mundi partes. Et ideò partes etiam cœli, quæ correspondent hisce partibus, minus habent elementorum & lucis, quæ potentiam, vigorem, virtutem & energiam agendi ex se ipsis emittunt copiosiorem & potentiorem, ideo etiam obscuram habent agendi potentiam & obtusam energiam. Nec ridendus sum quòd in diversis cœli partibus enarrandis & distinguendis, plus cœli vel minus cœli in his quàm in aliis collocarim. Sic cœlum esset magis cœlum in una; quàm in alia parte, cùm plus sui ipsius esset in una parte quàm in alia: quia cùm cœlum sit totum heterogeneum & diversis componatur partibus, necessariò sequitur, partes tenuiores & subtiliores participare magis ex natura cœlesti, quàm cœli crassiores partes, sunt tamen omnes cœlestes partes, ut aqua crassa, & aqua subtilis & tenuis, sunt ambæ aquæ, nihilominus plus aquæ est in aqua subtili & tenui, quàm in aqua crassa, & tamen non magis est aqua, subtilis aqua quàm crassa, nisi comparatè.

Quare plus cœli in una parte cœli sit quàm in alia.

Concludamus ergo partes cœli heterogeneas, & diversas, esse ex varia elementorum & lucis mixtione, & temperamento vario, quod ex illa mixtione ortum habet, & ex loci etiam varietate, & distinctione, quæ multum facit & operatur, ad Elementa variè permiscenda & temperanda, lux tamen seu prima materia mundi, semper est fons actionis in omnibus, & in partibus illis, cœli variis constituendis & componendis.

Partes cœli diversæ & distinctæ unde.

An in cœlo sit temperamentum, & qualitates elementorum inferiorum.

CAP. VIII.

Asserimus capite 30. huius secũdi libri elementa & rerum tria principia in cœlo substãtialiter esse, si ergo sint in cœlo tria rerum principia & elementa, necesse est etiã & eorum inesse qualitates & energias, qualitates enim non possunt esse & existere sine earum formis & substantiis, à quibus habẽt esse & è quibus

Probatur cœlum habere temperamentũ.

bus educuntur & emanant, neque etiam hæ possunt esse, & in cœlo subsistere, quin misceantur simul, & in mixtione temperentur, & una fiat altera superior, vel inferior, vel omnes æquali pondere librẽtur, quocumque autem sint modo, sunt semper mixtæ & temperatæ cum eorum formis, & sic semper erit temperamentum vel æquale & ad pondus, vel inæquale, non autem uno & eodẽ ac simili prorsus modo, ac in inferioribus, quia in inferioribus elementis, & mixtis, mixtio & temperamentũ, quod ex illa mixtione exsurgit, debile valdè est, & corruptibile, quia facilis est elementorum inferiorum corruptio, & mutatio ex excrementis multis, quibus turgent elementa inferiora, quę quidem excrementa impediunt perfectam & absolutam elementorum unionem & mixtionem: excrementa enim simul & unà cum elementis permiscẽtur, & ideo elementa ad minimum se miscere & unire nõ possunt, quin & excrementa etiam per minimum misceantur & uniantur unà cum elementis; ita ut eorum dissolutio facilis videatur, cùm & eorum unio non sit absoluta, & perfecta.

Elementa nõ possunt perfectè se unire in inferioribus ratione excrementorũ.

At in cœlo elementa, & tria rerum principia sunt perfectè & absolutè unita, quòd sint pura, & ab omni excremẽto defæcata, ita ut cùm non sint excrementa in elementis, & principiis materiæ cœlestis, non possunt excrementa impedire, quin perfectè misceantur per minimum elementa & principia, in compositione cœli. Itaque cùm in mixtione cœli & eius compositione perfectè sint unita elementa, & tria rerum principia, ita etiã perfectè & absolutè durant in perpetuum Ævum, nec facili negotio possint dissolvi & corrumpi,

In cœlo perfectè uniuntur elemẽta ratione puritatis.

Cœli cur incorruptibiles.

Cùm ergo sint cœli in perpetuum duraturi ex perfecta elementorum omnium & principiorum; quæ in his sunt compositione, & mixtione, temperamẽtum etiam quod in ipsis est, & qualitates, quæ in ipso temperamento reperiuntur, vel æquales vel refractæ sunt etiam in perpetuũ duraturæ, & immutabiles semper erunt; Ita ut cùm sint diversæ cœli partes & heterogeneæ, ita etiam singulæ eius partes, singulas & peculiares habebunt qualitates, & temperamentum etiam singulare & peculiare, at omni modo impermutabile. Partes Septentrionales erũt temperamento frigido & humido, unà cum Australibus partibus, & qualitates & virtutes habebunt huic temperamento correspondentes. Partes Meridionales erunt temperamento calido & sicco, & virtutes habebunt huic temperamento æquales: Orientalęs & Occidentales partes idem & simile observabunt temperamentum & easdem virtutes, cùm semper medium cœli occupent, at ratione Orientis & Occidentis erunt temperamento parum dispari & ad humiditatem inclinante; Partes verò aliæ, quæ hisce partibus interiacent, erunt

Cœlum habet tẽperamentum immutabile.

Temperamentum partium cœlestium.

erunt temperatæ, & temperamentū ad pondus obtinebunt, unde & in Zonis temperatis, quibus respōdēt, temperiem satis ęqualem, quantum ferre potest elementorum inferiorū labilis & fluida temperies, effundūt, sic cœli partes omnes habēt aliquod temperamentum peculiare, & proprium, & virtutes etiam proprias & peculiares, quæ huic temperamento respondent, ut in inferioribus elementis cernere licet: quia elementis inferiorib⁹ ipsas qualitates communicant. Concludimus ergò in cœlo esse temperamentum, & qualitates inferiorum elemētorum, cùm & elementa inferiora formaliter & essentialiter reperiantur in cœlo, at pura & ab omnibus excrementis depurata, ita ut sint perfectè & absolutè inter se mixta & unita cum tribus rerum principiis, & sic in perpetuū duraturi sint cœli, & eorum compositio & mixtio sit indissolubilis, & in perpetuum ævum duratura, cùm nulla habeat excrementa, quibus dissolutio & corruptio fieri potest, videmus enim in inferioribus, quæ puram nacta sunt mixtionem, & ab excrementis ferè omnibus liberam, ut sunt aurum & lapides nonnulli prætiosi, æternum sibi comparare durationis ævum, nec mutare ullo modo temperamentum nec qualitates, & virtutes, at immotas omnino possidere, sic pariter in cœlo, & multò præstantiori modo, cùm & præstantiori sublimationis methodo, elevata ac depurata sint elementa in compositione cœlorum, quàm in compositione lapidum pretiosorum: sic etiam erunt firmiori nexu & repagulo unita, elementa, & tria rerum principia in cœlo, quàm in mixtis inferioribus, ita etiam cœli temperamentum erit incorruptibile & immutabile, & eius etiam virtutes incorruptibiles & immutabiles.

Quæ puram habent mixtionem incorruptibilia sunt.

Cœli temperamentum & virtus cur immutabilis.

An materia mundi, ex qua factum est cœlum fuerit tunc temporis quid simplex & homogeneum, & unde venerit varietas in cœlo.

CAP. IX.

MAteriam mundi explicavimus multis in locis, per transennā tantùm & aridâ valdè loquendi formulâ, jam verò opus est funditùs & radicitùs explicare eius naturam, ut penitus & funditus quid sit mundus, & quæ in eo continentur perdiscamus, non possunt enim ritè cognosci, quæ in mundo sunt, & mundus ipse, quin materia sua, ex qua factus est, cognoscatur.

Materia mundi fuit quid simplex probatur variis rationibus.

Materia ergò prima rerum omnium, ex qua factum est cœlum & reliqua elementa, unà cum reliquis omnibus rebus quæ mundum hanc universum constituunt & componunt, simplex quid fuit & homogeneum omni ex parte, lux enim erat, quæ nihil in se diversum ac dissonū, nec in centro suo, nec in superficie sua coërcebat, sed tota similis & ejusdem substantiæ in omnibus sui partibus, à Deo creata fuit & effor-

mata, ad mundum hunc, & quæ in eo sunt omnia compingenda, quæ ab actu simplici, & omnium simplicissimo prodeunt simplicia esse oportet, quamvis exteriùs prodeant ex illo simplicissimo actu, quia semper actus ille cùm sit suprema voluntas & intelligentia, intendit & vult opera sua, similitudinem quandam saltem adumbratim habere, cum seipso operante. Si ergò Deus simplicissimus sit omnium actus, simplicem etiam & homogeneam fecit materiam primam mundi hujus, ab ipso exteriùs ortum habentem, ut similitudinem quandam, & umbram sui ipsius saltem haberet, ex simplicitate substantiæ, non tamen æqualis, at toto cœlo differens, & ita differés, ut nullo pacto possint ambę æquiparari. Nec modo simplicem voluit Deus esse materiam primā huiusce mundi, at voluit esse lucem, ut majorem haberet cum ipso similitudinem. Deus enim vera lux, at increata, & sempiterna, sine principio & sine fine, lux verò mundi creata est, undiquaque terminata, cum principio; & ex voluntate Dei finem habitura.

Deus est simplicissimus actus & materia mundi ideo simplex cùm ex simplicissimo actu prodierit.

Materia mundi cur lux.

Meditemur quæso, & perspicaci animi nostri luce contemplemur si Deus & primus omnium opifex vera lux, & vita increata & sempiterna sit; quo modo ex intimis illius lucis penetralibus, ab æterno producatur secunda sempiterna lux. Et ab his duab⁹ sempiternis lucibus quomodo ab ęterno etiam procedat tertia lux omninò similis hisce duab⁹. Omnibus ergò patet, Deum fontem & patrem luminum nihil ex fonte suo interiori & intimo profundere, quin lucis habeat naturam & essentiam: lux itaque optima nota, in patre luminum est vera lux, in filio est ipsius bonitatis exuperantia, & splédor illustrans in spiritu sancto, ardens fulgor, ex Hermete Trismegisto, undique ergo lumen ex lumine; ex intimis luminis divini penetralibus. Quòd si ex intimis divini luminis, lux scaturiat, nóne etiam lucem ex exterioribus ejusdem lucis operibus, oriri asseremus, & mundi materiam primam, lucem veram esse, cùm ex luce, illa increata ortum habuerit, & omnia lucis habere naturā, cùm ex luce scaturierint omnia, in Angelis est splendens intelligentia profusumq; gaudium, in homine pellucidus rationis discursus: in cœlestibus splendor visibilis & vitalis vigor: in perspicuis corporibus, color: in opacis virtus quædam benefica & generans, in centro calor crucians & exæstuās, adeò ut omnia lucis beneficia persentiant. Si ergò lux totum occupet mundi spatium, in Cœlo luceat, in elementis fulgeat, in mixtis quibuscumque vigeat, in abysso cruciet & æstuet, quis est, qui lucem materiam primam mundi non esse confitetur. Nihil potest cognosci absque lumine, mundus cognoscitur ergò habet lumen, quo cognoscatur, si ergò habeat lumen quo cognoscatur habet etiam quo est,

Ex luce increata, quomodo quicquid ortum est lucis habuit essentiā

Undique ex lumine lumen.

Lux in omnib⁹ quid sit usq; ad centrum mundi.

unde probatur lucem esse materiā primam rerum omnium.

est, esse enim & cognosci se invicem sequuntur & non possunt separari ab invicē, necesse est ergo cùm mūdus existat & cognoscatur lumen suæ essentiæ & substantię esse veram & unicam causam & basim & fundamentum suæ cognitionis, videre enim & cognoscere mundum non possumus nisi quatenus ipse per radios sui luminis se nobis insinuaverit, lumen ergo suum quo turget est causa suæ cognitionis & existentiæ, & si sit causa existentiæ & cognitionis, erit absque dubio vera & unica materia prima, ex qua factus est, & cùm cœlum sit præcipua pars ac integrans mundi, & ex unica eadem prodierint materia mundus & cœlum, sequitur indè cœlum factum & compactū fuisse ex materia simplici & homogenea, quæ tota lucis naturam & essentiam redolebat.

Homogeneū potest plura producere varia, & diversa.

Undenam autem varietas & diversitas partium, quæ toto cœlo cōspicitur, ortum habet; homogeneum enim & simplex, simile sui producendi habet virtutem & energiam: Dicimus non habere solum hanc unicam virtutē & efficaciam, sed multifariam & pluripotentem possidere potentiam, ex qua virtute multifaria, ex sinu suo quamvis simplici & homogeneo educere potest plura & diversa.

Deus enim creator omnium, & huius simplicis materiæ summus opifex, multiplicem illam potentiam illi concessit, ut posset ex penu sua, sine ullius alterius ope cuncta omnia producere quæ ad mundi ornatum competebāt, hinc elementa omnia surrexerūt & cœlum ipsum. cùm variis suis omnibus ac differētibus partibus in supremas emicuit regiones, hinc terra infimum occupavit, Aër & aqua, medias recesserunt in regiones, & in singulis elementis cuncta varia ac differentia producta sunt ex multiplici illa potentia, quam Deus materiæ primæ concessit.

Vndenam varia producendi potestas in materia prima.

Cœlnditur materiam primam esse quid simplex & habere potentiam omnia producendi.

Concludamus ergò materiam mundi ex qua factum est cœlum, esse quid simplex & homogeneum, lucisq; veram redolere naturam, virtute multifaria, & pluripotenti insignitā, ex qua sola virtute, varia cuncta & differētia, quæ in cœlo reperiuntur, enata sunt, absque ullius alterius ope & ministerio: hæc est ipsa sola res à Deo creata, subiectum omnis mirabilitatis, quę in cœlis, & in terris est, ipsa est actu animalis, vegetalis, & mineralis, ubiq; reperta, à paucissimis cognita, à nullis suo proprio nomine expressa, sed innumeris figuris & ænigmatibus velata, sine qua nihil est, quod suum complemū possit attingere finem, unica est, & ab unitate sumpsit exordium: unū omnium rerum principium est, & usq; ad unum omnia sunt, & ultra ipsum nihil est, & omnia quæ sunt unū ipsum desiderant; quia omnia ab uno processerunt. Et ut sint eadē omnia, ab illo uno participare necesse est, & sicut omnia ab uno in multa processerunt, sic cūcta quæ ad illud unum redire conantur, necesse est

est exuere multitudinem, & simplicitatis acquirere formam, quæ illius lucis primæ omnium materiæ naturam & essentiam habere necesse est.

An cœlum queat accrescere, & decrescere, cùm habeat vitæ principium, accretionis & decretionis fontem.

CAP. X.

Substantia vitalis est accretionis principium.

EX communi & vulgari Philosophorum Axiomate compertum habemus substantiam vitalem esse accretionis & decretionis fontem cùm ipsa substantia vitalis egeat perpetuo alimento, quo accrescendi jus habet, & calorem habeat innatum, qui consumit & perpetuò depopulatur suum alimentum; quo decrescendi vim habet: Si ergò cœlum vitam habeat, & calidum innatum commune cum omnibus rebus possideat, habet etiam quo accrescere & decrescere possit; habet enim humidum primigenium alimētum perpetuum calidi innati, quod illi accrescendi virtutem concedit, & habet etiam calidum innatū, quod humidum illud depopulatur, quodque eo jure decrescendi virtus & energia illi communicatur.

Ratio cur cœlum non queat accrescere & decrescere.

Id omne verum esset ac certissimum, si calidum illud innatum & humidum primigenium illud, quod in luce ac forma substantiali ipsius cœli radicaliter inhæret, imò substantialiter est, implantatum, esset quid fluidum & labile, & perpetuò efflueret, ut contingit in rebus inferioribus, in quibus, cùm calidum illud innatum, & humidum primigenium, quæ formam rerum omnium constituunt, perpetuò effluant & indè perpetuis & perennibus egeāt alimentis, quibus accrescunt, si plus assumatur, quàm consumatur, & decrescunt si plus cōsumatur quàm assumatur: At illud calidum & humidum primigenium, quod est in cœlo, non est fluidum & labile, sed perenne & constans, cùm nullis heterogeneis partibus constituatur, hoc est excrementis nullis, quæ non sunt eiusdem substantiæ, permisceatur, ex quibus solis oritur perpetuus ejusdem substantiæ effluxus, & eiusdem substantiæ renovatio ex alimēti appositione, cùm calidum innatum & humidum primigenium nō possint perfectè & absolutè inter se uniri, & perpetuis pacis & concordiæ legibus devinciri, ab excrementis impedita: hæc autem excrementa non sunt in calido innato, & humido primigenio cœlesti, at funditus sunt ab omni excremento vindicata, & perindè perfectè & absolutè uniuntur, & perpetuis pacis & concordiæ vinculis & repagulis devinciuntur, & ita effluxum suæ substantiæ non patiuntur ullum, nec perindè crescendi, ac decrescendi potentiam ac facultatem habent, sed perenni suo nexu, quo devincta sunt perenniter gaudent, nec alio potiri cupiunt, unde nec alimento egent ullo, quòd calidum vitale non con-

Humidum primigeniū cœli cur non labile & fluidum.

Calidum innatum & humidum primigeniū cur non possint perfectè uniri.

Cur in cœlo nulla accretio & decretio.

consumat & depopuletur humidum vitale, at perpetuum & incorruptibile sit utrúque; itaque in cœlo nulla crescendi ac decrescendi facultas reperiri potest.

Spiritus effunduntur ex cœlo absque ulla decretione.

Concludamus ergò, his ita constitutis, & ratione comprobatis, cœlum accrescere & decrescere nõ posse, etsi habeat vitę principium, quod est accretionis & decretionis fons & origo quia vitale illud principium, quod in cœlo est, non est labile & fluidum, sed fixum, permanens, & constans, undè fons est perennis vitæ, ex quo spiritus vitales effunduntur perennes sine ulla cœli decretione, quod in inferioribus fieri etiam cõtingit, quamvis sint aliquo modo corruptibilia, lapides siquidẽ prætiosi effundunt virtutes, & spiritus proptieratum sine ulla substantiæ suæ diminutione, ut patet in magnete, quod autem effluit ex magnete, est quid substantiale, & eiusdem substantiæ cum ipsomet magnete, alioquin ferrum attrahere non posset, substantia siquidem magnetis attrahit ferrum, non accidens. Superest ergò ut quid effluat substantiale spirituosum valdè, & subtile, ex magnete ipso sine ulla ipsius magnetis apparẽti diminutione, quòd si hoc videamus in inferioribus, in cœlis etiam videre & apparere necessarium est, cùm cœli præstent omni ex parte lapidibus omnibus prætiosis, qui in inferioribus elementis producuntur.

Cœli lapidibus omnibus pretiosis præstant.

An cœli sint incorruptibiles omni ex parte.

CAP. XI.

Incorruptibile quot modis dicatur.

ANtequam quæstionem hanc discutiamus, sciendum est, quot modis aliquid incorruptibile dicatur. Primò incorruptibile dicimus illud quod supra naturam est, & est per se & à nullo alio dependens, à quo destrui possit, & ex natura sua habet essendi necessitatem; ita ut nulla vi à suo esse decidere possit. Qualis est Deus, qui per se est, à nullo alio dependens, qui ex natura sua habet essendi necessitatem, ita ut nulla vi destrui possit. Cœli eo modo non sunt incorruptibiles, sed mutabiles, & corruptibiles omni modo, quo Deus voluerit; esse enim cœlorum dependet à Deo, & non habent essendi necessitatem nisi à Deo dependentem.

Angeli & animæ rationales qua ratione incorruptibiles.

Secundo verò modo aliquid potest dici incorruptibile, quòd sit simplex quid omni ex parte, & cum materia nullum habens commercium, eo modo Angeli & Animæ rationales sunt incorruptibiles, quòd sint simplices substantiæ nec cum aliis substantiis diversi ordinis permisceantur, sed ex simplici omninò substantia sint, & creatæ simplices omnino substantiæ: Cœlum etiam eo secundo modo, non est incorruptibile, quia non est simplex omninò substantia, sed diversa & varia, & eatenus corruptibile esse potest, eo

quòd substantia sua non est omninò simplex, & à materiali substantia segregata, ut sunt Angeli & Animæ rationales. Tertio modo dicimus nos aliquid esse incorruptibile, quòd quamvis non sit omninò simplex substantia, sed duplici constet substantia, subtili & crassa, materia & forma, quæ non differunt nisi subtilitate, & crassitie, forma enim est subtilior materiæ pars, & materia crassior, modo inquam hæc substantia pura sit, ita ut forma perfectè uniatur cum materia, & materia cum ipsa forma. Subjectum istud in quo hoc contingit unionis vinculum perfectum & absolutum est incorruptibile, & cœlum ita potest dici incorruptibile ratione vinculi & nexus sui cum forma sua, materia siquidem cœlestis adeò pura est, ut nullum impedimentum habeat, quo perfectè uniatur cum forma sua, hoc est cum subtili sua parte, & ita perpetuum constituat unum corpus & incorruptibile: quod tamen Heraclytus, Empedocles, & Democritus & multi alii ex Græcorum familia Philosophi, fateri nolunt, imò omnia sublunaria & cœlestia corruptioni esse obnoxia tradiderunt. Quod etiam carminibus Sibyllinis Oraculorum libro secundo decantatum est.

Cœlum qua ratione dicatur incorruptibile.

Tunc ardēs fluvius cœlo manabit ab alto
Igneus, atque locos consumet funditus omnes
Terramq́, Oceanumque ingentem & cærula ponti.
Stagna, lacus, fluvios, fontes, ditemque severum.
Cœlestemque polum, cœli quoque lumina in unum
Fluxa fluent. forma deleta prorsus eorum
Astra cadent etenim è cœlo cuncta revulsa.

Quodque etiam sacris lineis confirmatur, nam psalmo 102. spiritus sanctus per Prophætam canit, opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos & mutabuntur, & alibi Lucæ 21. Cœlum & terra transibunt, quibus sanctis & sacris authoritatibus cœlum videtur esse quid corruptibile, & alterationibus esse obnoxium: quibus respondemus & aliis similibus, imò & argumentis, quibus probari cœlum esse corruptionis legibus obnoxium: cœlum ibi in omnibus his locis sumi pro aëre & æthere, vel sumi etiam pro influxu suo vel motu, vel statu suo quæ omnia in cœlo mutabilia sunt & mutantur, & mutabuntur omninò in die ultimo judicii, in quo cœli conditiones omnes, status & motus & influxus mutabuntur omni ex parte, at substantia cœli manebit immota, & reliqua omnia quæ in cœlo sunt mutabuntur in melius, lux erit splendidior multò, motus cessabit & influxus, & omnia quæ ex cœlo fluunt in elementa inferiora cœlo connectentur, & fixabuntur unione

Cœli quomodo mutabiles in die judicii.

one firma & constanti, & sic præstantiorem statum acquiret & conditionem quasi meliorem, & idcirco potest dici mutabile & corruptibile secundùm statum, & conditionem suam, & volatilem suam substantiam, in qua fit quotidiè curruptio & mutatio, nó autem secundùm suam substantiam radicalem, & fixam & permanentem. quæ semper immota est, & multis mutationis regulis compos. Hæc solutio generalis solvet omnes rationes & argumenta in contrarium allata, quia omnia argumenta, quibus cœlum mutabile esse probari potest, vel illud probant, quatenus cœlum influit, vel quatenus, movetur, vel quatenus habet hanc vel illam conditionem & statum, quæ omnia mutabilia sunt in cœlo, ac in reliquis naturæ partibus. At non probant secundum suam substantiam radicalem & fixam, mutabile & corruptibile cœlum esse,

Cœli quatenus incorruptibiles.

Itaque his positis & declaratis, alacriter concludemus. Cœlum esse omni ex parte incorruptibile, secundum suam substantiam radicalem & fixam, quæ in perfecta & absoluta unione formæ suæ & materiæ consistit, & simplicitatis verè quandam umbram habent ratione perfectæ illius unionis, quâ nectuntur ad invicem: cujus solius beneficio, perpetuum durationis ævum sibi vendicat cœlum, nam cum forma sua perfectè & absolutè uniatur cũ materia sua, non quærit dissolutionem, nec materia potest habere appetitum & desiderium alterius formæ, ratione cuius appetitus, quærat dissolutionem, cum perfectè uniatur huic, & ita cessat appetit⁹ mutãdi formam, cum appetitus talis non aliundè proveniat, quàm ex imperfecta materiæ cum forma sua unione, tendit enim natura in omnibus sponte propria & naturali, ad perpetuum durationis vinculũ, ad quod perfectè & absolutè pervenire non potest nisi perfectissimè uniantur ad invicẽ materia & forma, itaq; cùm ab excrementis, quibus scatẽt impediantur, nec ita ut exoptant vinculentur, quærit materia dissolutione & divortio, cum præsenti forma facto, ab excrementis se vindicare, & se iterum cum nova & recenti forma copulare, ut quod nõ potuit obtinere cum prima forma, obtineat cum secunda, vel tertia, vel altera, donec in æternum quiescere possit cum forma sua perfectè & absolutè cum se ipsa unita, hinc appetit⁹ perpetuus in materia mutandi formas, donec perfectè & purè uniatur cum illis, in cœlo autem non est appetitus ille insatiabilis mutandi formã. cùm perfectè & purissimè materia cœli uniatur cum forma sua. Et ita cœli omnes quoad radicalem & fixam suam substantiam sunt incorruptibiles, & immutabiles, ex sententia Philosophorum, qui veritatem & naturam sectantur.

Materia cœli non appetit alias formas & quare.

Vnde appetitus materia mutandi formas.

An sit unicum Cœlum, vel multiplex quod astra contineat.

CAP. XII.

Numerus varius cœlorum.

VAria ac multiplex est Philosophorum omnium sententia de numero Cœlorum: sunt qui unum tantùm fecerunt cœlum, alii duos: alii tres septem alii, octo multi, novem quamplurimi, decem & undecim non pauci, constituerunt cœlos, nescio an novus jam Galileus nobis cum suis conspicillis plures adinvenerit cœlos, ut & astra quamplurima nova & inaudita reperiit, laudandus tamen summoperè, cùm mirandi illius specilli fuerit Author, quo miranda & inaudita conspiciuntur in cœlo, quæ ante ipsum, nemo conspicere potuit.

Horum omnium Philosophorum sententiæ, & opiniones de numero vario cœlorum rationibus quamplurimis, & argumentis confirmatur, ita ut singuli recte ratiocinari videantur & cœli naturam & essentiam conspectam habere. Nihilominus, si doctrinam sacram & sanctam sancti spiritus perspicaci mentis examine perpendamus, cœlum unicum esse asseremus, tribus tantùm regionibus, seu spatiis distinctum & separatum, Primum spatium seu prima cœli illius regio, incipiet ab ipsa Luna, usque ad firmamentum. Secunda regio, à Firmamento, usq; ad Empyreum cœlum, quod erit tertium & ultimum cœli nostri spatiũ, Dei, Beatorumque omnium sedes, & palatium divinum & sacrum.

Cœlum in tres regiones divisum.

Prima regio cœli quid.

Primum spatium seu prima regio istius cœli, quæ est ab ipsa Luna usq; ad Firmamentum, est ex tenuissima mundi materia, quæ ab ipsa materia sursum ex tenuitate sua elevata est, ibique cœlum peperit, non condensatum ac firmum, sed tenue & permeabile, undiquaque omni ex parte, propter tenuitatem, & materiæ subtilitatem, ex qua factum est, & ad commoditatem & usum astrorum omnium & syderum, quæ inibi moveri debebant ex mandato divino, & suos radios & influxus in inferiora demandare.

Prima cœli regio liquida & non firma & quare.

Si enim fuisset ista Cæli regio cõdensata in corpus unum firmum & densum, veluti vitrum quoddam & Crystallus, & singula astra sive planetæ singuli, qui inibi spatiantur: cœlum etiam singulare & proprium unusquisque planetarum, sibi vendicasset, influxus planetarum & radii ex condensitate cœlorum & firmitate, tantum ardorem imò ignem produxissent, ut inferiora elementa citissimè, combussissent. Id experientiâ quotidianâ patet, nam si vitrũ crassum & solidum vel Crystallus, vel Phiala aquæ plena radiis solaribus opponatur, radii statim transeuntes per hæc solida corpora, in oppositam partem flammam & ignem pariunt, si hæc in inferioribus corporibus contingant, quæ fictitiam illam Cœlorum densitatem & compaginem imitantur. Quid ni simile

Radii cœlestes reflexi pariunt ignem.

etiam

etiam contingeret, si Cœlum Lunæ, Mercurii & Veneris, esset quid firmum & condensatum, veluti vitrũ & Crystallus, nonne radii Solares qui supra cœlos hos sunt & constituuntur, transeundo hæc corpora, solida & firma, in oppositas partes, quæ sunt elementa inferiora, flammam producerent & ignem, & sic mundus inferior elementaris destrueretur, hoc videmus non fieri, nec etiam cœli illi, seu spatium illud, in quo spatiantur, & moventur planetæ solidum & firmum esse oportet, sed liquidum & veluti aëreum & æthereum, subtile & tenuè valdè, ut materiæ tenuitas & subtilitas, ex qua conflatum est exigit & expostulat.

Cœlum esse liquidum, quibus constet rationibus.

Cœlum hoc, quod in tres regiones diversas & distinctas divisimus, liquidum esse & veluti æthereum undiquaque permeabile, constat etiam ex eo, quòd sit conflatum & cõpactum ex simili & eadem substantia, ex qua facta sunt reliqua elementa, ut probatum est superius, atqui reliqua elementa, terra sola excepta tanquam crassamentum, & amurca materiæ mundi, sunt permeabilia, ergò Cœlum tanq̃ subtilior pars materiæ mundi, erit permeabile, ut sunt aër & Aqua, quæ quamvis ex crassiori, respectu cœli, sint conflata materiâ, nihilominus permeabilia sunt, Cœlum etiam meliori jure cùm ex subtiliori & tenuiori constet materia, quàm Aër & aqua, liquidum erit & permeabile. Sed hoc intelligi debet & interpretari de primò & secundo cœli nostri spatio. Quod enim ad tertium spatium pertinet, quod Cœlum Empyreum constituit, fixum esse & solidum quid, ex luce pura compactum credere fas est, quod videatur ultima universi compago, & paries ultimus naturæ creatæ, de quo intelligimus illud 37. capitis lib. Iob, *Quod solidissimum est, & quasi ære fusum.* De quo erit particularis quæstio, qua ratione sibi soliditatem vendicavit, & quibus sit ornatum qualitatibus & proprietatibus.

Superest nobis jam dicendum. Has tres regiones posse dici & nuncupari tres cœlos & unicum cœlum, & septem & octo, novem & decem, quia in tam varios ac diversos possunt dividi & dissecari orbes, ex motibus diversis & variis, qui in hisce regionibus contemplantur, nihil enim impedit has tres regiones cùm sint ex una & eadem substantia, dici cœlum in genere, ut terra quæ cùm habeat diversas regiones, inter se distinctas ratione & temperamento, & proprietatibus, dicitur tamen unica terra, & multiplex, sic & cœlum istud, quamvis sit variis regionibus, temperamento & proprietatibus distinctũ, & motu etiam separatum, potest dici unicum cœlum, & multiplex, unicum, ratione substantiæ unius, & multiplex temperamentorum, & proprietatum, & motuum diversorum, qui in eo cõspiciuntur.

Cœlum unũ & multiplex ratione varia.

Nec dicendum est hoc non posse fieri

fieri & repugnari naturæ, cùm quæ sunt ejusdem substantiæ: & proprietatis & temperamenti eiusdem esse necesse sit, & unum & eundem observare debere motum. Respondemus hoc verissimum esse de substātijs homogeneis & similibus omni ex parte, & non de substantiis heterogeneis, dicimus autem cœlum esse heterogeneum & diversas habere partes ut totū heterogeneū, & perindè ex diversis suis partibus diversa habere temperamenta, & proprietates, & motus etiam diversos.

Luna motus cur distinctus ab aliis astris.

Quid enim impedit Lunam, cùm sit astrum peculiare, & proprium & ab aliis distinctum & diversum, habere virtutes & proprietates, temperamenta & motus differētes ab aliis astris, & motu suo peculiari trahere secum cœli illius spatium, in quo viget Luna, & cui dat proprietates & virtutes. Cœlum enim est propter astrum, ut inquiūt Astronomi, & perindè trahere debet secū omnia, quæ sunt illi vicina, & sui temperamenti, & proprietatis, & quare non trahet sibi propinqua, cùm trahat manifestò, & moveat quæ longinqua sunt, modò suo correspondeant temperamento & proprietatibus suis movet aquas inferiores, & humores omnes alimentitios: Ergò si trahat quæ lōginqua sunt, & moveat aliqua ratione, ea quæ sunt sui temperamenti, fortiori jure moveat cœlum suum, seu spatium in quo fulget, qui motꝰ virtutem suā extendet, & sursum & deorsum quo usq; poterit, & quò finietur, erit ultima pars cœli Lunæ, & sic est arguendū de cæteris omnibus astris, quæ proprietatem suam, virtutem & temperamentū, & motum suum peculiarem, & omnia reliqua quæ habent peculiaria, & sibi propria, suis communicant spatiis & limitibus, in quibus moventur, qui cùm sint substantiâ cœlesti tenui & subtili pleni trahunt illam secum substantiam cœlestem, & communicant illi virtutes suas, ut in Luna vidimꝰ, & in media aëris regione fieri quotidiè cernimus, nubes siquidem altiores aliquādo videmus moveri versus orientem, spiritu flante versus orientem, & in eodem tempore, videmus nubes alias inferiores moveri versus occasum, quod spiritus seu ventus alius moveat ipsas versus occasum, itaque in uno & eodem tempore videmus mediam aëris regionem moveri diversis & contrariis motibus spiritu vario ac diverso. Sic & cœlum nostrum cùm sit liquidum & permeabile, potest diversis motibus dissecari & agitari, diversis & variis astris, quæ ipsum cœlum exornant, & quæ ratione motus sui naturalis, quem habēt ab intrinseco, potētiorem habent movendi facultatem, quàm ventus, & spiritus flatuosus, ab elementis inferioribus emissus in mediam aëris regionem.

Cœlum est propter astrum.

Luna movet aquas & humores alimētitios.

Cœlum Lunæ tam lon-

ge extēditur quàm virtꝰ Lunæ intendatur.

Cœlum cur diversis motibus agitetur.

Primum mobile est subtilissimū cœlorum.

Nec etiam implicat primum mobile esse ejusdem substantiæ, & tenuitatis, & subtilitatis, imò maioris multò, cùm ultima sit & suprema

pars

pars nostri cœli liquidi & permeabilis, in qua lux, seu pars tenuissima materiæ mundi, quæ sursum sublimata est ad cœlos efficiendos, ultimum sublimationis gradum adepta est, undè etiā ultima, & suprema virtus, illi communicata est & acquisita, unde etiam & ad motum suum, & virtutem & proprietatem peculiari suo motu movet reliqua omnia sibi inferiora, hinc videmus planetas omnes, & astra & sydera cuncta, quæ cœlum, & inferiora illuminăt, & totam ultimam & supremam aëris regionem, ut ex cometis est manifestum, moveri ab oriente in occasum viginti quatuor horarū spatio, motu illo rapido primi mobilis, quod solum movetur proprio motu, & naturali, ab interna sua luce, quâ turget, & quæ est ejus forma, ab oriente in occasum, & reliqua cuncta inferiora, quæ sapiunt aliquo modo suæ lucis & formæ naturam & essentiam, trahit ad suum motum, ut clarius agitabitur inferiùs suis peculiaribus capitibus.

Primum mobile movet cætera omnia inferiora.

Restat hinc tantùm concludendum, Cœlum unicum esse, & posse dividi in tres regiones diversas & distinctas, & hæ etiam in alias posse subdividi regiones, quę cœli possunt nuncupari, & numerum varium ac multiplicem cœlorum constituere, & ita Philosophorum omnium veterum & Neotericorum posse salvari opiniones & sentētias, de numero vario, ac multiplici Cœlorū, in quibus variè moventur astra, & sydera cuncta, quæ in eis lucent & radiant.

Concluditur cœlum unicum esse & multiplex.

Quid sit Cœlum Empyreum & quâ constet materiâ.

CAP. XIII.

Vidit Divus Paulus Apostolus in hoc cœlo, in quod raptus testimonio sui ipsius, infinita, quæ neq; auris audire potest, nec videre ocul⁹, nec intellectus human⁹ capere valet.

Divus Paulus Apostolus raptus ad tertium cœlum.

Qua ratione ergo Cœlum hoc describere possum, cùm & Divus Paulus, qui in id ipsum raptus est, describere non potuit, sed tantùm silentio miracula eius, & stupenda demonstravit: Sic etiā ego quod de eo cœlo dicturus sum, umbra quędam erit & simulachrū silentii illius Divi Pauli. Est autem cœlum hoc Domiciliū sacrū & Palatiū divinum, domus Dei, & Beatorum sedes, hoc autem cœlū dari in rerum natura certissimū est, nō ratione Physica, penitus clara & manifesta, sed ratione metaphysica, quæ certior est Physica. Nam si constet dari Deum, dari Angelos, & Animas humanas esse immortales, & eas quæ bonum & justum secutæ sunt, remunerari debere, & Deo frui justum esse, cùm quæ Dei fuerint, secutæ sint, necesse est dari locum, in quo fiet hæc remuneratio, in quo potissimum erunt Angeli, erunt illæ humanæ Animæ beatæ, cum suis corporibus perfectissimè unitæ, ut unà cum anima corpus fruatur fœlicitate pro munere, in quo loco Deus peculiari modo se ostēdet contem-

Cœlum Empyreum non potest describi.

Cœlum Empyreum quid sit.

Probatur dari cœlum Empyreū.

templandum & visendum, si Deus etiam fecit hunc mundum alterationis & corruptionis plenum, ad vitæ hominum commoditatem & usum, non enim vita humana conservari potest sine alimento perpetuo, ad illud autem alimentum præparādum, non potest mundus hic consistere, sine perpetua, & perenni rerū omnium mutatione & alteratione, cùm ex variis illis mutationibus & alterationibus tandem exsurgat optatū illud alimentum, homini ad vitam suam conservādam necessariū, mundus ergò hic totus alterabilis & corruptibilis, propter humanam vitam, caducam & fluxam, cum autē hinc homo abeat, & moriatur, & anima sua sit immortalis, in aliū trāsire mundum necesse est, qui mund⁹ debet esse huic opposit⁹ & nullo pacto mutationibus obnoxius, perpetuis lucis & vitæ æternæ & increatæ fontibus, & fluviis irrigatus, in quo Angeli, & Animæ humanæ, & corpora Beatorum omnium cum animis suis unita; perpetuis lucis illius & vitæ æternæ radiis, absq; ulla mutatione fruuntur. Hinc colligere possumus quid sit cœlum istud Empyreum, & qua ratione differat ab omni cœlo inferiori, & mundo.

Mundus hic inferior quare mutationibus obnoxius.

Mundus æternæ vitæ qualis.

Quoniam si Deus mundum hunc inferiorem fecerit, ex una & eadem substantia, quæ lucis & vitæ naturam & essentiam redolebat, cum ipse & Deus lux & vita sit, arguere etiam possumus hoc cœlum Empyreum Deum fecisse ex purissima luce, & simplici, ejusdem naturæ & essentiæ omnino cum luce illa, ex qua factus est mundus inferior, distincta tamen ratione puritatis & raritatis, & quatenus altius & in supremam mundi partem se sublimaverit, & inde purior & rarior facta est, coagulavit autē Deus hanc lucis partem, multis rationibus. Primò, ad separandum mundum hunc inferiorem corruptibilem, à mundo superiori incorruptibili & æterno: Secundò ut sedes Beatorum omnium, & sedes quietis æternæ immota fuisset, & ut reliquæ inferiores sphæræ cœlestes perpetuis motibus sint obnoxiæ, ob generationem & corruptionem rerū infernarum, sic pari modo hæc sphæra immota esse debet, propter æternam quietem, & immotam rerum supernaturalium seriem. Et perinde firma & fixa, & solida valdè, ne motui esset propria. Tertiò convenit, & rationi consonum est, quod continet motum & in quo fit motus, sit immobile, & quod est immobile solidum & firmum esse oportet, atqui Cœlum Empyreum est illud quod continet motus omnes inferiores, & perinde debet esse immobile, & ut immobile sit, solidi & firmi naturam habere meretur: Itaque Deus omnium opifex, cùm cœlum hoc fecerit ex luce pura & simplici coagulavit, hanc lucem & induravit firmissime in duritiem, & firmitatem nullis inferioribus firmitatibus respondentem, sed præstantiorem multò & duriorem ac solidiorem. Hinc

Deus quare fecerit cœlū Empyreum fixum & firmum.

Cœlum Empyreũ quid tandem sit.

Hinc cœlum Empyreum definire possumus, ultimum & supremum naturæ corpus, solidum & compactum, immobile & constans, ex luce creata, seu ex purissima materiæ primæ mundi parte conflatum ad supremas & ultimas mundi huius partes constitutum à supremo opifice, ad separationem mundi huius corruptibilis, cum mundo supernaturali, æterno, & incorruptibili, Beatorum sede, & Dei proprio & peculiari domicilio.

An Cœlum Empyreum cùm sit ex luce & vita compactum influat in inferiora ejusdem lucis & vitæ plena.

CAP. XIV.

Torquet hæc quæstio quamplurimos Philosophos melioris notæ, an Cœlum Empyreum, cùm sit ex luce & vita compactum ut cæteri omnes inferiores cœli, influat in inferiora: Lux enim hæc & vita creata, ex qua facti sunt cœli, non alia ratione partem mundi supremam occupavit, nisi ut partem inferiorem mundi hujus, suis labentibus vitæ radiis seu influxibus perpetuò foveret, & instauraret, eget enim vita inferior perpetuo fotu vitæ superioris, itaque cùm Cœlum Empyreum sit hac vita luce turgidum, imò adhuc subtiliori & fortiori potiatur luce & vita, cæteris omnibus cœlis, quæstio satis ardua est cur non influet in hæc inferiora, certissimum enim est non influere; nullus enim Philosophorum, nec Astrologorum antiquorum, nec recentium hoc asseruit, nec etiã influere potest, quod non moveatur, motus enim est propter influxum, & lux & vita quæ in eo sunt, sunt fixa penitus & omni ex parte firmata, adeo ut nullo pacto quicquam ex eo cœli evolari & delabi possit in mundum inferiorem propter firmam & fixam lucis & vitæ compactionem, quæ in eo cœlo reperitur, firma siquidem & fixa sua compages impedit influxus & radios evolantes, nihil enim ex eo exit, sed stat firmum, & fixum, & immotum & perinde sine ullis influxibus, cæteri autem cœli inferiores influunt omnes, quia sunt substantiæ liquidæ, & non habent lucem & vitam qua turgent, firmam & fixam, sed fluidam & communicabilem, & perindè moventur, ut motu suo distribuent inferioribus rebus vitam illam & lucem, itaque eorum motus est propter distributionem illius lucis & vitæ communicandæ: Post autem diem judicii ultimi non movebantur, quia vita & lux quæ in eis est, fixabitur omni ex parte, ab igne illo supernaturali, qui totũ conflagrabit mundum, ut partes mundi depuret, & candidet, & ab excremẽtis vendicet, & fixet omninò partes illas puras, quæ in singulis reperientur partibus; undè cùm lux & vita sit purissima pars mundi, & ex maiori parte sui, sit volatilis & infixa, ubique volans & penetrans tandem fixari debet, & quiescere.

Vita inferior eget fotu vitæ superioris.

Quare cœlũ empyreum non influat.

Motus cœlorum est propter influxum.

Firma & solida compages cœli impedit eius influxum.

Cœli nõ movebuntur propter fixionem quam habebunt post diem Iudicii.

Propter lucē volatilem omnia sunt in motu.

Itaque in illa die ultima debet fixari penitus, & suam ultimam obtinere perfectionē, ut in perpetuum quiescere possit. Sic partes omnes huiusce mundi, quæ jam in motu sunt, propter illam lucem & vitam quam fluidam & volatilem habent, non movebuntur amplius, & cessabit omninò in omnibus mundi partibus motus ille, cum lux & vita, cuius gratiâ mot⁹ fit, fixanda sit in omnibus. Pari indè ratione motus non est in Cœlo Empyreo, cum lux & vita, quę in eo est, sit omnino fixa. Et si in mundo inferiori in die judicii, fixari debeat hæc lux & vita, ut mundus inferior deinde perpetua fruatur quiete tanquam ultimam habens perfectionem, Cœlum Empyreum, cùm sit basis & fundamentum æternæ, & semper duraturæ quietis, immotum esse debet & perpetuò quiescere, & perindè habere lucem & vitam suam, ex qua formatum est, perfectè fixatam & firmam & constantem absque ulla communicatione, & perinde absq; ullo influxu in inferiora corpora non enim est opus, ut hanc suam lucem & vitam communicet, cùm sint & plura alia corpora cœlestia hoc ipso cœlo inferiora, quæ eandem vitam & lucem communicant & influant in inferiora. Et cùm sit etiam ultima pars mundi, debet, etiam habere ultimam perfectionem, quam mundus habere debet, ut concludat & coërceat ea omnia, quæ in perpetuo sunt motu, ut perfectionem illam ultimam obtineant, nam si ipsum cœlum Empyreum moveretur, deberet dari aliud cœlum supra ipsum, quod immotum esset, ut continens daretur aliquod immotum & constans, quod contineret omnia quæ in motu sunt perpetuo, & perinde necessarium est ut cœlū quod continet alios cœlos qui in perpetuo sunt motu, immobile sit, & quiete perpetua fruatur.

Lux volatilis fixabitur in die Iudicii & perindè cessabit motus.

Cur cœlum empyreum influere non debeat.

Quamobrem concludimus Cœlum Empyreum dari in rerum natura, & nullo pacto influere in inferiora, quamvis sit ex luce & vita creata compactum, ratione cuius influere possit, si vita & lux, quæ in eo sunt, essent fluidæ & communicabilis essentiæ, & quia fixa est, & firma omni ex parte, adeò est incommunicabilis & influere non potest in inferiora corpora, at firmum est omninò, fixum & constans, & permanens sine motu ullo, undè dicitur apud Apolypsim *Civitas in quadro posita est*, quòd quadratura sit stabilitatis & firmitatis verum & unicum symbolum, ut videbimus inferiùs.

Concluditur cœlum Empyreum non influere.

An Cœlum Empyreum sit aliis omnibus inferioribus Cœlis nobilius & præstantius.

CAP. XV.

Ex quæstione pręcedenti clarum & manifestum fieri potest, cœlum Empyreum omnibus inferioribus cœlis esse præstantius, & nobilius, multis rationibus. Primum ratione sublimitatis & altitudinis, quâ cæteros omnes cœlos superat, nullum

Quibus modis cœlum Empyreum sit omnibus cœlu præstantius.

lum enim aliud habet supra se cœlum. Est supremum omnium cœlorum, & perindè, cùm sit sublimius & altius omnibus, est etiam purius & nitidius ab omni elementorũ inferiorum fæce & amurca, quæ nullo pacto se ibi elevare potuit, & cùm sit purius & nitidius, est etiam nobilius & præstantius cæteris omnibus. Secundò præstat cæteris capacitate & magnitudine, cæteros enim cœlos continet omnes. Tertiò antecellit omnibus, ratione sui usus, est enim peculiare & propriũ Dei Domicilium & Beatorum omnium sedes, Deus enim cùm præstet omnibus rebus, & beata etiam corpora singula, cum præstent syderibus omnibus, & nobiliora sint, nobilitatẽ summam & supremam illi dabunt supra omnes alios cœlos, & propterea quòd sit sedes Beatorum omniũ, & Angelorum & Dei ipsius Domicilium, præstabit cæteris omnibus cœlis ratione sui usus. Quartò est etiam nobilius ratione fixitatis & cõstantiæ, cùm sit firmum & solidum, alii verò cœli sunt liquidi, & fluidæ substantiæ, & perindè ignobiliores. Quintò, ratione immutabilitatis, & perpetuæ constantiæ, qua in æternum fovetur, alii vero inferiores cœli, in die Judicii mutabuntur & fient clariores & lucidiores & eatenus non habent ultimam sui perfectionem cùm in die Judicii maiorem quàm nunc habent acquirere debent. At Cœlum Empyreum nullo pacto mutabitur nec fiet in die Judicii clarius, nec perfectius quàm jam est, & ita ratione constantiæ & immutabilitatis in perpetuum duraturæ cæteris antecellit. Sextò & ultimò præstat omnibus ratione suæ formæ & essentiæ, quæ purior est & nitidior & lucidior multò cæteris omnibus, nam quo altius se elevavit materia mundi, eo perfectiorem naturæ gradum obtinuit, ut videre est in omnibus. Terra cùm sit infima & centrum mundi, ideo infimum nobilitatis gradum in natura obtinuit. Aqua quòd terræ supernatet, est terra præstantior: Aër quòd aqua superior sit, aqua est etiam nobilior: Cœlum Lunæ quòd sit supra omnes aëris regiones aëri præstat, cœlum Mercurii quod sit Luna superi⁹, Luna nobilius est: Cœlum Veneris, q̃ Mercurio altius sit, Mercurio præcellit & sic altius semper ascendendo, usque ad cœlum Empyreum invenies, quo altius se elevaverit materia mundi eo præstantiores & nobiliores fecisse substantias, undè cùm cœlum Empyreũ sit ultimus elevationis terminus, erit etiam ultimus nobilitatis gradus.

Cœlum Empyreum non mutabitur ullo modo, sed cœli inferiores.

Cœlum quo altius eo nobilius.

Et perindè concludere possumus nullis difficultatum meandris intricati, Cœlum Empyreum omnibus cœlis esse nobilius, præstantius & excellentius, tum ratione formæ & materiæ quibus componitur, tum ratione virtutum & proprietatum quas sibi proprias & peculiares habet, & incommunicabiles, ratione fixitatis & firmitatis, qua dẽfatur in

Cœlum Empyreum est cœlis omnibus nobilius

Virtutes cœli empyrei sunt incommunicabiles ratione fixitatis.

cœlum solidissimum, quasi esset ex adamante fusum: lux enim qua cōponitur habuit purissimum naturæ sulphur, mercurium & salem, quæ cùm densantur, firmitatem & soliditatem inexpugnabilem sibi vendicant & acquirunt, ut videmus in adamante, & lapidibus aliis prætiosis: In Cœlò autem Empyreo, infinitis parasangis seu mensuræ modis, fuerunt hæ materiæ principia præstantiora, nitidiora, puriora & sublimiora, quàm in cæteris omnibus rebus, quæ sub concavo suo reperiuntur, Ideo etiam firmitatem maiorem, & soliditatem & constantiam habet, omnibus præstantiorem & nobiliorem. Ideo potest vocari ultimum & perfectissimum naturæ opus, & hinc etiam naturam claudit undiquaque, & est verum & ultimum mundi huius claustrum, intra quod natura superius & inferius & undiquaque operatur, & motus suos exercet, præter in ipso solo motus experti & incapaci, ut vidimus superiùs, & probatum fuit multis rationibus & argumentis, & adhuc etiam videre licebit dum figuram etiam & formam exteriorem indagabimus, & quadratam asseremus & probabimus.

In Cœlo Empyreo est maxima soliditas & unde sit, & est ultimum naturæ opus.

An Cœlum Empyreum sit quadratæ vel rotundæ figuræ.

CAP. XVI.

Probatur Cœlum esse.

FUndamentum immotum, & basis firma & constans cœli Empyrei postulat & exigit quadratam potius quàm rotundam figuram, rotunda siquidē figura motui est propria & idonea, quadrata & stabiliori & constantiæ convenit & competit, unde omnes antiquitatis Sophi, cum volubilitatem & inconstantiam repræsentare voluerunt, rotunda & sphærica figura depinxerunt, cum verò constantiam, & rerum perpetuitatem, cubo stabili figurarunt, qui undiquaque quadratus, stabilitatem & firmitatem ex se ipso denotat, quacumque enim ex parte situetur perfectè tangit, & materialiter extenditur super locum & sitū in quo locatur, sphæricum autem corpus non tangit alia corpora super quæ ponitur, nisi in puncto & indivisibili quadam in parte & propterea facilis est motus, cùm tota sua moles quasi semper suspendatur, & unica tantùm & minima parte fulciatur, cubus verò seu quadratum corpus, quarta sui parte, seu tota sui parte potius fulcitur, & stabilitur, undè immota permanet; cùm autē Cœlum Empyreum immobile supra cœlos alios omnes reperiatur, ubi probavimus superius, necesse etiam est, quadratum esse cùm sit immobile, & quia fundamentū est divini palatii & sedis Beatorū, quadratā etiam exigit figuram, fundamenta enim omnia rerum omnium tam artificialium quàm naturalium, & divinarū quadrata sunt: Quatuor enim sunt Evangelia, Quatuor Evangelistæ, & nomen Dei quatuor literis omni-

quadrata figura.

Constantia cubo figuratur inconstantia globo.

Immobilitas quadratam exigit naturam.

omnibus ferè linguis inscribitur, & primus parens noster Adam radix & fundamentum omnium hominum, quatuor etiam constat literis, & in Apocalypsi quatuor animalia plena oculis ante & retro stabant in circuitu sedis Dei, & quatuor Angeli quibus datum est nocere terræ, & mari, stabant super quatuor Angulos terræ, tenentes quatuor ventos, ne flarent super terram neque super mare, neq; in ullam arborem, hinc patet fundamenta omnia, tam naturalia quàm divina, quadratam observare figuram, & perinde Cœlum Empyreum basis & fundamentum domicilii supercœlestis & æternæ Civitatis Hierusalem, quadratum debere esse, quod & Divus Joannes Evangelista testatur in Apocalypsi cap. 21. Civitas in quadro posita est, & longitudo eius tanta, quanta & latitudo, quæ descriptio veri cubi imaginem nobis exhibet, ut nullo pacto dubitare valeamus, Cœlum Empyreum quadratum esse debere, secundùm saltem partem convexam, & partem sui superiorem, secundùm verò partem concavam, quâ cœlos inferiores amplectitur, & qua terram despicit rotundum esse debere, ut cœlis inferioribus recipiendis se accommodet, qui cum rotundi sint, ut motu circulari volvantur, necesse est ut superficies inferior & concava Cœli Empyrei, rotunda etiam sit & fornicatim excavata conspiciatur.

Cœlum Empyreum secundum partem concavam qua cœlos inferiores despicit est rotunda figura.

Itaque audacter concludere possumus, Cœlum Empyreum ex parte sua convexa, qua sedem Beatorum despicit quadratum esse, ex parte verò cócava, qua terram aspicit, & cœlos inferiores amplectitur, quadratum non posse esse, sed rotundum omninò, ut sua rotunda concavitate, & fornice perpolita, cœlos inferiores perpetuo motu se volventes circa suam fornicem nullo pacto impediat, at commodo & capaci valdè loco recipiat, quod unicuique animo & sagaci mentis examine contemplanti, manifestum fieri potest, etsi id oculis objici non possit.

An Cœlum Empyreum luce fulgeat & splendeat, cum sit luce fixa compactum.

CAP. XVII.

Cœlum Empyreum ex luce confectum.

ASseruimus & probavimus superiùs, Cœlum Empyreum esse luce fulgenti & radianti compactum, cùm ex tenuissima mundi materiæ parte fuerit conflatum, quæ lucidissima & fulgens ac radians undiquaque erat, quod ex Apocalypsi satis compertum habemus, nam muri Civitatis sanctæ & æternæ, radiant & fulgent, cùm claritatem Dei habeant & lumen eius, fuerunt enim compacti muri illi, seu Cœlum illud Empyreum ex luce pura quæ apud Hebræos vestimentum Dei dicitur, undè ex vestimento Dei conflatos esse cœlos, dixerant Patres Hebræi, hoc est luce: Lux autem cùm condensatur & coagulatur in corp⁹ clarum multò clarius fulget & radiat,

Cœlum Empyreum cur radians & fulgens.

quàm cùm rara manet, at in Cœlo Empyreo fuit condensata & indurata valde in corpus solidissimum & diaphanum: Ergo fulgere & radiare multò clarius debet, quàm in cęteris inferioribus cœlis, in quibus rara, & tenuis & liquida permansit, si hoc ex intimis materiæ potentiis solum factum fuisset, id ut ratio naturalis dictat nullo dubio ita contigisset, at quia Deus sua peculiari voluntate hanc fabricam gubernabit, tanquam propriam & peculiarem beatorum sedem, in qua gloriam suam & magnificentiam ostendere & manifestare volebat, ideo aliter, & magnificenti⁹ multò quàm si vi naturæ suæ, & materiæ factum fuisset, confectum est.

Cur Cœlũ Empyreum non emittat lucem in inferiora.

Ideo voluit Deus Empyreum, quãvis ex luce pura fuerit, non emittere lucem suam in hæc inferiora, cùm non factum fuerit ob corruptionem & generationem rerum infernarũ, sed ꝓpter Beatos, & substantias simplices & incorruptibiles, quibus solis, tanquam earum gratia factum, lucere & radiare voluit, ideò fulget ac coruscat summoperè versus beatos, non terram versus, quia terram non aspicit ulla sua fine, & propterea lucem suam in terram non emittit, at solùm in beatos, quia propter ipsos factum & compactũ est, & idcirco summus opifex, cui nihil secreti componendorum corporum diaphanorum & lucidorum occultatur, Cœlum Empyreum ita parte concava, quâ Cœlos inferiores despicit, tali densitate coagulavit & fixavit, ut ex ea parte lucẽ non effundat, requiritur enim ad lucem effundendam peculiaris quędam densitas cum raritate & subtilitate, quâ si priventur corpora lucida, lucem non emittunt, tali autem gradu subtilitatis, densitatis & raritatis privatur Cœlum Empyreum voluntate divina, ne in nos lucem & fulgorem suum effundat, sed tantùm in illos, qui illum habitant, unde parte illa quâ beatos respicit, fulget & fulgurat ac radiis infinitis coruscat, quia gradũ densitatis, tenuitatis, raritatis, quo lucem effundat perfectissimum & absolutissimum habet: Id sacris lineis comprehendere possumus, ex capite 50. Exod. in quo dicitur *Eriges Tabernaculum tentorii, constitutionis & pones in eo arcam testimonii & obteges arcam velo*, quibus verbis colligere possumus texturam & fabricam Cœli Empyrei, nam arca testimonii quæ illud indicat & significat ex interpretatione Patrum, tota tecta ex puro auro erat, & radians undiquaque, velo tamen obtecta, ne radios suæ pulchritudinis nisi sibi ipsi effunderet, velũ illud arcæ sanctæ & sacræ, nobis indicat & commonstrat, partem illam externam non lucidam, non radiantem Cœli Empyrei, & tota Arca Sancta & Sacra, Cœlum ipsum Empyreũ undiquaq; radians & fulgens his omnibus, qui illud habitant & incolunt, nobis commonstrat.

Quid requiratur ad lucem effundendam.

Cur Cœlum Empyreum non fulgeat nobis probatur ex Exodo.

Unde his ita positis & mentis examine

Cœlum Em-

Empyreum radiat & fulget ex parte qua beatos aspicit, qua verò cælos inferiores non fulget.

amine contemplatis, facillimè concludimus Cœlum Empyreum splendere & radiare summopere toto suo corpore quo beatos respicit, superficie tamen concava, qua mundum inferiorem despicit, & qua Cœlos inferiores amplectitur, non lucere & radiare, at ita solidum est & densum, ut totam suam lucem quæ maxima est, in superiorem transfundat partem, tanquam ad fontem primum luminis omnis, omni impetu transcurrens.

DE PRIMO MOBILI.

Primum Mobile quid sit, & an ex se solo moveatur, vel à Deo, vel ab Angelis jussu divino.

CAP. XVIII.

Primum Mobile quid sit.

PRimum Mobile est suprema pars cœli nostri liquidi, & undiquaque permeabilis, luce candida tenus & subtili valdè conflatum, tãquam ex tenuissima parte materiæ mundi, quæ in illam partem sublimata est, & cum ulterius & altius se sublimare & elevare non potuit, ibi gradum suæ elevationis stitit & posuit, at cum materia sua ex qua factum est subtilissima fuerit & tenuissima, & cum se altiùs sublimare non potuit, ideo motu rapido & velocissimo in se ipsum volvitur, nescio enim qua ratione, & conjectura ducti fuerint hi omnes Philosophi, qui cœlum hoc primum Mobile nuncupatum asseruerunt moveri à Deo, vel Angelis jussu Dei, nonne ratione convenientius est moveri à natura sua & forma, quàm ab aliis, nam cú omnibus sit manifestum & notum, naturã esse principium motus in omnibus, & ubicumq; natura est, ibi etiam motum reperiri necesse esse, si ergò natura sit in cœlo, quis in cœlis motum denegare cupiet cum ratione, Deus dedit motũ naturæ intrinsecum, & innatum qui nullo modo potest separari à natura, ubi Deus posuit naturam ibi & motum collocavit: fatentur omnes & passim profitentur naturam esse principiũ motus, & cœlos esse naturales, & ex natura compactos, & tamen motũ naturalem, & à natura insitum & condonatum cœlo dare nolunt, malunt substantias simplices intelligibiles exterius movere illa corpora, jussu & præcepto divino, nulla conjectura nisi phantastica ducti, quàm motum hunc tribuere causæ suæ internæ, & naturali, quam Deus in principio creationis tribuit & illis concessit unà cum aliis rebus omnibus, quibus datum est movere se ab interna sua causa & formali.

Primũ Mobile cur à se ipso moveatur.

Ubi natura est ibi motus etiam est.

Cœli cùm sint naturales, moveri naturaliter oportet.

Verissimum enim est movere se omnia ab interno motus principio q singula intimum habẽt. Quare cœli essent privati illo jure communi, nõ video, cùm & principium illud internum possideant.

Principiũ internum motus cœli habens.

Principium autem illud internũ motus uti multis in locis huius operis probatum est, est lux seu materia prima mundi, cui Deus naturalem indidit motum, donec ultimam sui perfectionem acquisiverit, in qua ulti-

ultima sua perfectione, tunc in æternum quiescet, & cessabit motus omnis, motus enim est ad perfectionem acquirendam, qua impetrata cessat motus, non datur vitra, eo fine impetrato. Ut patet his qui fixationem Mercurii Philosophorũ perfectissimam & absolutissimam quæ-runt & rimantur quamdiu manet liquidus & fluidus, tandiu movetur, cùm verò fixationem ultimã habet, cessat ultimò motus, tunc motor in sublimi naturæ mobili quiescit incorruptus, ita natura tota habet intrinsecum motum à Deo cõcessum, ut perfectionem quandam, quam jam non habet acquirat, ea impetrata, cessabit ille internus sui motus, qui propter perfectionem suam acquirendam est, subtilior ergo & nobilior totius naturæ pars ad primum Mobile convolavit, ibique si motum faciat velocissimum, & omnibus naturæ partibus velociorem, & reliqua cuncta secum motu suo trahat non mirandum est, cum & subtilior & mobilior totius naturæ pars eo in cœlo, seu loco reperiatur, imo principium ipsum ipsius motus cõponit primum Mobile, undè non miror si tanta rapiatur velocitate, & si reliqua cuncta quæ intimum illud motus principium obtinent, in consensum sui motus rapiat. Lux siquidem quæ est motus principium, cœlum istud componit, & tanta raritate & subtilitate prædita est, ut velocissimè & rapidissimè moveatur circa partem cõcavam cœli Empyrei, cuius superficiem integram intra viginti quatuor horas ab uno puncto, ad idem punctum remeando, mẽsurat, & cæteros cœlos inferiores, quamvis forma sua peculiari renitentes, secum unà trahit, ut peculiariter disputabitur inferius. Ad quid ergò opus est Angelis, ut primum Mobile suum motum habeat, si habeat lucem intrinsecam, & formalem, qua ipsammet moveri queat intrinsecè & essentialiter? Nonne magnificentius est & ex naturali ordine convenietius, ut primum, Mobile moveatur à se ipso, & à forma sua, quàm ab Angelis: nam motus internus à forma, est semper nobilior, præstantior, & naturæ magis cõpetit & quadrat, quàm motus externus, & ab extrinseco, qui semper est naturæ violentus, nec illi tam benè quadrat, etsi fiat secundùm naturã suam, quàm motus qui fit ab intrinseco & à forma sua naturali. Verissimum enim est motũ primi Mobilis, esse omninò naturalem. Si ergo sit naturalis, per se & ab intrinseco fieri necesse est cum fiat à natura sua, quæ illi intrinseca est & formalis & verè principium motus est: Cur ergo ab Angelis, fieri dicemus vel à Deo immediatè, cùm Deus in principio creationis materiæ cœli dederit naturalem & insitum motũ, quo per se moveretur circa centrum suum, ex quo educta est, & sursum sublimata, ita ut non opus esset Angelis & simplicibus Intelligentiis ad circumvolutionẽ hãc faciendã, in cùm & per

Motus est ad perfectionẽ acquirendã.

Primum mobile cur velocissimè moveatur.

Non est opus Angelis ut primum mobile moveatur.

Motus internus est nobilior motu extrinseco.

Motus cœli naturalis

& per se fieri notum est, non sunt entia multiplicanda sine necessitatis lege, quod per pauca fieri potest per plura fieri non est opus.

Concluditur quid sit primum mobile & à quo moveatur.

Concludamus ergo primum Mobile esse supremam cœli nostri liquidi, & undiquaque permeabilis partem, luce candida, tenui, ac subtili valdè conflatam, tanquam ex parte Mobiliori materiæ primæ compactum, & indè per se mobilem velocissimo quo volvitur motu circa centrum suum, ex quo educta est, non ab Angelis moveri neq; à Deo, nisi concursu generali, quo concurrit ad esse rerum omnium, sed tantùm ab intrinseca forma sua, quę sui motus principium est, ut clarius videbitur infertus.

Qua insigni virtute & proprietate primum Mobile motu suo veloci & rapido cælos omnes inferiores secum rapiat.

CAPUT XIX.

Quare primum mobile moveatur tam velociter.

DIximus primum Mobile moveri motu velocissimo ac rapidissimo, quòd ejus substantia tota & materia sit ex ipso principio motus: nam materia ex qua conflatum & compactum fuerat, fuit pars mobilior & subtilior materiæ primæ, quæ pars tota fuit ex luce, tanquam subtiliori & mobiliori materiæ primæ parte. Lux enim in omnibus est motus principium, non calor, quia calor ille quem omnes antiqui Philosophi principium motus fecerunt, non habet subjectum cui inhæreat, nisi lux, lux siquidem calorem innatum habet visibilem & sensibilem, ratione cujus, illi motus principium datum fuit, at perperam quia luci cui inhæret, potius tribuendum est illud motus principium, quàm calori, qui inhæret luci; substantiæ potius est motus, quàm accidentis, quæ sunt enim, essentiæ fonti potius tribuenda sunt quàm accidentibus, quorum inesse & adhærere tantum est: Lux ergo cùm sit principium motus, motum illum velocissimum & rapidissimum primo Mobili communicavit & tribuit, cùm lux ipsa primum mobile fecerit & composuerit: Quo lux tenuior est & subtilior, eo motus rapidiores & velociores excitat, non potuit autem magis attenuari & sublimari, altiùs enim tendere non potuit quo magis attenuaretur, supremum ergo & ultimum acquisivit subtilitatis gradum, & supremum etiam & ultimum motus velocis gradum obtinuit, unà cum suprema & ultima subtilitatis suę perfectione. Unde non mirum valde est, si tanta velocitate & rapacitate volvatur, cum sit primum Mobile, & primum naturæ subtile; hoc enim velocitate motus cætera cuncta naturalia antecellere debet.

Calor non est principiũ motus.

Cur luci potius detur motus principium quàm calori.

Subtile omne velocissimè movetur.

Subtile enim omne, quo subtilius est, eo velocius fertur, si moveatur: Videmus enim Angelos, qui omnem naturalem subtilitatem infinitis modis evincunt, motus etiam na-

naturalis omnem velocitatem infinitis modis longissimè superare, in uno siquidem instanti, totum illud spatium, quod percurrit Mobile primum viginti quatuor horis, ipsi percurrerent & mensurarent. Non ergò mirandum cùm primum Mobile tãta velocitate feratur, cum naturalium omnium vincat subtilitatem & tenuitatem, in quibus motus velocitas consistit. Quę enim tardo feruntur gradu, crassa sunt omnia, & mole ponderis opprimũtur. Terra omnium crassissima, imò fæx & amurca elementorum omnium, mole sui põderis, & crassitiei oppressa in infimo latet immota: Aqua quę subtilior est terrâ, motum etiam quẽdam habet visibilem & sensibilem: Aër autem, quòd hæc duo elementa subtilitate & tenuitate vincat, motus etiam velocitate, eadem superat. Quo altius jam caput attollemus, subtilitatem & tenuitatem majorem inveniemus, ad primum mobile tandem perveniemus in quo ultimos subtilitatis naturalis gradus reperiemus, & ultimas etiam velocitatis periodos, & sic probatum erit omne subtile, quo subtilius est, eo velociùs ferri, si moveatur.

Crassa omnia tardè moventur vel immota sunt.

Quare autem trahat secũ omnes inferiores cœlos, unà cum stellis & planetis, quæ in eis sunt, profundæ & altissimæ est inquisitionis, ad motum siquidem primi Mobilis movẽtur omnes, & unico & eodem temporis spatio, percurrunt totum suum spatium, quasi essent quid unum cum illo, & quid adunatum. Verissimum enim est, cùm primum Mobile moveatur ex luce tenui & subtili tanquam ex parte mobiliori materiæ primę, si reliqui omnes cœli inferiores eadem luce & materia componantur, eundem etiam ipsos habere motum, habent enim eandẽ & similem motus causam, & cum liquidi sint & undiquaque permeabiles, & omnes simul conjungantur, adeo ut Cœlum Lunæ sit ultima pars versùs terram cœli istius, & primum Mobile sit suprema pars versùs Cœlum Empyreum, ideo facilè moventur omnes simul uno & eodem tempore, cùm sint contigui, & sint ejusdem essentiæ & naturæ, & perindè habeant unam & eandẽ motus causam generalem & supremam, quâ volvuntur tam rapido motu: Quòd si percipiatur, cœlos inferiores, unà cum planetis & stellis, moveri particulari aliquo motu, huic opposito, hoc fit ratione individuitatis particularis, quam habuit lux illa particulariter disposita, quæ fecit astra, beneficio cujus individuationis & particularitatis, si ita loqui mihi sit licitum cum scholis, motum sibi vindicavit peculiarem ut inferius clarissimè disputabitur, cum de planetis & astris agetur, nihilominus propter illum motum particularem quem habent ab astris, non sequitur inde non debere moveri ad motum suum generalem & primum, cum liquidi sint & permeabiles, Astra siquidem possunt moveri

Quare primum mobile cœlos inferiores trahat.

Stellæ cur particulari motu moveantur & diverso à cœlo cui insunt.

veri unà cum cœlis motu eorum, & moveri motu particulari in ipsa liquida cœli substantia: Motus primus & communis non potest impedire, quin particulariter moveantur astra suo peculiari & formali motu, trahuntur autem ad motum primi Mobilis ratione lucis, qua componuntur omnes, & ratione cujus moventur, cum sit principium motus in omnibus. Itaque cum lux quæ fecit cœlos, in suprema cœlorum parte velocissimè moveatur, pari etiam motu volvetur in media & infima sui regione, nec obstabit quin ita moveatur distinctus tenuitatis & subtilitatis gradus qui reperiri potest in hisce regionibus

Concluditur primum mobile cœlos omnes inferiores secum rapere ratione lucis qua est forma primi mobilis.

Ideò concludere possumus primum Mobile, cœlos omnes inferiores & astra omnia secum motu suo trahere, ratione lucis quam habent omnia, pro forma sua, & pro principio motus, quæ enim habent idem motus principium, eodem motu ferri necesse est, præsertim si contigua sint, ut sunt cœli inferiores cum primo Mobili, quod ab his non distinguitur nisi ratione tenuitatis & subtilitatis quâ pollet, & ratione eminentiæ qua supremum locum occupat, & ratione astrorum quibus caret. Itaque virtus illa insignis & proprietas, qua cœlos omnes & astra trahit, nihil aliud est quàm lux insigniter tenuis & subtilis qua componitur, & qua movetur, quæ cum eandem genere inveniat lucem, in reliquis inferioribus cœlis & astris, ad motum suum trahit illam omnem lucem, etsi renitentem aliqua ratione, motu particulari, quem habuit à Creatore, qui lucem peculiari modo in astris disposuit & ordinavit, ratione cujus ordinis & dispositionis alium observant motum, primo tamen obedientem & obsequentem, de quibus infrà.

An primum Mobile influat in inferiora ut reliqui omnes cœli.

CAPUT XX.

Cœli omnes influunt in inferiora.

CErtissimum est cœlos omnes inferiores primo mobili, in sublunaria cuncta influere ratione lucis, quam ex se effundunt, cujus virtus & proprietas est, vitam emittere, & omnia quæ vivunt, perfundere, vivunt enim & habent esse sublunaria cuncta, non ex se ipsis, sed ab his quibus fiunt & componuntur, ab iisdem etiam conservantur & vivunt: non fiunt autem ab ipsismet, quia si ab ipsismet fierent & conservarentur, nunquam destrui vellent, nec unquam destruerentur quia ab ipsomet corũ fonte, quo fierent, ab eodẽ haberent quo semper conservarentur, nihil enim vult nasci ut moriatur nec esse ut pereat. Est aliquid aliud à nobis diversũ, est quo esse nasci, & mori dependet, & conservari etiam ab

Qua ratione probatur materiam esse ex qua fiunt omnia

eodem ipso fonte necesse est. Sublunaria ergo omnia cùm fiant & oriantur singulis horarum momentis, necesse est habere causam assiduè præsentem, quâ fiant & oriantur, & quâ in esse suo conserventur: hæc autem causa assiduè præsens & assiduè operans, nihil aliud esse potest, quàm materia rerum prima, ex qua facta sunt omnia in principio mundi, quæ adhuc similem & eandem retinet potentiam & facultatem, nec de suo jure perdidit quidquam, hæc autem materia in infinitas ferè divisa est partes, at potissimum in quatuor, quæ elementa dicuntur, in quibus singulis hæc facultas materiæ primæ distributa est, cum etiam materia ipsa distributiva sit in ipsis materiæ ejusdem partibus, distributa autem est eo ordine, ut partes superiores quæ cœli sunt, quatenus partes materiæ primæ subtiliores majorem haberent ejusdem materiæ facultatem & potestatem: inferiores autem materiæ primæ partes, quæ sunt elementa inferiora, tanquam crassiores & minus subtilis materiæ ejusdem partes, haberent minorem agendi facultatem, & quasi superioribus partibus se omni ex parte submitterent, & earum actionibus subjicerentur.

Cœlum qua ratione potentius agat quam elementa.

Primum autem mobile, ut vidimus suprà suo peculiari capitulo, materiæ primæ subtiliorem, & tenuiorem habet partem, & perindè efficaciorem & majoris facultatis & energiæ, quæ enim pollent subtilitate & tenuitate substantiæ, pollent etiam agendi virtute & energia: Si ergò primum mobile subtiliorem habuerit materiæ primæ partem, habere etiam potentiorem ejusdem materiæ primæ agendi facultatem necesse est, & omnia illi inferiora, suæ potentiæ & facultati submittenda esse, imò vitam & quæ ad vitam pertinent omnium rerum, quæ in sublunaribus continentur dependere ab influxu & potestate primi Mobilis, ideò circa inferiora movetur tam rapido motu, ut vitam illam, quam influit citò distribuat omnibus inferioribus, quæ vitá illa opus habent: Est autem vita illa, quam influit primum Mobile, spiritus lucis qui ab eo descendens invisibili radio propter raritatem & tenuitatem quam in se habet, omnia penetrat & permeat, & dum astrorum corpora densa & peculiari ratione disposita ad lucem recipiendam & emittendam invenit, ea illustrat & irradiat, & visibilis redditur, & magis activa, & potens, unde ab his in nos remittitur potentiori effectu, quòd in astris magis condensetur, quàm in suo fonte, ut disputabitur capite sequenti.

Primum Mobile qua ratione agat in inferiora.

Unde cùm primum Mobile activiorem habuerit materię primę partem magis agere etiam debet: non potest autem agere nisi influxu suo peculiari. Ergò influat necesse est in inferiora, & majori cum energia & virtute cum activiorem habuit materiæ primæ partem; ad quid enim

Primum Mobile activiorem habet materiæ primæ partē

motus

motus visibilis ille adeo rapidus, ut sensus omnes vincat, nisi influeret: motus enim internus, & formalis est propter actionem quandam agendam; videmus enim cor in homine, & cerebrum moveri motu intrinseco & formali, propter quosdam influxus internos, qui necessarii sunt partibus omnibus ut vita, & his quæ vitæ sunt frui possint: motus etiam primi Mobilis ad cujus normam cætera reliqua moventur, non est futilis & inanis, at propter necessitatem quandam, quâ mundus totus necessariò eget, necessitas autem major esse non potest ea ipsa, qua indigemus ad vitam & esse nostrum conservandum, motus autem solus & nudus non potest vitam nostram conservare, superest ergò, ut cum motu ipso, aliquid decidat & influat, quod vitæ conservandæ & faciendæ sit proprium & necessarium: illud autem nihil aliud esse potest, quam spiritus lucis, cujus solius beneficio & auxilio cuncta foventur, nutriuntur & conservantur tãquam ab eo ortum & scaturiginem habentia, ergo cum motu suo emittit spiritum suum, qui est ejus influxus, quo foventur omnia, nutriuntur & conservantur.

Motus primi Mobilis est omnino necessarius ad vitam rerũ.

Inde Concludimus primum Mobile nonsolum influere in inferiora, ut reliqui cœli inferiores, at multò potentius influere cæteris omnibus cœlis, cum & potentiorem habeat influendi in inferiora potentiam & energiam, ex luce tenuiori & subtiliori qua factum est, & compactum, undè suam sumit influendi facultatem, inferiora siquidem habent partes crassiores & spissiores ejusdem lucis, quæ nisi perpetuis & assiduis supernæ lucis influxibus foveretur & instauretur, subitò evanesceret & extingueretur, undè acutè & sapienter admodum, Scaliger philosophatur, formas inferiores à superioribus foveri & conservari, superiores autem inferiorum benignitate non destitui.

Cõcluditur primum Mobile potentius influere cœlis omnibus.

An primum Mobile luceat & habeat astra quibus fulgeat.

CAPUT XXI.

PRimum Mobile habere lucem certissimum est, totum enim ex luce factum est. Lux autem quæ eo in cœlo est non visibiliter lucet & fulget, cum ita rara sit & tenuis ac subtilis, ut radios lucis emittere & profundere non possit, quæ enim lucem emittunt, ac luminis radios effundunt, densa, solida & conspicua esse debent, certo densitatis soliditatis & claritatis gradu, quo lucem effundere queant. Hic autem gradus densitatis, soliditatis & claritatis, quo lux visibiliter effunditur, Primo mobili deficit, totum enim liquidum est rarum & minimè densum at supremè tenue & subtile, & ideo lucere ac fulgere minimè potest, at clarum & diaphanum est, majori quidem gradu claritatis & subtilitatis, quàm polleat res quæcumque sit in rerum natura, Æthe-

Primum Mobile non lucet etsi in se habeat lucem.

Primum mobile liquidum est.

ra enim & aërem infinitis ferè modis antecellit, & superat claritate & subtilitate, cùm tamen æther & aër non luceant, nisi radiorum perspicui corporis lumine illustrentur, sic & primum Mobile lucere & fulgere non potest, nisi perspicuorum lumine illuminetur, tunc lux quæ in eo est rara ac subtilis, radiis luminosi corporis coillustratur tanquam à luce densiori, radiis siquidem luminosi corporis, est lux condensata, quæ emittitur foras ex corpore luminoso, unde facili negotio introducitur in substantiam ejusdem lucis raræ admodum & subtilis, eamque lucidam & conspicuam reddit, quòd à conspicua luce, quasi animetur, & informetur: Lux ergò primi Mobilis non effundit visibiles sui ipsius radios, quòd rara in supremo gradu sit & tenuis, ratione cujus non potest visibiles illos effundere radios, emittit tamen potentissimos & multò efficaces, sed præ tenuitate & subtilitate invisibiles sunt, donec corpora solida astrorum omnium inveniant, ibi immerguntur, & lucem ipsam astrorum adaugent & multiplicant, & ibi peculiari quadam proprietate donantur, quam ab astris particularibus accipiunt, ibi lux illa quæ vita est, incipit individuari & particulares habere virtutes, quæ tamen antea ex primo Mobili descendendo, simplex omninò erat & universalis, jam verò in astris quæ inferius sunt individuantur propter peculiarem individuationem mixtorum omnium inferiorum.

Primum mobile qua ratione luceat.

Primum mobile emittit invisibiles lucis radios qui visibiles redduntur in astris & planetis.

Hinc colligere possumus in primo Mobili nulla posse esse astra, quia si essent, essent quid heterogeneum & diversum ab ipso primo Mobili, undè particularem influerent lucem, ab ipsa luce primi Mobilis diversam & separatam: Quòd si diversam influerent Lucem, motum etiam haberent diversum: motus enim ab ipsa luce est, hoc autem fieri non potest, ut unum & idem per se & ex se moveatur ab intrinseco suo principio, & habeat motus diversos & contrarios, cum non habeat diversa & distincta sui motus principia. Non habet ergò primum Mobile astrum & sydus ullum, sed totum homogeneum est, & totum sydus unum æquale & simile in suis omnibus partibus, hoc convenit naturæ suæ, nam alioquin tam rapido motu volvi non posset, si astris multis esset adornatum & conspicuum. Illa siquidem astra cùm essent naturæ diversæ & distinctæ, motu etiam distincto & separato volverentur, & generalem illum motum quadantenus impedirent.

Quare primum Mobile non habeat astra sed sit quasi unum astrū æquale & homogeneū.

Nec est objiciendum astra omnia inferiora habere quidem motū particularem ab Occasu in Orientem, & tamen non impediunt ac retardant motum illum primi Mobilis, imò unà cum illo, uno & simili tempore feruntur, qui in diversis cœli liquidi spatiis hic motus distinctus & sepa-

Objectio.

separatus à primo motu sit: Si enim fieret in uno & eodem spatio seu cœlo in quo virtus astrorũ præest, hoc contingeret. Quia astra essent ejusdem virtutis imo fortioris cum cœlo suo. Astrum enim est ejusdem virtutis & energiæ, imò fortioris & potẽtioris, quia est ejusdem substantiæ & solidioris cum cœlo suo, undè semper cœlum uniuscujusq; astri movetur eodẽ motu cum astro suo, & influit pariter eandem virtutem & energiam cum sint ambo ejusdem essentiæ. Si tamen volvantur unàcum primo Mobili, hoc fit per accidens & motu violento à quo contra naturam suam & motum suum naturalem feruntur, à quo tamẽ aliquatenus retardatur, nam sine illo astrorum in contrariam partem motu, velociùs adhuc volveretur primum Mobile, quod tamen non est opus. Superest ergò primum Mobile, nullum habere sydus & astrum quo rutilet & fulgeat, sed totum homogeneum esse, & simile in suis omnibus partibus & lucem undiquaque similem effundere, invisibilem tamen, sed efficacẽ & vitę plenã, qua cœlum omne & mũdus hic universus repletur & turget, & qua cuncta quæ vivunt & habent esse producũtur & conservantur, quod sequenti capite agitabitur.

Solutio.

An primum Mobile influxu suo peculiari vitam rerum omnium producat & conservet, foveat & nutriat.

CAPUT XXII.

Verissimum est res omnes inferiores opus habere superiorum influxu ut producantur, & generentur, foveantur, & conserventur in esse suo, nam quod in his est materiæ primæ, ad productionem & generationem faciendam & productam conservandam, ideo est lenis actionis, & motus pigri, ut nisi motu cœlesti, & influxu superiorum suscitetur, & vigoretur, & ultimam hanc mundi & infimam regionem mors perpetua occuparet, Cœlum tenuissimum quid influit, quod est motus principium à quo generationes omnes & productiones rerum omnium fieri in inferioribus necesse est. Undè autem tenuissimum illud effluat, an ex toto cœlo, vel particulariter ex primo Mobili tanquam ex supremo cœlorum, & fonte motus, id jam nobis est disquirendum.

Res omnes inferiores opus habent influxu superiorum ut producantur & conserventur.

Si motus omnis ex primo Mobili ortum habeat, tanquam ex imagine quadam & simulachro veri primi Mobilis, à quo omnia fuerunt & adhuc verè conservantur, non possumus in dubium revocare, quin omnia inferiora, quæ intrinseci moventur ad generationem & productionem, suscipiãt motum illũ à primo

Primum mobile componitur ex principio motus.

mo nostro Mobili, quod cùm pars mobilior & subtilior materiæ primę convolaverit, quod superfuit materiæ primæ, in infimo mundi remanenti expers ferè motus & actionis fuerit, quod autem superius convolavit, totum fuit motus & actionis plenum, itaque cùm primùm Mobile sit ferè totum ex motus & actionis pleno illo, necesse est primum mobile esse principium motus & actionis, cùm principium ipsius motus, quod materiæ primæ inerat, ad primum Mobile convolaverit, & totum ex illo principio factũ fuerit.

A primo mobili omnia desumunt suũ motum, & actionem & vitam & conservationem.

Si ergo principium motus in primo Mobili collocetur, tanquam in parte totius universi nobiliore & prętantiore, superest ex illo ipso primo Mobili, omnia mot⁹ suos omnes, & actiones desumere, quę cũ ad vitã producendam & productam conservandam fiant, & educantur in lucem, necesse est inde sequi primum Mobile influxu suo peculiari vitam rerum omnium producere, conservare, nutrire & fovere, influx⁹ enim ille tenuis est & subtilis vitæ plenus, & nihil nisi vita est, quocirca vitam facere & conservare non est mirum.

Primum mobile qua ratione det esse cœlo omnibus.

Quòd si primùm Mobile sit principium motus, erit etiam & principium lucis & vitę vitę siquidem naturalis, qua ratione explicatum est superioribus in capitulis, dum vitæ gradus explicavimus, & esse primũ vi a gradum fecimus, undè à primo Mobili lucem habent omnia, & ex luce motum & vitam, seu esse quod habent, nisi enim primum Mobile perpetuo suo motu, eoque velocissimo & rapidissimo lucem suam invisibilem & vitam in inferiora cuncta effunderet, corrueret tota machina mundi, & cœli ipsi, & astra deficerẽt omnia, quamvis peculiari vita & luce vigeant, à quibus particulare habent esse, & peculiarem motum, nisi tamen perpetua illa luce & vita superiori irrigarentur, multũ sui præstantis & mobilis status deperderent, non enim ita velocissimè circa inferiora moverentur, nec adeò efficaci influxu inferiora instaurarent. Nam ab influxu primi Mobilis cætera cũcta vigorantur & ad functiones suas excitãtur. Infallibili hac conjectura, hæc colligũtur vera esse. Primò Primum Mobile Supremum Cœlorum omnium posuit Deus, ut in inferiora omnia influeret, cœli ergo omnes & astra & sydera omnia inferiora sunt, & suscipiunt primi Mobilis motum visibilem, ergo etiam & influxum, cùm motus sit propter influxum. Secundò si virtus & energia materiæ mundi præcipua pars, & magis activa ascẽderit in primum Mobile, necesse est ut descendat, ad refocillandũ illud omne, quod superfuit materiæ primæ, ergo ex primo Mobili descendit energia & virtus totius mundi, cùm pręcipua ejus pars ad illud ascenderit; Tertiò descendunt omnes virtutes cœlestes, & non ascendunt, ergò quod supremum est omnium, descendendo reliqua inferiora restaurat, non enim inferiora sunt,

Rationes quibus probatur primũ Mobile in inferiora influere, & ex eo descẽdere virtus totius mundi.

ſunt, niſi quatenus ſuperiora habēt, & ab his ſuſcipiunt Dominium, ſuperiora ſiquidem ſemper ex ordine naturæ inferioribus dominantur, ergo primum Mobile cùm ſit ſupremum omnium cœlorum & rerum omnium, cœlis omnibus & rebus cūctis dominabitur, nō poteſt autē dominari niſi influat, ergo influxu ſuo cuncta fovet, reſtaurat, & vivificat.

Sol non eſt primus vitæ fons, nec primum Mobile, ſed materia prima.

Nec eſt objiciendum ſolē cor eſſe mundi & in medio cœli poſitum eſſe & perinde fontem eſſe luminis & lucis & perinde vitæ, & ab ipſo ſole, cuncta vivificari & reſtaurari, ut nos ipſi cum omnibus Philoſophis aſſeruimus multis in locis operum noſtrorum: Sol enim quamvis ſit peculiaris vitæ fons, & lucis ſcaturigo, nō impedit quin primū Mobile ſit primus vitæ & lucis fons, cum à primo Mobili primò deſcēdat inviſibiliter, & ſoli deinde appareat viſibiliter, nā cum ſol ſit cor cœli, & in medio poſitum ſit, virtus & energia totius cœli in medio ejus efficacior eſt viſibiliter, quam in extremitatibus, non tamen fontem primum & immediatum lucis & vitæ ſolem facimus, ſed primum Mobile, nec adhuc primum Mobile primum & immediatum facimus lucis & vitæ fontē, ſed materiam primam, à qua ſola primò & immediate lux & vita ortum habuit & ſcaturiginē, ut enim ex corde hominis, & brutorum perfectorum, vita non primò originē habet & immediatè, ex illo non ſcaturit, at ex alimentis, & aëre, & in his ex cœlo, & in cœlo ex materia prima, lux illa & vita quæ in his omnib' reperitur, immediatè ſumit originē, ſic pari modo in ſole lux illa quæ viſibiliter in eo apparet, & vita quæ in ipſo floreſcit, non immediatè ex illo effluit, ſed ex primo Mobili quod lucē illam, & vitam inviſibilem in ſolem effundit, & ex materia rerum prima, quę primo Mobili & omnibus rebus vitā & ipſām & lucem diſtribuit & communicavit, dum ex ſe ipſa facta ſunt omnia.

Concluditur primum Mobile vitam rerum omnium producere fovere & conſervare.

Non ergo amplius dubitandum erit, primum Mobile ſuo peculiari influxu & luce ſua inviſibili, vitam rerum omnium producere, fovere, & conſervare, imo & cœlos omnes, & aſtra & ſydera illuſtrare, & lucem ſuam inviſibilem, propter tenuitatem & ſubtilitatem, in ipſa effundere; ibique viſibilem fieri ob reflexionem & condenſationē quam in ipſis aſtris & ſyderibus recipit veluti in quibusdā perpolitis & cōſpicuis naturæ ſpeculis & ardentibus pyropis.

An primum Mobile ſine aſtrorum inferiorum contrario motu velocius adhuc multo volveretur.

CAPUT XXIII.

Omnia facta ſunt ab infinita prudentia.

EA omnia quæ facta ſunt, ex fonte prudentiæ Divinæ facta eſſe cenſenda ſunt, nihilque prudentius addi poſſe, in creatis piaculum eſt cogitare, certiſſimum enim eſt primum Mobile nec ita moveri ut movetur, ſi motum contrarium ab Occaſu in Orientem aſtrorum

Ab ordinatione naturæ nihil detrahi potest sine totali mundi ruina.

omnium tollamus, nec astra ita moveri ut moventur, si motum primi Mobilis auferamus, uterque enim motus, ex utriusque consonanti discordia fieri necesse est, cum ita sit præordinatum, & legibus divinis ratum & statum, ab ipso ordine divino nihil detrahi potest, quin & tota corruat machina mundi. Si tamen in Divinis ratiocinari liceat, investigare possumus & contemplari, motum primi Mobilis ita prudenter commensuratum fuisse, ut unius diei integri, sive viginti quatuor horarum spatio, totum circumeat mũdum, ut omnia quæ vita & luce indigent sua præsertim circumvolutione foveat & illustret, si tardius enim volveretur, tardius etiam vita distribueretur, nõ potest autem tardius, quia calidum innatum rerum non potest longius durare sine pabulo quotidiano, omnia enim indigent pabulo illo quotidiano, quod à primo Mobili singulis diebus distribuitur, æquali ac indesinenti semper motu. Quod autem calidum innatum rerum omnium non possit extra viginti quatuor horas perdurare absque pabulo quotidiano sine læsione manifesta sui ipsius, id experientia patet, quod nihil sit in rerum natura, quod tandiu perdurare possit absque illo pabulo, imò nec momento quidem, quia invisibili illo primi Mobilis alimento, assiduo & perpetuo utimur, tum visibili respiratione, qua animalia cuncta attrahunt illum vitæ spiritum, toti mundo perfusum & invisibili transpiratione & attractione, qua reliqua cũcta eundem vitę spiritum attrahunt, & pelliciunt, ad sui nutritionem & conservationem. Undè non immeritò jussit Deus Christus Salvator noster, ut quotidiè ab illo peteremus panem illum quotidianum, spiritum scilicet illum vitæ qui verè panis est, & cibus quotidianus, quo utitur omnis creatura ad sui conservationem.

Quare primum Mobile intra viginti quatuor horas moveatur.

Panis quotidianus

quo utitur omnis creatura est spiritus à cælo descendens.

Cum ergo cibus quotidianus sit omnino necessarius ad res omnes creatas conservandas, omnino etiã perindè necessarium est ut primum Mobile, à quo cibus ille vitæ descendit, quotidie moveatur circa creata omnia, & perficiat & absolvat motum omnino suum ab uno puncto, ad idem punctum, ut cuncta omnia creata, quæ suo ambitu continentur frui queant illo vitæ alimento, & cũ creata diversa & distincta sint in rerum natura, & diversis egeant alimentis ut conserventur, ideo etiam generale & commune illud vitæ alimentum, quod à primo Mobili descendit in inferiora, diversificatur & varias suscipit præparationes & alterationes in tot diversis ac variis cælorum omnium astris & syderibus tanquam in loculis & matricibus quibusdam & stomachis, ut indè præparatum singula omnia suscipiant alimentum unicuiq; idoneũ & conveniens, hinc feruntur omnia sydera & astra motu primi Mobilis, circa omnia inferiora, viginti quatuor

Spiritus vitæ diversimodo præparatur in astris singulis ad usum & commoditatem rerum infernarum.

tuor horarum spatio, ut præparatum illud generale alimentum à puro Mobili descendens cunctis inferioribus distribuent, & maneant semper & assiduè elementa inferiora plena, & turgida illo alimento, ut hinc tanquam ex inexhausto vitę fonte, singula hauriăt quibus opus habent. Quod fieri non posset, nisi primúMobile & cœli reliqui omnes moverentur circa elementa inferiora intra spatium illud viginti quatuor horarum, nam si tardius consumeretur nimis, si citiùs non digestú esset, quod assumptum fuisset, ideò nec citiùs nec tardiùs debet Mobile primú, circa hæc inferiora moveri.

Contrarii astrorum motus sunt necessarii ad primi Mobilis motum temperandum.

Hinc jam clarissimè patet, motus contrarios astrorum omnium & syderum ab Occasu in Orientem esse omnino necessarios, ut motum illum quotidianum primi Mobilis tẽperent, ne citius fiat, nam si astra omnia unà cú cœlis suis naturali suo motu volverẽtur ab Oriente in Occasum, ut Mobile primum volvitur, nec contra niterentur, sed unà tenderent cum primo, Mobili necessariò primum Mobile citius & velociùs multò volveretur, quàm volvitur, motus enim naturalis cujuscumque rei potest intendi ad supremum velocitatis gradum, at primú Mobile non movetur ad supremum velocitatis suæ gradum, cum impediatur ita moveri à motu contrario astrorum & syderum inferiorum, nam contrarius & oppositus ille motus, aliquo modo retardat & temperat velocitatem primi Mobilis, ut ipsamet experientiâ dijudicare possumus, ex his qui navigant velis & ventis secundis, unà cú cursu fluvii, tunc navicula, & omnia quæ in ea sunt feruntur velocissimè, quod si ventis sit oppositus & contrarius fluvii cursui, vel cursus fluvii opponatur vento, & velis, tunc non ita rapidè fertur & currit navicula, simili etiam ratione primum Mobile volveretur multò rapidius, quam jam volvitur, si motus naturalis astrorum omnium non illi opponeretur, at unà cum illo naturaliter volverentur ab Ortu in Occasum: voluit autem summus Opifex ut ita fierent. Si motus, ut ex discordi illo motu, motus consonus & congruus naturæ conservandæ nasceretur.

Primum Mobile velocius volveretur si motus astrorum non illi opponeretur.

Concludimus ergo primum Mobile sine astrorum inferiorum contrario motu, velociori adhuc multò motu ferri posse circa inferiora, quàm jam volvitur, nam motus illius retardatur & temperatur à motu illo opposito astrorum omnium, quòd si retardetur & temperetur, necessariò sequitur absque illo motu, rapidiùs & velocius fieri posse.

DE DECIMO ET NONO COELO.

An detur decimum & nonum Cælum & quid sit.

CAPUT XXIV.

Rationes ex quibus factæ sunt

Decimum & Nonum Cœlum fecerunt multi Astronomo-

Cœlum decimum & Cœlum nonum.

rum, ob varios & peculiares motus, quod obſervarunt in hiſce cœli partibus, nam præter motum ab Ortu in Occaſum, quo totum Cœlum volvitur, à primo mobili ſeu à ſuprema cœli parte, obſervarunt alium motum peculiarem & proprium, quo à Septentrione in Auſtrum, & ab Auſtro in Septentrionem fertur pars illa cœli quę primo Mobili ſubjicitur, per 24. minuta ſub Coluro Solſtitiorum primi Mobilis, & hic motus librationis dicitur, deindę alium obſervarunt motum huic diſſimilem propter librationem per 140. minuta, quibus movetur ab Ortu in Occaſum, & ab Occaſu in Ortum pars illa cœli, quæ decimo cœlo ſubjicitur, & ſic nonum & decimum cœlũ fecerunt ex motibus illis librationis, quos in hiſce partibus animadverterunt: quod ſi verum ſit, fides penes authores adhibeatur, qui tales motus obſervarunt, nõ enim nobis eſt, cùm phyſica tantùm tractemus, hãc agitare quæſtionem, eſto detur illud decimum & nonum cœlum à primo Mobili ad Firmamentum, erit ſemper illud decimum & nonum cœlum pars liquidi noſtri coeli, quæ ex luce, & parte mobiliori primæ materiæ mundi compacta & fabricata, huc convolavit ut quæ naturæ ſuæ ſunt, in inferiora, effundat: quòd ſi diverſis motibus feruntur illæ partes, quæ decimum & nonum conſtituunt coelum, hoc eſt ut lux & vita, quæ â primo Mobili deſcendit & effunditur, æqualiter diſtribuatur in omnes mundi partes, nam ſi coeli omnes volverentur unico motu ab Ortu in Occaſum, & ab Occaſu in Ortum lux & vita, quæ motu illo diſtribuitur partibus Orientis & Occidentis, non æqualiter diſtribueretur cæteris mundi partibus: Auſtrales enim partes & Boreales privarentur æquali ſua portione, at cùm coeli reperiantur qui immediatè à primo Mobili moveantur à Septentrione ad Auſtrum, & ab Auſtro ad Septentrionem, & ab Occaſu in Ortum, & ab Ortu in Occaſum motu illo librationis, quamvis non deſiſtant moveri à primo Mobili, ab Oriente in Occaſum, ſic motus illius contrarietate, lux & vita æqualiter diſtribuitur in omnes mundi partes, aut ſaltem ſi non omninò ęqualiter, ſaltem quantùm ſufficit ad res omnes conſervandas & nutriendas in omnibus mundi partibus, motus enim ille librationis qui in decimo & nono coelo invenitur, non fruſtra eſt, ſed propter aliquid omnino neceſſariũ toti mundo, nihil enim in toto mũdo eſt quin ſummoperè neceſſariũ ſit, ideo motus ille cùm reperiatur neceſſarius eſt, cùm autẽ omnis motus ſit propter influxus coeleſtes diſtribuendos, non dubitandum eſt quin iſte peculiaris etiam motus, ſit propter influxus ſuos partibus Septentrionis, & Auſtri peculiariter diſtribuendo, ut videbimus capite ſequenti.

Cœlum decimum & nonum quid ſit.

Quare ſint cœli qui moveantur verſus Septentrionẽ & Auſtrum

Reſtat nobis jam concludendum decimum & nonum coelum dari, qui

Datur decimum & nonum cœlum, & quid sint & quo motu proprio moveantur.

qui nihil aliud sunt quàm partes superiores cœli nostri liquidi, & undiquaque permeabilis, primum Mobile subsequentes, quæ ideo moventur cum primo Mobili, quòd habeant eandem cum primo Mobili in genere substantiam, & quòd rapidè & violenter trahantur ab illo, moventur auté peculiaribus suis motibus librationis, peculiari sua forma qua donantur, & qua lux ex qua facti sunt peculiariter individuata est & motus habet peculiares illos librationis, quibus lux & vita, quæ effluunt ex illis cœlis peculiariter tendit ad Septentrionem, & ad Austrum, astris tamen diversis: sunt enim astra peculiaria in his cœlis, quæ corpus suum volvunt ad partem peculiarem ad quam inclinant ut disputabitur inferiùs.

An motus peculiaris librationis decimi cœli sit propter influxus peculiares Septentrionis & Austri.

CAPUT XXV.

Motus librationis decimi cœli, cur ad Boreales & Australes partes tendat.

PArtes Septentrionales & Australes cum multum distent à medio cœli, in quo vigor & energia cœli potentissima est, & per quod Sol & Planetæ omnes, unà cum duodecim signis Zodiaci deambulant, & virtutem suam & energiam infundunt, ratione cujus pars illa media cœli. Cæteris omnibus virtute & energia antecellit, reliquæ verò partes, & potissimum Australes & Septentrionales cum sint cœli extremitates & æqualiter distent à medio illo cœli, non possunt nisi obliquè recipere virtutes illas & energias medii cœli, undè valdè defraudantur â vitali illo spiritu, qui per lucem effunditur, nam quamvis vitalis ille spiritus, à primò mobili descendat, non æqualiter descendit quia non æqualiter movetur per omnes sui partes, per motum enim descendit, cùm autem motus non sit æqualis, nam primum Mobile circa Polos suos non ita violenter & velociter volvitur, ac in medio cœli, sic etiam circa Polos non effunditur tantum lucis & vitæ, quantum ex medio cœli effunditur, Voluit autem summus Opifex, ut vita & lux undiquaque deferretur ad sufficientiam saltem creatorum omnium, necessarium ergo fuit compensare proluvium illud medii cœli, motu aliquo particulari alicujus cœli, versùs Austrum & Septentrionem, ut lux & vita quę ex toto cœlo descendit versùs Austrum & Septentrionem descenderet ad sufficientiam saltem rerum omnium, quæ in hisce partibus producuntur & fiunt, nam motu primi Mobilis ab Ortu in Occasum nō potest sufficienter deferri ad Polos mundi, cùm circa Polos illos tardè admodum moveatur primum Mobile, ergo tardè etiam & segniter descendit lux & vita quæ sunt hisce partibus necessaria, ergo etiam necessarius erit alius motus primo Mobili oppositus & contrarius, ad vitam illam & lucem partibus Septen-

trionis & Austri distribuendam, ad necessitatem eorum omnium quæ producuntur & fiunt in hisce partibus, motus autem librationis decimi cœli, à Septentrione in Austrũ & ab Austro in Septentrionem est oppositus motui primi Mobilis, ergo & commodus & necessarius, ut lux & vita deferatur ad has partes, ad quas deferri non potest sufficienter motu primi Mobilis propter tarditatem & segnitiem motus primi Mobilis circa has partes.

Concluditur motus librationis decimi cœli fieri propter influxus peculiares Septentrionis & Austri.

Quocirca audacter concludere possumus motus librationis peculiares & proprios decimi cœli, fieri propter influxus peculiares Septentrionis & Austri, nam sine motu illo peculiari & cœlo illo, ad Septentrionem & Austrum inclinante non deferretur lux & vita, quæ ab illo cœlo descendit ad Austrum & Septentrionem, unde Austrum & Septentrio non haberent sat lucis & vitæ, ad ea quæ inibi sunt conservanda & nutrienda, habent autem ut constat ex experientiâ, nã vivitur in hisce partibus, & multa fiunt ac producuntur, ut in cæteris mundi partibus, nõ tamen tantę virtutis & energię, quãtæ sub Zona torrida quia quæ fiunt & producuntur sub Zona torrida, copiosam habent vitam & lucem, ex medio cœli descendentem, unde potentissimæ sunt virtutis & energiæ, quæ verò in partibus Austri, & Septentrionis hoc est sub Zonis frigidis producũtur & fiunt, minoris sunt virtutis, quia minorem habent lucẽ & vitam è cœlo descendentem, qua fiunt & conservantur, sic ratum manet, motus decimi cœli peculiaris, à Septentrione in Austrum, & ab Austro in Septentrionem fieri tantum in gratiam & favorem Austri & Septentrionis, hinc miranda summoperè est misericordia Divina, quæ tãta fecerit ardua, & subtilia, ad spiritum illum vitæ toti mundo distribuendum, ut multę sint in eo partes, quæ eo spiritu lucis & vitæ non illustrentur, foveantur & conserventur.

Quare ea quæ fiunt in zonis frigidis sint minoris virtutis his quæ fiunt sub zona torrida.

An in decimo cœlo sint astra peculiaria quibus cœlum illud trahatur versus Austrum & Boream, & motus librationis fiat.

CAPUT XXVI.

In cœlo decimo sunt astra.

Diximus capite Superiori 21. primum Mobile non habere astra quibus luceret & fulgeret, quod nõ haberet in se motum diversum sed uniformum & eũdem, in decimo autem cùm reperiatur varius & diversus motus, varias etiam & diversas esse in eo cœlo causas hujus diversi motus necesse est, motus enim à luce est, ut probavimus. si ergo motus est varius, lucem variam & distinctam esse colligimus, à qua procedat motus, si ergò lux varia & distincta, varia etiam & distincta astra esse oportet, quibus lux varietur, & distinguatur, lux enim non potest variari, & distingui, nisi in astris variis & distinctis, sunt enim astra partes cœli densiores & crassiores, & solidiores in quibus lux magis condensatur,

Motus est à luce.

Lux non potest variari nisi in astris variis.

nir, & in unum cogitur corpus densius & solidius, unde fortiores & apparentes & visibiles emittit radios, quod in reliquis cœli partibus non evenit, eo quòd hæ partes sint liquidæ permeabiles & raræ substantiæ, ratione cujus raritatis & subtilitatis, lux non apparet visibili radio & fulgure candido, sed sparsa diffunditur in hisce cœli partibus absque ullo sui ipsius splendore, propter tenuitatem & subtilitatem earum partium, quæ illam lucem non condensant, & in unum comprimunt corpus visibile & lucidum, ut ex lampadibus & facibus veritatem hujus rei colligere possumus, vapores siquidem qui ex eorum igne ascendunt sursum, dum cera aut oleum ardet, quo magis attenuantur & subtilian-tur, eo tenuiorem & subtiliorem emittunt lucem & splendorem, & ultima pars quæ jam subtilitate sua, & tenuitate, aërem vincit, vel saltem æquat, nullo pacto lucida est, & transparens, sed tantum illa quæ crassitiem & condensationem quandã habet, in qua condensatione, & crassitie viget splendor & fulgor luminis, in aliis verò partibus immediatis, quod tenuiores sint & subtiliores nõ splendet & fulget, virtus & energia lucis sic in cœlo est, partes illæ cœli tenuiores & subtiliores, quamvis lucis turgidæ sint, non splendent & fulgent, quod non habeant sufficientem condensationem, & crassitiem si ita loqui fas est, ad lucis virtutem & energiam visibiliter & apparenter emittendam. At astra tantum & sydera quòd sint partes cœli crassiores, & solidiores multò, quàm reliquæ cœli partes, ideò magis lucent & in ipsis propter eorum crassitiem & soliditatem, lux apparet visibilis fulgens & radians.

Lux non lucet & fulget nisi condensetur in certo gradu condensationis.

Lux in toto cœlo est æqualiter diffusa, ut anima in toto corpore, at in quibusdã corporis partibus magis elucet, seu majores & efficaciores habet virtutes, quàm in aliis: videt in oculo, tamen sapit & gustat in lingua audit in aure, in naribus olfacit, & tangit in cute, ratiocinatur & intelligit, recordatur & apprehendit in cerebro, solum quæ sunt majores & efficaciores sui virtutes & potentiæ, quæ non ubique, & in singulis corporis partibus distribuuntur, & manifestantur, quamvis ubique anima sit, & ubique possideat has omnes & alias virtutes & facultates, non ubiq; apparent sed singulæ in singulis propriis organis suis. Sic pari & eodem modo lux cœlestis in toto cœlo est, ubiq; reperitur diffusa: at non ubiq; pares exercet virtutes & energias, & visibiles sunt & fiunt, quamvis ubiq; & in toto cœlo easdem omnes possideat, & obtineat virtutes et energias.

Lux qua ratione varias habeat proprietates, ubique pares non habeat virtutes.

Si ergo in decimo cœlo sint motus varii et diversi, ut constat ipsamet experientia, necesse est decimum cœlũ corpus esse heterogeneum & partes habere diversas et varias, à quibus varietas et diversitas ipsius motus depẽdere habet, corpus enim

Cõcluditur in cœlo decimo esse astra & sydera à quibus

Sunt motus vari; qui cœlo decimo insunt.

enim homogeneum & simile in suis omnibus partibus, non potest habere nisi unum & eundem ex seipso motum, habet autem decimum cœlum ex animadversione quorumdam Astrologorum motus varios ac diversos, corpus ergo heterogeneum habere debet, & diversis partibus compositum. Partes autem illæ diversæ & variç non possunt çsse nisi astra & sydera, in cœlo enim non possunt esse alia corpora, lux enim quæ cœlos fecit non potest distingui nisi in partes liquidiores & permeabiles, raras & subtiles admodum non lucem emittentes, & in partes solidas, compactas, conspicuas, & lucem emittentes. Partes primæ cœli corpus constituunt, partes secundæ astra constituunt & sydera. Si ergo partes sint diversæ & variæ in uno & eodem cœlo, astra talia esse oportet, decimum autem cœlum varias habet illas partes à quibus variè movetur, habet ergo astra varia & distincta à quibus varius motus ille celebratur.

Quo modo motus librationis decimi cœli fiat ab astris suis

Sunt ergo astra in cœlo decimo à quibus variè movetur versùs Austrum, quia astra illa tendunt & inclinant forma sua, & natura ad Austrum: movetur etiam versùs Septẽtrionem, quia astra quæ habet ad illam partem tendunt, & inclinant virtute sua & proprietate naturali cœlum suum ad Septentrionem, ibique dum sunt aliquo modo cessat eorum motus, quòd obtinuerint cẽtrum quo tendunt: Alia verò astra quæ ad Austrum cœlum suum inclinant, cùm à centro suo dimoveantur incipiunt agere & trahere cœlũ suum versùs Austrum donec voto potiantur, alia verò quæ ad Septentrionem, dum à centro suo etiam dimoventur, iterum agunt & trahunt suum cœlum ad naturalem suum locum & sic fit motus ille librationis à Septentrione in Austrum & ab Austro in Septentrionem ab intrinsecis variorum astrorum formis, quæ in cœlo decimo reperiuntur, & constituuntur, ut motus ille librationis exsurgat ad partes Septentrionales & Australes fovendas, nutriendas, & luce & vita cœlesti illustrandas.

Undè facilè concludere possumus decimum cœlum habere astra peculiaria versùs Austrum, quæ cœlum totum illud ad Austrum inclinant & volvunt, & alia habere astra versùs Septentrionem, quibus cœlum idem trahitur ad Septentrionem, & sic distractu illo vario & distincto fit motus librationis, & æquilibrii, ut influxus primi Mobilis sufficienter distribuatur ad Boreales & Australes partes.

An in nono Cœlo sint astra quibus fiat motus ejus librationis ab Ortu in Occasum, & ab Occasu in Ortum.

CAPUT XXVII.

In cœlo nono datur etiam motus librationis ab

Animadverterunt nonnulli Astrologorum Cœlum nonum habere motum librationis & çquilibrii ab Ortu in Occasum & ab Occasu

ortu in occasum & ab occasu in ortum. casu in Ortum per 140. minutas, extra motum ejusdem librationis quem illi impertit & communicat decimum cœlum à Septentrione in Austrum & ab Austro in Septentrionem per quatuor tantùm & viginti minutas. Ita ut in hoc cœlo nono, tres motus apparentes & visibiles in uno & eodem tempore percipiantur. Primus est ab Ortu in Occasum quem accipit à primo Mobili. Secúdus à Septentrione in Austrum, & ab Austro in Septentrionem, quem accipit à decimo cœlo: tertius & ultimus est, suus ipsiusmet motus, qué accipit ab astris suis quæ in eo sunt cœlo, & est motus librationis per 140. minutas ab Occasu in Ortum, & ab ortu in Occasum: Quare autem fiat hic motus librationis & æquilibrii ab Occasu in Ortum, & ab Ortu in Occasum est, ut influxus primi Mobilis, qui solum ab Ortu in Occasum defertur per motú hunc, deferatur etiam ab Occasu in Ortum remeatione ista, & motu æquilibrii ut Occasus & Oriens, Oriens & Occasus æqualiter recipiant influxus illos beneficos, vitæ plenos, & ut etiam motus primi Mobilis temperetur, & ne citiùs quàm intra spatium viginti quatuor horarum moveatur, motus enim qualiscumque sit, primo Mobili contrarius oppositus est, ut moderetur ille motus primi Mobilis, & temperetur ad viginti quatuor horas, ut influxus suus, qui est alimentum rerum omnium infernarum quotidiè distribuatur singulis rebus omnibus per totum mundum, ut supra diximus capite 23. hujus libri.

Quare motus noni cœli librationis fiat.

Præcipua ergo ratio cur motus hic librationis tum decimi, tum noni cœli fiat, est ad moderationem motus primi Mobilis, nam alioquin citius volveretur & si citiùs volveretur descenderet influxus motu etiã citiori & violentiori, & perindè vita naturæ inferioris & lux extinguerentur nimio vitæ & lucis influxu: omnia in pondere & mensura exoptat natura, sufficit ut moderatè omnia fiant, & eo motu quo fiunt & violentiorì fieri non possunt. Quod experientia quotidiana comprobatur in furnis Ægyptiis, qui *Athanores* dicuntur quasi immortales, & calorem vitalem, perpetuum & perennem continentes, si in his furnis ova concludantur calore illius furni, & moderato, & temperato certo in gradu, æquè excluduntur pulli, ac ex calore vitali Galinarum determinato suo tempore, quod si caloris istius gradus augeatur, non solum nõ excluduntur pulli, sed omnino pereũt & vitalis energia, quę in ovis occulta jacet destruitur omninò & extinguitur. Lumen etiam & ignis lampadis, si plus olei effundatur, quàm consumere potest, extinguitur sola olei copiâ. Sic si primum Mobile citius moveretur, copia lucis & vitæ quæ ex motu citiori in inferiora descenderet, inferiora destruerentur, ne ergò citiùs moveatur, dati sunt & fabricati cœli, qui motu contrario

Omnia in pondere & mensura fieri debent.

Si primum Mobile citius moveretur omnia destruerẽtur

& opposito volvuntur, ut primum mobile ad hanc continuam motus temperiem & moderationem, cujus limitibus & gradibus omnia conservantur. Vndè autem moveantur motu contrario & opposito, diximus superiori capite, quod enim de decimo cœlo dictû est, de nono pariter asserere oportet, cùm semper dogma meum, & fundamentû doctrinæ meæ, ex una & eadem basi, & uno eodemque lapide fiat, scilicet lucem facere motus varios & distinctos, si lux varietur & distinguatur. Si ergo in nono cœlo sit motus per 140. minuta ab Occasu in Ortum & ab Ortu in Occasum moderatum valdè, & temperatum ita ut annis fiat 1715. & diebus ferè 302. compleatur & absolvatur, hoc astris quæ in eo sunt cœlo condonare debemus, quibus solis lux variatur & distinguitur, & diversos & varios etiam habet effectus, & proprietates & perindè etiam varios & distinctos motus.

Motus noni cœli ab astris suis est.

Vndè facilè cõcludere possumus nonum cœlum habere astra, à quibus ille motus librationis qui in eo peragitur ab Occasu in Ortum & ab Ortu in Occasum, depẽdet, & habet originem; nisi enim hęc essent astra, cœlum cùm sit ejusdem essentiæ & naturæ, non posset illos varios, & distinctos excitare motus ab unica & simili forma, necesse est ergò, ut diximus capite superiori varias esse formas in eo ipso cœlo, à quibus varius & distinctus excitatur motus.

Nonum cœlum habet astra à quibus movetur motu librationis.

Quare astra & sydera quæ motus illos librationis in decimo & nono Cœlo excitant non appareant nobis.

CAPUT XXVIII.

PErspicilia subtilissimi illius Galilei non possunt visus nostri acumen ad longissimum illud loci illius spatium deferre, ut astra illa fulgida & lucida valdè perspicere valeamus, longius enim quàm par sit à nobis distant, ut videantur, & tantæ non sunt magnitudinis & lucis, ut ejus visibiles species ad nos deferantur, nihilominus ex perspicilis Galilei colligimus in decimo & nono cœlo debere esse astra & sydera, nam ex his perspiciliis videmus circa Solem, circa Martem, circa Jovem & circa Saturnum esse astra quædam lucentia & fulgida valdè, quæ motum eundem cum hisce Planetis observant, quæ tamen invisibilia sunt nostris communibus omnium oculis, cum perspiciliis tamen illis nobis apparent. Si ergo sint in cœlo Solis, Martis, Jovis & Saturni, imò in cœlo Veneris, & in Firmamento quamplurima astra & sydera, quæ lucent & fulgent, & tamen nobis non apparent nisi beneficio & ope artificii illius omninò admirabilis. Quid inde suspicari debemus de decimo et nono Cœlo, qui longissimè distant ab his omnibus inferioribus Cœlis, qui cùm sint multò inferiores, tamen habent astra quamplurima lucida et fulgentia, quæ nobis occulta sunt,

Astra decimi & noni cœli quare non apparent.

Circa Solē & reliquos planetas sũt sydera multa quæ non apparēt.

ta sunt,& non apparent, si in his reperiantur & verè sint astra, quæ ex tenuitate lucis quam effundunt: & propter magnitudinem satis exiguam (comparatione facta, ad ea quæ visibili luce fulgent) quam habent, non videantur. Quid ni etiam in decimo cœlo & nono erunt astra, quæ ex tenuitate lucis & propter magnitudinem ut ita dicam exiguam, & propter altitudinem nimiam, qua elevati sunt cœli illi, visibilem nobis non effundant lucem. Si via lactea in Firmamento sit pars Firmamenti; quæ infinitis ferè astris tenuissimæ lucis & rari splendoris effulget, ita ut fulgor ille rarus & tenuis adeò sit, ut visibilem nobis & fulgidam, ac vividam non effundat lucem, sed veluti candorem quẽdam nobis exhibeat, & quasi lac effusum in illa parte Firmamenti esset, unde Via lactea dicitur. Si altius essent hæc Sydera quàm sunt, nullum penitus effunderent lumen, nec obscurum, nec candidum, nec lacteum, sed cœruleum tantum ut reliquum Cœlum profunderent calorem: at quia in certa distantia lucent, in qua nec nimis distant ut non omninò appareant, nec ita propè adsunt, ut clarè luceant, at in media distantia collocentur in qua non omninò lucent, nec etiam omninò obscurantur, ideo ex media illa distantia, candidus ille & obscurus nobis apparet ille lacteus color, si ergò hęc ita sint in Firmamento, ut sint partes ipsius Firmamenti quæ habeant sydera, quæ omnino non luceant, sed propter raritatem & tenuitatem, mediocrem effundant lucem, quæ ex nimia altitudine & distantia, candida appareat? Quid ni & in decimo & nono cœlo, erunt sydera quæ propter eorum raritatem & tenuitatem, & nimiam altitudinem non visibilem & manifestam nobis ostendent lucem, & perindè quod manifestam nobis non emittant lucem, non propterea adesse, & verè & realiter existere cẽsendũ est, nã infinita ferè sunt & existunt in rerũ natura, quę nullo modo apparent nec visibilia sunt. Visibilia tamen ratione fiunt hæc astra, quòd visibilem varium ac distinctũ, excitẽt in cœlo decimo & nono motũ, qui motus cùm sit vari⁹ & distinctus, ab uno & unico cœlo homogeneo fieri non potest, restat ergò ut ab astris variis & distinctis fiat, ab aliis enim fieri non potest, ut inferiùs disputabitur capitulis de firmamento.

Cur via lactea in cœlo lactea appareat.

Multa sunt sydera in Firmamento quæ non apparent.

Cõcludimus ergo in decimo cœlo & nono astra adesse, quæ non apparent, ac videntur propter raritatem & tenuitatem eorum, nam cùm cœli ipsi quibus adhærent, sint valdè tenues, & subtiles propter sublimitatem & altitudinem, quâ elevata est eorum materia, & perindè subtilis, & tenuissima facta. Sic etiam & astra quæ inibi sunt, tenuissimæ & rarissimæ sunt substantiæ, unde non vividam & crassam effundunt lucẽ, sed potentem & efficacem in hæc inferiora, etsi sit invisibilis nobis propter illam tenuitatem, & etiam pro-

Cõcluditur astra esse in decimo & nono cœlo etsi non appareant.

pter altitudinem, quà nimis à nobis distant, ut eorum splendor, & lux conspici queat.

An decimum & nonum Coelum sit suprema pars Firmamenti.

Caput XXIX.

Firmamentum ex luce factum est.

CUm Firmamentum ex sacris literis factum fuerit ex luce, & cœlum nobis dicatur, suspicari rectè & cum ratione possumus, decimum & nonum Cœlum Firmamenti supremam esse partem, nam cœlum quod in principio creatum est, ex nihili fonte unà cum terra, Cœlum Empyreum est, & Beatorum sedes, Dei domicilium & Palatium justum enim erat, & ordo creationis postulabat, ut Deus cùm intelligentias & simplices substantias intelligibiles notitiam sui quandam habere debentes, creare vellet, voluerit etiam unà cum ipsis locum creare, in quo essent & continerentur definitivè, alioquin fuissent in se ipso, nec distinctionē habuissent ab ipso Deo, nisi locus adfuisset distinctus & separatus ab essentia divina, in quo intelligentiæ illæ creatæ fuerint. Cœlum ergo illud quod creatum fuit unà cum terra, ex nihili fonte, est Cœlum Empyreum in quo creati sunt Angeli, Cœlum autem quod est inferius cœlo Empyreo, & quod influit in inferiora, & quod movetur ut influat, & quod ex luce factum est, cùm lux prius facta fuerit, ex sacris literis Firmamentum est, in sacris literis ergo cœli omnes qui sunt Cœlo Empyreo inferiores, & qui moventur ut in inferiora influant, firmamentū verè dici possunt, cùm ex eadem materia facti sint, & ad eundem usum & finem ordinati fuerint, si ergo decimum Cœlum & nonum sint ex eadem materia cū firmamento facti, & ad eundem usum & finem ordinati, nempe ut influāt lucem & vitā in inferiora, rectè possunt dici partes Firmamenti, nihil enim implicat, unum & idem, modo non solidum, & compactum in corpus firmum & durum renitentiam habens, habere diversos motus & varios, secundum varia ac diversa corpora, quæ in eo sunt, quæ in diversis ejus partibus varios illos excitant motus, unde nullo modo implicat Firmamentum cùm liquidum sit & undiquaque permeabile varios in se pati motus secundùm diversas sui partes, quæ diversificantur ab astris variis & distinctis, quę illas partes occupant eisq; dominantur, virtutes suas infundunt in ipsas, & perindè motus varios in ipsis excitant. Undè, si cœlum decimum & nonum qui sunt partes supremæ Firmamenti, habeant astra varia ac distincta à partibus medii firmamenti, quid implicat Firmamentum in supremis suis partibus moveri peculiariter & distinctè ab astris suis peculiaribus, quæ sunt in ipsis partibus, & in medio sui ipsius moveri etiam alio peculiari motu ab ipsis peculiaribus astris, quæ medium suum occupant, illud-

Cœlum quod creatū fuit unà cum terra, est Cœlum Empyreum.

Omne cœlū influens potest dici firmamentū.

Cœlum cùm sit liquidum potest diversimode moveri ab astris.

illudq; aliter impellunt quàm astra quæ sunt in suprema parte, cum astra supremæ partis, & mediæ sint inter se distincta & varia ac diversa, variasq; habeant proprietates, quibus variè & distinctè exagitant partes firmamenti, & in infimis etiam sui partibus, moveri etiam aliter quã in mediis, cùm & astra quæ occupant infimas firmamenti partes, sint diversa & varia ab his quę occupant medias sui partes, non ergò mirandum si unicum & idem cœlum liquidum & permeabile, in diversis sui partibus diversos habeat motus, cùm à causis moventibus variis & diversis id fieri soleat: In aquis fluminum id excitari quotidiè cernimus quę sæpissimè in die ipso diversos habent motus, præter motum suum naturalem, quo naturaliter feruntur ad illas quas inclinant partes. Nam ventis variis retrocedunt, & ad fontem suum redire videntur vel ad oppositas partes, si oppositè perflet ventus: Sic & in cœlo fieri contingit, quòd quamvis naturaliter feratur semper ab Oriente in Occasum, potest etiam contrario & opposito motu ferri ab Occasu in Ortum ab astris, quæ motum hunc naturalem habent ex peculiari sua proprietate, & in alias etiam moveri partes ab iisdem astris huc tendentibus: Hinc colligere possumus & asserere, cœlũ unicum esse, quod Firmamentum dici potest, nõ quod solidum sit & firmum, sed quòd firmiter & constanter observet motus suos & influxus in hæc inferiora, & perindè etiam concludere decimum & nonum cœlum supremas esse firmamenti partes, unà cum primo Mobili, quod est omnium suprema pars. Jam de illa parte dicemus quæ communiter ab omnibus firmamentum dicitur.

Cœlum potest dici unicum esse firmamentum non quòd firmum sit, sed quòd firmos & constantes observet motus & influxus.

DE COELO OCTAVO QVOD AB OMNIBVS Firmamentum dicitur.

Firmamentum, quid sit, & quale, & unde dicatur.

CAPUT XXX.

Firmamentũ verè & propriè est illud ex luce in medio aquarum factum à summo Opifice, quod divisit aquas ab aquis id est primum Mobile, decimum & nonum cœlum ab aliis cœlis, nam primum Mobile & decimum & nonum cœlum dici possunt aquæ superiores, quòd ex tenuissima parte lucis & aquæ facti fuerint & liquidi sint & permeabiles, ut lux & aqua: Aqua siquidem ex quã plurimorum Philosophorum sententia prima fuit materia mundi, ex qua cum luce, quæ ejus forma erat naturalis, facta sunt omnia ex tenuissima ejus parte, cœlum in quo cum Firmamentum reperiatur infinitis ferè astris & syderibus conspicuum in medio ferè ejus collocatum, cùm & superiores cœlos habeat & inferiores, ideò potest rectè dici Firmamentum

Firmamentum quid propriè sit.

Primum Mobile decimum & nonum cœlũ cur dicãtur aquæ superiores in sacris literis.

mentum separasse aquas ab aquis, hoc est cœlos à cœlis, cœli siquidem firmamento superiores verè dicuntur aquæ superiores, cœli autem qui Firmamento inferiores sunt, verè sunt aquæ inferiores, si prima mundi materia aquea fuit spiritu lucis imprægnata, nam aqua quæ sursum ascendit ad cœlos illos constituendos, verè superior dici potest, quæ verò inferiùs depressa est ad cœlos firmamento inferiores constituendos, verè inferior aqua dicenda est, undè rectè in sacris lineis dictum est Firmamentum factum fuisse in medio aquarum, ut divideret aquas ab aquis, hoc est cœlos à cœlis, qui ex aqua & luce facti sunt.

Firmamentum quare dicatur separasse aquas ab aquis.

Firmamenti definitio.

Firmamentum inde definire possumus tenuissimam aquarum partem, & lucis subtilissimam partem, quæ simul permixtæ & unitæ, unà cum aliis naturæ elementis, & principiis, quæ hisce duabus inerant, ad hanc loci partem subtilitate sua & tenuitate convolarunt & illud cœlum fecerunt, quod Firmamentum dicitur infinitis propemodum astris rutilans ac fulgens, quæ quidem astra ex eadem & simili materia facta fuerunt, sed in his astris, lux & aqua magis condensata fuit, & compacta, quàm in cœli partibus, in quibus hæ substantiæ rariores & tenuiores permanserunt, undè & lucem non emittunt, ut astra in quibus condensata lux, visibilem ex condensatione illa effundit fulgorem: hinc Firmamentum dictum est, quòd lux in quamplurima & ferè infinita corpora lucentia & fulgentia inibi condensata sit & indurata magis quàm in omnibus cœlis aliis inferioribus, & quòd ibi firmiter & constanter unà cum suo cœlo quamvis liquido volvantur, uno eodemque motu, & constanter etiam influant, & agant in inferiora omnia, hinc est illud, *verbo Dei cœli firmati sunt*, hoc est constantes ad influxum facti, & ordinati. His solis rationibus dictum est, & nuncupatum Firmamentum, non quòd firmetur omni ex parte & solidum sit, sed quòd multa & ferè infinita habeat in se corpora, quæ firma sunt & solida, est enim primum cœlum quod variis ac distinctis visibilibus fulget astris, quæ solida esse debent, firma & dura, ut visibilem illam nobis effundant lucem, ut inferius disputabitur peculiari capite.

Astra firmamenti ex quibus compacta.

Firmamētū unde dicatur.

Concludimus ergo Firmamentum esse octavum cœlum ex tenuissima lucis & aquę portiuncula compactum, in quo innumera ferè sunt astra & sydera, quæ ex luce illa condensata & coagulata, ortum & scaturiginem habuerunt, ut singula suas peculiares & singulares virtutes & proprietates in inferiora emittāt, & effundant, quæque fixa & solida sunt & firmitatem quammaximam habent, undè & nomen Firmamenti desumptum est, quòd astra in eo omnia sint firma & constantia, & constanter agant & influant, & moveantur unico & constanti motu.

Astra firmamenti firma sunt & cōstātia, & solida unde & nomen firmamento dederunt.

Quo

Quo motu proprio moveatur Firmamentum.

CAPUT XXXI.

COeli omnes à primo Mobili, usque ad infimum cœlum lunæ, quamvis unicum sint cœlum liquidum & permeabile, tamen distingui possunt à variis motibus, qui in eo liquido cœlo reperiuntur, hoc est unicum & idem cœlum in varios potest distingui cœlos à variis motibus, qui in eo sunt: Vidimus primum Mobile moveri proprio & naturali motu ab Oriente in Occasum, & reliquos cœlos inferiores in eundē trahere motum, motu suo naturali, ergo & Firmamentum movetur ab Oriente in Occasum unà cum primo Mobili, at hic motus non est illi naturalis & proprius, cùm sit à primo Mobili, & cùm distinguatur à primo Mobili, & peculiarem habeat influxum & virtutem, ergo etiam & peculiarem motum: nam motus est à forma, à qua virtus & influxus peculiares descendunt & perinde motus etiam unà cum proprietate & influxu.

Motus firmamenti ab Oriente in Occasum non est illi naturalis.

Firmamentum ergò habet distinctum & varium à primo Mobili motum, cum habeat distinctas & varias ab eodem primo Mobili proprietates & virtutes. Decimum etiam cœlum cùm moveatur motu librationis à Septentrione in Austrum, & ab Austro in Septentrionem, ut superius vidimus, impertit hunc eundem motum Firmamento, cùm sit cœlum superiùs, & superiores cœli dominentur inferioribus, & motum suum impertiantur, nonum pariter cœlum cùm moveatur motu librationis ab Ortu in Occasum, & ab Occasu in Ortum per centum quadraginta minutas, necesse est etiam ut hic motus Cœli noni communicetur firmamento, & tribuatur: Itaque tres erunt motus præter naturam firmamento, qui motum suum naturalem non impedient at tardissimum efficient. Dicunt enim moveri naturali suo motu ab Occasu in Ortum, & suum omnino absolvere cursum ab uno puncto, ad idem punctū redeundo intra 25798. annos, & dies 120. si credere fas sit.

Superiores cœli dominantur inferioribus

Motus naturalis firmamenti.

Quatuor ergo erunt motus in ipso Firmamento. Primus ab Ortu in Occasum spatio 24. horarū à primo Mobili super Polos mundi, ipsi communicatus. Secundus à Septētrione in Austrum & ab Austro in Septētrionē per librationem decimi cœli illi traditus, spatio annorū Ægyptiorū 3434. Tertius à nono cœlo illi tributus, ab Ortu in Occasū & ab Occasu in Ortum super Polos Zodiaci, per minuta 70. ultro citroque ab Æquinoctio remeādo spatio annorū Ægyptiorū 1717. Et quartus illi proprius & naturalis, ab innata sua forma ab Occasu in Ortū, super Polos quoq; Zodiaci totum circuitum cōplendo intra annos 25816. Ægyptiorum, nostrorū verò intra 25798. Hi omnes motus reperiuntur in Firmamen-

Motus in firmamento sunt quatuor.

mamento, tres tamen primis sunt præter naturam & formam ipsius Firmamenti: nam motus innatus & naturalis ipsius Firmamenti est ab Occasu in Ortum super Polos Zodiaci, & est à forma sua, forma autem hæc originem duxit ex luce, quæ peculiariter individuata Firmamento, formam hanc eduxit ex centro sui ipsius, quæ naturali instinctu tenderet ab Occasu in Ortum: astra autem quæ inibi sunt huc etiam tendunt, quod à similitudine substantiæ hoc habeant, ex simili enim luce facta sunt & eodem naturali quasi instinctu versùs Orientem volvuntur, ac cœlum ipsum cui inhærent quamvis liquidum sit, & permeabile secum unà trahunt virtute sua, & proprietate.

Motus naturalis firmamenti est ab Occasu in Ortum

Astra omnia Firmamēti ab Occasu in Ortum tendunt.

Concludimus ergò Firmamentum moveri motu proprio & naturali ab Occasu in Ortum, à formá suâ intrinseca & naturali, quæ ex luce ex qua factum est Firmamentum, sumpsit exordium, quæ cum distinguatur ab aliis cœlis, motum etiam proprium & peculiarē, & ab aliis distinctum habere etiam debet, ut virtutes suas proprias & innatas, quæ illi peculiariter innatæ sunt, motu suo peculiari distribuat & mundo inferiori communicet.

An astra quæ varia sunt & distincta in Firmamento, varias habeant virtutes & proprietates.

Caput XXXII.

Multiplicia variaque esse in Firmamento astra, visu ipso constat & experientiâ, nam Cassiopæa, Arcturus, Perseus, Ophiuchas, Serpens Ophiuchi, Telum, Aquila, Delphinus, Pegasus, Andromeda, Vrsa major, minor, Draco, & duodecim Signa Zodiaci, & quæ in Australi continentur parte, sunt astra seu Constellationes variæ & distinctæ, quæ variis syderibus constant & ornantur, an autem illa omnia astra, quæ in Firmamento lucere videmus varias & distinctas habeant virtutes & proprietates, probatu difficillimum est, cùm non habeant motum diversum, sed unico & eodem motu moveantur omnia unà cum Firmamento, nam ex nostra sententia & rectè Philosophantium ratione, quæ varias habent virtutes & proprietates, habent & varias formas, ex quibus varietas virtutum dependet, & ex formis variis, varios exoriri motus, necesse est: non videmus varios illos motus in constellationibus Firmamenti; & tamen cernimus varias & experimur proprietates illarum, undè non parvam esse difficultatem in disquisitione rei hujus contēdimus, nihilominus tamen ab hac

Multiplicia sunt in Firmamēto astra.

Ex varietate virtutū colligitur varietas formæ.

hac labyrinthea difficultate nos extricare facilè possumus sic Philosophando: Quæ habent motus diversos & varios, habent & virtutes & proprietates diversas, sed constellationes Firmamenti non habent motus diversos & varios, locales concedimus, & progressivos, moventur enim omnes unà cum Firmaméto ab Occasu in Ortum motu tardissimo, moventur autem omnes Firmaméti constellationes, motu interno vario, & separato ab illo motu externo locali: motus autem hic internus est actio peculiaris & propria cuiuscumque constellationis Firmamenti, quæ cùm experientia ipsa reperiatur diversa & distincta, eaque sit motus species, est enim actus entis in potentia prout in potentia, ideo verè enunciare possumus, actiones illas varias & proprietates, quæ in constellationibus Firmamenti reperiuntur, motus esse distinctos & varios, & perindè varias esse constellationum Firmamenti proprietates, hoc autem non solùm cognoscitur ex diversis influxibus harum cõstellationum & astrorum, sed etiam ex luce illa prima, quę ortum & originẽ dedit astris omnibus, non poterat enim illa individuari, & in diversas species astrorum distingui, quin in individuatione illa diversas & distinctas ex sinu suo promeret proprietates, & virtutes. Diximus enim superiùs lucem creatam primam esse rerum omnium materiam, in qua erant omnia, & in qua adhuc sunt omnia reclusa', nam ex illa fieri non possunt omnia nisi virtute & eminenter in illa sint omnia: quòd autem fiant omnia ex luce, non solùm conjecturis evidentissimis, id probatu facillimum est, sed & rationibus patet quam plurimis: conjecturæ sunt, quòd lux perpetuò luceat, diu noctuque, & ubiq; locorum perlucere necesse sit, imò in ipsis abditissimis terræ cavernis & antris, ubi lux penetrat, ibique lucentes Lapidum pretiosorum & Metallorum perfectorum generat ac producit formas, quod fieri non posset, nisi lux efficaces ex se ipsa emitteret scintillas, ad Metallorum & Lapidum pretiosorum formas producendas: Quod enim lucidum est & micans, lucis essentiam & quidditatem habere necesse est: habent autem omnia micam illam lucis in centro sui ipsius, quæ si non appareat & luceat ut in Metallis & Lapidibus pretiosis, id non est ex lucis totali defectu, sed ex elementorum crasso & fæculento corpore, quod lucis illam portionẽ ubique jacentem obnubilet & suo opaco corpore claudit & incarcerat: Quod autem fæculentum elementorum corpus obnubilet illam micam lucis in quamplurimis mixtorum corporibus, patet ex resolutione eorum, nam omnia opaca & tenebrosa corpora, dum in primam resolvuntur materiam, in corpus tãdem lucidum & micans incorruptibile reducuntur: hæc conjectura infallibilis est, rerum omnium primá

Lux non potest in dividuari quin peculiarẽ in individuatione acquirat virtutẽ.

Omnia fieri ex luce probatur multis conjecturis & rationibus.

Omnia lucẽ habent non potest enim videri & cognosci sine luce.

Lux est rerũ omnium prima materia quòd sit rerũ omnium ultima materia.

materiam lucem esse, cùm in ultima rerum resolutione lux reperiatur, quæ est substantia fixa & permanẽs incorruptibilis, in centro rerum omnium latitans, & virtutes omnes & proprietates rerum omnium in se coërcens: quæ verò rejiciuntur excrementa ex corpore illo puro, & luce pleno, nihil possident virtutis & videntur esse quid adventitium materiæ illi, cùm non sit eiusdem essentiæ virtutis.

Lux infinitis ferè nominibus apud Chymicos insignitur.

Hæ sunt conjecturæ, quasi infallibiles, quibus Philosophus & Medicus persuaderi possunt, lucem esse rerum omnium primam materiam. quæ quidem conjecturæ rationum momenta & põdera habere possunt erga omnes, quibus non datur Rhinocerotis nasus, quibus adhuc me satisfacere puto modo attentè legãt & intelligant, ea omnia quæ de luce diximus, sub varia & multiplici tamen ejusdem vocis Etymologia, nõ enim semper lucem hanc vocamus lucem, sed & cœlum, Calidum innatum, Sulphur, Sal, Mercurium, ut

Author cur contradictoria enũciat.

Chymicis istis ambagibus & æquivocis loquendi formulis, Nasutulos illos Philosophiæ Magistros decipiamus & eludamus; nolumus enim tales Chymiæ artis irrisores edocere: imò ex professo tricis quamplurimis sermones nostros intricamus, ut contradictorii appareant hisce Pædagogis, & ut hisce Chymicis umbris à studio Chymico deterreantur. At redeamus undè digressa est oratio nostra, & concludamus astra quę varia sunt in Firmamento, varias habere virtutes & proprietates, eo quòd lux ex qua facta sunt astra illa in Firmamẽto, individuata est verbo Domini in peculiaria illa astra, & individuatione illa particulari, particularem & individuam sibi assumpsit proprietatem. Vt in rebus omnibus inferioribus factitatũ esse experimur, & oculis ipsis videmus: inferiora siquidem omnia, quæ à superioribus non distinguũtur nisi tenuitate, & agendi potentia, quæ ex tenuitate, & subtilitate illa depẽdet, facta fuerunt omnia ex luce illa prima creata, & discreta, & separata Verbo Domini, & in separatione illa, seu individuatione particulari, sibi peculiarem assumpserunt virtutem & proprietatem individua cũcta, quæ ex luce illa ortum habuerunt, quod nos ipsi passim in aliis operibus nostris docuimus alia loquendi & scribendi formulâ, nempe scribendo, & cartis inserendo spiritum mũdi, cuius omnia plena sunt in Firmamento, in constellationib' eius putà, & astris, suscipere peculiarem virtutem & proprietatem seu individuationem, beneficio cujus cætera cuncta inferiora subcœlestia formantur, & producuntur, & retinent virtutes & proprietates constellationum Firmamẽti, undè cùm & inferiora cuncta subcœlestia virtutes habere peculiares contemplemur & experiamur, & superiora hęc in inferiora agere, & illis communicare virtutes & proprietates, o-

omnes quas habent, concludere facilè possumus, astra omnia quæ in Firmamento sunt varias habere virtutes & proprietates.

Quare in Firmamento tot sint & tam variæ constellationes.

CAP. XXXIII.

Cur in Cœlo sint tam varia astra & multiplicia.

MIrum valdè est, quòd suprema mundi huiusce portio, infinitis ferè sit variegata syderibus, non ad ornamentum solum ut multi somniarunt fatui, sed & ad ipsam mũdi huius energiam & efficaciam mirabilem & stupendam, Creatoriq; summo Deo soli dignam contemplandam & intuendam: Nam cùm & infinita ferè sint mixta ex elemẽtis & luce creata, in hac terrarũ valle, videtur quasi ex necessitate & ex constanti & firma fati lege, lucem multiplicem esse debere influentem, & ex astris descendentem, quæ lucem hanc in terris, & in reliquis inferioribus elementis perpetuò sua vivifica & nectarea virtute refocillat, mixta siquidem omnia, quæ in rerum hac universitate reperiuntur, cùm egeant elementorum perpetuo fotu, ex quibus originem duxerant, non possunt subsistere in esse quod habent, absque perpetuo suorum elementorum influxu, scimus autem ex doctrina omnium Philosophorum non solùm elementa inferiora componere mixta omnia, sed & elementa superiora, quæ cœlestes apud nos dicuntur substantiæ, & quicquid in cœlo est, & à cœlo descendit.

Mixta egent elementis quibus constant & conserventur.

Infinitæ sunt Authorum antiquorum & recentium authoritates ad hoc confirmandum, has omitto, plus rationi in probandis & disquirendis rebus condonando, quàm authoritati: Ratio satis luminis habet & lumen ipsa est, quo res omnes ut se habent percipere possumus. Quis enim Philosophorum est, qui interno suo lumine & innata sua judicandi facultate non percipiat cœlestia omnia, suo perpetuo influxu concurrere ad mixtorum omnium productiones, cùm enim sint influxus sensibiles & ferè palpabiles, ad aliquid necessarios esse oportet, nihil enim frustrà est, nec à natura, minùs à Deo factum & creatum, si sint ergò necessarii in rerum natura cœlestes influxus, cum in rerum natura reperiantur, utiles & necessarios esse oportet rebus omnibus componẽdis & conservandis, sunt enim elementorum & principiorum naturæ efficaciores & virtuosiores partes, ut superius probatum est. Quòd si elementorum inferiorum partes utiles sint & necessariæ rebus omnibus cõponendis & conservandis, & nemo Philosophorum de hac rei veritate dubitet, nescio quo facto id fieri potest, ut reperiantur Philosophi qui pro aris & focis sustinere audeãt influxus cœlestes nihil omninò cõferre, ad productionẽ & rerũ omnium conservationem, cum sint partes elementorum & principiorũ naturæ, partes min' efficaces, cum sint partesq materiæ primæ crassiores, &

Ratio species luminis est.

Influxus cœlestes necessarii.

Agentis promptitudo in tenuitate consistit.

perindè minus efficaces, agendi enim promptitudo & violentia in tenuitate & subtilitate consistit. Si ergo cœlestia omnia sint elementis inferioribus subtiliora, sunt etiam in agendo promptiora: quòd si sint promptiora, magis ergò agent in compositione rerum & conservatione, quàm elementa inferiora. Dato ergò quòd agant in inferiora, necessariò hinc sequitur multiplicia & varia & ferè infinita esse debere astra, tùm in Firmamento, tùm in reliquis omnibus cœlis, cùm non possint, tam variè agere in producendis rerum omnium mixtis, quin varia sint distincta & multiplicia. Ab uno enim & eodem fonte, non possunt diversi & distincti scaturire rivuli, nisi fons dividatur in rivulos. Sic ex luce quæ est rerum omnium materia non possunt diversa prodire, nisi in diversa & distincta omninò dividatur. Nam in luce omnia sunt unum: & illud unum non potest multiplex videri & apparere, nisi dividatur, in sola divisione multiplicitaté ostendit. Ut clarum & manifestum est ex numeris: unum nisi dividatur non est numerus: at si dividatur, statim numerum constituit, & multiplicitatem ostendit: Sic lux, & materia rerum prima quæ idem sunt, nisi dividatur, in sua unitate & simplicitate permanet, quæ tamen in se numeros omnes, etsi infinitos complectitur

Lux ut variè agat, dividenda est.

Materia rerum prima ut multiplex fiat necesse est ut dividatur.

Ex his omnibus colligere possumus rationes quamplurimas formales & essentiales, cur in Firmamento & reliquis omnibus cœlis tot sint variæ constellationes, & variæ illæ constellationes constituantur variis ac distinctis stellis, lux enim rerum omnium materia prima, nisi divisa fuisset & distincta, sua innata & formali virtute, à supremo materiæ ipsius Creatore, illi concessa, fecisset tantùm mundum hunc homogeneum, in omnibus suis partibus similé, & ejusdem essentiæ: At cùm divisa fuit: statim ab instanti creationis suæ, in principales mūdi hujus partes, & in ipsis partibus iterum divisa in infinitas ferè mundi portiunculas, quæ singulæ totum mundum in se complectuntur, & verè mundus dici possunt singulæ, cùm lucem habeant seu materiam rerum omnium primam, ex qua sola Divina operante virtute factus est mundus hic, & omnia quæ in eo sunt. Sic ergò in terra infinita ferè facta sunt quæ distinguuntur à terra, ab ipsa materia prima & luce, sic in aqua totidem, & totidem in aëre, totidem etiam in cœlo facta esse oportet, cùm cœlum sit præcipua pars materiæ primæ & lucis huius creatæ, in qua præcipua parte, tanquam subtiliori & tenuiori consistit, & viget motus & actionis omnis principium, ut ipsimet oculi, & sensus omnes testantur, & experiuntur, & si actionis principii præcipua pars vigeat in cœlo, in cœlo necesse, ut præcipua pars principii actionis, suas exerceat virtutes & proprietates, ut in reliquis naturæ ele-

Partes singula mundi cur mundus dici possint.

elementis, in reliquis multa produxit, & distincta, sic etiam necesse est in cœlo, ut præcipuo naturæ elemẽto, principium illud motus & quietis multa & distincta produxisse.

Firmamentum quid sit. Firmamentum autem cùm præcipua sit totius mundi pars, in qua lux creata distinctionem suscipit, majorem, quàm in reliquis superioribus cœlis, in quibus, & præcipuè in primo Mobili, lux non adhuc distinguitur & dividitur in suas virtutes & proprietates, sed in sola sua homogeneitate consistit, undè cùm sit pura adhuc in primo Mobili, & homogenea, movetur tam velociter, & tantas habet actiones & energias, ut totus & universus hinc orbis suas quodammodo suscipiat energias & agendi facultates: Firmamentum verò: cùm jam lucem habeat divisam & distinctam in infinitas ferè portiones, quæ astra omnia Firmamenti constituunt, ex eo diminuta est illa virtus & energia totius naturæ in Firmamento (comparatione facta cum primo Mobili) ex sola illa divisione, & ni perpetuo foveretur influxu primi Mobilis jam adhuc multo minor esset illa virtus, quam jam sit, cum tamen foveatur, & refocilletur influxu primi Mobilis, tanquàm à perenni totius naturæ fonte, potentem cernimus & efficacem Firmamenti agendi facultatem, divisam tamen & distinctam in plura & ferè infinita astra, ut mundus hic unus, plures haberet in se partes distinctas & divisas, quæ sua divisione & distinctione pulchritudinem miram constituerent, & hominem, cujus gratiâ facta sunt omnia, & miro illo ordine disposita, mirificè delectarent & eo delectamento repletus homo perpetuas decantaret suo Creatori laudes, & intimo cordis sui adamaret illum, quòd tanta, & mira sui gratia creaverit, & adhuc palatium æternum, & in eo vitam æternam, & inexhaustam fœlicitatem promiserit.

Cur in Firmamento varia sint stella. Hinc claret & manifestum est, cur in Firmamento sint tam variæ & distinctæ constellationes. Primò ut lux uniformis & homogenea, ex qua facta sunt omnia, divideretur & distinctionem sua divisione susciperet, ut ex distinctione illa & divisione, varia omnia & distincta quæ reperiuntur facta in toto & universo naturæ ambitu, suum varium & distinctum susciperent cœleste alimẽtum & spirituale pabulum, & sic variæ & distinctæ fierent rerum generationes & productiones, & factæ conservarẽtur, ab eodem enim conservantur ex quo fiunt, & fiunt pariter ab eodem, ex quo conservantur; nisi enim divisa fuisset lux & materia rerum prima, homogeneus fuisset ex omni parte mundus hic, at ex divisione lucis & materiæ rerũ primæ factus est heterogeneus, & perindè cùm sit heterogeneus, partes habere diversas & distinctas omni ex parte necesse est, ut heterogeneitatem, si mihi ita loqui fas sit, conservare queat, & sic manet ratũ

Mundus varius est ex divisione lucis.

& confirmatum varias & diversas esse debere in Firmamento constellationes; & varia omnia quæ in mũdo sunt conserventur, & ex his resolutis, varia & nova producantur, varia siquidem astra Firmamenti concurrunt ad generationes & productiones rerum omnium, & ad conservationem earumdem, ut disputabitur capite sequenti.

An varia & distincta Firmamenti constellationes concurrant ad Generationem & Conservationem rerum omnium.

CAP. XXXIV.

ASseruimus superiùs Firmamentũ habere sydera quamplurima miræ virtutis in inferiora, & lucem omnẽ superiorẽ concurrere ad productionẽ & generationem rerum omnium, & earumdem conservationem: Ex his omnibus locis satis claret, constellationes omnes Firmamenti, cùm constent syderibus, quæ ex luce superiori, & sursum ex centro suo elevata, ortum & originem habuerint, concurrere ad generationem & conservationẽ rerum omnium: Si enim lux in genere concurrat ad res omnes producendas & conservandas, imò ita concurrat ut præcipua & principalis sit causa generationis & conservationis, & ut omnem ambiguitatem tollamus & dubitandi ambages, sit vera causa unica, & per se sola univoca generationis & conservationis, nullo pacto hinc dubitandum est, quin lux Firmamenti concurrat ad generationem & conservationem rerum omnium, cum sit species lucis, quæ ex genere suo ortum habet, & particípet virtutes & proprietates lucis generalis. Probatum fuit superiùs claris admodum argumentis, & authoritatibus, & experientiis, lucem in genere esse veram materiam primã rerum omnium, ex qua facta sunt omnia. Si ergo lux in genere sit rerum omnium materia prima, quis Philosophorum erit, & Medicorum, qui lucem Firmamenti productricem & conservatricem rerum omnium abneget, cum lux Firmamenti sit pars materiæ primæ, quæ huc loci sublimata est, & operante infinita Dei virtute, Firmamentum constituit, & varias omnes quas continet constellationes fecit, quæ quamvis individuationem passa sit hæc materia, quæ huc loci elevata fuit, non indè tamẽ propter individuationem, virtutem & proprietatem agendi amisit, imò peculiarem ex illa individuatione acquisivit energiam. Vnde cõstellationes singulæ, quæ in Firmamento reperiuntur, imò stellæ singulæ, quæ constellationes constituunt & componunt, habent peculiares virtutes, & energias hoc vel illud producendi & conservandi.

Lux concurrit ad generationem.

Lux est prima materia rerum.

Singula stella habent virtutem hoc vel illud producendi.

Mirum illud est, quòd si stellæ variæ, non fuissent constructæ & sydera facta à summo Opifice varia & multiplicia, & lumen in genere mansisset unum, nec ullo pacto divi-

visum fuisset, omnia unum essent adhuc, & quod ab illo uno productum fuisset, unum homogeneum fuisset & simile parenti, & patri suo: At cum lumen unum & homogeneum in substantia, divisum fuerit actualiter, secundum omnes suas potentias & virtutes, hinc factus est mundus variis ac multiplicibus coadunatus partibus, quæ iterum varias habent virtutes & proprietates, hinc varia & diversa producere possunt, & sic in infinitum ferè variantur in universo orbe, omnia quæ producuntur, cum lumen ex quo fiunt omnia, varias & verè infinitas habeat in se potentias naturales, & sibi innatas, ex quibus potentiis & energiis esurgunt omnia varia, quæ in mundo hoc conspiciuntur.

Vndè varia in mundo producãtur.

Constellationes Firmamenti quid sint.

Firmamenti autem constellationes cum lumine constent, & sint lumen ipsum coagulatum, & fixum in corpora varia stellarum, quæ simul sumpta constellationes constituunt, non possunt in Firmamento collocari sine actione, nec possunt habere subsistentiã in rerum natura ut habent, quin agant, nihil enim est sine actione: Esse dicit agere & agere supponit esse. Sunt & subsistunt Firmamenti constellationes, ergo agunt. Si agant, agant necesse est in inferiora, cum inferiora subjiciãtur superioribus ut virtutem superiorum accipiant: Si ergò agant in inferiora agant opus est, dum fiunt, generãtur & producuntur inferiora, quia tunc temporis, inferiora nullo pacto resistunt, sed omni modo causis superioribus se subjiciunt, ut virtutem illam superiorem sibi asciscant: nec possumus inficias ire adversus hanc Philosophiæ veritatem: asserit tota Philosophorum Schola, principium generationis esse calorem innatum: calor autem ille innatus non est elementaris nec igneus propriè loquẽdo, sed cœlestis & elemento stellarum ex ipsomet Aristotele correspondens. Si ergo sit cœlestis calor ille innatus, qui est principium generationis rerum omnium, lumen esse oportet, cùm elemento stellarum correspondeat, Elementum enim stellarum lumen est, cùm lumen stellas omnes, & sydera cuncta fecerit, si ergò calor innatus rerum omnium sit principium generationis, & confundatur cum lumine, & unum & idem sit cum lumine, verum erit & certum lumen esse principium generationis: Et si lumen in genere sit principium generationis, cùm lumen vigeat præcipuè in constellationibus Firmamenti: Verum ac certissimum erit constellationes Firmamenti concurrere ad generationem & conservationem rerum omnium: quod enim concurrit ad generationem, concurrit etiam ad conservationem, idem enim sunt ex Hippocrate conservari & generari. causæ siquidem conservatrices sunt & generatrices, & vice versa generatrices sunt conservatrices, undè concludimus varias omnes & diffe-

Libro 2. de Histor. Animal. cap. 3.

Calor innatus idem est cum lumine

Constellationes Firmamẽti cõcurrunt ad generationem rerum.

differentes constellationes Firmamenti concurrere ad generationem & conservationem rerum omnium.

DE CONSTELLATIONIBUS SINGULIS FIRMAmenti, ex quibus partibus luminis constent, & qua virtute vigeant.

SECTIO PRIMA

De Vrsa minori, quibus stellis constet, & quibus partibus luminis, & cur Vrsa minor hæc constellatio dicatur.

CAP. I.

Græci Authores fabellas dixerunt de rebus omnibus.

AUthores Græci antiquissimi, non solùm terram commentis suis, & anilibus fabulis, sed & cœlum deturpare conati sunt, id potissimùm elucet, & claret ex his omnibus, quæ de constellationibus cœlestibus enarrarunt, ac typis excudenda curarunt: potissimùm de Vrsa minori quam Cynosuram, Arcton, & Helicen dicunt, eamque fingunt esse Lycaonis Arcadiæ Regis filiam, quam venationis studio inductã relicto patre sese in sylvas contulisse, & Dianæ comitem & veram amasiam fuisse, solamq; die quodam in sylvis inventam, Jovẽ compressisse. Quod facinus cùm aliquando celasset, tandem manifestum factum fuit, cùm tumore uteri gravidam eam, & prægnantem viderint Comites aliæ Virgines, unà cum ipsa lavari jussæ: Tanto facinore indignata Diana, eam in Vrsam commutavit, cuius Jupiter misertus est, & post partum filii Arcadæ, à quo Arcadia dicta est Peloponensis Regio, in cœlum transtulit, sydusque fecit, septem stellis constans, quæ figuram Vrsæ minoris & Cynosuræ constituunt, hisce fabellis & commentis, Græcorum Authorum sapientia occulta nobis est, quæ si dilucidius & cortice remota, nobis referetur profundissimum naturæ arcanum omnibus pandet, ut clarum erit ex fabulæ elucidatione,

Fabula Vrsæ explicatio.

Lycaon Arcadiæ Rex, Deus nobis est, qui verè Rex est magnitudinis, hic enim solus est, qui magna operatur, & qui ex immensa bonitate sua, & misericordia infinita tanquã ex arca sua, in lucem eduxit omnia, hic verus Lycaon Rex Arcadiæ, seu mirabilitatis & magnitudinis, filiam habuit nomine Calistona, hoc est pulchritudinem habuit filiam, κάλλος enim græcis pulchritudo est, cùm autem Deus fecerit lucem, quæ totius pulchritudinis mater est, & verus & unicus fons, sine luce enim nihil pulchrum est, sed materię indigesta moles & inutile pondus, verè Calistona fecisse asserere possumus, eiusque veram & legitimam creaturam esse, quam cùm materiæ rerum primæ immiscuerit, quæ apud Græcos Hyli vocatur seu sylva & umbrosum nemus, ideo relicto patre, in sylvas & umbrosa loca, venationis studio, se contulisse fabula narrat, lux enim ut elementorum qualitates & pro-

Praeclara luceu fabulæ explicatio.

proprietates sibi vendicaret, & ascisceret, materiæ primæ se immiscuit, ad venandas rerum infernarũ proprietates, ideò comes facta est & amasia Dianæ, seu aëris inferioris, qui Dianæ nomen habet, quæ cum fonte lavaretur unà cum reliquis Dianæ virginibus, hoc est cum reliquis seminalibus elementorum proprietatibus, quæ in ipso aëre continentur, hæc sola inventa est prægnans, & à Jove compressa. hoc est à spiritu mũdi qui verus Jupiter est quòd juvet omnia creata, & suscitet ad generationem & prolem: hinc desumimus Jovem compressisse Calistona filiam Lycaonis Regis Arcadiæ in sylvis inventam, hoc esse & indicare spiritum mundi, hoc est tenuissimam elementorum omnium materiam & subtilem substantiam suam virtutem seminalem & prolificam luci imposuisse, quæ cum prægnans facta sit ab illo spiritu prolifico tanquam à Jove, indignata Diana filia Jovis mutavit ipsam in Vrsam, hoc est rem crassam, ponderosam & vilem, rudem & agrestem: Lucem enim à spiritu mundi compressam mutari videmus in materiam putrẽtem, & corruptioni idoneam, ut ex illa putredine & corruptione, exsurgant mixta: Lux autem prægnans facta, verè mutatur ab humiditate aëris vitali & radicali in materiam putrentem, rudem & agrestem, quæ indigitari aptius non potest, quàm Vrsæ nomine, & corpore, quæ animalium omnium rudior & agrestior bestia est, nihilominus animam habet & lucem internam miræ subtilitatis, & acutissimæ indolis, ut omnibus manifestum est, qui Orsorum naturam callent, & qui domesticos nutriunt. Postquam etiam peperit Calisto, in Vrsam conversa, hoc est postquam lux prolem suam in ipso inferiori Globo dimisit, in astrũ tandem & sydus ab ipso Jove mutata est, hoc est spiritus mundi lucem materiæ primæ sublimavit in astrũ: Deus siquidem rerum omnium Opifex postquam lucem (quam creaverit ex nihili fonte) materiæ rerum primæ immiscuerit tanquam formam suam & prolificam suam virtutem in ipso materiæ sinu, ipsa forma reliquerit, illicò Deus sublimavit in astrum ipsam lucem, Cynosuramq; fecit in Septentrionali plaga.

Quare autem in Septentrionalem plagam lux hæc Calisto nuncupata pervolaverit, ratio naturalis hinc desumi potest, quòd lux hæc frigidis materiæ primæ partibus, & humidis immixta fuerit, & his incorporata & unita: non potuit autem in mediam cœli marginẽ elevari, quòd calidis hæc pars, & siccis materiæ primæ partibus sociata sit, & ideo partes frigidas & humidas ad extremitates cœli depellit, ideo lux sociata frigidis materiæ primæ partibus, locum petiit suis qualitatibus & proprietatibus idoneum & convenientem, qualis est Septentrio & Boreas: Non potuit autem hæc lux aptiori nomine nuncupari, ad virtutes suas

Vrsa constellatio cur sic dicta.

& proprietates indigitandas, quàm Vrsæ nomine: Vrsa siquidem ad motum tardissima est, & quasi semper somnolenta, quòd temperamento sit frigido & humido, Constellatio pariter hæc Septentrionalis, Vrsa dicta ad motum tardissima est nec ferè moveri videtur, frigidum & humidum temperamẽtum inducit omnibus mixtis: quibus lux sua dominatur, & præest & potissimùm in Boreali Plaga, in qua sua exercet imperia, suis septem stellis quibus constituitur, quarum duæ secundæ magnitudinis sunt, & clarissimo & rutilanti lumine constant saturninæ penitus naturæ, & melancholicæ, cùm lumẽ earum, ut diximus in explicatione fabulosæ suæ originis & nativitatis, sit unitũ, & permixtum frigidis & humidis materiæ primæ partibus, quæ hanc frigidam & humidam dederunt illi naturam melancholicam & saturninã: hinc omnia Septentrionalia quibus potissimùm dominatur hæc constellatio, frigida sunt & humida, ad quandam siccitatem tẽdentia, unde tota regio Septentrionalis frigida est & glacialis ex dominio, & influxu illius constellationis, quæ totam regionem hanc gubernat, & imperio suo subditam tenet.

Septentrionalia cur frigida.

An septem omnes illæ stellæ quæ Cynosuram constituunt sint ejusdem virtutis & proprietatis.

CAP. II.

Constellationes diversæ ex diversis stellis.

Magna est inter Philosophos omnes controversia, an constellationes cœlestes, quæ variis ac distinctis constituuntur stellis, habeant unam & eandem proprietatem, vel distinctam & dissonam ratione variarum suarum & distinctarũ stellarum: Lux siquidem dum individui cœlestis alicuius formam inducit, propriam & innatam sibi virtutem ascivit ratione illius individui, etsi ratione speciei non differat forma peculiari & distincta in individuis singulis cuiuscumq; speciei, differentem & distinctam sibi vendicat proprietatem: At stellæ singulæ quæ in Vrsa minori reperiuntur, formas habent varias & distinctas, plures enim sunt & distinctæ numero & loco separatæ, ergò necessitatis huius lege plures habere formas & essentias oportet, & perinde virtutes item plures & proprietates: proprietas siquidem & virtus formam sequitur & essentiam. Sunt in Vrsa minori septem, ex sententia antiquorum Astronomorum stellæ, quæ formam & figuram huiusce constellationis cõponunt, tot ergo erunt formæ seu individua cœlestia distincta & varia, quæ constellationem hanc, & astrum constituent, quibus singulis individuis proprietas peculia-

ris & virtus attribuetur: nisi enim hoc esset, ad quid separata fuisset, & distincta in plures stellas, lux hæc Borealis? nonne sufficiens fuisset lumē unum homogeneum ad constellationem hanc & astrum constituendum, si opus non fuisset, & naturæ astri huius consentaneum plures habere virtutes & proprietates, ut plures & varias hinc inde, in partes Boreales inferiores influeret astrum hoc proprietates.

Varia quæ generantur in terris borealibus à variis ursæ stellis producuntur.

Multa ac varia, distincta ac dissonantia producuntur, ac generantur in terris Borealibus, ea ergo cum sint varia ac multiplicia, varias ac multiplices expostulāt causas superiores quibus foveātur & conserventur, & quibus producantur: nam si uti antea probavimus, astra concurrāt ad generationem rerum infernarum, necesse est astra Borealia concurrere ad productionem rerum Borealium infernarum, hæ autem res dum sint multiplices & variæ ac distinctæ, multiplices etiam expostulant causas Boreales superiores, ob quam rem astra omnia Borealia, nō unica & sola stella & lumine unico componi debent, sed pluribus & variis, ut pluralitati & varietati rerū infernarum Borealium correspondeant & veluti ea omnia quę in Septētrionali plaga producūtur, in se ipsis singulis diversas habent partes, diversarum virtutum & energiarum, veluti vegetabilia cūcta, quæ inibi crescunt, & animalia quæ inibi vivunt habēt partes diversarum virtutum, sic pariter & eorum omnium causæ superiores, quæ in partibus Borealibus collocātur, diversas habent partes diversarum virtutū, nec fieri potest, ut unius sint virtutis & energię.

Stella Vrsa minoris circa collum sunt aliis potentiores.

Duæ illæ stellæ quæ circa collum Vrsæ nostræ minoris sitæ sunt, quæ maximè præ cæteris lucēt, quòd sint secundæ magnitudinis maiores habent virtutes & efficacias his omnibus aliis stellis, quę in ipso astro elucēt, & micant, non tantùm ratione magnitudinis, sed & ratione lucis, & essentiæ particularis, quam in ipsa individui formatione sibi acquisiverunt: Plus enim influunt in inferiora quòd micantiùs & fulgentius rutilent cæteris omnibus, lux siquidem fulgentior & micantior maioris est virtutis & efficaciæ, quàm lux obscura & ferè tenebrarum pallio, & umbratili veste cooperta.

Lux rutilantior efficatior est

Hoc satis claret in luminibus, & lampadibus nostris & ignibus, qui quo magis lucent & micant, eo efficaciùs agūt, virtutes longè maiores effundunt: Quòd si in terris hoc manifestum clarumque sit? Quid & in cœlo probatum & verissimum non censemus, cùm cœlestes ignes, flammæ perennes sint mul ò efficaciores terrestribus, quæ cum labilis & fluentis ad corruptionē sint substantię, perpetuo egent alimento, ut subsistant & tot excrementis actionem nescientibus conspurcentur, ut verè agere non videa tur, sed molliter & segniter operari cùm virtus illa quæ actionis fons habetur in terre-

nis rebus, è cœlo sit, ac descendat in terras, & dum terris permiscetur, & elementorum inferiorum excrementis unitur, maxima huius virtutis vis & robur languescit, saltem si penitus non evanescat.

Stella Vrsæ minoris diversa sunt virtutis.

Ratum ergo sit stellas septem omnes, quæ astrum seu Vrsam minorem nostram Borealem componũt, diversarum ac variarum esse virtutum ratione individuitatis ut ita loquar, quam earum lux in earum stellarum compositione, ab ipso Creatore suscepit, non enim in plura ac varia distinxisset Deus lumina, lucem suam, quam ex nihili fonte creavit, ad utilitatem & conservationem totius mundi, nisi maximè necessarium, & omni ex parte naturæ & essentiæ sui operis consentaneum fuisset: blaterent ergo & clament quantum velint, Astrologorum quamplurimi Christianus ego Astrologus aliam habere sententiam nec possum, nec debeo.

Cuius particularis sint virtutis stellæ septem ursæ minoris & potissimùm stella polaris.

CAP. III.

Cœlestia sapere non est humani ingenii.

QUæ sursum sunt, sapere velle, non humani ingenii, solius Dei est, cuius est cœlum, & totius terra; Ad hunc solum pertinent notiones, rerum cœlestium, cùm ab ipso solo tanquam à proprio fonte scaturiant: nobis verò quibus densa nubes, veluti vera albugo oculis opponitur, non licet ea ipsa, quæ ob oculos sunt, videre, nec quæ aliis sensibus subjacent persentire: Itaq; perscrutanti mihi virtutes has cœlestes, cùm me ipsum non noverim, risus sanè erit, & sannæ plenum posticæ, quæ mea sunt perquirere deberem potiùs, quàm quæ cœli, cùm tamen huius operis ordo hæc expostulet, viatores hac in parte imitabor, qui cùm itineri perlongo accincti sint, dùm vias invias, & præcipitia, saltus & montes inaccessos reperiunt quâ possunt industriâ, omni conatu pertranseunt, nec iter incœptum relinquunt: Sic me cogit huius operis ordo, qui cùm naturam omnem docere & explicare expostulet: cœlum jam occurrit quod quamvis invium sit, & nullus Authorum ante me naturam eius ita particulatim explicarit fateor hoc ipsum periculosæ plenum esse opus aleæ, nec omnibus arridere & placere posse, cùm nova & inaudita legent, modò tamen rationi quadrent, & experientiæ rerum magistræ, qui justi & æqui erunt judices non me ridebunt, sed me forsan grandiori quàm par sit extollẽt laude. Itaq; hisce prælibatis ad Boreales cœlestes plagas, me convertã, & virtutes Ursæ minoris persequar enodandas & explicandas, etsi ab antiquis & recentioribus ferè omnibus Authoribus intactæ sint, & sicco valdè pede eas transierint omnes Astrologi, nescio quâ ratione ducti.

Stella Vrsæ minoris cuius sint virtutis.

Stellæ hæ omnes septem, quæ totam Vrsam minorem constituunt, Saturni sequũtur naturam & essentiam

tiam & proprietates illius planetæ imitantur, quæ tamen plus lucis effundunt, maiores habent Saturni virtutes, & plus virium ejusdem effundũt in terras, veluti duæ illæ stellæ quæ in collo Vrsæ nostræ collocãtur, plus effundunt Saturni virtutis, quàm aliç omnes: hæ sunt, quæ in tota plaga boreali agriculturæ cultum habitantibus infundunt, undè agricolæ sunt ferè omnes incolæ huius clymatis inferioris: virtus maxima & prægrandis, quæ in arboribus, in plantis & fructibus terræ omnibus hac in regione pernotatur, ab ipsis potissimum stellis tanquam à causis superioribus ortum ducit: imo prægrandis corporum moles, quæ in animalibus aquaticis, & aliis omnib⁹, manifesta dignoscitur à virtute humectante & nutriente harum stellarum oritur & dependet: Siccitas cũ frigiditate humida magnitudinẽ & proceritatem in corporibus efficiũt, quia ex copiosa humiditate facilis datur extensio. Hinc Incolæ ferè omnes Septentrionales procero sunt corpore, invidi, longam ac diuturnã conservant iram, pauca loquuntur, non cupiunt societatem, separi & soli stare ac degere cupiunt & amãt, ꝓfundas habent cogitationes, subtilis sunt memoriæ, debilis tamen intellectus, timent multùm, ne martem amant, scientias tamen diligunt subtiles, mirabiles, & occultas scientias ardenti studio persequuntur, hos omnes habitus & propẽsiones à proprietatibus harum stellarum accipiunt tanquã à causis superiorib⁹, quæ corpora inferiora ad hæc inclinãt & propellũt, nõ tamẽ absolutè cogunt, nam sapiens dominabitur astris.

Mores populorum Septẽtrionalium.

Reliquæ stellæ quæ corpus Vrsæ nostræ occupant quartæ magnitudinis minores infundũt saturni virtutes, ex minore lúcis flamma vitali quâ micant; ex luce enim tota dependet virtus, & energia ut sæpè diximus, non æqualiter tamen infundunt omnes virtutes & proprietates Saturni, sed una altera efficaciores, & una potius has infundit proprietates, alia verò alias, ut una plantat, alia seminat, altera ædificat, alia puteos cavat & rivos ducit, alia invidet, altera verò iram servat, quæ omnes proprietates & virtutes Saturni sũt, nihilominus in Vrsa nostra etiã conspiciuntur, quòd in Septentrionalẽ plagam inferiorem eas emittat.

Saturni influxus & virtutes in stellis Vrsæ minoris vigent.

Ultima verò stella Vrsæ nostræ minoris, quæ in caudæ extremo posita est, quam Polarem dicũt omnes Astrologi præter has enumeratas & similes alias Saturni virtutes, quas habet communes cum reliquis aliis, atractricem habet virtutem & magneticam, trahit humidum radicale cujuscumque rei versùs centrum & punctum: unde capita & extremitates omnes arborum & plantarũ, in quibus vis vegetativa viget, & humidum illud radicale, tanquam vegetationis principium, semper ad Septentrionem tendunt & vergunt, nisi ventis & per accidens aliò vertantur, quòd à virtute Vrsæ minoris

Polaris Stellæ virtus & energia.

magnetica, versus hanc partem trahantur. Trahit autem Vrsæ minoris hæc stella Polaris humidum radicale cuiuscunque rei, quòd centrum sit firmamenti & totius machinæ cœlestis circa quod orbes omnes cœlestes circumvolvũtur & gyrant. Vnde lumen omne cœleste cùm circa punctũ illud feratur & gyret, humidum etiam omne vitale pariter ferri & volvi circa illud necesse est, cùm humidi, & calidi innati sit unũ & idem centrum: Calidum autem innatum, & lumen convertuntur & idem sunt, & lumen cœleste est pater & scaturigo calidi innati rerum infernarum. Vnde si lumen cœleste feratur circa punctum illud, necesse est etiam ut omne quod ab ipso dependet, & ab eo ortum habet, feratur etiam circa illud, circa quod volvitur illius primordialis causa: Lumen omne cœleste causa & scaturigo humidi radicalis rerum infernarum movetur circa puncta duo verticalia, Boreale unum & Australe alterum, ergo etiam omne humidum radicale rerum infernarũ movebitur circa unum vel alterum illorum punctorum. De quo dilucidiùs agemus cùm de aquarum motu nobis erit sermo.

Lumen cœleste est pater calidi innati rerum.

Concludamus jam tantum stellarum Vrsæ minoris ꝓprietates & virtutes humidas esse & frigidas ad siccitatem quandã vitalem vergentes, unde attractricis esse facultatis, tum quòd siccum humidum appetat & attrahat ratione ignis vitalis, qui in centro siccitatis occultatur, qui semper attrahit humidum vitale, ut vivat & nutriatur eo, non enim datur fortior naturalis trahendi modus, quàm vitæ & alimenti causa, Sic enim aqua ponderosa, quæ deorsum vergit, sursum tẽdit, ad extremos arborũ ramos enutriendos, nõ autem sunt attractricis facultatis rerum infernarũ, sed quòd in inferiorib⁹ terræ Borealis partibus. hanc trahendi facultatem comunicẽt, ideo dicim⁹ facultatis esse attractricis, punctum siquidem terræ borealis correspondet puncto cœlesti boreali, & ab ipso suscepit virtutes illas omnes, quas hoc in capitulo sustinemus ex Vrsa minori descendere in polum terræ inferiorem Septentrionalem.

Virtus attractiva cur sit in Septentrione.

De Vrsa maiori, quibus & quot constet stellis, & cuius sit virtutis & quo lumine micet ac radiet

CAP. IV.

QVæ diximus de Vrsa minori, historiam eius enarrando multi sũt & ferè omnes authores, qui eadẽ narrant & asserunt contigisse de Vrsa maiori, sed cùm hæc omnia commenta sint & fabulæ Græcorũ, nos non urget multùm, quamvis sub cortice eorum commentorum aliquid magni & secreti contineatur, at nisi explicetur, & foras sermone trudatur, id mortuum omninò, & tenebris sepultum manet quasi non esset.

Missis his omnibus Græcorum com-

commentis, asseremus & luce clarius faciemus Vrsam maiorē esse constellationem Septentrionalē viginti & septem stellis constantem, quæ figuram eius & formam constituunt, sunt autem octo aliæ stellæ quæ extra eius figuram micant, & sunt septem, quæ intra eius figuram sunt secundæ magnitudinis, à quibus solis, ut pote lucidioribus emanat virtus & proprietas huiusce constellationis, quæ tota ferè Martis sequitur energiam, & mirum est quòd hæc constellatio sit virtutis calidæ & siccæ, cùm in parte Boreali collocata sit, quæ naturæ est frigidæ, cùm extremitas cœli sit: nihilominus cessat hæc admiratio, si necessitatem Poli Septentrionalis perpendamus: pauca est, & quasi manca, & mutila Poli vita, cùm Polus sit à vitæ fonte remotus, ideo De⁹ naturæ & orbis Author, & moderator, constellationes in eo posuit, & collocavit calidas & siccas, ut caliditate & siccitate naturali sua & innata, attraherent radiū vitæ, ex vitæ fonte, ex sole putà, qui etsi naturali sponte radios vitales ubicumque spargat & diffundat ex necessitate fati naturalis, nihilominus ubi magnetes lucis & vitæ repeeriuntur, qui lucem illam & vitā fortiùs attrahunt, ibi etiam fortiùs & potentiùs lux illa & vita diffunditur, tùm ex parte attrahentis, tùm ex parte diffundentis, nam ubi potentissimè ex necessitate naturę attrahitur vita illa lucis, ibi etiam potentissimè diffunditur ex ipso vitæ fonte, putà ex primo Mobili vel ex sole eius Vicario.

Vrsa maior quibus constet stellis & cuius sint virtutis.

Parca est in Polo vita.

Non itaq; mirandum est si in Septentrionali plaga ubi frigus urget & lux (fons caloris) valdè diminuta est ex remotione. Deus orbis huius creator, constellationes calidas & siccas, sulphureas & igneas, seu martiales, & naturæ planetæ Martis posuerit & collocarit: Quicquid enim necessarium est, & creatis consonum & aptum ad eorum conservationem, Deus sua bonitate & infinita prudentia oblitus minimè est, imò sua magnificentia magnificè, & divinitùs, quantum natura creatorum postulabat largitus est. Hæc orbis extremitas ut pars mundi, vitam & lucem exigebat, ut totus orbis, partes siquidem totius, totius necessitatem exigunt & expostulant. At lux seu vita, quę idem sunt toti orbi, summè necessaria est, ergo etiā partibus omnibus mundi, eadem lux & vita summè necessaria est. Polus autem Septentrionalis à lucis fonte remotus, cùm diminutam ex remotione per se lucem haberet, ideo Creator magnetes lucis, seu stellas efficaci, & pollenti virtute attractrice præditas in eo collocarit, ut lux potentissimè attraheretur, & attracta terris Polo Boreali correspondentibus diffunderetur, & sic mixta quæ quotidie in Polo Boreali producuntur, haberent undè producerentur, & producta conservarentur & viverent: Alioquin frigus innatum & tenebræ naturales harum parti-

Cur in Polo igneas posuerit Deus constellationes.

partium omnia hisce in partibus mortua conservarent, nec ullus esset vitæ locus.

Est ergo Vrsa maior circa polum Borealem ideo collocata, multis stellis planetæ Martis naturæ virtutibus & efficacia præditis, ut lucem ex sole (lucis fonte) potentissimè attrahat: attrahit autem Vrsa maior lucem ex similitudine substantiæ ut Peripatheticè loquamur, ut Chymicè verò interpretemur, ex sulphure innato suo fixo & compacto, quo constant omnes suæ stellæ, quod sulphur innatum, nos lucem dicimus ut secreta naturæ pandamus: dùm enim Deus lucem seu sulphur naturæ distinxit, & in varia naturæ creata distribuit, tunc Vrsa maior in polo Boreali suum peculiare sulphur, seu lucem naturalem accepit, qua luce tanquam forma subsisteret & ageret: accepit autem lucem seu ignem naturalem quo lucet & nitet, valdè attrahentem & mira virtute magnetica pollentem ex copia sui salis puri, nitidi & fixi quo turget in sua substantia, nam quæ salem purum nitidum & fixum habent cum sulphure subtili & fixo, vim attractricem habent, siccitas enim quæ ex igne naturali dependet, est causa attractionis: non me rideant si sicca & frigida nō attrahant, cùm calida tantùm intelligam, eaq; igne naturali seu luce vitali turgentia, est enim lux sola cujusvis actionis fons & scaturigo, & si mihi objiciatur Magnes Lapis qui frigidus & siccus ut terrestris à

Magnes est calida & sicca natura

vulgo censetur, nō me urget hęc objectio, cùm certus sim, & Philosophi omnes melioris notæ calleāt Lapidē luce magnetem calidum & siccum esse, Martisq; Planetæ naturam redolere, ignemq; naturalem seu lucē vitalem crasso materiali suo corpore continere, quo veluti foco attrahit humidum radicale, seu mercurium peculiarem ferri quo veluti pabulo, ignem suum naturalem foveat & conservet.

unde attrahus ferrum.

Concludamus ergo Vrsam majorem constellationem esse borealem, & viginti septem stellis constare, secundæ, tertiæ, quartæ & quintæ magnitudinis, hasq; omnes stellas Planetæ Martis naturā redolere ut sua innata caliditate & vitali foco, lucē solis, & vitam seu virtutem & efficaciam germinativam, pullulativam & productricem attrahant, & attractam terris borealibus diffundant & communicent: egent enim terræ boreales calido vitali, seu lucis foco, ut eo virtus productrix & germinatrix in actum reduci possit invito frigore, quod in his regionibus maximè viget sole maximè distante, & solùm à latere has regiones illustrāte, & ex superficie Orizontis terræ borealis radios suos emittente, ideo nisi à borealibus constellationibus via productiva solis seu lucis attraheretur, & perpendiculariter deinde ab ipsis, in terras boreales emitteretur nihil in hisce partibus produceretur: imò pars mundi inutilis & vacua foret hæc pars borealis, quod ridicu-

Vrsa maior habet stellas martiales & calida natura.

diculum est cogitatu, & si quis hæc varia mentis figmenta meditetur, anticiram quæso cito naviget, ut helleboro purgetur, & sic vana hæc figmenta deponat.

Quid producat Vrsa maior in terris borealibus, & an plus agat in has partes quàm in cæteras terræ regiones.

CAP. V.

Virtutes productivas Vrsæ maioris in terris borealibus enarrare velle, Dei potiùs opus est, quàm humani ingenii, altum enim sapere non nobis est, quibus quæ pedibus subiacent & manibus teruntur, ignorantur & penitus occultantur, uti superius diximus, nihilominus cùm Deus ipse, & Creator omnium sua bonitate & misericordiâ humanum ingenium adeo sublimaverit, ut umbratiles sui ipsi⁹ notitias communicarit, quæ fundamentum certum & notum habent in ipsomet Deo. Itaque neque ridendus ero, si cœli ipsius virtutes enarrare tentem, cum radiis Divinæ mentis meę, favente Divina virtute, huc usque penetrare possim: Subjecit enim Deus creata cuncta homini, jussitque imponere nomina propria cunctis creatis: imponere autem nomen creatis cunctis est ipsa definire, eaq; definire, est ipsa per causas cognoscere: Itaque si homini Protoplasto concessum sit, cuncta creata definire, possumus & nos cœlestia cuncta, stellas, sydera, & astra, homini Protoplasto nota & multis aliis posterioribus hominibus lumine rationis illustratis cognita, si non intimè definire, saltem per causas subsequentes seu effectus describere, quæ est species definitionis, cuius beneficio res satis nobis innotescunt.

Est ergo Vrsa maior circa Polum borealé, sulphur naturale sublimatum, seu lumen naturæ, cui siccum naturæ salis principii dominatur, ut hinc virtutes Martis obtineat, producatque sicca & ignea in frigidis hisce terrę partib⁹, hinc sulphur, Naphta, Bitumen, & multa alia eiusmodi in hisce terris producuntur: imò cuncta alia, tam ex genere animalium quàm ex genere vegetantium, igneam illam & siccam Martis naturam, quæ ex Vrsæ maioris directis radiis infunditur manifestant. Nam homines ferè omnes bellicosi sunt & magnanimi, & animalia cuncta igneam illam, & fortem Martis naturam testantur. Equi nobiles, adsunt & fortes, boves etiam & milui copiosissimi. Asini, Muli & Elephantes quòd Saturni naturam imitétur, his in locis pauci imo nulli reperiuntur, nisi ex aliis locis transvehantur. Laurus & Rosmarinus copiosè potissimùm in Anglia crescunt. *Vrsa maior quid sit.*

Lupi autem nulli in Anglia reperiuntur, ex influxu potissimum Vrsæ maioris, quæ Lupi naturam & essentiam destruit & extinguit, quæ cùm frigida & humida sit, à calida & *Vnde lupi in Anglia non reperiantur.*

ſicca Vrſæ maioris eſſentia deſtruitur, unde ſteriles ſiunt lupi in Angliа, ſi in eam aſportentur. Mirantur omnes huius naturæ ſecretum, quod Anglia lupos neſciat, & producere non poſſit, ſi cœlum aſpiciant, & naturam lupi meditentur, luce clarius erit, lupos in Anglia vivere non poſſe, quòd cœlum in Anglia adverſum habeant, & cùm nihil in rerum natura ſit, quod adverſo cœlo à quo vitam habet, perſiſtere queat.

Multa alia producuntur in Provinciis, & partibus borealibus quibus directè dominatur Vrſa maior, quæ omnia longum eſſet recenſere, ſed cùm omnia illa ad vitam hominum habitantium haſce terras, conferant & nata ſint, ex temperamento horum hominum, licet colligere cæterarum rerum ferè temperamenta, cùm vivant his homines & nutriantur, & alia alimentorũ trahant & ſugãt naturam & eſſentiam.

Boreales homines cur bellicoſi.

Itaque ſi homines qui Provincias has boreales incolunt ſint bellicoſi, animoſi Martiſq; naturam ſequantur, ex his ſolis colligere, ea omnia quæ in hiſce Provinciis creſcũt Martis etiam ſapere naturam, hoc eſt igneæ & ſiccæ eſſe naturæ, non tamen adeo ſiccæ & igneæ, quin vitali humido multo polleant, ut vitam & eſſe longius & durabilius ducere poſſint, quàm in Meridianis & Auſtralibus locis, ubi paucum humidũ vitale adeſt, cum multo ſicco ſeu ſale naturali coniunctum, ut videre eſt in ipſa huius ſecundi libri periodo: Torreſcit enim & exſiccat calor externus Solis in meridianis locis, humidum vitale, & creſcit ſiccitas ſalis, unde ſicca & arida ſunt & macilenta hominum corpora in hiſce Provinciis, & brevioris ſunt vitæ, quàm in Borealibus partibus, ubi calidum innatum ſeu ſulphur naturæ potens eſt, & à calido externo non exſiccatur, imo à frigido fovetur & continetur ne pereat.

Meridionales homines cur Borealibus vita brevioris ſint.

Calidum autem illud innatũ potentiſſimum eſt in Borealibus partibus, eo quòd ſemina cuncta quę inibi reperiuntur, ob externum frigus, calidum illud innatum intimè conſervent, & ab influentiis conſtellationum, quæ hiſce partibus dominãtur mirificè foveatur & augeatur, & potiſſimùm ab Vrſa maiori, quæ veluti ſecundus & alter in hiſce regionibus ſol, ſummopere ſemina cũcta ſuo inviſibili nectare fovet, auget & cõſervat cùm ſubjaceant illi conſtellationi, & directi infundat ſuos radios hiſce in regionibus, quibus potiſſimùm communicat ſuas virtutes & energias, quæ ſunt ſpiritus lucis vitæ pleni, ab ipſa Vrſa maiori deſcẽdentes, & reliquos vitales ſpiritus in centro cuiuſcumq; mixti harum regionum degentes, foventes, conſervantes & nutrientes.

Vrſa maior eſt veluti ſol in Septentrione.

Concludamus ergo Vrſam maiorem in terris Borealibus fortiſſimum & potentiſſimum in rebus omnibus producere calidum innatum fortiſſimo naturali ſole, cum humido ſuo pri-

Vrſa maior in Septentrione fortiſſimum producit calidum innatum.

primigenio seu mercurio cõnexum; itaq; procera dare corpora tùm animalium, tùm vegetantium, eaq; fortissimo vitali spiritu donata, ita ut vivant & durent longiùs quàm in nonnullis terræ partibus ex peculiari Vrsæ maioris influxu, quem potissimùm in hasce Provincias infundit ex directo suo situ, qui particulariter has terras illuminat, & suo lumine tanquam vivifico nectare, cœlesti & invisibili refocillat: cœleste enim est & ex fonte superiori descendit, quod terrena hæc inferiora sustentat, irriguum superius inferius sustinet op⁹, alioquin tabesceret, nisi continuis & perennibus superioribus aquis, invisibilibus, seu influentiis irrigaretur, & hoc est quod Martis Planetæ naturam ab Vrsa maiori descendentem & influentem diximus, Martis siquidem essentia & influentia fortissimum influit rebus inferioribus calidum innatum, non facilè dissipabile, sed fortissimo vitæ nexu, hoc est fortissimo & tenacissimo vitali sale compactum & coagulatum, à quo solo vitæ longæ propago dependet.

Mars quid influat.

DE DRACONE TERTIO
Firmamenti sydere.

Quid sit Draco, & quid influat.

CAP. VI.

Ex intimo materiæ primæ sinu, sublimavit Creator rerum Verbo suo & nutu voluntatis suæ lumẽ, quo sydera cuncta facta & compacta sunt, & à centro ad superficiem Universi undique sparsa. Luminis huius permultæ partes, ad boreales partes convolarunt, ibique Draconem nostrum constituerunt: quæ partes antequam sursum elevarentur peculiarem & particularem non habebant virtutem, at ut in centro mundi erant, centri naturam confusam & abyssi formam redolebant, sed postquam centri huius & abyssi reliquerint locum, & universi marginem petierint, tunc temporis peculiares ex separatione illa, & distinctione formas & essentias susceperunt.

Lux in cẽtro indistincta & indifferẽs in margine vero mundi distincta & differens est.

Itaque non inconcinnè definire possumus Draconem nostrum borealem sulphur naturæ, seu lumen materiæ primæ innatum & naturale, nutu Creatoris in partes Boreales sublimatum, & in viginti novem partes diversæ virtutis & efficaciæ distinctum, & in sydus, quod Draconem dicunt Astrologi conformatum & effigiatum.

Draco quid sit in stellis Borealibus.

Partes autem illæ viginti novem variæ ac diversæ, ex quibus constat Draco noster, aliæ sunt Jovis essentiæ & naturæ, aliæ verò sunt Saturni: aliæ verò Martis, plus autem sunt Jovis quam Martis & Saturni. Quare autẽ sint eiusmodi, ratio inpromptu est, non enim opus est pulchritudini orbis huius consonum in Septentrionali plaga unicam rerum speciem & uniformem adesse,

 at in

at in omnibus mundi partibus oportet varias adesse rerum formas & essentias, quæ formæ, & essentiæ variæ, & distinctæ, ex distinctis & variis cœlestibus luminibus, tanquã formalibus agentibus emanari habẽt. Si unicum & solum daretur cœleste lumen, in Sole vel Luna vel in aliquo alio Planetarum, vel in nonnulla alia stellarum, in hoc universo nõ darentur tam multæ ac quasi infinitæ rerum species, quæ ex variis ac distinctis cœlestibus luminibus ortum habent, unum quodq; siquidem cœleste lumen, sibi peculiari modo elementorum inferiorum materiã disponit ad mixtionem, & productionem rerum infernarum, nam lumen internum & innatum rerum infernarum, ex se ipso impotens & incapax productionis est & motus, ratione crassitudinis & spissæ molis suæ, itaque eget superiori lumine ut virtute penetranti & subtili huius luminis, virtus sopita & quasi emortua alterius luminis inferioris suscitetur ad actũ, & motum suum proprium & naturalem, ad quem vi propria sua non potest suscitari, nisi superiori & cœlesti eiusdem generis refocilletur lumine, quod experientia ipsa quotidiana singulis annis, & singulis horarum momentis factitari cernimus, in toto hoc & universo orbis theatro: Nam mutationes temporum, quæ ex lumine cœlesti dependent, tanquam ex causa præcipua efficienti pariunt & efficiunt generationes & productiones rerum infernarum, non tamen absq; seminibus inferioribus, quæ materiã productionum conferunt, in quibus seminibus latitat lumen internum, & naturale sulphur, quod suscitatum ab astris, seu effluenti eorum lumine, totum effluit in sui ipsius multiplicationem, per productionũ & generationũ vices: Hinc luce ipsa clarius est, quid valeat lumen, ex astris effluens, ad rerum infernarum productiones, & cur De⁹ creator omnium tam varia astra in firmamento produxerit, ad varias rerum species in Orbe inferiori suscitandas, quæ alioquin ad sui productionem & multiplicationem excitari non possent, sed emortuæ, & ꝑpetuo vitæ somno sopitæ jacerent, lumen siquidem illud vitale, sine ulla illius manifesta & aperta actione, somno potius corpori verè dicere possumus, quàm mortuum esse, vigilat enim & à somno suo suscitatur dum ad actiones tandem suas compellitur.

Mutationes temporum ut fiant.

Lumen ergo innatum & naturale materiæ primæ cum subtilissima & tenuissima ejusdem materiæ parte, Septentrionem versùs sublimavit Deus nutu voluntatis suæ, & Draconem nostrum borealem effigiavit viginti novem stellis, vel ex opinione vulgarium Astrologorum, ex triginta & una coruscantem, quarum quatuor primæ, quæ caput eius constituunt Martis, & Saturni naturam sequuntur, reliquæ quatuor quæ collum occupant, Jovis essentiam imitantur, subsequentes aliæ quatuor Sa-

Draco astrũ quâ viâ factum.

or Saturni sequuntur influxus, duodecim verò subsequentes Martis & Jovis habent proprietates: Reliquæ verò septem Iovis tantum sapiunt energiam: quæ Saturni sunt, salis primordialis purissimi habent copiam quæ verò Martis, sulphuris primigenii multùm capiunt, quę verò Jovis, mercurii nativi plurimum possidēt, easdemque virtutum & proprietatum essentias terris borealibus quibus præsunt, & dominantur infundunt, sic in his Regionibus videmus culturam agrorum exquisitam, occultarum rerum disquisitionem, avaritiam, cupiditatem, consilium, prudentiam, patientiam summam laborum, & molestiarum, generositatem, animositatem, fortitudinem, iracundiam, & similes alias actiones vigere cernim⁹, quæ à stellis horum syderum defluunt ac emanant, non quòd Incolæ harum Regionum cogantur, & involuntariè compellantur ad has actiones, sed quòd lumen effluens harum stellarum moveat calidum innatum Incolarum (actionum humanarum instrumentum) ad has actiones potius quàm ad alias: Cholericus siquidem potius irascetur, quam Pituitosus, Sulphureus potius quam Mercurialis, quia cholera potius & sulphur, animam movet ad iram, quàm pituita & mercurius, qui temperie & moderato tepore moderatos & tepidos componit animi motus, calidum autem rerum omnium si plus habeat sulphuris innati quàm mercurii, animam constituit pronam ad iram, si verò plus mercuri quàm sulphuris, pacatam & moderatam facit animam, si verò pl⁹ salis quàm reliquorum, constantem & firmam, & minimè laboris & molestiæ impatientem animam componit, & sic ex varia principiorum naturaliũ permixtione, varii & distincti sequuntur animi motus, qui omnes ex calido innato rerum ortum habent, & hoc ad actiones suas movetur, & compellitur radiis effluentibus supernarum stellarum, quæ subtilitate sua, & penetranti virtute, luminis sui lumen illud internum rebus inferioribus insitum, & implantatum ad actiones suas naturales excitant.

Draco constellatio borealis quid influat in Borealibus partibus.

Sulphur & mercurius quid moveant in corpore.

Calidum innatum qua ratione moveatur ad actiones & motus animi.

Sic Regiones & Provincias boreales, virtutes & proprietates stellarũ borealium, quibus subjiciuntur, sequi asserimus & experientia ipsa comprobamus, ex nascentibus & crescentibus in his regionibus, quæ omnia cœli sui sequuntur & imitantur naturam: unde regiones boreales quæ Draconi nostro boreali subjiciuntur, Draconis huius naturam sequuntur, quæ cùm partim Saturnina sit, partim Martialis, partim Jovialis, etiam in parte illa boreali virtutes illas & proprietates conspicuas, & manifestas esse asserimus & concludimus.

Quare Draconem hunc custodem horti Hesperidum fecerint antiqui Græci.

CAP. VII.

FAbella hæc concinnè satis à nobis explicata est in Hercule ipso Chymico capite 14. ubi Lectores relegamus ut discant si velint quid per Draconem intelligam, eo enim intellecto, facillimè colligent & capient quæ in hoc capite dicturus sum.

Draco cur custos horti Hesperidum

Draconem custodem horti Hesperidum fecerunt antiqui Græci, quòd quicquid est boni, & verè Mali aurei naturam redolens in regno vegetantium, animantium & mineralium elementari aliquo excremẽto venenato, Draconis naturam sapienti, contegitur & obvolvitur, excrementum istud elementarium est indigesta moles elementorum, quæ lumini seu sulphuri naturali data est, ut illud custodiat & contegat, ne ab omnibus obvenientibus surripiatur. Lumen enim illud, seu vitale sulphur in omnibus tribus naturæ regnis est Pomum aureum quod Juno Draconi pervigili custodiendum dedit, dum enim lumen illud seu vitale sulphur, verum Philosophorum Aurum, ubique rerum & locorum radiis solis, & stellarum omnium, tanquam alis volitat & circumfertur, Juno seu elementorum vel materiæ primæ humida pars obvolvit illud, & suo humido tegumento cõtegit, ut fluenti & labili sua natura, naturam omnem nutrire, & conservare queat: omnibus enim est alimento rebus, modò Draco seu corpus illud humidum à Junone immissum occidatur, seu digeratur & coquatur, & lumen illud seu sulphur internum totius vitæ Pomum aureum, in verum alimentum convertatur purum, nitidum & astrale, rutilans & coruscans, quod in astrum Septentrionale sublimat Jupiter seu verus Chymicus ad refocillandas & restaurandas labiles & frigidas quasi boreales vitæ humanæ functiones.

Lumen est pomum aureum in rebus omnibus

Quod ut omnibus Chymicæ artis studiosis clarius innotescat, altiùs fabellam hanc integram repetam & cortice sua duta denudatam dabo. Cùm Juno Jovi nuberet, Dii omnes munera obtulerunt, terra quoq; obtulit aurea Mala cum ramis, quæ Juno in hortum suum quem apud Atlantẽ habebat transferri jussit, quibus Hesperidas Atlantis filias custodes apposuit, hæc autem cùm à filiabus Atlantis surriperentur, Iuno custodem horti Draconem pervigilem implicuit arbori: Adveniente autem Hercule, ab ipso interfectus est ipse Draco, & in astra relatus à summo Iove, in memoriam Herculis.

Pulcherrima fabulæ explicatio horti hesperidum.

Hæc autem explicanda veniunt, ut veræ Physicæ naturalis Historiam enucleatam habeant Chymicæ artis alumni. Per Junonem Jovi nubentem sulphur & lumen innatum rerum, mercurio seu humiditati radicali connexum & conjunctum intelligimus, Juno siquidem humiditas

Iuno Iovi nubens quid sit.

tas est radicalis, Jovis conjunx & soror, cùm ab uno & unico materiæ primæ utero, ortum habuerit, & ipsi Jovi seu calido innato, indissolubili nexu connexa sit. Ipsi ergo Iunoni Iovi nubenti, Dii omnes munera sua offerunt, hoc est elementa quæ divinitatem quandam in rebus naturalibus, hoc est mirificam facultatem & potentiam obtinent, suas virtutes & essentias seminales quæ eorum vera munera sunt, offerunt, terra quoque Deorum infima aurea Mala cum ramis obtulit, hoc est aurificam facultatem & energiam Mercurio illo æthereo contulit, suo aurifico semine, è sinu suo tanquam gremio in ipso mercurio æthereo deposito: quam facultatē & seminalem auri potentiam, Iuno in hortum quem apud Atlantem habebat transferri jussit, hoc est hic Mercurius Iuno dictus transtulit in cavernas & antra montium, in quibus germinat & floret arbor hæc aurea, solis enim in montibus veris Atlantibus tanquam humeris cœlū ipsum sustinentibus, Juno hortum, habet, in quo Nemus aureum nuptiis suis à terra oblatum transtulit, & ipsum germinare facit, ac florere & fructus ferre copiosos, Hesperidas autem Atlantis filias custodes apposuit, hoc est lapides & duros montis ipsius Silices (qui verè in ipso nascuntur monte, & ejus filiæ haberi merentur) custodes huius arboris auriferæ fecit, intra enim poros ipsorum silicum & lapidum crescit, & germinat aurum, ibi enim excoquitur & induratur semen illud aureum. At quia sępissimè ab ipsis lapidibus corrumpitur semen illud aureum, ideo dicitur ab ipsis Atlantis filiabus subduci & divexari, lapides siquidē, qui semen illud custodiunt, sæpè sæpius tùm ob impuritatē & terræ fœculentum recrementum semen illud contaminăt & inficiunt, vel ob eorū poros raros & laxos evolare sinūt, & sic illud subducere dicuntur: ideò Iuno pervigilem Draconem arbori implicuit, ne ita facilè Malum hoc aureū ab ipsis lapidibus Atlantis filiabus surriperetur, est autē Draco iste pervigil terrea quædā facultas & essentia sicca admodū & ignea, incorruptibilis admodum essentiæ, crudæ & indigestæ, venenosæ & letiferæ qualitatis, quæ semen illud aureum custodit pervigili oculo, & nunquam obdormienti, hoc est clara & limpida & cœlestina substantia incorruptibili, quæ tamē arte corrumpenda est, & somno alterationis corripienda, ut aurea Mala illa ab ipsa observata surripere valeamus, & enecatum Draconis ipsius corpus in astrū, & sydus sublimatum videre queamus, in gloriam & memoriam Herculis, hoc est Chymici viri, qui instar Herculis hæc mira naturæ portenta, in actum reducere potest.

Draco quid in hortu hesperidum.

Ex his omnibus supra scriptis, & ex his quę scripta sunt capite 14. Herculis nostri, sat admodum claret, & manifestum est cur antiqui Sophorū Draconem custodem horti Hesperidum

ridum finxerunt, & quantum secreti naturalis Chymicæ artis, sub cortice huius fabulæ contexerūt, quod omne silentio involvere potius deberem & fabulis magis intricatis & obscuris obvolvere, ob ingratam hominum huius ætatis & sæculi conditionem & sortem, quibus benefacere ingratum est opus, & carcere dignum, tamen ne talentum à Deo mihi creditum mihi soli serviat, solis Piochymicis ex Jove natis hoc offerendum esse consemus.

DE CEPHEO SYDERE QVARTO.

Quid sit Cepheus, & quid influat,

CAP. VIII.

Cepheus quid sit & quibus stellis constet.

CEpheus est sidus quartum, ex ordine Astrologorum circulum Septentrionalem à pedibus usq; ad pectus occupans, undecim stellis, quæ formam eius constituunt, compactum, & extra formam suam duas habet stellas ejusdem virtutis, & proprietatis, & hæ & omnes aliæ undecim, quæ formam eius compingunt sunt Saturni & Jovis virtutis & efficaciæ, & sunt omnes ex eodem & ferè simili lumine conflatæ, ex quo cōpacti sunt & coagulati Iupiter & Saturnus, undenam autem hæc colligi possint, an certa sint & vera, proprietates & virtutes testantur, nam quod habet oculi & manus proprietates & virtutes, est oculus & manus est Aristotele, simili & eadem prorsus ratione, quod est Jovis & Saturni virtutis & proprietatis, Jovem & Saturnum esse oportet, nec mirum est in toto illo prægrandi & ferè infinito Firmamenti spatio, non reperiri lumina ulla, quamvis infinita ferè sint quin Planetarum septem sequantur & imitentur naturā. Quod enim facere potuit Deus septem his luminibus in multas & ferè infinitas stellas fixas & constantes multiplicatis, per plura alia lumina diversarum virtutum & proprietatum facere non voluit, nec placuit: quod enim per pauca fieri potest, per plura fieri inutile est, & extra limites prudentiæ habetur, quas Deum excedere piaculum est cogitare. Quod enim ipse fecit, infinita cum prudentia ordinavit: Solus ipse est lumen increatum à quo solo cuncta ortum habuerunt, voluitque lumen unum aliud creari, à quo tanquam à materiali & efficienti causa, cætera cuncta creata immediatè dependerent, hoc unum lumen trinum in se voluit, & trina hæc formalia principia, quatuor elementa fecerunt, hæc autem trina & quatuor in uno illo lumine confusa, & in abysso ipsius substantiæ indistincta remanent, nec distinctionem ac differentiam recipiunt nisi in individuis, ubi lumen illud, & sua principia formalia, quatuorque elementa, distinctionem, & differentiam particularem suscipiunt, & sic varia in rerum serie mixta constituunt: quædum corrumpuntur, seu ab uno illo

Vnum quo-

modo duo tria quatuor & septem fiat.

illo mixtionis nodo, & vinculo dissolvuntur, in primam illam abyssi substantiam, quæ luminis & elemẽtorum est, abeunt & retrocedunt: Sic unum quod trinum est, & quatuor, Septenarium constituens & componens numerum, omnia esse palam est, hoc in terris patet, & in cœlo micat & claret, ubi omnia lumina luminis ipsius universalis participant rationem, quod cum tribus & quatuor constet nostris radicalibus principiis, septem ibi esse formalia nostra principia contendimus, quæ peculiari ratione divinæ prudentiæ in septem Planetas cœlestes divisa fuerunt, ut hinc tanquam ex fontibus perennibus cætera lumina cœlestia virtutes suas, & proprietates haurirent, & ut sunt septem in lumine primigenio radicalia principia. Sic lumen ipsum in septem radicales fontes divisum, ac distinctum voluit Divina potestas, quorum tamen unus radicalis verè est & primigenius totius luminis creati fons, à quo solo & unico, reliqui luminis fontes, præcipuum exhauriunt lumen, non quòd sint omni lumine ex se ipsis destituti, sunt enim ex lumine generali & primigenio compacti omnes, sed quòd ipsi virtute quadam magnetica & attrahente, lumen maximum & copiosum è fonte luminis exsugant & attrahant, ut lumen suum debile in ipsis foveatur & vigeat, ut hinc in terras ubique locorum sufficienter effluat, & immittatur.

Cur lumen in septem fontes divisum sit.

Cephei stellæ cuius sint virtutis & proprietatis.

Sic Cepheus noster borealis multis luminibus est compactus, ex natura & essentia Jovis & Saturni, quæ quidem lumina attrahunt lumẽ Solis, ut lumen illud suum innatum & naturale foveatur & vigeat, & sic Solis ipsius lumine roboretur lumen illud Saturni & Iovis, quod in Cephei stellis innatum est, & sic roboratum & refocillatum potentissimè agit, & influit in terras boreales: quibus dominatur, hinc promanãt in ipsis terrarum harum incolis, ratione prædictis animantibus, prudentia, consilium, studium, vigor animi, & pertinacia in rebus agendis, in vegetantibus verò prægrandis vegetantium omnium moles & copiosa fertilitas, & succosa illorum radicalis humiditas, cruda & indigesta, undè insipida & palato nonarridens, in mineralibus verò, sulphuris copia turgens, Stanni & Plumbi maxima ubertas, & reliquorum similium mineralium copiosa productio. De quibus omnibus uberiùs tractabimus, dum terræ plagas, & provincias scrutabimur.

Cepheus in terris borealibus quid influat.

Quare Cepheum in astrum redactum excogitarunt antiqui.

CAP. IX.

ASserit Ovidius Cepheum Æthiopum Regem esse, & Andromedæ Patrem, quam Ceto exposuisse fertur in pœnam superbiæ & arrogantiæ Matris Cassiopeæ, quam Perseus Iovis filius & Danaes libe-

ravit occiso Ceto, & in uxorem postea duxit, Minerva verò in gloriam & honorem Persei, Cepheum, Cassiopæam, & Andromedam & Perseum ipsum in astrorum numerũ retulit, hæc excogitavit Euripides, & post ipsum Ovidius, non alia fortasse ducti ratione, quàm ut posteris ostenderent Regum & Principum heroica facta æternitatem mereri debere. At fortasse etiam intellexerunt Sulphur Chymicum, quod cùm sit nigrarum rerum caput & origo, Regem Æthiopum dixerunt, qui cum Andromedam habeat filiam, hoc est hominum omnium veram medicinam, in se contineat, quam Ceto marino exposuit devorandam, hoc est liquori mercuriali exposuit purificandam & rectificandam: quæ enim liquori mercuriali exponuntur purificanda, Ceto marino verè dicuntur devoranda, cũ liquor mercurialis Cetus marinus dici possit, cum ex mari ortum habeat, & verè monstrum Chymicum dicatur, cui Cephe⁹ Andromedam suam hoc est sulphur Philosophorum, puram sui substantiam præbuit devorandam, Perseus autem vir Chymicus eam ipsam liberavit, suamq; fecit amasiã & in uxorem duxit, hoc est sibi ipsi adjunxit ad sustinendam & refocillandã sui ipsius vitam, Andromeda siquidẽ à Ceto illo, seu monstro marino nostro liberata & vindicata, summa est vitæ humanæ medicina, quam qui liberat verus est Perseus, ex Iove natus, eamq; solus ducere uxorem verè dign⁹ est, & in memoriam tanti factiMinerva, quæ rerum est sciẽtia, hoc opus, & quæ operi inservierunt æternitati consecravit, quod est in astra referre, dum Perse⁹ & Cassiopæia sydera firmamenti describentur, reliqua quæ supersunt huic arcano enodanda persequar, & palam faciam.

Cephei fabula expositio.

De Boote seu Arcturo quinto firmamenti sydere quid sit & quid influat.

CAP X.

Bootes sive Arcturus quibus constet stellis.

QVinto huic firmamenti Syderi, Arcturi nomen imposuerunt antiqui & Plaustri custodẽ esse dixerunt, Sydus tamẽ est stellas viginti tres habens, quarum una inter eius crura extra eius formam primæ est magnitudinis, & sola hæc Arcturus dicitur & efficaciam summam habet, Iovis & Martis habens naturam & terris quibus dominatur similem communicans virtutem & proprietatem, habet etiam tres stellas intra eius figurã constitutas tertiæ magnitudinis, quæ sunt Mercurii & Iovis essentiæ, decẽ habet quartæ magnitudinis, & octo quintæ, quę omnes sunt vel Iovis & Saturni, vel Martis & Saturni, vel Mercurii & Iovis efficaciæ, & similes & eosdẽ habent influxus. Totum enim firmamentum nihil aliud est, quàm septem Planetarum essentiis variegatum. Lumen enim creatum divisit Deus in septem Luminaria magna hæcque septem in infinita ferè lumina divisit, & firmamento collocavit,

vit, & hinc inde per totum eius spatium sparsit, ut illi essent miro ornamento, & terris & elementis inferioribus vitæ & virtuti, non enim lucent & micant firmamenti sydera solùm ad ornamentum & decorem universi, & operis huius divini, sed ad eius necessitatem; Inferiora siquidē persistere non possent absque Superiorum benignitate effluente, quæ est inferiorum causa efficiens fovens & conservans.

Qua via Planetarū virtutes, partibus borealibus infundantur.

Si in borealibus partibus non adessent lumina, quæ Planetarū participarent naturam & essentiā, boreales partes inferiores non producerēt nec germinarent essentias & substātias, Planetarum virtutes habentes; Planetæ siquidem, qui in medio cœli persistunt & oberrāt suis indirectis radiis terrā borealem copiosè & sufficienter perfundere non possent, ut inibi virtutes suas, & energias implātarent: Itaq; hæc lumina partib⁹ borealibus affixa sunt, ut directè influant in terras boreales virtutes Planetarū, quas intrinsecas & innatas habent easque fortiores & potentiores fieri putamus effluēte lumine Solis, & Planetarum aliorum, qui lumine effluente suo, omnia firmamenti sydera roborant, & fortiora constituunt, ad influxus suos particulares terræ partibus, quibus præsunt, demandandos.

Arcturus quibus dominetur terræ partibus.

Sic Bootes sive Arcturus noster, ex lumine Planetarum Iovis, Saturni, Martis & Mercurii constitutus, horum Planetarum virtutes & energias infundit in terræ partes, quibus dominatur, dominatur autē omnibus terræ partibus, quæ Zonā temperatam constituunt inter Tropicū Cancri & Circulum polarē Septentrionalem, ubi sunt Regna permulta & Imperia quammaxima, & prægrandia, Populi diversi ac varii, morum diversorum ac tēperamentorū, quæ ex alio fonte scaturire non possunt quā ex peculiari luminum borealiū influxu, qui ratione lucis effluentis, lumen internum & innatū cuiuscumq; rei suscitat, & movet ad temperamentum constituendum in quocumq; naturali mixto, permixtis & temperatis eorum primariis elementariis qualitatibus, unà cum radicali elementorum substantia, quæ permiscetur & alteratur mixtioni & compositioni rerum omnium, à spiritibus lucis, tum innatis, tum advētitiis, illæsa & incorrupta elementorum substantia, alteratis solum eorū qualitatibus, ex quibus moderatis & ad invicem alteratis temperamentum mixti consurgit, uti disputatum est libro superiori capitibus de temperamentis.

Arcturus cuius sit virtutis.

His itaq; constitutis, Bootem sive Arcturum nostrum borealem astrū esse concludemus, ex lumine primo compactum, Iovis, Saturni, Martis & Mercurii naturas & essentias redolens, quòd ex pari lumine sit conflatum, quas naturas & essentias per totam & universam Zonā temperatam spargit, suis directis radiis, dico naturas & essentias, quod quæ ex

astris & syderibus descendunt in terras, spirituales sint essentiæ, non accidentia & qualitates solæ & nudæ, ut existimant nonnulli, quorum errores confutavimus libro primo huius operis, capite 23. & sparsim ubi de cœlo & eius spiritibus disputatum est.

Quid Arcturi fabella Chymicè ostendat.

Arcturi fabella explicatio.

CAP. XI.

FInxerunt antiqui Græci Bootem nostrum, Arcadem esse Iovis filium, à quo Arcadia nuncupata est, Quem Arcadem cùm nutriret Lycaon pelasgus, & Iovem hospitio reciperet, infantem hunc membratim laceravit, & Iovi in epulis apposuit, tentans Iovem, utrum Deus esset, Iupiter autem dicitur domum Lycaonis fulmine deflagrasse, eoq; loco Civitatem constructam fuisse, quæ Trapezos appellata fuit, & Lycaonem in Lupum convertisse, Arcadem verò conjunctis membris ad vitam reduxisse, eumq. cuidam Caprario nutriēdum dedisse. Qui cùm tam adulta fuisset ætate, inscius matri vim inferre voluit, quos cum Incolæ Lycei montis occidere vellent in vindictam tanti sceleris, Iupiter utrosque in Deorum consilio collocavit & in Astrorum numerum retulit: Pulchrum Græcorum inventum, ut Chymicas operationes abstrusiores & secretiores omninò occultarent, nam Arcadem dicimus nos sulphur album nostrum, quod quidem à Iove producitur, & verus est Iovis filius, qui Licaoni traditur nutriendus, hoc est igni nostro, qui cum Iupiter advenit hoc est cùm sulphur nostrum apparet in vitro, coctione nostra perenni & continua, tunc temporis Lycaon, hoc est ignis noster, sulphur illud album Iovis filium membratim lacerat, hoc in vitro dissolvit & comminuit, & Iovi præbet epulandum, nam sulphur sulphuri præbetur devorandum, dum coctione illa continua, & indesinenti colores varii enascuntur, & pereunt, alii ex aliis exsurgunt, sic Lycaon, hoc est ignis noster, qui aqua nostra, & mercurius est noster præbet sulphur griseū albo sulphuri hoc est Iovi devorandum, Iupiter tunc temporis ira commotus totam domum fulmine conflagrat, hoc est multiplicatur ignis vigor in toto vitro, quod domus est Lycaonis, & desiccatur & in cineres convertitur, sicq; deflagratur, & Lycaon convertitur in Lupum, hoc est mercurius noster convertitur in aquam omnia devorantem, & Bootes noster sive Arcturus iterum in vitam redit, hoc est sulphur album iterum apparet, & surgit à mortuis, & novo mercurio crudo & agresti tanquam caprario cuidam traditur educandum, quod cum adultum est, & perfectū matri vim inferre vult, hoc est aquā suam veram suam matrem coagulare tentat, eamq; fixare, & sic comprimere, unde Chymistæ Lycei mōtis Incolæ, iterum eos, hoc est sulphur

Mercurius Lycaon dictus & quare.

phur istud, & aquam suam solvere tentant, ut eos occidant: at Iupiter, hoc est virtus illa insignis sulphuris albi nostri, in Deorum numerum refert & in astris collocat & ponit, hoc est in mirabilem illam essentiam & medicinam mutat, quæ verum & legitimum astrum est, & in numerum astrorum referri meretur, sic Arcturus noster cœlestis & Septentrionalis, Chymicus est & celebratur.

De Corona Borea sexto firmamenti sydere quid sit & quid influat.

Corona Borea quibus stellis constet

CAP. XII.

CORONA Borea seu Ariadnes sextum firmamenti sydus, octo cõponitur stellis variæ magnitudinis, prima stella huiusce syderis est secundæ magnitudinis, secunda est quartæ magnitudinis, terria est quintę magnitudinis, quarta est sextæ, quinta, & reliquæ omnes aliæ, sunt quartæ magnitudinis: Omnes hæ stellæ miram habent virtutem, & agendi potentiam in Septentrionales plagas & per totam Zonã temperatam, imò etiam & in frigidam agunt Zonam, & præcipuè prima huiusce syderis stella, quæ est secundæ magnitudinis, venerisq; & mercurii virtutes redolens & sapiens, ut & cæteræ omnes aliæ stellæ octo, quæ sydus hoc constituunt, Veneris & Mercurii redolent & sapiunt virtutes & proprietates, undè terris quibus Dominium habent has virtutes & proprietates mercuriales, & venereas communicant suis radiis & influxibus, ex quibus radiis & influxib⁹, cùm sint vera essentia & substãtia hujus syderis, possum⁹ nos desumere verã & realẽ huiusce syderis definitionem, & dicere Coronã Boream esse sydus octo constans stellis, Veneris & Mercurii virtutes habentibus, vel esse sulphur naturæ è prima massa luminis creata, in hũc Borealem locum sublimatum & elevatum, & in octo stellas separatum & distinctum, Mercurii & Veneris virtutes & proprietates redolens ac sapiens, ut eas virtutes & energias his in terris ac Provinciis, quibus dominatur, cõmunicet & distribuat, unde studium & labor in literis ac scientiis conquirendis infunditur Incolis harum Provinciarum, amor & voluptas, ac delitiæ venereæ hominibus hæc clymata colentibus impertiuntur, sunt enim viri, quibus Corona dominatur, veneris voluptatibus ac delitiis dediti, venustatem amant ac diligunt, domos ac palatia perpulchra quærũt, & ædificare diligunt, literas ac scientias quærunt, & varia idiomatum genera sciunt & affectant, artes liberales diligunt, & pingendi artem summopere norũt, variaq; alia humanæ vitæ commoda utilia valdè, & cum voluptate acquisita facili negotio conquirunt ex peculiari dono, & astrali influxu, qui ex Mercurio & Venere ortum habet, talem virtutem & energiam Coronæ Boreali communicante. &

Corona cuius sit virtutis.

Corona quid sit.

Corona Borealis virtutes.

hanc hominibus distribuente & impertiente.

Cur Coronam Borealem in astrum redegerunt Antiqui

CAP. XIII.

Cur Corona Borealis inter astra relata fuerit.

SUnt qui Coronã hanc in astrum reductam fuisse asserant propter Ariadnem filiam Minois Regis, quàm cùm Liber in uxorem duceret, Coronâ hac insigni, pretiosis lapillis rutilanti donavit, Vulcani opera, & auro & gemmis fabricata, tanti luminis & fulgoris, ut ea radiante Thæseus ex labyrintho liberatus & extricatus fuerit, undè in memoriam tanti facti, astris affixa est hæc Corona: at hæc Græca commenta sunt, quæ modò explicentur, naturalem habebimus sensum, ratione cuius hæc Corona in astrum redacta sit, hæc quidem cum sit sulphur naturæ seu lumen Vulcani magni fabricatum & factum, hoc est, sit Opus Divinum; lumen enim omne ex Deo est, tãquàm ex Patre luminum, hoc ergò sulphur à Deo creatum, & terris immissum Liber assumit, hoc est Philosophus, & Ariadnem ducere cupiens, hoc est Philosophiã, hoc sulphure seu rerum naturalium lumine donat, quod radiis suis & gemmis rutilantibus Theseum ex Labyrintho extricat ac liberat, hoc est unumquemque hominem ex Labyrintheis omnibus scientiarum difficultatibus extricat & liberat, In cuius rei memoriam lumen hoc, seu Corona, Ariadnes in Astris collocatur: Lumen enim Philosophiæ, cuius ope, labyrintheas scientiarum difficultates enodam[9], meretur quidem astrum esse, & verum astrum quo Philosophus omnis verè illuminatur & irradiatur, ad rerum omnium difficultates enodandas, sic cortice duro fabularum velabant Antiqui, quicquid erat rerum naturalium arcanum & secretum, ut clarum fiet & manifestum ex his omnibus, quæ dicem[9] & enarrabim[9] capitulis sequentibus de astrorum omnium fabulis, quas omnes de secretis & arcanis rerum naturalium explicabimus Deo dante.

Corona, est lumen Philosophiæ.

De Hercule septimo firmamenti sydere, quid sit & quid insinuat.

CAP. XIV.

Hercules sydus quid sit.

SEptimum hoc firmamenti sydus, quod Hercules dicitur & nuncupatur, lumẽ est ex massa prima, sursum elatum ac sublimatũ in hãc firmamenti partem, & in stellas viginti novem distinctum ac separatum: tertiæ magnitudinis sex, quartæ magnitudinis novemdecim, quintæ duas, sextæ verò magnitudinis tres, quę omnes stellæ per firmamentum distributæ, Herculem nostrum constituunt ac compingunt, sydusq; faciunt potentissimum in hisce partibus, ut enim Hercules in terris potentissimus fuit, sic & in cœlis energiam summam ac virtutem habet, calo-

caloremque vitalem infundit, rebus omnibus robustissimum & calori nostro vitali omninò amicum, propter multas mercuriales stellas, quas habet in se ipso, cum tribus tantum stellis Martis virtutem, & energiam sequentibus, Mars ergò & Mercurius elucent tantùm in sydere isto, & omnes suæ stellæ sunt Martis & Mercurii, quod optime quadrat Herculi huic cœlesti: infundit enim virtutes & energias Martis & Mercurii per Regiones & Provincias, quibus dominatur: sunt autem hæ Provinciæ, Regiones & Regna, quæ insunt toti Zonæ temperatæ, extra Tropicũ Cancri versùs Septentrionem, veluti est Germania integra, Italia tota, Gallia, Hispania, Barbaria, Græcia, India, Palestina, Ægypt⁹, Arabia deserta, Persia integra, India extra & intra Gangem, Mare totum mediterraneum, & omnia quæ illi adiacent Regna, Mare Caspium, & pontus Euxinus, & medium Americæ, ut Virginia, nova Hispania, nova Granata, & tota California, his omnibus Regnis & Imperiis Hercules noster suos radios infundit, & per radios suos & influxus, virtutes & energias Martis & Mercurii, unde Populi horum Regnorum Martis & Mercurii sequuntur virtutes, & sunt bellicosi, & literati, alii tamen aliis bellicosiores & doctiores, cùm uni magis martem quàm alii diligant, alii Mercurium etiam plus affectent, quàm alteri. Neq; in una & eadẽ civitate, & loco possunt omnes æqualiter esse bellicosi & literati, quamvis in hanc civitatem Mars & Mercurius p Herculem nostrum suos æquales infundat radios, quibus hæc effunditur virtus, quia subiecta, quib⁹ imprimitur hæc virtus, non sunt æqualiter disposita, sunt enim agentia alia cœlestia, quæ iisdem Civitatibus & Regnis dominantur, & quibus influant, & suis influentiis subiecta omnia, quæ in his locis reperiuntur, peculiariter sibi disponũt, & hæ dispositiones contrariantur sæpissimè dispositionibus Martis & Mercurii, unde Martis & Mercurii virtutes in his subjectis debiles admodum sunt & aliquando omninò steriles & vacuæ: unde fit quòd in uno loco & eadem in Civitate docti & ignari reperiantur, bellicosi, & timidi.

Hercules sydus quid influat.

Cur omnes non æquè literati nec æqualiter bellicosi.

Cur in una & eadem Civitate literati & ignari reperiantur timidi & bellicosi.

Cur Herculem in astrum redigerunt Antiqui.

C A P. XV.

Herculis quare in astrum relatum.

Fingunt Antiqui Græci, Herculem pugnasse cum Dracone, eumque interfecisse, Iove ipso præsente & astante, ex qua pugna & certamine tantum voluptate Iovẽ percepisse, ut ob eius rei memoriã Herculem inter astra collocaverit Iupiter, quasi adhuc cum Dracone pugnantem. Nonnulli Græcorum Theseum esse contendunt, Alii Lycaonem, at pluros Herculem esse volunt. Quidquid sit sub hac fabula secretum, mirum & rarum continetur & conditur: Hercules verus

verus est homo pius & fortis, qui cū Dracone pugnat forti prælio præsente Iove, hoc est cū peccato quod verus Draco est, eumque interficit astante Deo, & gratulante, Deus siquidem cùm nos victoriam reportamus, cum peccatis nostris certantes, mira lætitiâ afficitur, & in gratiam tanti facti, cœlo nos beat, & hoc est vere Herculem in astrorum numerū collocare devicto Dracone; Spagyrici Philosophi ad Chymiam reflectere possunt hanc fabellam, & Herculem explicare aquam suam mercurialem cum terra sua pugnātem, dum eam dissolvit, putrefacit & coagulat, tunc enim temporis terra Chymicorum, quæ apud illos verus Draco est, dicitur interfici & debellari ab Hercule, sive ab aqua mercuriali, ob cuius rei victoriam, Sapiens & Philosophus, qui in hisce certaminibus præsens semper astat, qui Iovis vices hac in parte agit, totam hanc materiam perfectiorem reddit, & ad ultimum perfectionis gradum conducit, & sic dicitur in astrū collocatus Hercules, hoc est aqua mercurialis devicto Dracone, terra scilicet soluta & coagulata, tandem ultimam sui ipsius perfectionem acquirit, & in verum astrum mutatur, tantum enim acquirit actionis & virtutis, ut verum astrum esse videatur, & ideò non immeritò Græci antiqui Herculem finxerunt devicto Dracone astante Iove, in numerum astrorum relatum esse nō enim parvum opus est, sed verè Herculeum & maximum, Draconem interficere sive per Draconem peccatum intelligamus, sive terram nostram Chymicam interpretemur, hæc omnia devincere ac debellare, summum est opus, cœlumq; meretur, sic Græci Sapientes vulgi plebeculæ occultabant mira naturæ secreta, & viris doctis ac claris sub velamine fabuloso ostendebant, ut indè quod erat occulti & secreti decerperent.

Hercules cū Dracone pugnans quid sit apud Chymicos.

De Lyra octavo firmamenti sydere, quid sit & quid influat.

CAP. XVI.

LYra est octavum firmamenti sydus, decem habens stellas, unam primæ magnitudinis, duas tertiæ, & reliquas omnes quartæ magnitudinis, Veneris & Mercurii virtutes & pprietates æmulantes, & præcipuè prima illa stella magnitudinis, quæ Fidicula vocatur, tantum veneris virtutis habet, ut ipsa Venus esse videatur in hisce firmamenti plagis, sydus istud lumen est ex prima massa illa mundi confusa sursum, & in firmamentum elatum, ac sublimatum, & in decem stellas separatum, & distinctum, Veneris præcipuè virtutes habētes & Mercurii, undè mira præstat, & infundit Terris, Provinciis, Regnis & Imperiis, quibus Dominium habet: Quicquid Venus & Mercurius possunt dare, & communicare terris hisce inferioribus Lyra eâdem operâ & energia idem & simile infundit, ita ut Venus & Mercuri⁹ omninò, esse videatur, venusta-

Lyra sydus quid sit.

Lyra quid influat, terris.

nustatem, honestatem, decorem, loquendi facilitatem, dicendi promptitudinem, orandi facultatem, tùm demum arandi inventionem, domos & ędificandi fabricandique infundit, artes omnes addiscendi facilitatem communicat & tribuit, undè magni sunt Ardeliones populi ferè omnes, quibus Lyra dominatur præterea salaces & Venereis voluptatibus dediti, Cātores ferè omnes Musicam amantes, & instrumenta musica omnia, quibus strenuam dant operam. Hæc sunt quæ de Lyra dici possunt, transeamus ad ea, quæ fabulosè de ea dicuntur, ut secreta naturalia quæ inibi insunt, & occultantur sub his fabularum velis patefacere valeamus, ut quid Lyra sit in cœlo, & in natura universali, & particulari videamus.

Cur Lyra inter astra collocata sit, & quid Chymicè portendat eius fabella.

CAPUT XVII.

Cur Lyra inter astra habeantur.

LYram inter astra collocatam ferunt Antiqui, in perpetuam Mercurii memoriam, qui eam invenisse dicunt: Regrediente siquidem Nilo inter cætera, relicta est Testudo, quæ cùm caro ejus putrefacta esset, & ejus nervi extensi intra corium remansissent, percussa à Mercurio sonitum dedit, in cujus rei similitudinem Lyram fecit & excogitavit, quam postea Apollini datam (alii Orpheo dicunt, quòd unicus ex musis putà Calliopes sit filius) tantæ fuisse fertur dulcedinis in modulando, ut arbores, bestias, & inferos commoverit, cujus rei gratiâ inter astra collocata fuit, & in perpetuam Mercurii memoriam, qui eam adinvenerit & excogitarit: hæc de Lyra narrat antiquitas, quæ sapientiam miram occultant in intimis hujus fabulæ visceribus, Testudo siquidem illa quæ regrediente Nilo in ripis inventa est à Mercurio, sulphur Chymicum est, quod regrediente Nilo sive aqua mercuriali desiccata & coagulata, adinvenitur putrefactum & mortuum, ejusque nervi & tendines, id est purissima ejus pars conspicitur, tanquam argenti optimi filamēta, quæ in tota natura harmoniam miram & admirandam constituunt, ad cujus dulcedinem commoventur omnia bruta, bestiæ, arbores & inferi ipsi, hoc est vivificantur bruta & animalia cuncta, arbores & metalla, quæ ad inferos referuntur, cujus rei causa sulphur tale, quod est Testudo Chymicorum, dici potest, in astrum verum collocatum & repositum fuisse; tanquam enim astrum verum operatur in terris in animalium vegetabilia & mineralia.

Lyra fabula explicatio secundùm chymicos.

De Cygno nono firmamenti sydere, quid sit & quid influat.

CAPUT XVIII.

CYgnus est nonum firmamenti sydus, septemdecim stellas habens,

bens, Mercurii & Veneris virtutes & proprietates æmulantes, ita ut sit ejusdem virtutis & energiæ cum Lyra superiori sydere, & idem influat terris, quibus dominatur: ex eadem etiam massa prima materiæ mundi virtute divina sublimatum, & elevatum est sulphur ejus & lumen, quod Deus distinxit & separavit in septemdecim stellas virtutis & energiæ Mercurialis & Venereæ, quod lumen splendidum & pallidum earum stellarum satis testatur, candidumque & cineritium, hi enim colores mercurialis & venerei luminis essentiam ac substantiam satis denotant ac indicant.

Cygni syderis virtutes. Quapropter non immeritò hoc astrum Cygnus dicitur, in Cygno enim ave virtutes ejus depictas, & quasi delineatas cernere licet, Cygnus siquidem species Anseris est albissimi coloris, cantus gratissimi, & suavissimi, non pugnax, non edax, non querula avis est, sed sociabilis, & amica humanæ societatis, propterea virtutes has in Cygno cœlesti collocarunt etiam Astrologi, amicitiam enim summam impertit, societatem conciliat, humanos conventus congregat, musicam facit, & voces sonoras & gratissimas excitat & parit, delicata corpora progignit, eaque pulchra facit & amabilia: Sic quicquid Venus & Mercurius, in humanis corporibus progignendis, delicatum & molle faciunt ac producunt, hoc idem astrum producit his in terris & Regionibus, quibus dominatur, & præcipuè candorem, & albedinem summam in omnibus corporibus producit, undè hæc corpora omnia, & præcipuè fœminarũ, quibus præest & dominatur Cygnus, albissima sunt, & mira pulchritudine decorata, hæc enim dona præ cæteris astris firmamenti impertit Cygnus, undè etiam fœminæ illæ delicatæ sunt omninò, & cantatrices, & musicam & instrumenta musica peramant. *Mulieres sub Cygno sydere creatæ quales.*

Cur Cygnus inter astra collocatus sit, & quid eius fabella Chymicè portendat.

CAPUT XIX.

Asserunt Antiqui Cygnum inter astra relatum fuisse, quod Jupiter in illum mutatus in Ramum Atticæ Regionis evolaverit, ibique compresserit Nemesin, quæ & Læda dicitur, quæque ovum enixa est, ex quo Helena nata est, sed cùm Jupiter in cœlum in Cygnum versus iterum redierit, illud simulachrum Cygni, inter astra reliquit, hæc fabula narrat, sub cujus cortice, occultatur Chymicum admirandum arcanum: Jupiter siquidem est sulphur Chymicum, quod dum aquâ Mercuriali permiscetur, mutatur in sulphur album, seu Cygnum Philosophorum, & sic alta petit, & in cœlum sublimatur ac elevatur, seu in Ramum Atticæ Regionis, hoc est in partem superiorem vasis Chymici, quæ pars cum temperata sit & mode- *Cygnus cur inter astra collocatus.*

moderatè frigida, vitreaque sit, dicitur Ramus Atticæ Regionis, ibique Nemesim sive Lædam comprimit, hoc est aquam nostram mercurialem, quæ inibi elevata & sublimata propter loci temperiem coagulatur in granula alba, quæ ovum dicuntur, ex quo Ovo nascitur Helena, pulcherrima mulierum hoc est Lapis noster albus, qui pedetentim ex granulis illis albis sursum congelatis in fundum descendentibus fixatur tandem & coagulatur in lapidem nostrum album, rerum omnium pulcherrimarum pulcherrimũ: Et hæc est Cygni Chymici vera & legitima interpretatio.

Cygni fabula interpretatio.

De Cassiopæia decimo sydere firmamenti quid sit & quid influat.

CAPUT XX.

Cassiopæia quid sit.

CAssiopæia Sydus est, decimum firmamenti tredecim stellas habens virtutis Saturni & Veneris, hoc enim sydus, è massa materię primę virtute Divina, sursum elevatum est, ac superius sublimatum ex lumine primo creato, quod materiam primam informavit, & ex puriori illa materia sic actuata, & lumine illo creato informata eductum est, sydus istud Cassiopæia dictum, quod Deus supremus omnium creator divisit & separavit in tredecim stellas, virtute Saturni, & Veneris prædita, & in Firmamento collocavit, hinc terris infundit virtutes sua & proprietates, œconomiam mulieribus, quibus præest, ac dominatur, impertit, rerum domesticarum curandarum insigne præclarum, Pulchritudinem etiam miram rebus omnibus infundit, quibus præest, taciturnitatem, & loquendi in tempore prudentiam, quod rarum est in mulieribus, nihilominus tamen in quibusdam Regionibus Zonæ temperatæ, quibus dominatur Cassiopæia, hoc rerum donum habent mulieres, pulchræ sunt & amabiles, & taciturnæ sunt & melancholicæ, & hoc habent ex stellis, quæ Cassiopæiæ insunt virtutis Saturni, & Veneris, Venus siquidem & Saturnus simul vincti taciturnitatem & loquendi prudentiam, cum pulchritudine & honestate infundunt: hi autem Planetæ conjuncti sunt in ipsa Cassiopæia: tot enim sunt stellę virtutis venereæ ac Saturninę, adeo ut virtutes Saturni & Veneris, ut Venus ipsa & Saturnus videantur simul esse in ipsa Cassiopeæia, ut Venus & Saturnus quamvis in medio firmamenti consistant, nihilominus in ultimis firmamenti partibus influunt & communicant suas virtutes toti firmamento, per sidera varia, hinc indè per totum firmamenti spatium distributa, Planetarum omnium virtutes & energias habentia, sic cor firmamenti ubique reperitur, sic ultimis terræ partibus Zonis ipsis frigidis spiritus ille cœlestis distribuitur & communicatur.

Cassiopæia quid influat

Cassiopæia idem influit ac Venus & Saturnus.

Cur Cassiopaia inter astra collocata sit, & quid eius fabella Chymicè portendat.

CAPUT XXI.

Cassiopaia cur inter astra.

CAssiopæia (ut Sophocles refert) dicitur præposuisse formam suam & pulchritudinem Nereidibus, cujus rei indignatus est Neptunus, Cetoque transmisso ejus terra vastabatur, & ad placandum Neptunum Andromeda ejus filia expostulata est, & Ceto proposita, ex quo ita in cœlo sita est, in sella sedens, ut dum cœlum volvitur, illa se præcipitem dare videatur. Fertur autem inter astra collocatam fuisse, quòd Nereidibus pulchritudinem suam & formam præposuisset, & Andromedam filiam suam unicam pro Patria & Regno suo redimendo, libenter Ceto exposuerit, hæc fabula narrat de Cassiopæia quæ nihil aliud Chymicè portendit, quã mercurialem aquam Chymicam, quæ pulchritudinem & formam suam præponit Nereidibus, hoc est aquis omnibus, est enim aqua mercurialis omnibus aquis potentior & efficacior, & indè pulchrior, fortitudo siquidem & virtus in pulchritudine consistit, quo enim pulchrior est res, eo fortior & potentior. Fortior est & potentior aquis omnibus seu Nereidibus, aqua mercurialis, quare indignatus Neptunus, hoc est sulphur nostrum Pater & Deus aquarum Cetum transmittit, & Regnum Cassiopeiæ devastat, hoc est calorem extraneum immittit aquæ, & totam aquam devastat, seu putrefacit & corrumpit, quo viso Cassiopæia seu aqua mercurialis Andromedam filiam suam unicam libenter Ceto exponit, hoc est, aquæ mercurialis post putrefactionem & Regni sui devastationem sulphur suum album, unicam & charam suam filiam Andromedam Ceto, hoc est calori putredinali exponit, ad liberandum totum suum regnum, sulphur siquidem albo apparente cessat tota aquæ mercurialis corruptio & devastatio regni Cassiopeiæ, in cujus rei memoriam meretur & jure merito Cassiopæia, in astrorum numerum ascribi & collocari.

Cassiopaia quid sit apud Chymicos.

De Perseo undecimo firmamenti sydere, quid sit & quid influat in inferioribus elementis.

CAPUT XXII.

Perseus quid sit.

PErseus est sydus undecimum Firmamenti, viginti sex habens stellas, quæ sursum sublimatæ sunt, ex massa illa prima mundi, luce creata, actuata & informata, & Perseum hunc constituerunt, qui est constellatio, hisce stellis viginti sex conflata, cujus duæ sunt secundæ magnitudinis, Quinque verò aliæ, sunt tertiæ, sexdecim verò sunt quartæ, duæ autem sunt quintę magnitudinis, nebulosa datur una, informes verò sunt tres, duæ quintæ magnitudi-

tudinis, & una datur obscura, extra formam hujus constellationis.

Perseus quid insinuat.

Hæ omnes intra formam hujus constellationis stellæ, sunt Jovis & Saturni virtutis, terris infundunt & Provinciis, Regnis ac Imperiis quibus dominantur, justitiam & temperantiam, & quicquid ab his virtutibus dependet, quod mirum & rarum est. Unde populi omnes, quibus Perseus dominatur, sunt laboris summi patientes, temperati, justitiam amantes, divitias & honores, & artes mechanicas summoperè diligunt, & his proficiunt & in his exercendis excellunt.

Cur Perseus inter astra collocatus sit, & quid ejus fabella Chymicè significet.

CAPUT XXIII.

Perseus cur inter astra collocatus sit.

FAbulæ narrant, Perseum ex Danaë & Jove natum fuisse, qui Medusam occidit, deinde Andromedam saxo alligatam, & Ceto marino devorandam liberavit, ac uxorem duxit, multosque hostes ostenso capite Medusæ convertit in saxa, tandem Argos reversus Acrisium Regem avum suum, à quo cum matre sua infans fuerat mari expositus occidit & pro eo regnavit, tandem à Minerva in astrorum numerum relatus est, quòd illi caput Medusæ tradiderit, aliaque omnia gravissima opera peregerit. At hæc omnia ficta sunt & Græcorum commenta, sub quibus hæc physica secreta occultãtur. Perseus est Chymicorum mercurius, qui ex Danaë & Jove natus, hoc est ex terra & spiritu cœlesti, qui Medusam occidit hoc est salem Chymicum ad internecionem perducit, & Andromedam saxo alligatam & Ceto marino devorandã liberavit, hoc est lapidem album Chymicorũ mercuriali aquę tanquam Ceto marino devorandum hoc est dissolvendum peractâ rectâ coctione liberavit, & in uxorem duxit, unit se perfectissimè mercurius Chymicorum cũ lapide illo albo seu Andromeda, multosque hostes debellat ac vincit ostenso Medusę capite, hoc est vincit omnes corruptionis difficultates, beneficio spiritus salis sui, qui caput Medusæ verè est, cùm omnia coagulet & fixet in lapidem durumq; corpus. Tandem Argos reversus, Acrisium Regem avum suum, à quo cum matre fuerat mari expositus infans, occidit & pro eo regnavit, hoc est tãdem in Patriam suam, hoc est terram reversus, Acrisium avum suum, hoc est sulphur suum, seu corpus à quo mari cum matre sua expositus fuerat occidit, occidit siquidem corpus suum primigenium, dum dissolvitur & mari Chymico exponitur, unà cũ matre sua, hoc est terra & regnat ultimo loco patris, cùm enim è Mari emerserit & coagulatus fuerit, triumphat de hostibus suis & solus regnat in Patria sua, hoc est in Regno minerali & metallico, quod Patria sua est. Sic Perseus noster ex Jove & Danaë natus Medusam occidit, & Andromedam ducit in uxorem, hostes

Perseus quid apud Chymicos

suos omnes debellat Medusæ ostenso capite, & Acrisium avum suum, hoc est sulphur metallicum crudum & impurum devincit, & occidit, & regnat verè in Patria sua.

De Auriga duodecimo firmamenti sydere, quid sit, & quid in terris influat.

CAPUT XXIV.

Auriga quid sit in firmamento

AUriga sive agitator, aut Erictonius est duodecimum firmamenti sydus ex lumine primo, quod ex massa prima sursum elevatum est, compactum ac effigiatum est, ac in quatuordecim stellas distributum, primæ magnitudinis unam habet, alteram secundæ, duas tertiæ, septem quartæ, duas quintæ, & unam sextæ.

Auriga quid influat

Hæ omnes stellæ, Martis & Mercurii virtutes & proprietates habēt, & fortitudinem & animi magnitudinem, & eloquentiam, & dicendi potentiam hominibus communicant, quibus dominium habent: quicquid à Marte benigno & Mercurio terris communicatur, idem ipsum communicatur, & infunditur ab Auriga nostro, unde Provinciæ & Regna & Imperia, quibus præest, & dominatur hæc constellatio, turgent & abundant hominibus ingenio sagaci & subtili admodum prædictis, liberalibus artibus, & mechanicis instructis, & magnanimis, bellatoribus, mortes & necem amantibus, inter arma degentibus, labores belli patientibus, famē & sitim summopere tolerantibus, vigiliis indulgentibus. Terræ verò infundunt siccitatem & ariditam, unde sterilitatem, & fructuum inopiā adesse necesse est, sed hominum inibi habitātium industria, omnium rerum copia adest, non terræ & locorum benignitate, at hominum solo labore & ingenio, qui commercio huc omnia humanæ sortis commoda asportari curant, & sic rudem & asperam locorum & Provinciarum harum temperaturam, quodammodo suo ingenio & prudentia leniunt.

Auriga quid terræ communicet.

Cur Auriga inter astra collocatus sit, & quid eius fabula Chymicè significet.

CAPUT XXV.

Auriga cur in astrum relatus.

HIc auriga filius Vulcani & Minervæ fuisse dicitur, cùm enim Vulcanus Jovi fulmina fabricaret, ab eo id consecutus est, ut quicquid ab eo peteret, impetraret, ille verò petiit, ut sibi Minerva in conjugem daretur. Jupiter annuit, at Minervæ imperavit, ut virginitatem defenderet, dum autem cubiculum introirent certando Vulcanus semen in Pavimentum profudit, unde Auriga noster natus est, quem Minerva in cista abscondit, & adultus factus primus currus adinvenit. Panathenea constituit, arcem templaq; primus Diis ædificavit, in cujus rei gratiam Jupiter ipsum inter astra colloca-

locavit, hæc verò Chymicè interpretantur de ipsa Alchymia, quæ quidem Auriga noster est, Vulcani & Minervæ filius, Alchymia siquidem verè Vulcanica est, ex Vulcano & Minerva progenita, dum enim Vulcanus cum Minerva ludit, Alchymiam parit, quam Minerva in cista abscondit, abstrusa siquidem valdè est Alchymia, & quasi in cista abscondita ipsa est, quæ prima artes ferè omnes adinvenit, & Deorum cultus, Deum enim præ omnibus scientiis ipsa colit, cognoscit, & adorat, unde arces & templa diis ædificasse fertur.

Auriga quid apud Chymicos

De Serpentario decimo tertio firmamenti sydere, quid sit & quid influat.

CAPUT XXVI.

Serpentarius quid sit in firmamento.

HIc Serpētarius altero pede scorpionem premens, utraque manu serpentem tenens, decimum tertium firmamenti sydus est, ex lumine massæ primæ conflatum, quod sursum divina virtute sublimatum est, & firmamento distributum in viginti quatuor stellas, tertiæ quartæ, & quintæ magnitudinis, virtutis Saturninæ & Veneris, sunt etiam quinque stellæ informes, extra formam & figuram Serpentarii, quæ ad Serpentarium pertinent, & sunt ejusdem naturæ & virtutis, sapiuntque naturam & proprietatem Saturni & Veneris, unde omnes illæ stellæ influunt prudentiam ac sapientiam, loquendi gravitatem & modestatem in rebus omnibus peragendis, consiliorum firmitatem, ac constantiam, rerum præpositarum tenacitatem & ex parte veneris influunt gratiam, leporem ac venustatem, unde homines graves sunt, prudentes ac sapientes, præpositi tenaces, firmi & constantis consilii, immutabilis sententiæ, eloquentes ac leporem & gratiam in eloquendo summam habent, qui terras incolūt, quibus hæc constellatio dominatur: Terræ verò infundunt & communicant fertilitatem satis copiosam, quamvis ex parte Saturni tardè fructus eveniant, cum tamen agricultura in his terris sit optima, hoc Saturni vitium parum interest, cum sola agricultura hoc corrigatur, & emendatur.

Serpentarius quid influat.

Serpentarius quid terra communicet.

Cur Serpentarius inter astra collocatus sit & quid eius fabella Chymicè nobis indicet.

CAPUT XXVII.

SErpentarius qui & Æsculapius ab aliis dicitur, Apollinis filius fuisse perhibetur, quique ita Medicinæ scientiam callebat, ut mortuos ab inferis excitare diceretur, quamobrem iratus Jupiter illius domum unà cum illo fulmine de medio sustulit, rogatu verò Apollinis Patris Jupiter ei, arte sua post obitum defuncto, Animam restituisse ad vitam, & inter astra constituisse putatur. Æsculapius hic noster fili⁹ Apollinis,

Serpentarius cur inter astra relatus.

Serpētarius quid sit apud Chymicos.

linis, Lapis est noster, & Elixir Sophorum, caloris enim cœlestis verus est, & legitimus filius, Pater enim ejus est Sol, seu Apollo, medicinæ scientiam ita callet, ut mortuos ipsos ab inferis revocare videatur: tantum siquidem potest Lapis hic Sophorum ut mortuos omnes ab inferis revocet, metalla enim omnia imperfecta quæ verè mortua sunt, ad vitam restituit, hoc est ad perfectionem absolutam conducit, & morbos omnes, tùm animalium, vegetabilium, tùm mineraliũ profligat, quod verè est mortuos suscitare, cujus rei indignatus & iratus Jupiter, hoc est Mercurius Chymicorum domum suam unà cum illo fulmine delet; hoc est dissolvit, & in primam sui materiam reducit, deinde rogatu Apollinis iterum suscitatur à mortuis, inter astrorum numerum collocatur, hoc est virtute & energia caloris sui innati & sulphuris cœlestis sui iterum restituitur in vitam, hoc est in pristinam sui formam, & primum ac majorem vigorem, ita ut inter astra collocetur ob suam agendi potentiam, & energiam, decuplo enim majus & potentius operatur, unde in astrum sublimari videtur.

De serpente Ophiuchi decimoquarto firmamenti sydere, quid sit & quid influat.

Caput XXVIII.

Serpens Ophiuchi

Serpens Ophiuchi decimũ quartum firmamenti sydus, est lumen seu sulphur naturæ, è primo lumine seu sulphure massæ primę sursum elatum virtute divina, & in firmamentum usque sublimatum, ibique affixum, & in Octodecim stellas divisum ac distributum, tertiæ quartæ & quintæ magnitudinis, virtutis Saturni & Martis, unde ferocitatem cum crudelitate, labores ingentes & insanos, pestilentiam, lucem, morbos & mortes infundunt, unde homines, quibus hæc constellatio præest, & dominium habet, feroces sunt & crudeles, infatigabiles, sitim & famem patientes, bellicosi admodum, sed tardi ingenii, & rudes & agrestes, brutorum potius mores imitantes ac æmulantes, quàm hominum. Terræ autem infundunt virtutem agrestem ac duram, temperiem frigidam & siccam, unde terræ illæ quibus hæc constellatio dominatur, steriles sunt & nimis frigidæ & siccæ, marmoribus progignendis aptissimæ, ferriq; & plumbi fodinis copiosæ, & abundantes, quod omne ex radiis & influxu cœlesti peculiari & proprio istius constellationis evenire contingit, propter Saturni & Martis virtutes & proprietates, quas sequitur & æmulatur Serpens Ophiuchi.

quid sit in firmamẽto.

Homines quibus Ophiuchus dominatur, quales sint.

Terra cui Opiuchus dominatur, qualis.

Cur Serpens Ophiuchi inter astra locetur, & quid eius fabula Chymicè indicet.

CAPUT XXIX.

Cur Serpens Ophiuchi inter astra relatus sit.

SErpentem in Æsculapii manibus positum esse, ob id factum esse credo, quòd Æsculapius tanto in honore, apud Epidauros habitus fuit, ut Romani cùm jam totam Italiam occupassent, ita à peste vexabantur, ut nullum tanto morbo remedium invenirent, ad Epidauros Legatos miserunt, ut sibi in tanta calamitate, auxilium ferrent, & permitterent, ut ad se Romam veniret Æsculapius, quod facili negotio obtinuerunt: Itaque Æsculapius serpentis specie & forma, navim conscendit, Romamque perductus est, ex quo factum est, ut in Tibridis insula, nobilissimum templum ei fabricaretur, & ita ibidem ut Deus salutaris adoraretur serpētis specie, ac figura, quâ Romam venit, unde & hunc serpentem in manibus suis, in cœlo etiam posuêre Romani, quasi præ manibus esset, & in sua potestate, se in serpentem convertere. Historiam hanc veram esse contendunt nonnulli, nihilominus quamvis vera sit, Cacodæmon Romanos fefellit, ac delusit & sub specie serpentis Æsculapium illis misit, indicare volens in serpentibus omnibus latitare arcanum pestis curandæ, itaque serpentem misit tanquam Æsculapium sanitatis Deum, in serpente siquidem sanitatis Hieroglyphicum occultatur, cùm & serpens morbos multos curet & præcipuè quartanam & hecticam febrim, & pestis lucem, & contrà hos morbos est amuletum tutissimum & certissimum, ut ipsemet experientiis multis sum expertus: serpens siquidem sua siccitate, naturalique temperamento, magneticam habet virtutem attrahendique facultatem, quicquid venenatę & malignę qualitatis residet in corpore, ad hoc enim nati sunt serpentes, & à natura & Deo procreati, ut venenatas omnes qualitates attrahant & consumant. Sic aër depuratur ab omnibus qualitatibus, quę homini & animalibus reliquis contrariari possunt & & adversari.

Ophiuchi fabella quid indicet.

Serpentis virtus.

Serpens attrahit venenum

De Sagitta sive Telo decimoquinto firmamenti sydere, quid sit & quid influat.

CAPUT XXX.

Sagitta astrum quid sit.

SAgitta sive Telum hoc nostrum, decimū quintum firmamenti sydus, lumen est seu sulphur naturæ, ex primo sulphure creato massæ primæ, sursum divinâ potentiâ elevatum, ac sublimatum, & firmamento affixum, & in quinque stellas divisum ac distributum, quarum prima est quartæ magnitudinis, secunda sextæ, & reliquæ tres stellæ sunt quintę magnitudinis, virtutis & proprietatis Martis, & parum Veneris, plus enim obtinent Martis qualitatis & virtutis, quàm Veneris, unde ter-

Sagitta quid influat terris.

terris communicant ac Provinciis, quibus dominantur siccitatem summam, ac sterilitatem, unde mineralia sicca in his terris copiosè producuntur, ut ferrum, sulphur, vitriolum & sal. Hominibus verò qui has Provincias incolunt & habitant, ferocitatem, crudelitatem, magnanimitatem & reliqua ejusmodi omnia quæ martis naturã & proprietatem sequuntur, unde homines hisce in regionibus quibus Telum hoc sydus præest ac dominatur, feroces sunt & crudeles, bellicosi admodum & magnanimi, laboris patientes, & sitim famemque tolerantes, sunt tamen venereis voluptatibus dediti, prolem amant & uxores, & deliciis delectantur.

Homines quibus sagitta praeest quales.

Cur Telum inter astra locetur, & quid ejus fabula Chymicè significet.

CAPUT XXXI.

Teli fabula quid indicet

PRometheus post factos homines adhibita facula ad rotam Solis, ignem dicitur furatus, quem hominibus indicavit, ob quam caussam irati Dii, duo mala immiserunt terris, febres & morbos, ipsum etiam Prometheum in monte Caucaso, per mercurium religaverunt ad saxum, & adhibita Aquila est, quæ ejus cor perpetuo exederet. Hercules verò cùm ab Euristeo, ad Junonis hortum mitteretur, ut inde aurea Mala tolleret, per Caucasum iter habuit, quem iter ad Hesperidũ hortum ignorantem Prometheus sic affectus docuit, & qua eundem esset indicavit, & quo modo serpentem, qui illum custodiebat hortum occideret, proquo beneficio assũpto telo Hercules Aquilam ipsam interfecit, quæ Promethei cor exedebat. Et sic Prometheum liberavit, cujus facti fama memor, Telum ipsum inter astra collocavit, & stellis ipsum adornavit: hæc sũt quæ de Telo sydere enarrantur, quę omninò ficta sunt & Commenta Poëtarum: at verè Telũ quo interficitur Aquila cor exedens Promethei, sunt sermones & verba viri fortis ac magnanimi, quibus scrupulos & solicitudines conscientiæ nostræ cor nostrum tanquam Aquilas exedentes tollimus & evitamus: A etiam asserere possunt Chymici Telum hoc quo interficitur Aquila cor exedens Promethei, esse ignem naturalem, quo interficitur aqua mercurialis Chymica, quæ verè Aquila est, cor exedens Promethei, hoc est interioris sulphuris nostri partes, quæ verè corroduntur perpetuò ab aqua nostra mercuriali, quæ vera Aquila est. Dum Chymicum adhibito igne naturali suo, ipsã aquam mercurialem continua coctione coagulat ac fixat, dicitur Aquilam interficere, quòd omnis acrimonia, & corrodendi facultas, ipsius aquæ coctione illa, & igne tollatur & omninò auferatur.

Sagitta apud Chymicos quid sit.

Aquila apud Chymicos quid.

De Aquila seu vulture volante decimo sexto firmamenti sydere, quid sit & quid influat.

CAPUT XXXII.

Aquila cœlestis quid sit

AQuila seu Vultur volans, decimum sextum firmamenti sydus, est lumen naturæ, ex massa illa prima materiæ primæ luminis creati radus actuatæ, elicitum ac sursum divina potentia sublimatum, & firmamento affixum, & in novem stellas divisum, ac distributum, quarum prima, est quartæ magnitudinis, reliquæ omnes sunt tertiæ, & quintæ magnitudinis, & una tantùm datur secundæ magnitudinis, quæ tertia est in scapulis collocata, cæteris omnibus splendidior & rutilantior, Jovialis virtutis & proprietatis, & reliquæ omnes, sunt etiam Jovialis, & Martis virtutis, & energiæ, & perindè terris infundunt & provinciis quibus dominantur, fertilitatem summam, temperiem gratissimam, & locorum amœnitatem, hinc fructuum omnium copiam, vini & frumenti abundantiam & reliquorum omnium, quibus indiget humana calamitas ad sui sustentationem hæ regiones & Provinciæ abundè administrant, radiis hujusce constellationis illustratæ.

Aquila qui infundat terris.

Homines Aquilæ cœlesti subjecti quales.

Præterea hominibus communicat, & impertit hæc constellatio justitiam, & fortitudinem, magnanimitatem, animique vigorem, undè fortes sunt & eloquentes, pii tamen & benevoli, virtutem sectantes, & quod viri fortis sapit & redolet, persequentes, sunt & in hac constellatione extra suam formam & figuram aliæ stellæ, sex numero: quæ Antinoum constituunt ejusdem virtutis & proprietatis, & unum & idem operantur in terris cum ipsa Aquila, & perindè de his satis.

Cur Aquila inter astra collocata sit, & quid ejus fabula Chymicè significet.

CAPUT XXXIII.

Aquila cur inter astra locata.

AQuilam inter astra collocatam dicunt, propter Ganymedem, Jovis ministrum, quem rapuit in cœlum, est enim Aquila signum Jovis, quod Dii omnes volucres inter se dividerent, Aquilam sortitus est Jupiter, quòd altiùs cunctis volantibus evolet, & penè inter omnes principatum teneat, & quod sola avium Solis radiis non terreatur, hæc de Aquila inter astra collocata enarrantur, sed Aquila Chymicorum Mercurius est, qui vera est Aquila, cujus ope Ganymedes in cœlum rapitur & extollitur, hoc est sulphur album nostrum, quod verus est, & verè nuncupari potest Ganimedes, Jovis Deorumque aliorum minister, sulphur enim hoc nostrum quod & lapis albus est in cœlũ rapitur & extollitur seu sublimatur, ut Jovi cæterisq; Diis ministret, hoc est ut sapiẽtibus & prudẽtibus Chymicis subserviat, vel ut cæteris metallis im-

Iupiter cur Aquilam habeat.

Ganymedes quid sit ad Chymicos.

imperfectis, quæ sunt veluti Dii terreni, succurrat, & subministret, ut perfectionem absolutã acquirant. Aquila autem seu mercurius Chymicorum Ganymedem rapit, & in cœlum sublimat, & ad hunc perfectionis gradum evehit sulphur illud naturæ metallicum, & hoc mercurio debet, alioquin enim ad tantum dignitatis gradum evehi non potest, unde meretur ut inter astra verè collocetur.

De Delphino decimo septimo firmamenti sydere, quid sit & quid influat.

CAPUT XXXIV.

Delphinus sydus quid sit.

DElphinus decimum septimum firmamenti sydus, nihil aliud est quam lumen naturæ à Deo creatum, ex massa prima materiæ primæ sursum elatum, ac sublimatum. ac firmamento affixum, & in stellas decem divisum ac distributum, quarum quinque sunt tertiæ magnitudinis, duæ sunt quartæ, & reliquæ sunt sextæ magnitudinis, virtutis & proprietatis Saturni & Martis, unde terris influunt siccitatem & ariduram, ibi montes saxei & lapidosi producuntur, multa ferri & plumbi copia: homines verò bellicosi sunt, at agrestes & duri, laboris patientes, agricultores, pertinaces, morosi, magiam & occultas artes amantes, & curiosius quam par sit insequentes, & hoc habent ex proprietate Saturni, quę inest huic constellationi, quę tamen moderatur ex virtute & proprietate Martis, Mars enim suo calore, & ardore tarditatem, duritiem, frigiditatem & siccitatem Saturni corrigit & emendat, unde & hi homines non omni ex parte Saturnini sũt, sed simul martiales, unde à Marte corriguntur eorum agrestes & feri mores.

Delphinus quid influat

Homines Delphino subiecti, quales.

Cur Delphinus inter astra collocatus sit & quid ejus fabella indicet.

CAPUT XXXV.

Delphinus cur inter astra locatus.

DElphinus hic inter astra collocatus ab ipso Neptuno, qui ipsum Delphinum multis honoribus in mari ipso affecit, quod cùm Neptunus Amphitridem in uxorem accipere voluerit, ipsa ob verecundiam & virginitatis observantiam, ad Atlantẽ confugit, cui multos misit Neptunus, ut eam peterẽt, inter quos & Delphinum misit, qui ipsam adinvenit circa Atlantis insulas, nunciavitq; Neptuno, quam ille suis illecebris ad suam voluntatem traxit, & propterea Delphinum inter astra Neptunus collocavit. At Delphinus hic apud Chymicos potest interpretari pro sulphure innatante aquæ mercuriali ante veram & ultimam congelationem albam vel rubeam, hic verè Delphinus mittitur à Neptuno, hoc est à Mercurio Philosophorum, ut Amphitridem adinveniat, eamque persuadeat, ut Neptuno nubat, hoc est ut lapidem nostrum album reperiat, ac disponat, ut unanimiter uniatur cum Mer-

Delphinus apud Chymicos quid sit.

Mercurio, & sic ultimam perfectionem acquirat: Delphinus hic hoc operatur, quærit per totum Mare Chymicum, Amphitridem, eamque adinvenit circa Atlantis Insulas, hoc est sulphur hoc, superficialiter innatando Mari seu aquæ Mercuriali, invenit tandem lapidem nostrum album circa marginem vitri, & ad littus Maris Chymici in Insulas congelatum: sic enim incipit coagulari & condensari, & hæc coagulatio potest dici Atlantis Insula, ibi dùm fixa est & firma, Neptunus amores suos per Delphinos persequitur, & tandem obtinet, nam Delphinus seu sulphur illud subnigrum ac lucens aquæ nostræ innatans, est prima dispositio, quâ tandem continuata coctione, Mercurius noster tandem unitur & conjungitur ultima conjunctione, & vero matrimonio, sulphuri nostro albo, quod est vera & legitima Amphitride, quæ mercurio Chymicorum nubenda est. Quòd autem Delphinus has nuptias disponat, meretur in astrum ac in cœlum evehi.

Atlantis insula apud Chymicos qualis.

De Equi sectione, sive Equiculo, quid sit, & quid influat.

CAPUT XXXVI.

EQuiculus hic noster, lumen naturæ est, ex prima massa materiæ primæ sursum elevatum, ac sublimatum, & firmamento affixum, & in quatuor stellas parum lucentes, & obscuras divisum ac distributum, Martis ac Jovis virtutes & proprietates habentes, parum admodum terris influunt, quòd stellæ, quibus constat hæc constellatio, sint obscuræ omnes, & parum luminis habeant: actio enim & virtus constellationum ex lumine rutilanti & splendido dependet & ortum habet, quocirca si quid influat Equiculus, Martis & Jovis virtutis habens, id parum efficax est, sed cùm aliis constellationibus ejusdem virtutis jungi possit, id ea ratione consideratu dignum videtur. Itaque terris communicabit fortitudinem ac sapientiam, justitiam & amorem, hoc est homines, qui Regiones & Provincias Equiculo subjectas incolunt & habitant, apti fient & idonei ad sapientiam, justitiam & fortitudinem & amorem insectandum; terræ verò & solo dabit fertilitatem & fructuum copiam, & hæc de Equiculo dicta sufficiant, cùm de illo nihil aliud referat antiquitas, & nulla fabula de eo enarretur, ideo explicationem ejus non adferemus, cùm de non ente non debeat dari sermo.

Equiculus astrum quid sit.

Astrorum actio ex lumine rutilanti dependet.

Equiculus quid terris influat.

De Pegaso sive Equo alato decimo nono firmamenti sydere, quid sit, & quid influat.

CAPUT XXXVII.

PEgasus sive Equus alatus, decimum nonum firmamenti sydus, lumen naturæ est, ex prima massa materiæ primæ sursum elatum ac sub-

sublimatum, & firmamento affixum, & in viginti stellas divisum ac distributum, quarum quatuor sunt secundæ magnitudinis aliæ verò quatuor sunt tertiæ magnitudinis, novẽ verò sunt quartę, reliquæ verò tres, quæ supersunt ad numerum viginti complendum, sunt quintæ magnitudinis, & virtutis & proprietatis Martis & Mercurii, rutilant multùm ac splendent, & perindè terris multum infundunt, & præsertim quæ sunt secundæ, & tertiæ magnitudinis, hæ enim plus infundunt quàm alię omnes, cùm plus lucis habeant: hæ autem terris communicant siccitatem summam & ariduram, undè sterilitatem & fructuum inopiam, propter humoris vitę paucitatem, quam stellæ hæ influunt, siccant potiùs & adurunt quàm humectant, montes adsunt altissimi & lapidosi hisce in Provinciis & Regionibus, quibus hæc constellatio dominatur, & multa in his copia ferri, vitrioli, & aluminis, & similium mineralium, quæ Martis naturam imitantur.

Pegasus astrum quid sit.

Pegasus quid influat terris.

Homines verò, qui has Provincias incolunt & habitant, sunt bellicosi, feroces & agrestes, parum virtutis habentes, macilenti & aridi, non vivaces, & longæ vitæ, sed brevioris quàm par sit propter illam siccitatem, & ariduram naturalem, quam insitam habent, Anima enim in sicco consistere non potest, calor enim fortis ac vehemens, quem insitum & naturalem habent ab ipso astro, depascit citò ac depopulatur humidum radicale, unde brevis illa vita emergit, unde etiam impetuosi sunt & colerici valdè, Animalia etiam cuncta, quæ in hisce Provinciis degunt, sunt ejusdem temperamenti, unde copia Leonum in hisce Regionibus progignitur: & nativum est eorum solum, & vera Patria Leonum.

Homines Pegaso subjecti quales.

Copia Leonum unde.

Cur Pegasus inter astra collocatus sit, & quid ejus fabula significet.

CAPUT XXXVIII.

EQuum dimidium è priore parte patentem usque ad umbilicum Aratus dicit super geniculatorem situm, & jam astris illatum, eo quòd à celsitudine montes Heliconis percussu pedis dextri aquam produxit, quem liquorem Hyppocrenem dicunt, hujus rei fama; & memoria Pegasum inter astra collocavit. Pegasus hic noster apud Chymicos, Mercurius est, species quædam salis est, Martis naturam redolens, & Mercurii, ut hęc nostra constellatio, quæ cùm à doctis & viris eruditis assumitur, dicitur in Parnassi & Heliconis cacumen ascendere, ibiq; ungulâ suâ terram percutiendo, Aquam effundere Hyppocrenem, hoc est sal istud, dum acrimoniâ suâ alterius salis ejusdem generis substantiam seu terram percutit, tanquam ungulâ suâ, aquam elicit mercurialem, quæ verè dicitur liquor Heliconis

Pegasus cur inter astra locatus.

Pegasus quid apud Chymicos.

conis montis, eo enim liquore epoto, omnes viri evadunt in viros doctos, ab ipsa enim aqua mercuriali fiunt omnes docti, cum ipsa aqua latitent causæ omnes rerum naturalium, undè pernota causa, & pernoscuntur effectus omnes naturales. Sic sal noster Pegasus dictus Hyppocrenem fundit, & in cœlum evehitur, ac inter astra collocatur.

Sal Chymicum cur Pegasus dicatur.

De Andromeda vigesimo firmamenti sydere quid sit & quid influat.

CAPUT XXXIX.

Andromeda astrum quid sit.

ANdromeda vigesimum firmamenti sydus, lumen naturæ est, ex lumine illo creato quod massæ primæ inerat, sublimatum & sursum elatum, potentiâ divinâ firmaméto affixum ac in viginti quatuor stellas divisum, ac distributum, quarum prima quæ in capite est, magnitudinis est secundæ, septem verò sunt tertiæ magnitudinis, duodecim verò sunt quartæ magnitudinis, reliquæ verò quatuor sunt quintæ magnitudinis, & omnes sunt virtutis & proprietatis veneris. Itaque in hisce firmamenti Plagis, velut altera Venus elucet ac splendet Andromeda nostra, & præcipuè stella illa secundæ magnitudinis, qui in ejus capite collocatur, tantam Veneris proprietatem habet, ut quicquid Venus in Zodiaco valeat, polleat & hæc constellatio in his firmamenti locis, undè terris infundit & communicat, quibus dominatur, fertilitatem summam frumenti & vini copiam, & reliquorum omnium fructuum abundantiam, quibus eget humana calamitas, hominibus verò dat concordiam, pacem, societatem, & amorem, delicias humanas & voluptates, locorum facit amœnitatem, & temporis serenitatem & temperiem gratissimam, hinc pacati fiunt homines, sereni vultus, vivaces, jucundi & gratissimi, hebetis non admodum ingenii, nec tamen acutissimi, sed mediocris, pulchri tamen corporis, tanquam ab Andromeda progeniti.

Andromeda quid influat.

Homines quales ab Andromeda.

Cur Andromeda inter astra collocata sit, & quid eius fabula Chymicè indicet.

CAPUT XL.

Andromeda cur inter astra locata sit.

ANdromeda filia fuit Cephei, & Cassiopæiæ, quæ adamata est à Cupidine, & cùm Cassiopæia mater ejus, formam suam & pulchritudinem Nereidibus præposuisset, indignatus hac de re Neptunus Cetum immisit, ut Regnum Cassiopæiæ devastaretur: Dato tandem responso, ut si Andromedam filiam suam perpulchram Ceto devorandam dare vellet, hæc ruina cessaret: Annuit Cassiopæia pro Patria & Regno liberando. Andromeda itaque suspensa est inter duos montes, & Ceto exposita est cum omni muliebri mũdo. A Perseo autẽ liberata fuit, & beneficio Minervæ in astrorum nume-

numerum collocata, ut labor Persei æternus pateret.

Andromeda apud Chymicos quid indicet.

Andromeda verò secūdū Chymicos est sulphur album, quo lapis seu tinctura vera Philosophorum perficitur ad album, filius est Cephei & Cassiopæiæ, seu materiarum duarū, ex quibus componitur, quæ Cepheus & Cassiopæia dici possunt, hoc autem sulphur albū exponitur Ceto devorandum hoc est calori putredinali præter naturam, cum omni sua pulchritudine & munditie, at liberatur & vindicatur à morte, à Perseo, hoc est à Chymico prudente ac sapiente, qui alter Perseus habetur, Minerva verò in cœlestium numerum Andromedam ascribit, ut Persei labor æternus pateat, scientia verò quæ vera Minerva est, Andromedam istam sive sulphur istud, à corruptione liberat, & morte, & in perpetuum rei monumentum ponit, & sic in cœlum & astrum evehit.

De Triangulo vigesimo primo firmamenti sydere quid sit, & quid influat.

CAPUT XLI.

Triangulus astrum quid sit.

TRiangulus sive delteton Græcis, vigesimum primum firmamenti sydus, est lumen naturæ ex massa materiæ primæ sursum elatum, ac sublimatum divinâ potentiâ, ac firmamento affixum, & in stellas quatuor divisum ac distributum, tertiæ & quartæ magnitudinis, mercurialis virtutis, & proprietatis, eximiam virtutem terris infundit mercurialem, unde Terræ & Provinciæ quibus dominatur fertiles admodum sunt & fœcundæ, humiditatis vitalis plenæ ac turgidæ, unde copia vini ac frumenti, & aliorum vitalium fructuum abundantia exoritur: homines autem, qui has Provincias habitant & incolunt, omniscii, docti admodum & liberalibus artibus delibuti, Alchymistæ & occultarum scientiarum gnari, mansueti & misericordes, & pii, versipelles tamen & inconstantes, & huc illuc divagantes, videndi & sciēdi cupiditate summa detenti, hæc de Triangulo dicta sufficiunt, cùm nulla de eo fabula narretur apud Antiquos, in Astrum autem ascripserunt, quòd ejus stellæ, in Trianguli formam in firmamento reponantur super caput Arietis, non longè ab Andromedæ pedibus.

Triangulus quid infundat terris.

Homines quales sint à triangulo astro.

DE CONSTELLATIONIBUS SINGULIS QVÆ in medio sunt firmamenti, ex quo lumine constent, & quâ virtute vigeant.

SECTIO SECUNDA.

De Ariete vigesimo secundo firmamenti sydere quid sit & quid influat.

CAPUT I.

Aries sydus quid sit.

ARies est vigesimum secundum firmamenti sydus, ex calculo nostro

nostro ab ursa minori numerando, nihil aliud est quàm lumen naturæ ex massa prima materiæ mundi sursum elatum ac sublimatum & firmamento affixum, ac in stellas tredecim divisum ac distributum, tertiæ magnitudinis duas habet stellas, quartæ verò quatuor, quintæ sex, sextæ verò magnitudinis unam habet stellam, informes, habet alias quinque stellas, quæ extrà ejus figuram & formam reperiuntur, tertiæ quartæ & quintæ magnitudinis, & & ejusdem virtutis & proprietatis, ac reliquæ omnes, quæ formam & figuram ejus constituunt: Sunt enim omnes virtutis & proprietatis Saturni & Martis. Tertia verò, quarta, quinta & sexta redolent & sapiunt aliquid Mercurii, unde terris influunt omnes hæ stellæ, caliditatem quandam, cum parva humiditate, & siccitate summa, unde Aries est domus Martis, & cum Sol Arietem ingreditur, incipit aperire poros terræ, & humiditatem radicalem terræ ad superficiem terræ attrahere, unde fit germinatio rerum in terra & renovatur annus, convocato rerum omnium semine, ad prolem omnigenam provocandam, unde copia vini & frumenti quibusdam in terris, quibus dominatur Aries, in quibusdam verò propter nimiam siccitatem & ariduram, non datur vini copia; sed aliorum fructuum, & præsertim cùm in eodem & simili non permaneat temperamento Aries ipse, sed mutetur & alteretur à Planetis, quos ipse admittit, secundum quos alteratur & mutatur, nunc enim calidus est, & siccus ab ipso Marte, nunc frigidus & siccus ab ipso Saturno, nunc frigidus & humidus à Mercurio, & sic de cæteris Planetis, qui omnes mutant & alterant ipsum Arietem, & trahunt ipsum ad ipsum suum temperamentum, & ad suam naturam. Sic varia influit ac diversa in terris, secundùm Planetarum diversorum naturas & proprietates varias ac distinctas, in homines varia ac diversa influit, nunc Martiales, nunc Solares, nunc Mercuriales, Venereos, Lunares, Joviales, & Saturninos constituit, habet nihilominus suam innatam, & propriam virtutem, quæ Martialis est & Saturnina, at mutationi & alterationi Planetarum obnoxia.

Aries astrũ quid influat

Virtus arietu astri mutatur, ex Planetis.

Cur Aries inter astra collocatus sit, & quid ejus fabula Chymicè significet.

Caput II.

Aries inter astra collocatus dicitur, propter Phrixum & Hellem Athamantis & Nebulæ filios, qui cùm Novercam interficere vellent, à Libero insania sunt affecti, qui dùm per sylvas vagarentur, mater ejus arietem aurea pelle fertur adduxisse, qui cùm navigare vellent in mare projecti sunt, quod Pelagus ab Helle, Hellespontus dictus est: Helles autem, ut ferunt à Neptuno servata

Aries cur inter astra relatus.

vata est, Et ex ea puerum Pœmonem genuit, Phrixus autem insidens præparato Ariete, Cholcos adductus fuit ad Oetam Regem, ibique Arietem, matri immolavit, eique suam auream pellem concessit, deditque Draconi custodiendam: Aries autem quòd Phrixum servasset, & propter suam auream pellem, raram & admirãdam, inter astra collocatus est, & Dux & princeps astrorum habetur. Chymici verò existimant Arietem hunc, librum fuisse pellibus arietinis compactum, quibus erat exaratum, & literis aureis conscriptũ, qua ratione & methodo fieri posset aurum, & Elixir illud Arabicum, & sapientum, quo metalla imperfecta in aurum & argentum perficiuntur, & quo vita in longius protrahitur, & morbi omnes curantur, & profligantur, & quo quicquid est in ipsa natura mancum & imperfectum, ad perfectionem absolutam, & ultimam conducitur. Undè liber iste, Aries dictus propter pelles illas Arietinas, quibus constabat, & quòd aureis literis inscriptus erat, & quòd in ipso methodus auri faciendi contineretur, Aries aureo vellere nuncupatus est, propter autem operis hujus raritatem & excellentiam, ad astra retulerunt antiqui, & Domum Martis fecerunt, quod materia ipsa, de qua tractabatur in ipso libro, sive ariete, Marti sit subjecta, & verè Martialis sit, quod secretum & occultum, filiis artis manifestum fecerunt, hoc loquendi genere.

Aries apud Chymicos quid.

De Tauro 23. firmamenti sydere, quid sit, & quid influat.

CAPUT III.

TAurus vigesimum tertium Firmamenti sydus, est sulphur seu lumen naturæ ex massa materię primæ sursum elatum, ac sublimatum, & firmamento affixum ac in triginta tres stellas divisum, ac distinctum, quarum una potentissima & cæteris omnibus efficacior, est primę magnitudinis, & oculus Tauri dicitur: Sex autem habet stellas tertiæ magnitudinis, undecim verò quartæ, tredecim verò quintæ, unam verò sextæ, informes verò undecim, quæ extrà ejus figuram & formam conspiciuntur, quartæ magnitudinis unam, & reliquas quintæ magnitudinis.

Taurus firmam. quid.

Sunt autem hę omnes stellæ Tauri, variæ ac diversæ virtutis & proprietatis: oculus enim Tauri, stella illa primæ magnitudinis, est virtutis & proprietatis martialis, subruffa enim est & velut ignis rutilans; Primæ verò stellæ usque ad oculum Tauri sunt Veneris & Saturni virtutis & energiæ, aliæ verò subsequentes sunt Mercuriales, Lunares, Saturninæ & Martiales: Perindè varia ac distincta terris influunt, quibus dominatur hæc constellatio oculus tamen Tauri siccitatem summam & caliditatem inducit. alię tamen stellę, cùm plures sint lunares

Taurus quid terris influat.

mer-

mercurialesque ejus caliditatem & siccitatem temperant, & moderatā efficiunt, undè temperies exoritur, & in terris benignitas ex Tauro nostro exsurgit, & copia fructuum omnis generis. Hominibus verò communicat labores, anxietates, inquietudines, curas in acquirendis opibus, & conservandis, & in hostibus debellandis, molles tamen facit & tardos, & duræ cervicis & tardi ingenii, & non valdè acuti, sollicitos tamen de rebus agendis & vigilantes pro suis negotiis.

Homines ex Tauro astro quales sint.

Cur Taurus inter astra collocatus sit, & quid ejus fabula Chymicè indicet.

CAPUT IV.

Cur Taurus inter astra relatus.

TAurus inter astra collocatus est, quòd Jupiter multoties se in Taurum converterit, & mutaverit, ut cùm Europam rapuit, in Taurum se mutavit, & Europam inter æquales suas ludentem in templo Æsculapii conspiciens, eamque repentinò arreptam collocatamq; in suo tergo, devexit in Insulam Cretam, ob hanc igitur causam Jupiter Taurum syderibus dignatus est immortali memoria inferre, quod facinus ridiculum omninò est & oblivione perpetua potius dignum, quam memoria, nihilominus suo cortice continet mirum Chymiæ arcanum, Jupiter enim, qui est vis illa ætherea, ac cœlestis spiritu seminifico rerum omnium turgens & fœcunda, mutatur in Taurum, hoc est in Salem nostrum Chymicum, qui verè Taurus est, & apud Chymicos Taurus dicitur & nuncupatur, Jupiter ergò in Taurum mutatus, rapit Europam, & ad Cretam Insulam devehit tergo suo collocatā, hoc est assumit, & rapit Salem alium sui generis & in Cretam insulā devehit, hoc est convertit in alium salem, qui verè insula est Creta, in qua res omnes Chymicę abundāt, habito enim hoc sale qui sulphur est naturæ, nihil opus habent Chymici Philosophi,; quam sola coctione, & continuo & perenni igne, ut coquatur & ad perfectionem adducatur ultimam & absolutam, & ita Taurus hic noster, meretur inter astra referri.

Taurus apud Chymicos quid.

De Geminis vigesimo quarto firmamenti sydere quid sit & quid influat.

CAPUT V.

Gemini sydus quid

GEmini sydus est vigesimū quartum firmamenti, & nihil aliud est, quàm lumen naturæ ex massa illa materiæ primæ sursum sublimatum, & firmamento affixū. & in stellas octodecim divisum ac distributū, secūdæ, tertiæ quartæ & quintę magnitudinis, habet etiā alias stellas extra formā & figurā suam quæ informes dicuntur, & septē sunt numero, quartæ & quintæ magnitudinis, & omnes sunt virtutis mercurii, Martis, Saturni & Veneris, unde varia influunt, nunc Veneris proprietates, nunc Mercurii, nunc Saturni, & nunc Martis qualitates infundunt secundum planetarum diver-

ſos recurſus, qui in hac conſtellatione periodicè peraguntur variis in temporibus, ſic terris ac Provinciis quibus præſunt ac dominantur, nûc veneris proprietates, nunc Saturni qualitates, nunc Mercurii virtutes, & nunc Martis energias communicant; ſic horum planetarum radios & influxus diſſeminant & effundût, ſic etiam homines variis planetarum qualitatibus afficiunt, nunc venereos efficiunt, nunc Mercuriales, nunc Martiales, nunc Saturninos, & ita in una & eadem conſtellatione plures ac diverſę reperiuntur naturæ & eſſentiæ, cum & hæc pluribus ac variis conſtet ſtellis, quæ diverſarum ſunt virtutum, & proprietatum, ſecundùm quas variè ac diſtinctè operantur in terris.

Gemini quid influant in terris.

Cur Gemini inter aſtra collocati ſint: & quid eorum fabula Chymicè indicet.

Caput VI.

Gemini cur inter aſtra relati.

GEmini fratres fuêre, & Ledæ filii, & Caſtor & Pollux dicti ſunt, unanimi fratres & concordes, quos poſt multos exauſtos labores, in aureo vellere conſequendo, ubi comites Jaſonis fuêre, tandem in conſilio cœleſtium collocati ſunt à Jove, eorum patre.

Gemini

Caſtor autem & Pollux ex Læda nati & Jove, ſunt Sulphura noſtra duo Chymica, quæ enaſcuntur ex terra noſtra, quæ Læda eſt, cùm corrumpi patiatur à Mercurio noſtro ſeu Jove, qui comprimit Lædam noſtram ſeu terram Chymicam, ex qua tandem enaſcuntur Caſtor & Pollux, duo illa ſulphura Chymica tanti pretii & valoris, ex quibus fit lapis & Elixir illud Arabicum miræ virtutis & energiæ, & ſic Caſtor & Pollux Jaſoni inſerviunt ad conſequendum vellus aureum, ſulphura enim tantum hæc inſerviunt Chymico prudenti tanquam Jaſoni ad lapidem conſequendum, cujus rei gratiâ meretur in conſilio Deorum collocari, & inter aſtra reponi.

apud Chymicos quid.

De Cancro vigeſimo quinto firmamenti ſydere quid ſit & quid influat.

Caput VII.

Cancer aſtrum quid.

CAncer eſt vigeſimum quintum firmamenti ſydus, & lumen eſt naturæ, ex materia prima mundi divinâ potentiâ ſurſum ſublimatû, & firmamento affixum, ac in ſtellas novem diviſum & diſtinctum, quartæ magnitudinis ſeptem, quintæ unam, & nebuloſam alteram habet. Et informes habet etiam alias quatuor, quartæ magnitudinis duas, & quintæ alias duas, quæ ſunt virtutis Saturni & Martis, aliæ verò quæ côſtituunt ejus formam & figuram, ſunt Martis & Lunæ virtutis, Martis & Solis, Saturni & Mercurii, & ſic in præſenti conſtellatione elucent, ac vigent Mars & Luna, Mars & Sol,

Saturnus & Mercurius. Quatuor primæ stellæ sunt Martis & Lunæ, quinta verò sextaque sunt Martis & Solis, septima verò & octava, sunt Saturni & Mercurii, & nona est Martis & parum Mercurii, informes quatuor aliæ, sunt virtutis Saturni & Martis, sic Cancer virtutes Solares, Lunares, Martiales, Mercuriales & Saturninas virtutes terris distribuit, ac communicat novem his stellis, quibus constat, hominesque varios constituit, in uno eodéq; loco, & una in Civitate & in uno eodemque tempore, neque mirari debemus, quòd sint tam varii ac distincti homines, variorumque morum ac studiorum: lumen enim quod sursum est, à quo suscipiunt temperamentum & nativum eorum calorem, varium est & distinctum in uno & eodem astro, nec etiam mirari debemus, quòd in uno Regno Provinciaque una, & eadem, imò & in campo uno, sit terra omninò diversa, variaque ac distincta ferat, hinc segetes, hinc crescunt feliciùs uvæ, Cœtum enim distinctum ac varium influit calorem, à quo varia illa, & distincta fiunt & enascuntur.

Cancer astrum quid influat.

Vnde varii homines & varia rerũ semina in terris.

Cur Cancer inter astra locetur; & quid eius fabula Chymicè portendat.

CAPUT VIII.

CAncer in astris positus esse dicitur Junonis beneficio, cùm enim Hercules ad fontem Lerneum depugnaret, hic Cãcer, Herculis pedem morsu deprehendit, quem miratus Hercules calcatum contrivit, & beneficio Junonis magnis honoribus decoratus est, cùm in numero duodecim signorum fuerit relatus.

Cancer cur inter astra relatus.

Cancer verò apud Chymiam est difficultas maxima & labor insanus, in Arcanis Chymicis conquirendis, qui Chymicos retardant & apprehensum eorum pedem morsu vellicant ac impedire volunt, ne ulterius progrediantur, dum ad fontem nostrum Chymicum prçliantur, qui Lerneus verus est fons, in quo pugnare habent Chymici omnes, & fortiter & Herculis more præliari, & si Cancer inibi reperiatur qui caput extollat, & pedem nostrum morsu apprehendere audeat, calcatum conterere debemus, & victoriam persequi; difficultas enim quam maxima est, circa fontem illum Lerneum & Cancri fortes & acres reperiuntur, qui pedes nostros apprehendere audent: at nihilominus ultra progrediendum est, & ipsos cancros conterere debemus, & omnes difficultates vincere, sic Herculem imitamur, & quod rarum est & occultum in Lernea palude sive in interioribus terræ & totius naturæ, reportamus, & Hydram nostram Chymicam debellamus, quæ forti nostro Lerneo adhæret; ad quam debellandam Hercules expostulatur.

Cancer apud Chymicos quid.

De Leone vigesimo sexto firmamenti sydere quid sit & quid influat.

Caput IX.

Leo astrum quid sit.

LEo est vigesimum sextum firmamenti sydus, & est lumen naturale ex massa prima luminis, quod materiam primam mundi actuabat sursum elatum, & firmamento affixum, & in stellas viginti septem divisum, ac separatum, duas habens stellas primæ magnitudinis, secundæ alias duas, tertię sex, quartæ octo, quintæ quinque, & sextæ magnitudinis quatuor, informes verò habẽs octo stellas, quartæ magnitudinis unam, quintæ quatuor, nebulosam unam, & obscuras duas, & sic configuratur Leonis astrum, cujus virtus & energia præcipua in duabus illis stellis primę magnitudinis & in aliis duabus secundę magnitudinis consistit, quæ sunt Saturni & Mercurii, Martis & Jovis virtutis, aliæ verò sunt ejusdem virtutis, & nonnullæ sunt Veneris virtutis, sic Leo ex se ipso planetarum horum virtutes infundit absq; præsentiâ eorum cùm stellas habeat, quæ has proprietates effundunt, sole autem præsente, aut Luna, aut quovis alio planetarum vires hę debilitantur, & roborantur vires planetæ præsentis, itaque Leo virtute Martis calorem vivificum, robustum, ac maximum terris infundit, maturitatem fructuum efficit, virtute verò Saturni constantiam, ac firmitatem, virtute Mercurii mollitiem & agilitatem, promptitudinem, virtute Jovis virtutem, constantiam, pietatem, ac religionem, virtute verò Veneris pulchritudinem & formam.

Leo quid terris infundat.

Cur Leo inter astra collocatus sit, & quid eius fabula Chymicè significet.

Caput X.

Leo cur inter astra locatus.

LEo inter astra collocatus dicitur, Junonis beneficio, ob primos labores Herculis, hunc autem Leonem apud Lunam fuisse nutritum Junonis jussu, & in Arcadia in Regione Nemeæ, & in spelunca Micdimon nomine fuisse, quam quidem Aphrison dicunt, & jussu Junonis ad Herculis exitium dimissum, quem Hercules jussu Euristei, interfecit cum Molorcho hospite suo, cujus clavam pro viribus tributam principio est adeptus, cum qua Leonem interfecit, itaque postea, clava pro gladio, pelle pro scuto, reliquo tempore uti cœpit. Et apud omnes mortales gratus ob virtutem haberi cœpit, Junoni verò magis odio esse, Quapropter Leonem cœlesti memoria dignatum Junonis voluntate arbitrantur antiqui, hic conspicuus & maximus inter astra lucet ac splendet.

Leo apud Chymicos quid.

Apud vero Chymicos maximæ est etiam dignitatis & ponderis, Leonem enim habent, quem interficere habent, ut arcanis Chymicis potiantur:

antur: Eorum Leo Mercurius est, Junonis jussu apud Lunam enutritus, & robustus factus, Mercurius siquidem Chymicorum virtute aëris inferioris, qui Juno inter antiquos habetur, elevatur ad Lunam usq;, sunt enim vapores elementorũ, qui sursum feruntur per medium aëris, & Lunæ radiis & influxibus impregnantur, & sic enutriuntur, & sic cõdensantur & coagulantur in humiditatem aqueam, & in terram decidunt, ibiq; virtute terræ coagulantur & fixantur in speciem Salis, & sic Leo Chymicus ab ipsa Luna enutritur, & in speluncam nomine micdimon mittitur, ibique reservatur ad Herculis exitium, jussu Junonis, vis enim aëris inferioris conservat sua humiditate in spelunca seu terræ antris. Leonem nostrum sive salem illum, ad exitiũ Herculis, sive ad mortẽ alterius salis, qui Chymicis omnibus pernecessarius est ad Chymiam perficiendam. Hercules tamen seu sal iste interficit primũ salem, & occidit ipsum, & ejus pellem detrahit, & pro scuto gestat continuo, hoc est tincturam rubicundam ejus extrahit, quæ est ejus pellis, & vera medicina nostra, quæ verum scutum est, contra omnes morbos, & calamitates omnes humanas.

Hercules apud Chymicos quid.

De Virgine 27. firmamenti sydere, quid sit & quid influat.

CAPUT. XI.

Virgo astrũ quid sit.

VIrgo est vigesimum septimum firmamenti sydus, & est lumen naturæ, ex massa materiæ primæ mundi sursum elatum ac sublimatum, & firmamento affixum, & in stellas viginti sex divisum ac separatum, primæ magnitudinis unam habens, tertiæ vero sex, quartæ aliæ sex, quintæ undecim. Sextæ duas, informes vero habet stellas sex, quintæ magnitudinis quatuor, sextæ vero duas habet stellas. Sunt vero omnes hujusce constellationis stellę, virtutis Veneris & Martis, & præsertim illa primæ magnitudinis, quæ spica virginis dicitur. Sunt etiã nonnullæ Mercurii & Saturni virtutis. Undè terris influunt & communicant Martis & Veneris virtutes & energias, & Saturni & Mercurii proprietates, hinc calor vivificus copiosus in terris, copia fructuum, maturitas, robur, fortitudo, venustas, eloquentia, prudentia ac sapientia, & reliqua omnia quæ ab his virtutibus dependent. Plus tamen ex parte Veneris planetæ habet hęc constellatio virtutis & energię, quàm ex reliquis Planetis, unde venustatem, pulchritudinem, societatem, amorem, mollitiem, delicias majores infundit & terris communicat, quàm aliquid aliud ex aliis Planetis dependens, undè Provinciæ omnes, Regna, & Imperia, & Civitates quę Virginis radiis subjiciuntur, molles potius sunt & delicatę, quàm fortes, ac robustę, alię tamen aliis sunt molliores, & delicatiores.

Virgo quid influat terris.

Cur Virgo inter astra locetur, & quid eius fabula Chymicè portendat.

CAPUT XII.

Virgo cur inter astra locata.

AD aspectum Boetæ Virgo constituta est, quæ Erigone dicta est, quæ inter Leonem & Libram in Zodiaco, locum tenet, hanc Hesiodus Jovis & Themidis filiam asserit, nomine justam, quęcum immortalis inter homines terris degeret, & virtutem ac justitiam sequi mortales doceret, in aureo seculo primo tandiu in terris mansit, quandiu & homines justi, & æqui fuêre, postquam verò, vitium secuti sunt & nequitiam, illa terris se subtraxit, & mortales reliquit, & in ea cœli parte habitavit, quâ nunc esse dicitur, hæc de justitia & æquitate dici possunt, & verè dicuntur, in arcanis verò Chymicis Virgo habetur pro temperie, & temperamento mediocri, quod in percoquendis arcanis Chymicis adhiberi meretur, unde inter Leonem & Libram collocata est Virgo hæc, seu temperies, sive inter fortem & æqualem, alioquin si fortius coquantur arcana Chymica, evolat illud temperamentum, & sursum petit, & terram nostram linquit aridam & combustam, & perindè ut ritè agantur omnia, & sæculo aureo perfruamur, moderatè & temperatè percoquendum est arcanum nostrum. Et res omnes etiã tẽperatè, & moderatè tractandæ sunt, alioquin pereunt, nullum enim violentum naturæ amicum.

Virgo apud Chymicos quid.

De Libra 28. firmamenti sydere, quid sit, & quid influat.

CAPUT XIII.

LIbra vigesimum octavum firmamenti sydus, est lumen naturæ, ex massa prima materiæ mundi sursum elatum ac sublimatum, & firmamento affixum virtute Divinâ, & in stellas octo divisum ac distinctum, magnitudinis secundæ duas habens stellas, quartę quatuor, & quintæ duas, informes verò habens novem, tertiæ magnitudinis unam, quartæ quinque, quintæ duas, sextæ verò magnitudinis unam habens stellam: Et omnes hæ stellæ sunt virtutis Jovis, Mercurii, Saturni, & parum Martis, undè terris infundunt fertilitatem summam, copiam omnium fructuum propter vivificum calorem & humiditatem radicalem, quam copiosè radiis suis & influxibus terris distillant, hominibus verò temperiem summam, justitiam, æquitatem, concordiam, eloquentiam, fortitudinem & constantiam. Unde sunt homines, quibus Libra dominatur, corpore pulchro, agili, sermone compti, optimæ famæ, arcana multa rimantes, promissis non stantes, propter mulieres multa patientes, sunt etiam eloquẽtes, neque inhabiles sunt ad literarum

Libra astrũ quid.

Libra quid influat terris.

Homines quales à Libra astro.

rum studia addiscenda, & artes omnes, & fortunati admodum sunt, qui Libram habent pro ascendente.

Nulla apud antiquos de Libra enarratur fabula, sed astrū hoc quod medium cœli occupat, Libram dixerunt, in hoc enim signo, in æquilibrio ponuntur dies & mortes, unde meretur hoc astrum Libræ nomine insigniri, quod cœlum in duas partes æquales dividat, & Sol in eo existens in æquilibrio esse videatur.

De Scorpio 29. firmamenti sydere, quid sit & quid influat

CAP. XIV.

Scorpius quid sit.

SCorpius vigesimum nonum firmamenti sydus, est etiā ut & reliqua firmamenti sydera, lumen naturæ, est enim lumen istud genus ad omne sydus & astrum, constant enim omnia sydera lumine isto naturæ, quod erat in materia prima mundi, ex quo lumine sursum elevatum est, ac sublimatum sydus istud, quod Scorpius dicitur & nuncupatur, & firmamento est affixum, ac in stellas viginti & unam divisum ac separatum, magnitudinis secundæ unam, tertiæ tredecim, quartæ quinque. Quintæ verò magnitudinis habet duas stellas præter informes, quæ sunt tres, una est nebulosa, & reliquæ duæ sunt quintæ magnitudinis.

Primæ quatuor stellæ sunt Martis, & parum Saturni virtutis & energię, quatuor subsequentes sunt Saturni & Mercurii, Martis, & parum Jovis: Quatuor aliæ subsequentes sunt Martis & Jovis, & aliæ omnes reliquæ sunt Saturni & Veneris, Mercurii & Martis, informes verò sunt virtutis & energiæ Martis & Lunæ, unde terris infundunt radios & influxus horum Planetarum, pestilentiam & morbos, sterilitatem & siccitatem, putredinem & corruptionem, infundit enim humiditatem summam, & præterea calorem beneficio Martis, undè fit corruptio & putrefactio in terris, unde incommoda multa oriuntur hominibus, fructibus verò terræ corruptio, sunt tamen stellæ quammultæ, ut illæ quæ sunt Mercurii & Martis virtutis, quæ benignæ sunt & fructibus non nocent nec hominibus, sed robur ac fortitudinem conferunt in omnibus. Aliæ verò, internecionem, pestilentiam, mortem & corruptionem conferunt, dissidium, querelas & invidias, & inimicitias mortales & odia.

Scorpius quid influat

Scorpius cur inter astra locetur, & quid eius fabula Chymicè portendat.

CAP XV.

Scorpius cur inter astra.

SCorpius sanè inter astra collocatus fuit ab ipso Iove, quod ferunt ex terra ortum, ut Oriona interficeret, ob eius loquacitatem, quippe qui gloriaretur ex venatione, nullam feram relinquere, is autem Ori-

ona percussit, & occidit, deinde à Iove in astrorum numerum relatus est, ut ejus naturam futuri homines intelligerent & notam timerent tanquam illis valdè inimicam. Apud Chymicos verò quicquid veneni rationem & potentiam habet, id apud ipsos Scorpius dici potest, eorũ autem Mercurius, quòd Venenatã habeat qualitatem & interficiendi potentiam, verus Scorpius dici potest, qui cùm Orion, hoc est Sal Chymicorum glorietur omnes feras in Sylva Chymica, & in montibus Chymicis interficere posse, ipse Scorpius sive eorum Mercurius, ex terra Chymica emergit, & Orionem sive Salem fixum eorum percutit & occidit, Mercurius siquidem salem dissolvẽdo venenata sua qualitate, acri & pontica, interficit, corrumpit, & alterat, & ad generationẽ deindè novam conducit. Propter hoc Heroïcum opus, Mercurius Chymicorum meretur exaltari, & veluti in astrorũ numerum referri. Ut homines hinc intelligant seu Chymici futuri quid potest, & quid valeat Mercurius, sine quo nihil peragitur in arcanis Chymicis peragendis; Oriona enim interficere non possumus, eo autem vivente, nihil novi movetur in Chymicis arcanis. Sic Scorpius noster celebratur & inter astra reponitur.

Scorpius apud Chymicos quid.

De Sagittario 30. firmamenti sydere, quid sit, & quid influat.

CAP. XVI.

Sagittarius trigesimum firmamẽti sydus, est ut & reliqua astra lumen naturæ, ex massa prima materiæ mundi sursum elatum, & sublimatum, & firmamento appositum, ac in stellas triginta & unam divisum ac separatum, magnitudinis secundæ duas habens, tertiæ novem, quartæ alias novem, quintæ octo. Sextæ duas, nebulosam unam, quarum primæ quatuor stellæ, quæ eius figuram constituunt, quæ in cuspide Sagittæ, & in manubrio sinistrę manus, & in australi parte arcus, & Septentrionali parte collocantur, sunt Martis & Lunæ virtutis, aliæ verò subsequentes sunt Iovis & Martis proprietatis. Aliæ autem subsequentes, sunt Solis & Martis energiæ, quæ verò has sequuntur, sunt Iovis & Mercurii: Aliæ verò subsequentes, Jovis & Saturni imitantur & sequuntur energias, ultimæ verò sequuntur proprietates Saturni & Veneris. Itaque in uno solo hoc sydere Planetarum virtutes omnes conspiciuntur. Mirandus omninò Deus, quòd totum cœlum, totamq; eius virtutem & proprietatem in solo Sagittario collocaverit, unde Provinciæ, Regna, & Imperia, quæ Sagittario subjiciuntur, toti cœlo subjiciuntur, hoc est recipiunt virtutes

Sagittarius astrum quid sit.

In Solo Sagittario virtutes omnes cœlestes reperiuntur.

tutes omnes cœlestes: undè in his Regionibus proveniunt omnia & crescunt & enascuntur, quæ in aliis Regionibus enasci solent, frumenti omne genus, & fructuum omnium genus omne, metallorum & mineralium omnis species, homines etiam omnium morum, vitiorum, & virtutum, ibi boni, ibi mali reperiuntur, ibi vitiosi, alibi virtute pleni enascuntur, secundùm huius constellationis varias stellas, quæ varium calorem cœlestem & influxum terris infundunt, temperamentaq; hominum variant & mutant, & organa varia in his producunt, undè Anima, etsi Divina allicitur, non cogitur hæc temperamenta sequi, & quodammodo inclinari ad cœlestes illas temperamentorum & caloris nativi illecebras, ni Divina virtus & gratia, tùm innata & naturalis Animæ rationalis, tùm adventitia, ipsam Animam humanam roboret, non cogunt enim astra humanam Animam, sed alliciunt, & quasi tentant, & hæc tentatio ex carne est, & ex intimis nostris principiis.

Sagittarius quid influat

Anima rationalis ab astris non cogitur sed tentatur.

Cur Sagittarius inter astra reponatur, & quid eius fabula Chymicè portendat.

CAP. XVII.

Sagittarius cur inter astra locatus.

NOnnulli antiquorum asserunt, Sagittarium Eusthemis nutricis Musarum esse filium, & Heliconem habitasse, sagittis & venatu vitam exegisse, qui cùm Musæ canebant, chorosque celebrabant, ille procul audito repentino plausu, ad pedem feriendo, oblectabat Musas canentes, ob hoc Musæ Iovis beneficio & rogatu, in astrorum numerum retulerunt, Chymici verò Sagittarium constituunt suum Mercurium, qui verè est eorum Sagittarius, confodit enim & enecat terram eorum sua virtute, & penetrandi proprietate, quæ est altera Sagitta, cuius acumine terra Chymica enecatur, & ad corruptionem perducitur, sic Sagittarius hic noster sagitta sua & venatu vitam suam exigit & ducit, nam postquam feras omnes, quæ in terra & sylva Chymicorum insunt confoderit, vita sua tuta est, & in aprico posita, canentibus Musis, quatiente & percutiente pede, tanquam applausu gratulatur, & eas oblectat, hoc est Chymicos ad tantum secreti deventos canentes & ovantes, mirè delectat, quorum ope & gratia, evehitur ad cœlum, & in astrorum numerum reponitur, hoc est sublimatur, & ad ultimum perfectionis gradum evehitur, dum ad tincturam perfectam rubeam vel albam conducitur, & sic interpretatur Sagittarius hic noster, quamvis in fine Alchymistæ Christiani nostri aliter explicavimus, quod in Ænigmate ibi præposito sint alia multa quæ in præsenti typo cœlesti non reperiuntur.

Sagittarius quid apud Chymicos.

De Capricorno 31. firmamenti sydere, quid sit, & quid influat.

CAP. XVIII.

Capricornus astrum quid. Capricornus trigesimum primũ firmamenti sydus, est lumen naturæ ex prima massa materiæ mundi sursum elatum ac sublimatum, & firmamento affixum, ac in stellas viginti & octo divisum ac distinctum, magnitudinis tertiæ quatuor hahabens stellas, quartæ novem, quintæ etiam novem, & sextæ magnitudinis sex habens stellas, quæ sunt Mercurii & Martis, Saturni & Veneris, & Mercurii Iovisque virtutis & proprietatis, magnamque in terris infundunt energiam & efficaciam per radios suos & influxus, fertilitatem & copiam fructuum progignunt ex humiditate innata & radicali copiosa, quam rebus omnibus implantant, unde Provinciæ & Regiones omnes illi astro & syderi subjectæ, fertiles sunt, & omnib⁹ fructibus abundantes, homines verò sunt amabiles, lætos habentes aspectus, sunt tamen subdoli & perfidi propter Saturni influxus & radios, & Mercurii, item pusillanimes & superstitiosi & insuper libidinosi, peracta tamen voluptate, mox pessimè tractantes mulieres. Sunt etiam alienæ vitæ secreti censores, maximè verò Religionis, suspiciosi, laboriosi, & distracti variis negotiis & litigiis, ob naturam Martis quam ipse Capricornus in cordibus humanis spiritualiter, ac subtili suo influxu ac radio infundit & insinuat.

Capricornus quid influat.

Homines ex Capricorno quales.

Cur Capricornus inter astra locetur, & quid eius fabula Chymicè significet.

CAP. XIX.

Capricornus cur inter astra relatus. Capricornus fuit filius eius Capræ, cuius lacte, Iupiter enutritus fuerit, quare cũ Jove educatus, ex quo factum est, ut Iupiter ipsum Capricornum summoperè diligeret, & ob id in cœlo ipsum collocavit: Alii verò ridiculosam omninò adferunt de Capricorno fabulam, & dicunt, quòd aliàs in Ægyptum Dii omnes convenerint ad quoddam convivium, ubi dum ipsi libenter & omni cura solutis animis, cibis fruebantur, repentino adventu, Tipheus Gigantum maximus & crudelissimus eorum inimicus adfuit, quare maximo timore perterriti Dii, non solùm statim profugerunt, sed tutiores essent, in diversas animalium figuras se ipsos transmutarunt: Iupiter in Gruem, Mercurius in Ibim, alii verò in alia animalia, ex quo factum est ut Ægyptii hæc animalia ut Deos venerentur ac colant, Pan verò qui & ipse cum Diis erat, in aquas se dimisit, & novam animalis formam induit. Partes enim anteriores, capram, & posteriores piscem referebant. Ex qua figura tantam voluptatem perceperunt Dii ubi eorum inimicus dicessit. Et iterum

rum unà convenerunt, tantosq; risus excitarunt, ut Iupiter eius imaginem huius delectationis memoriā in cœlo perpetuò habere voluerit, quæ omninò verè ridicula sunt, si literam nudam & narrationem variam spectavimus: At mira sunt quæ in trivialibus istis fabulis continentur, Dii enim omnes in Ægyptum convenientes ad quoddam convivium, sunt Sulphura omnia metallica, quæ in Ægyptum conveniunt, hoc est in aquam mercurialem, Ægyptus enim est aqua Mercurialis, cùm sit Regio humida valdè, & quam Nilus inundat, ad convivium conveniunt, hoc est ad lapidem Chymicum perficiendum, qui est verum convivium sulphurum naturæ, Sulphura autem naturæ veri sunt Dii, quòd potentia & virtus totius naturæ sit in his sulphuribus, unde propter potentiam & energiam Dii dicuntur: Adveniente Tipheo Gigantum maximo, timent omnes Dii & in varias animalium figuras se permutāt, hoc est advenientc igne præter naturam, qui Tipheus est Gigantum maxim⁹, Sulphura illa timent ne comburantur, & devorentur ab inimico, quocirca mutantur in varias animalium figuras, hoc est in colores varios permutantur. Pan verò, qui est Chymicorum Mercurius, in aquam se mutat, & in ea suscipit formam Capricorni, cuius anteriores partes sunt Capræ, posteriores verò partes sunt piscis, hoc se ipsum coagulat in salem, qui partim innatat aquis, & partim sub aquis occultatur, & sic Capræ, & piscis naturam imitatur, quâ re delectantur admodum Sulphura Chymica, nam eo modo tuta sunt ab ipso Tipheo, & liberantur ab eius crudelitate, & tyrannide, sic enim effugiunt caloris energiam & ignis cóbustionem. Capricornus est vetus Mercurius Chymicorū, qui est filius capræ, hoc est terræ, cuius lacte enutritus est Iupiter, sive metallum illud componitur ex eodē succo terrestri, & enutritur in fodinis, quo enutritur Mercurius Chymicorum. Sic aniles istæ fabulæ, antiquorum Sophorum sapientiam occultant ac recludunt.

Explicatio Capricorni fabulæ.

Capricornus apud Chymicos quid.

De Aquario 32. firmamenti sydere, quid sit, & quid eius fabula chymice indicet.

CAP. XX.

Aquarius trigesimum secundum firmamenti sydus & astrum, lumen est naturæ, ex massa prima materiæ mundi sursum elatum ac sublimatum, & firmamento affixum, & in quadraginta duas stellas divisum ac separatum, magnitudinis primæ unam habens, tertiæ novem, quartæ octodecim, quintæ duodecim, sextæ unam habens, quæ virtutis sunt Saturni, & Veneris, Mercurii & Iovis. Virtus tota huius constellationis est ferè in ultima illa primę magnitudinis stella, quæ in ore Piscis austrini ferè situatur, nam cùm sit valdè lucens ac splendens valdè etiam ac po-

Aquarius astrum quid

Aquarius quid infundat

tétissimè influit, & terris communicat fertilitatem & abundantiam; est enim naturæ Saturni & Iovis Planetarum, qui humiditatem radicalem & calorem nativum copiosum infundunt, undè fertilitas & copia fructuum omnis generis, perindè etiam pluviæ copiæ & imbres exoriuntur per hoc signum & astrum, cùm Saturnus, Venus & Mercurius humiditates naturâ suâ progignant: Unde etiam homines, qui huic syderi subjiciuntur sunt Catarrhosi & humidi, molles, & melancholici, non multùm laboriosi, tamen peregrinari amant, & loca varia pervagari: Divites satis sunt, & avari in senectute, variis periculis, incommodis & jacturis affliguntur, & morbis ex pituita & phlegmate.

Cur Aquarius inter astra locetur & quid eius fabella Chymicè indicet.

CAP. XXI.

Aquarius cur inter astra locatus

AQuarium existimant nonnulli Deucalionem Thessalum, qui maximo diluvio in monte Ætna cum uxore Pyrrha sit relictus, Posteaque se & uxorem suam in terra relictum censuit, orbitatis misertus, à Iove præcari cœpit, ut aut ipsi interirent, aut hominum genus restitueret, Iupiter respondit, & per Sortem Indicavit ut lapides quos ante se reperirent, post se jactarent: reversi itaque, quotquot Deucalion misit, & retrorsum jactavit, viri fiebant, quos verò Pyrrha jactabat, fœminæ fiebant. Quo facto, rursus hominũ genus enatum est, ob quã rem λαος Græcè populus dictus est, quod Græcè λαος Lapis antiquitus dicebatur. Apud Chymicos verò Aquarius est eorum Mercurius, qui solus relictus post aquarum Chymicarum diluvium seu solutionem solemné, & uxor sua sive terra nostra, & sic sulphurum omne genus perditum ac mortuum, consultum est ut sulphuris genus omne repararetur, projectis post tergum lapidibus. Itaque quos misit Deucalion, Viri fiebant, quos verò Pyrrha, fœminæ factæ sunt, hoc est, Sulphura seu Lapides, qui ex Deucalione proveniunt, masculini sunt generis, qui enim ex Mercurio proveniunt fortissimũ habent calorem, & prætereà masculos imitãtur, qui verò lapides, ex terra Chymicorum seu uxore Deucalionis seu mercurii proveniunt, paucum habent calorem, & fœminas imitãtur, & frigidæ sunt naturæ, & proptereà terræ sequuntur naturam & essentiam: Sic ex mercurio & uxore sua reparatur lapidum Chymicorum omne genus, seu sulphurum alborũ & rubeorum, quæ naturas & essentias masculorum & fœminarum æmulantur. Et sic populus Chymicorum dici potest restitutus & reparatus. Sicque sub hoc duro fabularum cortice, Chymici antiqui sua secreta & arcana occultabant vulgo, sapientibus verò manifestabant & reserabant.

Aquarius quid apud Chymicos.

De Piscibus 33. firmamenti sydere, quid sint, & quid influant.

CAP. XXII.

Piscis astrũ quid.

PIsces sunt ultimum Zodiaci signum, & trigesimum tertium firmamenti sydus & astrum, & est lumen naturæ ex massa prima materiæ mundi sursum elatum, ac sublimatum, & firmamento affixum, & in stellas triginta quatuor divisum ac distinctum, magnitudinis tertiæ, duas habens stellas, quartæ verò viginti & duas, quintæ tres, sextæ verò septem, informes etiam habet quatuor stellas, & quartæ magnitudinis omnes, Mercurii & Jovis, Saturni & Veneris virtutes & proprietates terris effundentes, & præsertim Mercurii, cuius potissimùm naturam imitantur omnes huiusce constellationis stellæ, undè humiditates, pluvias & imbres terris effundunt, hinc frigidum & humidum est hoc astrum, & frigiditatem & humiditatem impertit, & perindè sterilitatem, & nihil nisi fœnum & herbam pratensem progignit in hominibus verò defluxiones & catarrhos arthriticos dolores, & tormina ventris, & colicum dolorem. Præterea facit avaros, jocosos, officiosos, lusores, negligentes fortunæ, probæ indolis, propter humiditatem amantes bonorum consortia, procacis linguæ, audaces, fortunatos in pervestigandis thesauris, & rebus occultis. Partim etiam ab alienis ditantur, non diu vivunt nisi annum excesserint trigesimum quintum, tunc enim temporis possunt diu vivere, quia humorum copia tandem illo tempore domatur, & diminuitur peraucto calore nativo adolescentiæ & virilitatis, fœminæ verò & puellæ, quæ subjacent huic signo, sunt fervidæ, audaces, insolentis linguæ, contumeliosæ, litigiosæ, multis etiam circundatæ periculis, impudentes & adulteræ, nisi virtute corrigantur, & cohibeantur, & molestantur torminibus ventris & stomachi.

Pisces quid influant.

Hominibus ex piscibus quid contingat.

Cur Pisces in astrorum numerum sint relati, & quid eorum fabella Chymice portendat.

CAP. XXIII.

Pisces cur inter astra relati.

PIsces in flumine Euphrate fuère, & ibi ovum invenerunt miræ magnitudinis, quod volventes ejecerunt in terram, atque ita Columbam insedisse, & post aliquot dies exclusisse eam Syriæ, quæ vocatur Venus, maximéq; misericors ad homines pertinebat, quæque multa quæ ad utilitatem hominibus verterentur, ea dicitur invenisse, quam quoniam Iupiter sæpius à Mercurio laudari nominariq; audiret, quòd in Deos religiosa, in homines officiosa, diligenter fuit rogata à Iove, quod sibi optanti tribui postularet. illa petiit ut Pisces, qui suam originem servassent, immortali præmio afficerentur. Iupiter in duodecim signis Pisces, syderum splẽdore docoravit.

Pisces

Pisces apud Chymicos. Pisces verò apud Chymicos sunt sulphura chymica quæ insunt Mari nostro, seu aquæ Mercuriali, hæc verè dicuntur Pisces ab omnibus Chymicis miræ pinguedinis, è qua fit collirium Philosophorum, ad oculos omnium Chymicorũ persanandos, ut perspicacitate visus polleant, totamq; naturam videant nudam, *Piscis fabula explicatio* hos Pisces Chymici inveniunt in aquis suis, quibus innatant, Ovumq; miræ magnitudinis, foras ejiciunt, hoc est, Lapidem album, qui verè ovum dicitur apud Chymicos, apparere faciunt: accipite, inquiunt, ovũ nostrum, & gladio percutite igneo. Hi ergò Pisces inveniunt ovum istud, & ab aquis ejiciunt in terras, hoc convertunt in terram albam & fixant, & hoc est in terram ejicere, deinde à columba excluditur, hoc est à tenuissimo & levissimo igne pficitur, unde enascitur venus Siria, hoc est lapis noster albus, in Deos & homines multa & religiosa & commoda agens, ita ut à Iove ipso impetret, Quod Pisces hi qui suam servarunt originem immortalitate donentur, & in astrorum numerum referantur; sunt enim vera Chymicorum astra, à quibus miros & potentes recipiunt radios & influxus, ut terra eorum fœcundetur, & humiditate radicali impregnetur, quâ res omnes naturales ultimam consequũtur perfectionem, undè non immeritò cœlum merentur, & in cœlestium consortio collocari habent.

DE CONSTELLATIONIBUS SINGULIS, QUÆ IN firmamento reperiuntur & à Zodiaco ad polum australem vergunt, quo lumine constent, & quâ virtute vigeant.

SECTIO TERTIA.

De Ceto 34. firmamenti sydere, quid sit, & quid influat.

CAP. I.

Cetus est trigesimum quartum firmamenti sydus, & ad Polum australem vergens, & est lumen naturæ ex massa prima materiæ mundi sursum elatum, ac sublimatum, & huic parti firmamenti collocatum, ac in viginti & duas stellas divisum, ac separatum, magnitudinis tertiæ decem habens stellas, quartæ octo, quintæ quatuor, per hanc Firmamenti partem distributas, & omnes sunt virtutis Saturni, unde Saturnus solus viget in hoc sydere, & quicquid influit, Saturni sapit naturam & essentiam: hinc terris infunditur per radios & influxus huius astri, humoris cruditas frigiditas & siccitas, unde sterilitas, & fructuum tarditas & paucitas, & eorum cruditas, & acerbus eorum sapor, homines verò qui subjiciuntur huic syderi, sunt tardi, pallidi, melancholici, pauca loquentes, sed semper mala meditantes, ad omnia nefaria perpetran-

Cetus astrũ quid sit.

Cetus quid influat terris.

Homines ex Ceto quales.

petran-

petranda consultissimi, ad expugnãda castra, Civitates & oppida, ad instituendas proditiones & bellorum acies, hæc omnia solitarii agunt, lugentes ac mœrentes, nihil scelestum est, & facinorosum, quod ipsi nõ audeant, in cibo tamen & potu parci sunt admodum: semper irrequieti, semper solliciti & semper in laboribus, mens enim humana in tali temperamento valdè sollicitatur ad hæc omnia, non tamen cogitur, sed libera manet, & innatâ suâ virtute ad contraria ferri potest, & ad facinora præclara, & virtute clara deferri potest.

Cur Cetus in astrorum numerum relatus sit, & quid ejus fabella Chymicè portendat.

CAPUT II.

Cetus cur inter astra relatus.

CEtus inter astra collocatus est ab ipso Jove, ut memoria Persei Andromedam liberantis ab ipso cœlo, perpetua foret, missus enim dicitur Cetus hic (ut suprà vidimus capite de Andromeda & Cassiopæia) à Neptuno propter invidiam Nereidis, à quâ contra Cassiopæiam & Andromedam exardescebat propter nimiam pulchritudinem, huic Ceto, ut vidimus, Andromeda exposita fuit, & à Perseo liberata, hinc Cetus intra astra collocatus est, ad perpetuam Persei memoriam, superiùs hanc fabellam explicavimus, nihilominus, cùm de Ceto pauca dixerimus, hîc libet fusiùs explicare, quid Cetus iste sit apud Chymicos, ut tota Chymia inter astra ipsa explicetur: Andromeda ergò, & Cassiopæa ad materiam spectant Chymicam, Cetus verò, cui exponitur Andromeda, calor est putredinalis, beneficio cujus totum compositum Chymicum putrefit, & per putrefactionem hãc, ad generationem sulphuris albi nostri devenitur, & sic dicitur Andromeda Ceto nostro exponenda: sulphur enim nostrum nisi corruptioni & ceto exponatur, perfici non potest, nec à Perseo liberari, Cetus ergo valdè est necessarius ad arcana Chymica peragenda, sine enim ipso perfici non possunt, corruptione enim non præcedente, non subsequitur ulla generatio. Quare Cetus corruptionẽ in arcanis Chymicis denotet, satis clarum est, & manifestum cuilibet rimanti naturam Ceti, & corruptionis, Cetus enim grande animal est marinum, Piscis genus, quod ex mari nascitur, devorans omnes pisces, & reliqua cuncta, quæ in mari reperiuntur, corruptio item nascitur ex humiditate & calore, calor siquidem in humidum agens parit corruptionem: sic mare calidum & humidum propter salsecinem Cetos generat prægrandes, qui piscium omne genus devorat, sic & corruptio ex caliditate & humiditate procreata devorat omnia, quæ in ipsa humiditate enascuntur, & sic Cetus corruptio interpretatur.

Cetus apud Chymicos quid.

Corruptio cur Cetus dicatur.

Ff De

De Orione 35. firmamenti sydere, quid sit & quid influat.

CAPUT III.

Orion quid sit.

ORion potissimùm astrum in firmamento, est ejus sydus trigesimum quintum, & est lumen naturæ sursum elatum ex massa prima materiæ mundi, & firmamento affixum, & in eo in stellas triginta & octo divisum ac separatum, magnitudinis primæ duas habens stellas, secundæ quatuor, tertiæ octo, quartæ quindecim, & quintæ tres, sextæ quinque, & nebulosam unam habet, quæ in capite ejus residet, & est Martis naturæ & qualitatis, sequens verò est mercurii virtutis, reliquæ verò omnes subsequentes sunt Saturni & Jovis qualitatis & proprietatis, undè Terris & Regionibus & Provinciis quæ subjacent Orioni, imbres & pluviæ copiosæ adsunt propter Saturni & Jovis proprietates, quæ imbres & pluviosos tempestates congerunt, ob naturam suam humidam & frigidam, ob id fructus, qui humiditate copiosa gaudent, copiosos producunt, animalibus omnibus, quæ tali natura & temperamento congaudent, summoperè favent & præsto sunt illis auxilio.

Orion quid influat.

Homines verò qui huic astro subjacent fortunati satis, cùm sat prudentes, non multum salaces & Venereis voluptatibus dediti, sed temperati, fortes & magnanimi satis, vitæ longæ, laboriosi, ardeliones & invidi, scientiarum cupidi, & præsertim occultarũ, ut Alchymiæ, Astrologiæ & Magiæ, calidum enim innatum & humidum primigeniũ, quod effunditur ab istis stellis in hominibus, multum sulphuris & salis habet, ratione quorum principiorum firmitas & constantia in actionibus reperitur, undè præcedẽtes animi virtutes & vitia subsequuntur, quid enim non potest boni & mali, firma & constans, ac perennis agendi facultas, sed de his fusiùs, cùm de Planetis singulis agemus.

Homines ex Orione quales.

Cur Orio inter astra locatus sit, & quid ejus fabella Chymicè portendat.

CAPUT IV.

Orion cur inter astra relatus.

ORion fuit Neptuni & Eurialis filius, cui dono datum est à Neptuno, ut super fluctus ambularet, veluti super terram. Qui cum Chium venisset, Meropem Oenopionis filiam compressit, quem Oenopion ob injuriam obcæcavit, & de finibus suis expulit, ipse cùm Lemnum venisset, à sole dicitur ei lumina restituta esse, & reversus est ad Oenopionem, qui cùm à civibus in terra absconderetur Oenopion, desperatâ ejus inventione, Cretam est profectus, ubi cùm immodicè venaretur, & à Diana corriperetur, ait se nullam feram in terris relicturum: Tellus indignata, scorpionem mirę magnitudinis extulit, qui ejus loquacitatis & magniloquentiæ pœnas sumeret: Jupiter autem ob virtutem, eum

eum inter astra retulit, & Dianæ rogatu, scorpionem pariter inter astra collocavit, sunt & aliæ vanæ & inutiles Orionis fabellæ, quam de ipso Orione narrat antiquitas, sed quam attulimus sufficit, ad arcana Chymica nostra reseranda: Orion ergò noster filius Neptuni & Eurialis est sal noster, qui nascitur ex aquâ nostrâ & terrâ nostrâ, huic dono datum est ab ipso Neptuno, ut super fluctus aquarum ambularet, veluti super terram: hic enim sal super aquas graditur, nec his submergitur, at velut insulas facit super ipsam aquam Mercurialem, hic cùm Chium venit, hoc est cùm facit Insulam super ipsam aquam Mercurialem, tunc temporis Meropem Oenopionis filiam comprimit, hoc est, coagulat & fixat aquam Mercurialem Oenopionis seu sulphuris nostri filiam, ob quam rem sulphur nostrum seu Oenopio obcœcat, & lumine privat Salem hunc, hoc est obtenebrat, & lumine omni privat, hoc est obscurat & nigrum facit, & è Regno suo expulit, hoc est ex qualitate & virtute sua ipso coagulatur in insulã, & hoc est Lemnũ venire, ubi firmius & constantiùs adhæret, & à sole lumina restituta recepit hoc in insula illa Lemnos dicta, quòd ibi sol & luna vigeant, sive sulphura nostra jam incipiant oriri & apparere, & claritatem & lumẽ ostendere, sic Orion obcæcatus & obtenebratus in insula Lemnia, à sole recipit lumen, hoc est incipit recipere perfectionem & claritatem luminis sulphuris albi, & incipiunt apparere oculi piscium, undè verè Orion recipit lumen, indè reversus ad Oenopionem, ut vindictã de eo sumeret, occultatur Oenopio, seu sulphur nostrum in terram suam, & Orionis pœnas effugit, hoc est salis istius virtutem & efficaciam, cùm sit in terra clausũ, effugit: undè sal nostrũ Cretam proficiscitur, hoc est in aliam insulam firmiorem & constantiorem, & grandiorem permutatur & coagulatur, ibi feras omnes persequitur venatu & occidit, hoc est aquæ mercurialis portiunculas, quas, inquam, feras venatu persequitur, & capit seu coagulat & fixat, & sic omnes terræ feras se gloriatur occidi posse, quâ re indignata terra, scorpionem mittit, & Orionem occidit, hoc est terra iterum aquam & vaporem de se mittit, & salem nostrum Orionem dictum iterum dissolvit, & sic ipsum occidit & putrefacit vaporibus suis humidis, qui veri sunt scorpiones, qui Orionem occidunt, & sic Orionis nostri fabula Chymicè interpretatur.

Orion apud Chymicos quid.

De fluvio sive Erydano 36. firmamenti sydere, quid sit, & quid influat.

CAPUT V.

Erydanus astrum quid

ERydanus trigesimum sextum firmamenti sydus est, & lumen est naturale, ex prima massa materiæ mundi sursum elatum ac sublimatum, & firmamento affixum, & in stellas triginta quatu-

or divisum, ac distinctum, primæ magnitudinis unam habens stellã, tertiæ verò magnitudinis quinque habens stellas, quartæ verò viginti septem, quintę verò unam, per hanc firmamenti plagam distributas: Sũt autem omnes Saturni & Jovis virtutis & qualitatis, & imitatur Cephei virtutes & energias, & tamen non producit in plagis his australibus eadem & similia, ac Cepheus in Septentrionalibus, Australia siquidem distinguuntur omninò à Septentrionalibus, cujus rei eventu, cogor asserere, cùm terra sit omnino diversa, variaq; producat in australi plaga, Cœlum etiam esse diversum ac varium in australi parte: Sunt etiã quàm multæ stellæ, & ferè infinitæ, quæ nobis nõ notæ sunt, nec antiqui noverunt, quarum stellarum virtus nõ vana nec sterilis esse censetur. Galileus nobis jam stellas illas, imo planetas novos patefecit suis perspicilis oblongis, quibus totum cœlum apertum habemus, & quod occultũ in eo antiquitus fuit, jam clarum & manifestum est: itaque cùm in Erydano fluvio nostro, nihil nisi *Saturni* & Jovis sapiens ac redolens virtutes conspiciatur, & tamen rara, & inaudita conspiciantur enata in Terris ac Provinciis, quibus Erydanus noster dominatur, censendum est plures inesse alias stellas diversarũ virtutum, etsi non conspiciantur, quarum virtutum permixtione varia & rara in terris illis producuntur, nihilominus ex apparentibus, producitur in terris, constans & firmus calor naturalis in rebus omnibus, cùm radicali multa humiditate, undè fructus copiosi, & diu durantes, nec corruptioni obnoxii: homines autẽ virtuosi & laboriosi, justitiam amantes & virtutes omnes, & præcipuè pietatem erga Deos, & religionem, sunt etiam acuti ingenii, & scientiarum & artium cupidi, & agriculturam amantes & exercentes.

In Cœlo quamplures sunt stellæ quæ non possunt videri.

Erydanus quid influat & homines quales ex Erydano.

Cur Erydanus inter astra lucetur, & quid ejus fabella Chymicè indicet.

CAPUT VI.

Erydanus cur inter astra locatus.

FErtur Erydanum inter astra collocatum fuisse, propter Phaëtonta, solis & Clymenis filium, qui patris currum ascendisse dicitur, cumq; sublimius extolleretur, & cœlum orbemq; universum combureret, in Erydanum fluviũ cecidit, à Jove fulmine percussus, ex quo omnia flagrare cœperunt, & causa extinguandi universos amnes immissos esse, omneq; mortalium genus interiisse, præter Pyrrham & Deucalionem, & sorores Phaëtontis, quę flentes in arbores Populos mutatæ sunt, lachrymæq; earum in electrum duratæ dicuntur, Heliadesq; appellatæ. Hæc fabella chymicam veram continet historiam: dùm enim in compositione lapidis chymici, Mercurius excoquitur, Phaëton qui ignis elementaris est, terræ & solis filius, currum ascendens patris sui, hoc est conducere

Explicatio Phaëtontis fabula

cere volens calorem illum temperatum solis, quo percoqui debet arcanum istud, altiùs & sublimius se extollens ignis iste, omnia comburebat, cujus incendii extinguendi causâ, sol ipse qui est calor naturalis ipsius arcani fulmine percussit calorem hunc præter naturam, hoc est excandefactus est ipse calor naturalis, & calor præter naturam, seu Phaëton præcipitatus est in Erydanum fluvium, hoc est occultatus est in aquam Mercurialem, quæ Erydanus verus est fluvius, in quem fluvium præcipitatur calor ille præter naturam, hoc est se immiscet huic aquæ, undè omnia comburuntur & devastantur adaucto illo calore præter naturam, præter Pyrrham & Deucalionem, hoc est præter duo nostra sulphura, masculi & fœminæ vices agentia, & sorores Phaëtontis, quæ in populos arbores permutantur, & lachrymæ earum in electrum: quæ omnia sunt Salis species, quæ incorruptibiles sunt, & incendium istud non timent, sed in Salem electri colorem habentem permutantur, & in populos arbores, hoc est in viriditatem quandam, cujus ratione in actiones dicuntur permutari. Sic Erydanus noster ratione Phaëtontis inter astra collocatur.

De Lepore 37. firmamenti sydere, quid sit & quid influat.

CAPUT VII.

Lepus astrũ quid sit. LEpus trigesimum septimum firmamenti sydus, nihil etiam aliud est, quàm lumen naturæ ex massa prima materiæ mundi sursum elatum ac firmamento affixum, & in duodecim stellas divisum ac distinctum, Mercurialis virtutis & qualitatis, & magnitudinis tertiæ, quartæ & quintæ, multum agit in terras australes, & in Zona temperata australi fructus producit copiosos, succulentos, & optimi saporis, campos facit amœnos, arboribus plenos & nemorosos propter humiditatis copiam maximam, quam inducit, quâ omne arboris genus delectatur & gaudet, homines autem qui subjiciuntur huic syderi, sunt hilares, jucũdi, jocosi, ardeliones, artes omnes callentes, & omnia scire volentes, laboriosi admodum sunt, & nunquã quiescentes, disciplinarum cupidi, diserti & eloquentes propter temperatum calidum innatum, & humidũ primigenium, quod inducit rebus omnibus suis radiis & influxibus, ex eo siquidem tali temperamento hæc dona naturalia exsurgunt, & anima rationalis, quamvis divina, hocce temperamento immixta eo cogitur uti, tanquam organo, ut suas exerceat functiones, quæ absque temperamento, ex consensu Medicorum omnium & Philosophorum, in actũ reduci non possunt, undè cùm temperamentum dependeat naturaliter ex influxu cœlestium corporum, & actiones animæ rationalis naturales dependeant ex temperamento, hæ etiam actiones quodammodo dependere videntur ex illo influxu cœle-

Lepus astrũ quid influat

homines ex lepore astro quales.

Qua ratione anima

actiones dependeant ex astris.

cœlestium corporum, non tamen absoluta necessitate ita dependent, ut aliter agere nequeant, sed cùm libera omninò persistat, in omnibus suis actionibus peragendis, ita libera dependet ab his astrorum influxibus, nec ullo pacto cogitur ad actiones suas, sed liberè semper agit.

Cur Lepus inter astra locetur, & quid ejus fabella Chymicè significet.

CAPUT VIII.

Cur Lepus inter astra locatus.

LEporem nonnulli à Mercurio inter astra locatum asserũt propter nimiam velocitatem, sive quod inter quadrupedes, plures pariat, & quosdam fœtus pariat, quosdam verò in ventre habeat, ut ipsemet Aristoteles testatur *libro suo de animalium generatione.* Lepus autem inter astra collocatus est apud Chymicos, quòd Mercurium repræsentet, est etiam sydus istud naturæ Mercurii & qualitatis, propterea prolificus admodum est lepus, cum sit mercurialis, Mercurius siquidem est principium generationis, humiditas enim illa radicalis generationem facit in rebus omnibus: meretur autem principium generationis inter astra locari, cum & generatio verè dependeat ab astris, principium siquidem generationis ab astris est, quòd Mercurius seu humiditas radicalis, in qua radicatur generatio, ab astris descendat, Lepus autem cum valdè prolificus, & multos pariat fœtus ideò principium istud generationis verè repræsentat, & significat, undè non immeritò ab antiquis inter astrorum numerum collocatus est, & ad partem australem collocarunt, quòd hæc pars fœcundior sit reliquis cœli partibus.

Lepus cur sit virtutis Mercurialis.

Principium generatio-nis cur ab astris.

De Cane maiori 38. Firmamenti sydere, quid sit, & quid influat.

CAPUT IX.

Canis astrũ quid sit.

CAnis major est trigesimum firmamenti sydus, & est lumen naturæ ex massa prima materiæ mundi sursum elatum & firmamento affixum, & in octodecim stellas divisum ac separatum, magnitudinis primæ unam habens, tertiæ quinque, quartæ quinque: Quintæ verò magnitudinis habens septem, extra verò suam imaginem & formã, quæ informes dicuntur, habet undecim: Secundę magnitudinis duas, quartæ novem: Prima illa stella, quæ in ore Canis majoris sita est, est Jovis & Martis virtutis & qualitatis, reliquæ verò stellæ omnes sunt veneris virtutis & proprietatis, unde Canis iste ferventissimum calorem & acrem rebus omnibus impertit, unde perniciosus est, pestilens ac morbosus propter adurentem ejus calorem, & fervorem: Unde à prudentissimo astrorum conditore, superadditæ sunt aliæ quamplures stellæ, veneris qualitatis & conditionis: et alia sydera circũposita Mercurii

Canis quid influat.

curii qualitatis & proprietatis, ad fervorem illum, & calorem aerem temperandum, undè sæpius exoritur, ut Cane vigente, Ethesiæ vigeant, qui sunt venti Orientales & Septentrionales, frigidi & grati, qui tunc temporis perflant, & aerem temperant, & ab ardenti canis fervore vindicant, & hos ventos, non ab ipsa Canicula, seu stella illa primę magnitudinis exoriri certum est, sed ab aliis stellis quæ sydus istud cōponunt, & quæ sunt alterius qualitatis & conditionis, hoc sydus fructus maturat, & accelerat, & homines cholericos facit, & promptos ad iras, sed pulchros, sed amabiles, & voluptates amantes venereas, inconstantes & lenis voluntatis.

Ethesiæ cur vigeant cane vigente.

Homines ex cane astro-quales.

Cur Canis maior inter astra locetur, & quid eius fabula Chymicè significet.

CAPUT X.

Canis maior cur inter astra.

HIc canis dicitur major, quòd plures habeat stellas, quàm minor, de quo hæc fabula narratur. Icarus à Libero hospitio receptus est, qui ei utrum vino plenum dono dedit, jussitque ut illud per terrarum orbem distribueret, Icarus deinde cùm in terram Atticam deveniret, posteris hoc suavitatis genus tradidit, Pastores verò cùm immoderatius biberent, ebrii facti conciderunt, hi autem cùm arbitrarentur, Icarum sibi malum medicamentum dedisse, eum fustibus interfecerunt, Icaro autem occiso, canis, qui cum eo fuerat, Nerea nomine ululans, Erigonę ejus filiæ monstravit, ubi pater insepultus jaceret, quò cum venisset ejus corpus sepelivit, ipsaque se in montem Hymettum contulit, ubi se laqueo suspendit. Tunc dicitur Liber à Jove petiisse ut Erigonem & Icarum in Deorum numerum adnumeraret, Jupiter autem ejus petitione auditâ, Erigonē signū Virginis nominavit, Icarum autem patrem ejus Arcturum, Canis autē Icari, qui ululans, ante pedē pendētis Virginis mortuus est, Astricinon nominatur, & est canis noster major. Canis verò noster apud Chymicos Mercurius est, qui semper sequitur suum sulphur tanquā fidelis suus canis, hoc sulphur Icarus est, qui à Libero receptū est hospitio, hoc est, se associavit alteri sulphuri, quod illi liquorem gratissimū dono dedit & jussit, ut tantum donum toti terrarū orbi communicaret, hoc fecit Icarus, seu sulphur nostrum, accepto liquore ab alio sulphure nostro, non possunt siquidem sulphura nostra liquorem convenientem profundere, nisi jungantur invicem, & hospitio se ipsos recipiant, tunc temporis Liber qui noster est præcipuus materialis Mercurius, qui aliàs sulphur dicitur, liquorem tradidit Icaro nostro, qui toti terræ communicat, undè pastores ebrii facti, cum nimis liquore illo se ingurgitaverint, hoc est spiritus terræ nostrę ebrii facti, hoc est moti & concitati ad furorem

Canis maior apud Chymicos quid.

rem

rem & violentiam, Icarum nostrum interfecerunt, hoc est ex motione illa & concitatione spirituum mortuum est sulphur Icarus dictus, Canis verò ejus sive liquor peculiaris ejus sulphuris, ululans Erigonæ nunciavit mortem patris, & ubi jaceret insepultus indicavit, hoc est indicavit Sali, qui est tanquam Erigona filia sulphuris, qui patrem suum sepelivit, & terræ mandavit, ipsum occultando, deindè Sal ipsum se ad mortem contulit, hoc est se sublimat, & iterùm se præcipitat, & sic laqueis suismet, dùm filamenta & strias facit in vase ipso, sibi mortem dat, hoc est fixatur omninò & coagulatur, & deindè hæc omnia in astrorum numerum referuntur, hoc est fiunt arcana potentissima & efficacissima veluti vera essent astra.

De Cani minori 39. Firmamenti sydere, quid sit, & quid influat.

Caput XI.

Canis minor quid.

CAnis hic minor 39. Firmamenti sydus nihil aliud est, quàm lumen naturæ ex massa prima materiæ mundi sursum elatum & sublimatum in illam Firmamenti partem, & ibi in duas tantùm stellas divisum ac distributum, quarum prima est quartæ magnitudinis, secunda verò est primæ magnitudinis, efficax admodum & potens, Mercurii & Martis naturæ, fœcunditatem maximam infundit terræ, propter succulentum humidum radicale coctum & maturum, quod efficit rebus in omnibus, per radios suos ardentes & furentes, Mercurii tamen humiditate vitali temperatos, Sol nobis cum hoc sydere conjunctus calores ingentes impertit, venti tamen gratissimi ex parte & beneficio Mercurii perflant aerem, qui nobis calorem hunc exedentem temperant ac reprimunt, & nonnunquam pluviæ & imbres, quarum ope Caniculæ ardor moderatur, nihilominus febres excitat ardentes & pestilentes affectus, & prę sertim his in Regionibus, quibus dominium habet, ubi Martiales & bellicosos constituit homines, fœdifragos, & inconstantis voluntatis, disertos tamen & eloquentes, & artium omnium cupidos, laboriosos & inquietos.

Canis minor quid influat, & quales homines fiant ex Cane.

Cur Canis minor inter astra locetur, & quid ejus fabula Chymicè portendat.

Caput XII.

Cur Canis minor inter astra relatus.

CAnem hanc asserunt nonnulli Europæ fuisse, quæ Europæ cum Dracone custos data est, quam postea Minos, & eandem postea ob medicinæ causam Procridi dono datam fuisse, quam postea Cephalus vir Procridis possedit, qui eam ad Thebas duxit, ad vulpem Thebanorum agros infestantem, cui Cani fatum erat, ne ab ullo posset interfici, itemque Vulpi, Jupiter verò Vulpem in lapidē convertit, & canē inter astra collocavit, quâ fabellâ indi-

Explicatio fabellæ Canis.

indicant antiqui apud Chymicos Mercurium esse, qui custos est Europæ unà cum Dracone, hoc est lapidis albi, unà cum sale, Mercurius siquidem unà cum sale suo custodit lapidẽ nostrum albũ, quem Europã superiùs explicavimus, hic etiã Mercurius datur Minoï, Procridi & Cephalo, hoc est sequitur sulphura omnia Chymicorum, quæ ex nostra terra oriuntur, quæ cũ varia sint & diversarum virtutum diversorũ etiam nominũ efferuntur titulo, nunc Minois, nunc Procridis, nunc Cephali nominibus insigniũtur, propter diversas rationes, ex ipsorum Ethymologia desumptas, tandem datur Thebanis ut vulpes Thebanorũ campos devastans capiatur & occidatur, datur tandem his Canis sive Mercurius Thebanis, hoc est metallis, ut Vulpes hoc est sulphur corrũpens, & destruens & impediens perfectionem metallicam destruatur, cùm autem huic Cani, & Vulpi fato datum sit, ne interfici ab ullo possint, Mercurius siquidem Chymicorum perfectus & absolutus interfici nõ potest, nec item metallorum sulphur corrumpens ac destruẽs, Iupiter Canẽ in astrorum numerum refert, & Vulpem in lapidem cõvertit, dum enim metalla imperfecta trãsmutantur in aurum vel argentum, illud sulphur corrumpens ac destruens, in scoriam lapideam convertitur: & Mercurius in verum aurum aut argentum, quòd verè est in astrũ converti, cùm in solem & Lunam convertatur.

De Argo sive Navi 40. Firmamenti sydere quid sit & quid influat.

CAP. XIII.

ARgo sive Navis quadragesimũ Firmamenti sydus nihil aliud est, quàm lumen naturæ ex massa prima materiæ mundi sursum elatum, ac sublimatum, & Firmamento affixum, ac in stellas quadraginta quinque divisum, & separatum, magnitudinis primæ unam habens stellam. Secundæ sex, tertiæ octo, quartæ viginti & duas, quintæ septem, sextæ unam, quæ in illam Firmamẽti partem distribuuntur, ut agant in terras, & per influxus suos virtutes suas communicent, quæ sunt Saturni & Iovis tantùm, & præcipuè illa penultima primæ magnitudinis, quæ in temone Navis sita est, & collocata maximè lucens, & splendens, hæc potissimùm stella virtutes Saturni & Iovis terris infundit, terrasque fœcundas facit & omni fructuum genere copiosè turgentes ob abũdantiam humidi radicalis, quod producit in intimis terrę poris, quod deindè sursum attollitur, tùm calore centrali terræ, tum calore australis solis, & Planetarum reliquorum, qui virtute attractrice, quammaxima vigent, ut calorem illum vivificum internum terræ, quem ipsi produxerant, foris attrahant ad superficiem terræ, ut omnia mixta nutriantur, & con-

Navis astrũ quid sit.

Navis quid influat.

Gg

& conserventur, & ut ad germinationem & prolem excitentur, undè fertilitas emergitur, & simili humidi radicali copioso, quod infunditur ab isto nostro sydere, vivaces fiunt homines longioris vitæ, cùm ex Saturno & Iove temperatissimum exsurgat in hominibus temperamentum, & fortissimu̇, & inde fiunt homines pii, justi, virtutem amantes, artium cupidi, & agriculturæ, laboriosi, & pigritiam fugientes, omni quâ possunt industriâ, divitiarum, & opum cupidi, non tamen avari, sordidi, seu ex virtute liberales.

Homines quales fiant ex navi astro.

Cur Argo sive Navis inter astra collocata sit. & quid eius fabula inter Chymicos indicet.

CAP. XIV.

Navis Cur inter astra.

NAvim hanc inter astra collocatam ferunt nonnulli, Minervæ beneficio, quòd ab ea fabricata fuerit, & Mare, quod antea invium hominibus fuerat, pervium suo ingenio fecerit, quam notatam in cœlo figuravit, à gubernaculis usque ad malum hæc Navis Jasonem, cæterosque Heroës, ad vellus aureum cōsequendum, Colchydem versùs advexit, & reduxit, & per indè ad astrorum numerum referri meruit.

Argo quid apud Chymicos.

Navis hæc apud Chymicos Mercurium Chymicum indicare potest, cùm mercurius sit vera Navis, beneficio cuius Heroës illi primi Chymicorum vellus aureum consequuti sunt, sine enim mercurio, non posest ullo modo tantum naturæ arcanum possideri, ut multis in locis probatum est, & omnes asserunt Philosophi: Itaque vera Argus est Mercurius, quâ primi homines Mare Colchicum invium antea, pervium fecerunt.

Minervam navim invenisse quid

Minerva prima fuit, quæ hanc navim excogitavit, & hominibus tradidit, scientia siquidem quæ vera Minerva est, Iovis filia, hunc Mercurium prima, in natura ipsa adinvenit, & hominibus tradidit, alioquin enim adinveniri non potest Mercurius noster, nisi ab ipsa Minerva, Minerva sola est, quæ Mercurium hunc adinvenire potest, cùm ipsa intima, & penetralia naturæ verè calleat & sciat.

De Hydra 41. Firmamenti sydere, quid sit & quid influat.

CAP. XV.

Hydra astrū quid.

HYdra super cuius caudam Cervum sedere dicunt, & in medio urnam collocatam confirmant, est signum in Australi parte positum, cuius caput ad Cancrum vergit, cuius sinuosi corporis medietas est sub Leone, & cauda ad Centaurum usque pertingit, super quem sedet Corvus, sic describunt Hydram Astrologi, nos verò essentialiter dicimus & asserimus esse lumen naturæ, ex prima massa, materiæ mundi sursum elatum, & sublimatum, ac in ea Fir-

Firmamenti parte collocatum, & in stellas viginti quinque divisum, & separatum, magnitudinis secundæ unam habens, tertiæ tres, quartæ novendecim, quintæ unam, sextæ alteram, habet & alias informes stellas, quæ extra eius figuram & imaginem collocantur, duas numero tertiæ magnitudinis & virtutis Saturni & Veneris, ut & aliæ omnes stellæ, quæ eius figuram constituunt, sunt virtutis & proprietatis Saturni & Veneris, & eandem terris communicant virtutem & energiam, ac Navis Argus antea descripta. Et hæ constellationes inter se parum differunt in virtute & proprietate agendi, nisi quòd Hydra plus Saturni possideat virtutis & energiæ, quàm Argus: Hydra siquidem parum veneris infundit, proprietates, & multum Saturni, Argus verò nostra æquales habet Saturni & Veneris proprietates & energias, & sic quodammodo differunt Argus & Hydra: Hydra Saturniores habet homines, Argus jucundiores, & ad hominum societatem aptiores, Hydra crudeliores, Argus humaniores. Hydra terram facit ficciorem & aridiorem, Argus verò humidiorem, & fertiliorem & calidiorem ob Veneris virtutes & influxus, qui prævalent in Argo seu navi nostra.

Homines ex Hydra quales.



Cur Hydra inter astra collocata sit, & quid eius fabula Chymicè indicet.

CAP. XVI.

HYdram inter astra collocatam ferunt ratione Corvi, qui in tutela Apollinis erat, à quo missus ad fontem, ut Diis ad libandum aquam deferret, qui cum vidisset arbores Grossos ficus habentes, volans consedit in eis, donec maturæ fierent, & aquam deferre distulit, paucos autem post dies, cùm ille ficus comedisset, & se diis peccasse sensisset, iterum ad fontem, ut aquam hauriret, rediit, & ab Hydra exterritus vas vacuum reportavit, dicens, exsiccatum fuisse fontem. Cùm autem Apollo sibi peccasse Corvum cognoverit, prohibuit eum illo tempore aquam bibere, ut ipse corvus peccati pœnas daret, qui postea inter astra collocatus est, Crater autem in medio angue positus, caudam autem anguis corvus appetit rostro, neque potest accedere ut bibat. Hæc fabella primo intuitu, & ex litera ipsa, ridiculosa est, at suo risu meram continet sapientiam, Hydra siquidem est Sal nostrum, quod in fonte nostro residet, Corvus autem qui mittitur ab Apolline ut aquam deferat Diis, est color ille niger in lapide nostro apparens, toties ab Antiquis decantatus & corvus dictus,

Hydra cur inter astra locata.

Hydra quid sit apud Chymicos.

dictus, qui mittitur ab Apolline, seu sulphure nostro, quod & Apollo dicitur, Corvus ergò mittitur ad fontem ab Apolline, id est materia nostra nigra, quæ Corvus dicitur, dissolvitur, & sic ad fontem mittitur, at ille cùm videt arbores Grossos habentes ficus, volans consedit in eis, donec maturæ fiant, & ipsas comedit, hoc est dum materia incipit coagulari in pelliculas quasdam, aquæ innatantes, corvus ipse in eis consedit, & donec maturæ fiant expectat, & vorat, hoc est illæ pelliculæ, iterum dissolvuntur, & sic comeduntur à corvo, & fundum petunt materiæ nostræ, Corvus deinde memor mandati Apollinis, redit ad fontem, hoc est, iterum dissolvitur, & exterritus ab ipsa Hydra, hoc est à Sale nostro, iterum coagulatur, & aquam seu fontem desiccatum Diis denunciat, hoc est sulphuribus, Apollo verò, ut corvus pœnas sui peccati luat, prohibet corvo, ne unquam bibat, oportet siquidem ut arcanum nostrum, tunc temporis privetur omni potu, & persistat in coctione, donec omninò figatur, absque potu, sic Hydra, sic corvus, sic crater, & ea omnia quæ faciunt ad arcanum peragendum, ad astra referuntur.

Corvi fabulæ explicatio



De Cratere sive urna 42. Firmamenti sydere, quid sit, & quid influat & terris communicet.

CAP. XVII.

URna hæc lumen etiam est naturæ, sursum elatum ac sublimatum ex materia prima mundi, quæ lumine creato actuata fuit, ex qua materia reliqua omnia mundi facta fuére, & cœlestia lumina emersêre. Sic Urna nostra emergit ex illa massa prima materiæ mundi, in septem stellas divisa ac separata fuit, magnitudinis quartæ omnes, & virtutis ac proprietatis Veneris, & parum Mercurii, unde terris infundunt humiditatem radicalem quammaximam, & perindè fertilitatem, fructuum copiam omnis generis, cùm Venus & Mercurius fœcundos ex se ipsis, & prolificos effundant spiritus, qui terris & rerum seminibus immixti, prolificam miram excitant progeniem, sed non constantem ac firmam, ac diu durantem, sed corruptioni & putredini obnoxiam, homines etiam vanos & mendaces cõstituit hæc cõstellatio incõstantes & infirmos, non firmæ valetudinis, & constantis sanitatis, effœminatos & delicatos, & voluptatibus deditos, Argentarios etiam facit miros, & egregios sculptores, in omni opere æris & ferri, vasorum & instrumentorum musicorum opifices insignes, & illu-

Urna quid sit inter astra.

Urna quid infundat.

Homines quales ex Urna astrofiant.

& illustres; acuit enim summoperè ingenium hæc constellatio, quæ subtile admodum, & delicatum facit temperamentum, unde & manuum operatio subtilis, & ardua valdè est ex hoc temperamento, est autem subtile & delicatum temperamentum, ex humorum subtili substantiâ, & copiâ spirituum, tùm animalium, tùm vitalium, qui materiam humorum, temperamentum constituentium attenuant, & subtilem faciunt.

Vndenam subtile ingenium.

Cur Vrna inter astra collocata sit, & quid eius fabula Chymicè significet.

CAP. XVIII.

Vrna cur inter astra locata.

PRæter fabulam superius enarratam de Hydra, in qua de Cratere sive Vrna dictum, cur inter astra collocata sit, affertur alia fabula, verbosior multò, & vanior, dicunt enim Demiphonte regnante, maximam pestem per illius Regnum grassatam fuisse, cui cùm nullum remedium inveniretur, ad Apollinem legatos misit Demiphon, qui illum consulerent, quidnam sibi faciendum esset, ut liberarentur, quibus respondit, ad salutem recuperandam opus esse, ut quotannis Virginem nobilem sacrificio offerrent, jussit Demiphon, ut uno in vase, Virginum omnium nobilium nomina ponerentur, præter suarum, unde duceretur quotannis nomen illius, quæ sacrificanda esset, hoc Primates ægrè tulerunt, ex quibus Mathusius quidam nomine, dixit apertè nolle, ut in illo periculo suæ filiæ versarentur, nisi & Regis filiæ unà cum reliquis periclitarentur: Quo dicto Rex ira percitus, jussit ut Mathusii filia, non factà sortitione, interimeretur, quod licèt illi molestissimum contigisset, id tamen dissimulavit, & extrinsecus Regem ut antea coluit, cùm autem tempus vindictæ opportunum advenisse judicavit, magnifico convivio apparato, finxit nuptias alterius filiæ se celebrare velle, & Regem invitavit unà cum illius filiabus. Rex promittit, & filias præmittit, & se deinde iturum esse confirmat, Mathusius occasione vindictæ sibi oblatâ, in quodam cubiculo Regis filias clausit & interfecit, & sanguinis illarum partem cum vino miscuit, & Regi tradidit bibendum: Quo Epoto Mathusius rem aperit, totumque convivium perturbatum est, Iupiter autem hoc vas in cœlo collocari voluit, ut Reges indè discant non licere Reges, hoc modo suos subditos lædere non debere, Vrna enim est in cœlo, quæ vindictam tantorum scelerum adhuc continet, Vrna autem inter Chymicos, est vas nostrum, in quo coquitur Lapis noster, in quo licet cernere ea quæ de Demiphonte narrata sunt, ibi siquidem Demiphon, ut se à peste liberet & morte, sive corruptione, quà turget, & scatet, ut sulphur impurum

Vrna apud Chymicos quid.

filiam Mathusii interficit, hoc est aquam Mercurii nostri, qui deinde occasione captâ filias omnes Regis jugulat, & earum sanguinem patri præbet epotandum, Mercurius siquidem postquam filiam suam sive aquam Mercurialem pro omnium salute morti & neci tradiderit, postea & Regis filias, hoc est auri virtutes & proprietates convivio præparato, & nuptiis alterius filiæ, morti tradit, ut enim fermentationem perficiat, quæ est veluti convivium apparatum nuptiarum filiæ Mercurii, ubi invitatur Rex & tota eius familia, filiæ ipsius Regis morti traduntur, & earum sanguis patri datur epotandus, hoc est auri dissolvuntur virtutes & qualitates, & patri hoc est sulphuri perfecto nostro dantur epotandæ, & sic Mathusius noster sicut mercurius vindictam sumit de auro communi, sive Rege, qui filiam Mercurii jugulare jussit pro salute omnium.

De Corvo 43. Firmamenti sydere, quid sit & quid influat.

CAP. XIX.

Corvus astrum quid sit.

Corvus hic, quadragesimum tertium Firmamenti sydus, nihil aliud est, quàm lumen etiam naturæ, sursum elatum & sublimatum ex massa prima illa materiæ mundi, & in illa Firmamenti parte collatum & distributum, ac divisum in septem stellas, tertiæ magnitudinis quinque habens, quartæ unam, & quintæ duas, Martis & Saturni virtutis, hinc terris infundit hæc constellatio calidum & humidum radicale, firmum & constans, quòd Mars Saturno conjunctus firmitatem, permanentiam & constantiam impertiat, unde mala, & morbi, qui ab his planetis, & ab hac constellatione inferuntur, pertinaces admodum sunt & constantes, ac firmi, & difficillimè curantur, fructus autem terræ propter Saturni tarditatem & frigiditatem, & martis nimium calorem adurentem potiùs quàm coquentem, non sunt optimi, sed pauci succi, aridi, & sicci & macilenti. *Corvus quid influat*

Sic etiam homines, qui huic constellationi subjiciuntur macilenti sunt & sicci, iræ obnoxii, levibus rebus excandescunt, febribus acutis divexantur, & sunt sæpissimè scabiosi, & ulceribus scatentes malignis ac depascentibus, ut Cancro, & Scrophalis, aliisque ejusmodi ulceribus phagedenicis, corpore sunt aliquantum incurvo, & acri severoque aspectu, secundùm animum audaces, avari, fraudulenti peculatores, raptores, infideles, inverecundi, seditiosi, impatientes, & reliqua ejusmodi, quæ ad Saturnum & Martem pertinent facili negotio induunt. *Homines quales sint ex corvo astro.*



Cur

Cur Corvus inter astra relatus, & quid eius fabella Chymicè portendat.

CAP. XX.

Corvus cur inter astra relatus.

CApite de Hydra, de Corvo etiam diximus, nihilominus præsenti hoc in capite, aliam de Corvo adferemus fabellam, eamque Chymice explicabimus: fertur quòd Coronis Flegiæ filia summoperè ab Apolline amabatur, & ob id ab eo compressa, præstantissimum Medicum Æsculapium peperit, ipsa quoque scivium filium Calci deperibat, & cùm reperiretur quodam die, in mutuis amplexibus cum illo, juxta limpidissimum fontem à Corvo visa fuit, & apud Phœbum accusata, qui sagittâ amantes, in summa rei voluptate interfecit, ex quo factum est, ut inter astra Corvus collocaretur, ut huius officii se memorem & gratum præstaret Apollo. Quæ omnia Chymicum sub se recludunt sensum, & tacitè dicunt Corvum nostrum Chymicum (qui est materia nostra putrescens) Apollinis nostri seu sulphuris amores & uniones cum aqua mercuriali, approbare, si verò conjungatur cum adultero, putredo quæ hinc enascitur, quæ est Corvus apud Chymicos, rem dicit & enunciat Phœbo, hoc est sulphuri, quod indignè ferens sagittis suis, hoc est calore suo amantes confodit & interficit, id est perit & destruitur conjunctio talis omnis, quæ fit extra sulphur nostrum & aquam mercurialem Sulphur siquidem nostrum, alium non potest tolerare amasium.

Corvus quid sit Chymicè.

De Centauro 44. Firmamenti sydere, quid sit & quid influat.

CAP. XXI.

Centaurus quid sit.

CEntaurus quadragesimũ quartum Firmamenti sydus, lumen est naturæ sursum elatum, ac sublimatum ex massa illa prima materiæ mundi, & Firmamento locatum, ac in stellas triginta septem divisum ac separatum, magnitudinis primæ unam habens, secundæ quinque, tertiæ septem, quartæ sexdecim, quintæ octo, quæ omnes stellæ sunt Veneris & Mercurii, & Saturni virtutis, & præsertim magna illa primæ magnitudinis, & quinque illæ secundæ magnitudinis, Saturni & Veneris virtutes æmulantur. Quarum ratione terris infundit Centaurus hic, humidũ radicale pingue valdè, cuius ratione fertilitas, & copia fructuum exoritur his in Provinciis, quibus Cẽtaurus dominium habet, Solum valdè pingue est maxima ex parte, hinc copia frumenti & vini, aliorumq; fructuum, qui humanæ calamitati inserviunt, solet exoriri, quicquid enim mali, aridi & sicci, frigidi & humidi, ex parte Saturni solet exoriri, Venus benigna corrigit & temperat, adde quod & Mercurii

Centaurus quid influat terris.

curii sunt virtutes multæ, quæ etiam corrigunt Saturni qualitates quæ in hac constellatione reperiuntur, ita ut plus virtutis & Mercurii & Veneris, quàm Saturni habeat, unde fertilitas maxima in terris, Provinciis, regnis & Imperiis quibus dominium habet, solet exoriri. Homines verò sunt mansueti, benigni, sociabiles, cordati, prudentes, artium & disciplinarum cupidi, satis laboriosi, luxuriosi tamen & voluptatibus Veneris dediti, venustatem amantes, pulchras vestes, & splendidas insequentes, & domos & palatia perpulchra ædificare gaudentes: Quicquid enim pulchrum & splendidum est, Venus ipsa cœlestis infundit suis radiis & influxibus, quòd clarum & splendidum calidum innatum seu sulphur naturæ, rebus omnibus impertiat, quæ deinde suum candorem & splendorem communicare volunt rebus omnibus quas peragunt, undè actiones illæ heroïcæ exoriuntur, & opera perpulchra clara & splendida.

Saturni virtutes malignæ à Venere & Mercurio corrigũtur.

Cur Centaurus inter astra relatus sit & quid eius fabella Chymicè significet.

CAP XXII.

Centaurus dicitur filius Saturni, & Philiræ, Saturnus enim cùm Iovem filium quæreret in Thracia, cum Philira Oceani filia in Equum versus dicitur concubuisse, ex ea Chyronem Centaurum natum esse, artis medicinæ inventorem & habitasse in Pelio monte, Chyronem inter homines æquissimum, à quo Æsculapius Medicina, Achylles Cithara, Hercules Astrologia, & litteris aliis instructi fuere, cuius hospitio cum Hercules uteretur, ex Pharetra sagittâ lapsâ, dicitur pedem eius vulnerasse & ab illo vulnere, mortem recepisse, & à Iove astris illatum esse, Centaurus autem apud Chymicos verus est Saturni nostri & Philiræ filius, Saturnus siquidem noster cùm concumbit cum Philira, hoc est cũ aqua nostra Mercuriali, inde enascitur Centaurus noster, qui est Lapis noster, artis verè Medicinæ inventor, imò Lapis ipse est vera Medicina, à quo Lapide seu Centauro, omnes antiqui Heroës instructi sunt artibus & scientiis, Hercules tamen qui est spiritus mundi, cùm hospitio ipsius Centauri uteretur, lapsâ sagittâ ex Pharetra Herculis pedē eius vulneravit, hoc est ex spiritu mundi lapsus est alius spiritus, qui veluti sagittâ pedem Centauri vulneravit, hoc est dissolvit partem Lapidis, à quo deinde, totus ipse Lapis dissolutus est, & mortem sic recipit. Quoties enim dissolvitur Lapis noster, toties & mori necesse est, & in astrum evehi, unde & Centaurus post mortem dicitur inter astra relatus.

Centaurus cur inter astra collocatus.

Æsculapius à Chyrone medicinam didicit.

Centaurus Chymicus quid sit.

De Lupo centauri 45. Firmamenti sydere, quid sit & quid influat.

CAP. XXIII.

Lupus astrũ quid sit. LUpus Centauri est quadragesimum quintum Firmamenti sydus, ex lumine naturæ compactum, & configuratum, quod ex massa prima materiæ mundi sursum elatum est, ac sublimatum, & in ea parte firmamẽti collocatum, & in stellas novẽdecim divisum ac separatum, magnitudinis tertiæ, duas habẽs, quartæ undecim, quintæ sex, per suam figuram & imaginem distributas virtutis & proprietatis Saturni & Veneris. Plus tamen Saturni habet influxus, quàm Veneris, undè siccitatem & frigiditatem plus infundit, quàm Centaurus præcedens astrũ, unde quicquid boni & benigni Centaurus agit in terras, Lupus hic verè Lupus vorat ac destruit, unde sterilem facit terram, cui dominatur & præest, Lapides & Saxa producit, & Sabulum & aquas, frigidas & humidas; homines autem facit crudeles & agrestes, parum ingeniosi, pigri & taciturni, infideles, pacta non observantes, latrones, cupidi & avari, & voluptatibus dediti, & præsertim gulæ, edaces sunt, & ventris inguini inservientes, molesti & copiosi, deceptores & captiosi, obscurum siquidem nigrum & obtenebratum infundit lumen, ratione cujus rebus in omnibus producitur calidum innatum & humidum primigenium tẽperamenti fundamentum, subobscurum & minimè lucidum, sed frigidum & humidum, & moderatè siccum, ratione cujus, hęc omnia exoriuntur in hominibus, in obscuro enim carcere & lutoso, Anima detenta præclaras agere non potest actiones, cùm cogatur uti illis lutosis frigidis & maleficiatis instrumentis, à natura ipsa illi datis & communicatis ad operandum.

Lupus astrũ quid influat terris.

Anima cur in Melancholico nimis temperamento præclaras actiones agere non potest

Cur Lupus inter astra relatus sit, & quid eius fabula Chymicè portendat.

CAPUT XXIV.

IUpiter ipse in consilio Deorum, narrat fabulam hanc de Lupo, apud Ovidium cùm ad aures nostras percrebuisset, quantis sceleribus homines se obstringerent in terris, è summo cœlo, ad humanam speciem iter suscipiens visurus num sic res se haberet, ut mihi delatum fuit, delabor in terras, non facilè vobis narrare possem quæ invenerim: plura enim inveni, quam quę mihi narrata fuerunt, nam Menala transiens, ad Licaonem Regem divertor. & cùm vesperi esset, apertissima signa dedi, quibus me Deum esse, Tyrannus ipse cognosceret, quo facto vulgus me venerari cœpit, sed Lycaon piorum hominum vota irridere cœpit, primùm sic ipse locutus est secum, experiar quidem ego num sit mortalis, quæ experientia nullo modo falli potest, parat mihi inopi natam

Lupus cur inter astra collocatus.

mortē, & sperat me gravi somno detētum facili negotio interficere posse, neque hoc consilio contentus est, sed quendam obsidem de gente Molossa occidit, & ejus artus partim assos, partim elixos, mihi comedendos in cœna tradidit, quos ubi mensa imposuit, ejus tecta in ipsum dominum vindice flammâ, everti, ex quo perterritus ipse, in sylvas profugit, ubi in Lupum versus exulat, & eandē sanguinis sitim retinet, hunc autem in cœlo voluit deinde Jupiter, ut ibi perpetuum adesset hominib⁹ monumentum vindicatæ crudelitatis. Apud verò Chymicos Lupus noster Mercurius est, qui obsides ipsos membratim secat, coquit & elixat, & Jovi hoc est sulphuri nostro præbet comedendos, sulphur excandescens hac violentiâ, tecta disrumpit vindice flammâ, vas siquidē disrumpitur & evolat Lupus noster sive Lycaon, & profugit in sylvas, hoc est in auras, ubi in Lupum convertitur, hoc est in exhalationes & vapores omnia devastantes, & destruentes, hoc etiam in Cavernis terræ sæpè sæpius evenire solet, dum enim humidum illud radicale mundi excoquitur in lapidum antris, Jupiter advenit, hoc est sulphur album apparet, humidū autem illud, quod Chymicis Lupus est, obsides suos, hoc est sales ipsos quos natura illi tanquam obsides dedit, assat & comburit igne nimio adaucto, tunc temporis vapores qui inibi firmissimis illis lapidum antris concludi non possunt, nec coërceri, disrumpunt antra ipsa, magna cum violentia, & terræ motu, & humidum illud exit & profugit in sylvas, & valles, ubi destruit omnia semina & arborum fructus, qui ab ipsis vaporibus & exhalationibus illius humidi, corroduntur & destruuntur, & sic apparet Lupus noster: & hoc mihi ipsi multoties contigit, in operationibus Chymicis peragendis, & nullus est ferè Chymicorum, cui hoc aliquando non adveniat.

Lupus Chymicus quid sit.

De Lare sive Ara 46. Firmamenti sydere, quid sit & quid influat in terris.

CAPUT XXV.

ARa sive Sacrarius, qui & Pharum dicitur, Navigantibus est astrum contrarium, quod Scorpionis caudam sequitur, quod quidem nos asserimus lumen esse naturæ, ex massa prima materiæ mundi sursum elatum & sublimatum, & Firmamento affixum, & in stellas septem divisum, ac distinctum, magnitudinis quartæ, quinque habens stellas, quintæ verò magnitudinis reliquas duas Veneris virtutis & proprietatis, & parum Saturni, ut Lupi superioris astri virtutes & qualitates corrigantur, & moderentur, unde benigniores multò & jucundiores procedunt ex hoc astro virtutes & qualitates, quàm ex Lupo superiori, unde terræ, provinciæ, regna,

Ara astrum quid sit.

Ara quid terris influat.

regna, & Imperia quæ huic astro subjacent fertilitatem majorem, & fructuum copiam abundantiorem, & homines etiam sunt benigniores, jucundiores, & societatem magis amantes quàm qui subjiciuntur astro Lupi, unde Antiqui propè ipsum Lupum aram posuêre, quasi indicare vellent Lupum esse sacrificandum huic aræ, hoc est virtutes ejus, fere evanescere & sterilescere, ob benignitatem istius sequentis syderis, qui cùm Veneris habeat virtutes & qualitates calidum humidum clarum & rutilans, rebus in omnibus infundit & perindè optimum temperamentum.

Cur Ara sit inter astra relata & quid eius fabella Chymicè significet.

CAPUT XXVI.

Ara cur inter astra collocata. ARam hanc inter astra locatam fuisse asserunt Antiqui quòd in ea Dii omnes primùm mutuò conjurationem fecerunt, cùm Jupiter contra Saturnum fecit, quod memoriæ causa, non solum astris illatam voluit, sed etiam hominibus, hanc habere institutam jussit, quia in agonibus & ludis quinquennalibus, Coronæ habentur & fœderis testes adhibentur, cùm autem Jupiter ut alii volunt, ex gigantibus victoriam reportasset, in quos Dii omnes conjurarunt, altare in cœlo, hujus rei monumentum adesse voluit. *Ara quid sit apud Chymicos.* Per altare hoc in cœlis Chymici antiqui intelligunt gratiarum actiones, quæ Diis debentur pro arcanis Chymicis acquisitis & acquirendis: Gratiarum enim actio debetur & sacrificium laudis & honoris, pro tanto munere dato, & hominibus communicato, has enim debitas actiones indicat ara illa cœlestis, quam Dii antiquorum cœlo reposuêre, ut hominibus indicarent cœlo esse sacrificandum pro omnibus donis acceptis & muneribus, cœlum enim est, quod mediatè Deo, omnia nobis impertit, & communicat, *Ara cur in cœlo.* quapropter cœlo, hoc est Deo libandum est, unde aram in cœlis posuêre antiqui, ut Deo soli libandum esse indicarent.

De Corona austrina 47. Firmamenti sydere, quid sit, & quid influat.

CAPUT XXVII.

COrona hæc austrina, Boreali contraria & diversa omni ex parte, ut ex ejus natura, quilibet cernere potest, nihil aliud est quàm lumen naturale, sursum elatum & sublimatum ex massa prima materiæ mundi, & in ea parte Firmamenti collocatum, & in stellas tredecim divisum, & separatum, magnitudinis quartæ quinque habens stellas, quintæ sex, sextæ verò duas, per suam imaginem & figuram distributas, quæ virtutis Saturni, & Mercurii habentur, unde malignas & perversas terris infundunt qualitates, & virtutes, pestes, morbos,

Corona austrina quid sit.

Corona austrina quid influat.

bos, famem & sterilitatem, unde hoc astrum Corona malorum est, & plus infundit mali quàm boni, quamvis ad bonum sit ibi collocatum, nam frigiditatem & humiditatem quam infundit hoc astrum, ad bonum esse credendum est, semina enim rerum, dum putrefieri incipiunt ut generationem incipiant, frigida & humida esse oportet, quam humiditatem & frigiditatem Saturnus custodit, & infundit, & si in fine productionis hæc humiditas & frigiditas Saturnina noceat, in principio tamen prodest, & necessaria est, ideò Saturni qualitas ad bonum nata est & creata, potiùs quàm ad malum, & à Saturno homines prudentes, sapientes, tardè operantes, potius quàm pigri & desides omnia pacatè & moderatè agentes potius, quàm tumultuosè, & intempestive, frigiditas enim & humiditas Saturni ad sapientiam & prudentiam, & moderationem hominibus data est, potius quã ad pigritiam & desidiam, & segnitiem, sed homines tarditatem illam, & frigiditatem ad segnitiem convertunt, cùm quietem potius diligant, & exposcant quàm laborem & studium, sic vitio vertunt quod virtuti natum est.

Frigiditas & humiditas Saturni ad quid boni sit.

Cur Corona Austrina inter astra relata sit, & quid ejus fabula Chymicè significet.

CAPUT XXVIII.

Corona austrina cur

VArii varia de Corona austrina adferunt & asserunt rotam esse Ixionis, in qua alligatur apud inferos Ixion, fuit autem huic rotæ semper volubili alligatus, quòd se rem habuisse cum Regina Deorum in cœlis gloriaretur, cùm enim Ixion filius Jovis censeatur, convivio Deorum in cœlis ab ipso Jove est convocatus, ut à criminibus multis expiaretur, ipse tamen Junonem adamavit, ut ipsa Juno fassa est Jovi, & ejus voluntati nubem in suam formam conversam obtulit, unde nati sunt Centauri, deinde cœlo dejectus, cùm in terris gloriaretur se rem habuisse cum Junone, Jupiter ipsum ad inferos fulmine detrusit, & rotæ semper volubili alligavit, quam Rotam deinde in cœlis ipsis collocavit, ad perpetuam rei memoriam, in adulterii & incesti vindicati monumentum æternum.

inter astra collocata sit.

Ixion verò apud Chymiam est Pseudochymicus, qui multis criminibus detentus, in cœlum vocatur ab ipso Jove, hoc est ad Alchymiam artem evehitur, tanquam ad cœlum, ut Chymia doctrina deponat crimina sua, facit enim Alchymia pios omnes & bonos sui cultores, cùm autem ad tantam & raram & altam scientiam evehatur, statim amore captus est ipsius Junonis, hoc est veri Lapidis, & loco illius nubes offertur, ex quo nascuntur Centauri, secreta illa Chymiatrica, quæ veri sunt Ixionis & nubeculæ partus, dum verò Pseudochymicus gloriatur se verum lapidem fecisse, & ita cum Junone vera, rem veram habuisse,

Ixion apud Chymicos quid sit.

iſſe, detruditur ad inferos, hoc eſt ad paupertatem, & miſerias, ubi rotæ ſemper verſatili alligatur, ubi diſtillationibus & circulationibus ſemper iterandis quotidiè verſatur & occupatur, in cujus rei memoriam, hæc rota collocatur in cœlis, hoc eſt, hic labor remanet in perpetuum rei iſtius monumentum.

De Piſce auſtrino 48. Firmamenti ſyderе quid ſit & quid influat.

CAPUT XXIX.

Piſcis auſtrinus quid ſit in cœlo.

PIſcis hic auſtrinus quadrageſimum eſt & octavum Firmamenti ſydus & aſtrum, ex lumine naturæ conſtans, quod ex maſſa prima materiæ mundi ſurſum elatum eſt, & ſublimatum, & Firmamento affixum, ac in ſtellas duodecim diviſum, & ſeparatum, magnitudinis primæ unam habens ſtellam, quartæ novem, quintæ duas, quæ formam ejus conſtituunt, ſunt tamen aliæ ſtellæ, numero ſex, extra ejus figuram & imaginem, tertiæ magnitudinis tres, quartæ duæ, quintæ verò una ſola eſt ſtella.

Prima illa ſtella quæ in ore ejus Piſcis collocata eſt, magnitudinis primæ, lucens & radians, eſt conſideratu digna, & eſt virtutis & proprietatis Veneris, & parū Mercurii, & reliquæ omnes, virtutis ſunt & energiæ Saturni. Prima illa ſtella primæ magnitudinis terris infundit fertilitatem quammaximam ob humidum radicale pingue, quod per radios ſuos & influxus terræ communicat, ex quo vini & frumenti copia creſcit, & fructuum aliorum omnium abundantia venit, hominibus verò advenire loquendi facilitatem, addiſcendi artes omnes & ſcientias promptitudinem, & habitudinem interpretandi, facilitatem non negamus, & præterea venuſtatem, ingenii acumen, & ſubtilitatē, prudentiam & ſapientiam, ſtudium & amorem, ita ut quicquid aggrediuntur, facili negotio conſequantur, cum omnia vincat amor & ſtudium, ſi his in rebus conſequēdis utamur.

Piſcis auſtrinus quid influat.

Cur piſcis auſtrinus inter aſtra locatus, & quid ejus fabula Chymicè indicet.

CAPUT XXX.

Piſcis auſtrinus cur inter aſtra collocatus.

PIſcis magnus auſtrinus, cujus nepotes ſunt piſces, qui in circulo Zodiaci ſuperius collocati ſunt, dicitur inter aſtra collocatus, quod decidens in Boeth, ſtagnum Phacetis Veneris filia, in piſcem hunc ſit transfigurata, quam Syri Deam nominaverunt: alii verò dicunt quòd de ſtagno, in quod ceciderat, Veneris filius ipſum liberaverit, ex quo Syri piſces argenteos in templo ſacraverunt, Veneris deinde rogatu Jupiter hunc piſcem inter aſtra locavit, Piſcem habent Chymici, qui aquis ſuis & ſtagno ſemper innatat, & hic eſt ſulphur eorum, quod eſt eorum verus piſcis, qui filium Vene-

Piſcis quid ſit apud Chymicos.

ris in stagnum decidentem liberat, ne aquis submergatur, hoc est Lapidem album sustinet, ne aquis submergatur, Lapis siquidem albus noster est verus & legitimus Veneris filius, sulphur siquidem quod præcedit coloris viridis, venus dictum apud Chymicos, dicitur generare lapidem album, adde quod & materia ex qua componitur lapis albus, dicitur Venus, undè verè & rectè Venus dicitur mater Lapidis nostri albi, sic ergo liberatus filius Veneris, à tali pisce, meretur hic piscis inter astra reponi, ex quo deinde Syri, ut gratulentur pisci & Veneri, pisces argenteos in templo sacrant. Syri sunt Chymici, qui postquam liberatus est ab stagni aquis Lapis albus, sive Veneris filius, eorum rex & Dominus, pisces argenteos in templo sacrant, hoc est dona magna, & munera Deo offerunt pro liberato eorum Rege, à quo divitias summas perennes & inexhaustas haurire possunt: est enim hic Rex benignus admodum, & aliis Regibus contrarius, hi accipiunt à populo divitias, hic verò populo suo dat, & communicat ingentes suos thesauros, & profudit, unde meritò debent Deo sacrificium, pro tanto & liberali Rege liberato.

Venus Chymica qualis

Rex Chymicorum qualis & quàm munificus.

DE CONSTELLATIONIBUS QUÆ IN POLO ANTARCTICO REPERIUNTUR QUO lumine & qua virtute constent.

SECTIO QUARTA.

Quod necessarium sit in Polo Antarctico stellas adesse, ad perfectionem universi.

CAPUT I.

ANtiqui Astronomi existimarũt, Polum Antarcticum denudatum esse omni stellarum lumine, & obscurum esse, tenebrosum omninò crediderunt, nescio qua ratione ducti, nisi quod ipsi ignorabant, tenebras esse crediderunt, quòd ignorantia & inscitia veræ tenebræ sint, nihilominus tamen rationi consonum esse videtur, Polum hunc esse illuminatum, & radiis & luminibus plurimarum stellarum conspersum esse, æquè ac Polus Arcticus noster est quamplurimis stellis illuminatus, Ptolomeus quòd Ægyptius esset, & in Ægypto suam exerceret Astronomiam, non poterat Poli Antarctici lumina discernere, & perinde de his luminibus nihil dixit, imò quod pejus est tenebrosum esse & omninò obscurum asseruit. At pace ejus dixerim, de his quę prorsus ignorabat, & quæ illi omninò latebant, tam certam non debebat afferre sententiam, cœlum ferè totum conspicuum habebat, & luminibus undiq; conspersum spectabat, & tamen

Antiqui Polum antarcticum sine lumine crediderunt

Cœlum est undique luminosum.

men partem quam non videbat, lumine orbatam asserere ausus est, cœli undiq; luminosũ esse oportet cũ & undique influere habeat. Partes terræ australis quæ subjiciuntur Polo Antarctico influxu cœlesti egent, & lumine ut germinent & producãt fructus ipsi terræ convenientes, homines etiam qui has partes incolunt & habitant, lumine egent illo cœlesti ut vivant. Vita enim hominum, & omnium animalium & vegetantium, à lumine cœlesti dependet, ut superiùs latiùs admodum, & fusiùs probatum relinquimus. Si ergò vivant homines in hisce partibus Antarcticis, vivant animalia, & crescant & germinẽt arbores, & Planetæ necesse est, in his etiam partibus cœlestibus adesse lumen, quo fovetur & conservatur vita illa animantiũ, aut mancus esset orbis & imperfectus, quod ridiculum est cogitare, & sanè insanum: Perfectus siquidem & absolutus est à Deo creatus orbis, nec ullas habet partes mancas, & deficientes, cùm sit enim orbis lumine plenus & vita, nullæ possunt ejus esse partes lumine, & vita destitutæ, Polus ergò Antarcticus est lumine plenus, ut partes suas australes lumine & vita perfundat, ad perfectionem universi.

Orbis est undique lumine plenus & vita.

Quòd Polus Antarcticus plures habeat stellas ad terræ australis necessitatem.

CAPUT II.

Polus antarcticus ex necessitate habet stellas

POlus Antarcticus, sive circulus, Poli Antarctici ex necessitate habere debet stellas quamplures radiantes & splendentes, ut & Poli nostri arctici stellæ radiantes, & luminosæ reperiuntur, materia siquidem prima mũdi lumine creato actuata, & informata, dum se in Firmamentum usq; se sublimavit, & elevavit, dum versus australes partes respectu nostri pervenerit, non lumẽ quod ejus forma erat, reliquit, sed semper sibi assumpsit, ac retinuit, non poterat sursum elevari & sublimari sine forma sua, forma autem sua erat lumẽ, ut antea libro primo hujus operis probavimus. Vt autem materia illa prima mundi sursum elevata est, ut Firmamentum constitueret, & reliqua cuncta quæ in eo sunt, & distincta est, & divisa à Creatore, ut divisione & separatione sua res diversæ in cœlo & Firmamento fierent, sic etiam necesse fuit, ut illa pars materiæ primæ mundi in elevatione sua, & sublimatione divideretur & separaretur in multa lumina æquè in partibus australibus, & circa circulũ Poli australis, ut & in reliquis cœli partibus. Videmus autem & conspicimus ipsis oculis, cœlũ ubiq; luminosum & stellis quãmultis aspersum. Quidni & illam partem Poli australis luminosam & stellis conspersã dicemus & asseremus, & necessarium ita fore prædicavimus: Nonne pars hæc cœli, cœlũ est, ut reliquæ partes: si ergo cœlum sit & Firmamentum, lumen etiam & stellas habere debet, cùm cœlum ubique lumen habere debeat, cùm ex lumine factum sit, quod

quod & Spiritus Sanctus in sacris nobis dictat literis, fecit enim Deus Luminare majus ut præesset diei, & Luminare minus ut præesset nocti, & stellas, & posuit eas in Firmamenti cœlo, ut lucerent super terram & præessent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras. Si ergo Deus Creator omnium posuerit stellas in Firmamento, ubique est stellatum, & perindè circulus australis est stellatus æquè ac Borealis noster, ad quid enim sunt stellæ in Polo nostro Boreali, ut luceant terræ, ut præsint nocti & diei, ut dividant lucem & tenebras, ut terram fœcundent, ut homines, & viventia cuncta suo lumine foveant & conservent, pari ratione, & eadem naturæ necessitate oportet Polum australem antarcticum esse luminosum & multis stellis variegatum, ut ipsæ stellæ luceant terræ australi præsint nocti & diei, dividant lucem & tenebras, & terras fœcundent & homines hic habitantes, & viventia cuncta suo lumine foveant & conservent: hoc enim est lucere terræ, & præesse diei & nocti: Terra siquidem australis etsi nobis adhuc sit incognita, nihilominus est hominibus & viventibus omnis generis & speciei adornata & culta, Plantis & arboribus huic terræ destinatis, propriis & convenientibus fœcundata, metallis & mineralibus omnibus impregnata, ad quorum omnium generationem, conservationem, & vitam sustinendam, lumen stellarum est omninò pernecessarium. Et ut multa ac diversa in hisce terris producuntur ac enutriuntur; sic etiam & diversas & varias inesse stellas in ea parte Firmamenti, necessarium est, ut illa varia & diversa terræ hujus producantur & enutriantur, & conserventur. !

Rationes cur Polus antarcticus debet esse stellatus.

Lumen est undique ad vitam conservandam.

Concludamus ergò Polum Australem Antarcticum multis, & variis constellationibus esse variegatum, ut lumine illo vario ac distincto, varia ac distincta eaque diversa producuntur in terris illis Australibus quæ nostris sunt fœcundiores, & suaviores, ut in dies compertum habemus ex navigatione quamplurimorum, qui has in terras appulerunt, & rationes nostras allatas fidelibus verbis suis confirmant.

Quod circa Polum Antarcticum stellæ sint omnis magnitudinis.

CAPUT III.

Cur in polo antarctico sint stellæ necessariæ.

CUm in terra australi, ex fide navigantium, imò ex ratione naturali cui plus credendum, quàm authoritati, sint infinita ferè rerum mixta, multarum virium & proprietatum necesse est in cœlo, huic terræ correspondenti, quamplura esse lumina cœlestia variarum virtutum & proprietatum oportet, non possunt autē varia esse, & variarum virtutū, quin sint magnitudinis diversę, magnitudo siquidē diversa varias promit ex se virtutes, cū virtutes omnes & proprietates stellarum depende-

pendeant ex luce, cùm autem lux varietur ex magnitudine, plus enim virtutis infundit stella una primæ magnitudinis quàm decem stellæ sextæ magnitudinis vel quintæ. Vt autem videmus in Septentrione, & in Circulo Boreali, plures esse stellas secũdæ magnitudinis, tertiæ quammultæ, & aliarum magnitudinum quammaximæ, ut in terris Circulo Boreali correspondentibus infundant & communicent suas virtutes varias & proprietates sic etiam necesse est, in Circulo Australi Poli Antarctici, plures esse stellas magnitudinis omnis, ut per varietatem & diversitatem suorum influxuum, quæ ex varietate, & diverso magnitudinis gradu dependet, varia terris infundant, ut varia illa & diversa, quæ in terra australi reperiũtur mixta, foveantur, conserventur, enutriantur & fiant, non possunt enim talia conservari, enutriri, & fieri, nisi à diverso cœlesti lumine, hoc autem lumen non solùm oportet, ut varietur essentiâ, sed etiam magnitudine, & quantitate, ut in reliquis cœli partibus videmus ipsum lumen ubique variari, & distingui, túm essentiâ ipsa, tùm quantitate, & magnitudine, concludimus ergò necessarium esse in Polo Antarctico, dari signa cœlestia quæ variis constent stellis, tum essentiâ ipsa, tum qualitate, ut varietate illa & distinctione, varia illa & distincta, quæ reperiuntur in terra australi enutriantur, conserventur & fiant.

Quòd circa Polum Antarcticum stellæ sint variæ ac diversæ virtutis.

CAP. IV.

Quòd in Polo Antarctico sint stellæ variæ virtutis.

QUæstio præsens, ex antecedenti dependet. Si enim Polo Antarctico sint stellæ, variæ, magnitudinis & quantitatis, necesse etiam est easdem stellas esse variæ & distinctæ proprietatis & energiæ: virtus & proprietas non solùm variatur & distinguitur ex essentiæ varietate, sed etiam ex varietate magnitudinis, ut id ipsum in agentibus communibus cernere licet quotidianâ experientiâ, magnꝰ siquidem ignis, & maxima pluvia, plus agunt & efficiunt, & effectus varios producũt, quàm parvus ignis, & minima pluvia: Quòd autem magna eaq; præclara sint in terra australi rerũ mixta omnis generis, oportet etiam magnas esse hasque præclaras eorum mixtorum causas; causæ autem horum mixtorum sunt cœlestes & influxus stellarum cœlestium, quæ circa Polum Antarcticum reperiuntur, quæ magnitudine sua, & energia ac proprietate insigni, quâ pollent, insignia illa rara & præclara mixta, producunt & generant, ut enim illa, quæ in his terris producuntur, diversa sunt & omninò distincta, ab his quæ in hisce terris, & Septentrionalibus progenerantur, sic etiam & causæ eorum diversæ ac variæ esse debent ab his nostris causis, quæ in hisce terris nostris, nostra

Cur quæ in Polo Antarctico producuntur, à nostris distinguantur

producunt mixta, & quanto differunt nostra ab his, tanto etiam differre oportet eorú causas à nostris, solum enim diversum est & varium à cœlo diverso & vario. Videmus & conspicimus solum australe varium, & omninò diversum esse à nostro, sic etiam varias & distinctas oportet esse stellas, & constellationes cœli australis: mores hominũ varii sunt, hominesque omninò diversi; animalia cuncta varia, & à nostris distincta. Plantæ variæ & arbores distinctæ à nostris, temperamentum nativi soli varium, ac separatum, lapides etiam varii, & quicquid est in ipsa terra varium, & separatum est ab ipsa nostra terra, varium etiam esse omninò eorum cœlum oportet, & varias stellas & sydera diversa, ut tanta diversitas ab ipso procedat, est enim cœlum præcipua naturæ pars, à quo solo tota natura variatur & suos producit varios effectus.

Cœlum australe Antarcticum à nostro differt.

Concludamus ergo circa Polum Antarcticum stellas esse variæ ac diversæ virtutis, & proprietatis, ut varietate earum stellarum varia producantur in terris australibus, à nostris omninò distincta, & separata, tùm virtute, tum essentia, quæ quidem cœlum australe testantur varium & distinctum à nostro, & multo lumine ac vario distinctum & variegatum.



De constellatione dicta Toucan, quæ circa Polum Antarcticum reperitur.

CAP. V.

Constellatio antarctica Toucam dicta quid sit.

HÆc constellatio, ut reliquæ aliæ omnes ex lumine primo creato, fuit à summo, Creatore compacta, & in ea parte Polari Australi, & Antarctica fuit affixa, ut ibi luceret in perpetuum & terram australem illuminaret, & suis radiis perfunderet; constat hæc constellatio undecim luminibus, & stellis, tertiæ & quartæ magnitudinis, virtutis Saturninæ, Martis & Mercurii, dicta est ab Incolis Toucam à Toucam ave, est Toucam avis miræ pulchritudinis & præcipuè capitis, & rostri, habet enim hæc avis rostrum miræ & stupendæ magnitudinis, & reperitur in hisce terris australibus, & præcipuè in Insulis maragnanis, & habet rostrum longitudinis decem aut duodecim digitorum, & trium, aut quatuor digitorum latitudinis, miris coloribus variegatas habet pennas, itaque pulcherrima est, & esu optima: hæc Avis denominationem dedit huic nostræ constellationi, non quòd Iupiter fabulosè astrum fecerit hanc avem, propter pulchritudinem suam, non enim noverunt fabulas Incolæ harũ Regionum, sed Incolæ admirantes hanc constellationem, & eius virtutem, imposuerunt illi nomen simile huic

Toucam avis quid sit.

huic avi, quòd hæc avis sit mira, & pulchra, & varias habeat virtutes, ut varios habet colores, ut & constellatio nostra, quæ cùm stellis variorum colorum cõstet, hinc arguitur, varias habere virtutes, cùm virtutes desumãtur ex balsamo intrinseco rerum, seu sulphure nativo, quod colorum est origo, & fons naturalis, unde si stellæ in constellationibus variis coloribus scintillent, hinc arguendum est, stellas has plures habere virtutes, cùm variis ornentur coloribus, qui balsamum varium & sulphur nativum distinctũ ostendunt. Constellatio ergò nostra Toucam dicta, circa Polum Antarcticum Saturninæ est virtutis, Martis, & Mercurii, quòd plures habeat stellas variis coloribus scintillantes, qui colores, Saturni, Martis & Mercurii ostendunt naturas & proprietates, exterius enim, interioris est index.

Virtutes unde desumantur.

De Cruce constellatione Polari Antarctica.

CAP. VI.

CRux constellatio Polaris Antarctica, est lumen sursum elatum & sublimatum, ex primo lumine creato, & in varia lumina distinctum, & separatum, hanc constellationem constituens in hac parte Antarctica, quæ quatuor tantùm constat stellis, Jovis, Veneris & Mercurii virtutis, & magnitudinis secundæ duas habens & alias duas tertiæ magnitudinis, ex quibus variæ virtutes & proprietates exoriuntur, quæ sunt Jovis, Veneris & Mercurii: quæ quidem virtutes, per totã hanc terram elucent & eminent: tùm in hominibus, tùm in brutis, nec non etiam in arboribus, plantis & mineralibus, quibus turgent hæ terræ, & mira multa visuntur in hisce Regionibus, quæ in nostris miracula habentur, & hoc fit, quòd cœlum peculiare sit & miris luminibus conspersum, & particularibus dotibus exornatum, ad perpetranda hæc, respectu nostro rarissima, quòd si in nostris Regionibus peculiaria astra notavimus, ex quibus miránda producuntur in terris nostris, quid ni & astra particularia invisibilia propter tenuitatem, & raritatem eorum lucis & substãtiæ aderunt in hisce cœli partibus, ex quibus hæc mira & stupenda fiunt in australibus partibus.

Crux constellatio Polaris Antarctica quid sit.

Crux quid influat in Polo antarctico.

Crux ergo constellatio Polaris antarctica, lucet & splendet circa Polum antarcticum stellis quatuor apparentibus, luce rutilanti, & variis coloribus micantibus exornatis, ex quibus colligimus has varias dotes exoriri, & crucis nomen imposuerunt huic constellationi Incolæ, quòd stellæ quæ eam componunt, in crucis formam disponantur, & præcipuè quatuor principales secundæ & tertiæ magnitudinis, & rutilantis luminis. Infundit hæc constellatio summam temperiem terris, quibus dominatur sed plus frigoris est quàm caloris, cùm Zonæ frigi-

Constellatio hæc cur Crux dicta.

frigidæ auſtrali dominetur, non enim hæc Zona adeo frigida eſt, ut inhabitabilis ſit, propter frigus, aſtra enim quæ lucem ſuam infundunt huic Regioni, corrigunt locorum in temperiem frigidam, ex abſentia ſolis, hæc aſtra ſunt veluti Soles, & calorem nativum infundunt terris his, adeo ut benignus his influxibus terra fertilis, admodum ſit, & incolas habeat multos ingenio ſatis fertili, & acuto, ut ſunt Septentrionales noſtri incolæ, Angli, Scoti, Hirlandi, ſeu Hiberni, & reliqui ſimiles Septentrionales populi, quibus quamvis natura, frigidum & rigidum conceſſerit ſolum, nihilominus calidum & vividum tribuit animum, quo vigent inter nives, & glaciem. Sic & in terra auſtrali homines reperiuntur non infimæ ſortis, acuto & ſubtili valdè ingenio, quod eſt aſtris terris his dominantibus facilè colligimus, Iupiter enim, Venus & Mercurius (qui in hiſce cœli partibus vigent: per aſtra auſtralia, quæ horum Planetarum habent virtutes & proprietates) nunquam homines fecerunt ſtupidos & maleferiatos, ut ex noſtris Regionibus manifeſtum & compertum habemus,

In terra auſtrali homines acuti & ſubtiles reperiuntur.

Concludamus ergò Crucem Polarem conſtellationem antarcticam eſſe lumen ex materia prima ſublimatum, & ſurſum elatum, & in eo parte cœli collocatum, & in ſeptem ſtellas diſtributum Iovis, Veneris, & Mercurii virtutes habentes, partes auſtrales illuminantes, & has virtutes his partibus infundentes, & communicantes; ita ut omnia, quæ hiſce in terris vigent & creſcunt, hiſce virtutibus cœleſtibus exornentur.

De Pavone Polari Antarctico, quid ſit & quid influat.

CAP. VII.

PAvo conſtellatio Polaris Antarctica, eſt lumen creatum ex primo lumine materiæ primæ infuſo ſublimatum, & ſurſum elatum, & in ea parte cœli auſtralis collocatum, ac in quindecim ſtellas diviſum ac ſeparatum, quarum una eſt ſecundæ magnitudinis, in capite poſita, ſeptem verò ſunt ſecundæ magnitudinis, aliæ verò ſunt quartæ, & ſextæ magnitudinis, & omnes ſunt Saturni & Martis virtutis, & proprietatis, dicta eſt hæc conſtellatio à Ticobrahe, Pavo, quòd in formam avis iſtius diſponantur eius ſtellæ, & ſunt eiuſdem proprietatis & naturæ, ac Pavo qui Martis & Saturni ſequitur naturam & proprietatem. Ego exiſtimo hanc conſtellationem vocari ab his, qui inſulam de Maragnam incolunt yaſſatim idiomate Maragnano, eſt enim yaſſatim apud illos avis variegata, miris coloribus decorata, ut eſt Pavo inter noſtras aves.

Pavo aſtrũ Antarcticũ quid ſit.

Ex hac conſtellatione auſtrales partes (quæ adhuc nobis incognitæ ſunt, nec adhuc à noſtris perluſtratæ, niſi littora earum partium ex qui-

Pavo Antarcticus quid influat terris Antarcticis.

quibus colligimus, & ex cœlo quod nobis perfectè cognitum est, ea quæ jam diximus) suscipiunt virtutes, & proprietates Marti & Saturno correspondentes, unde incolæ harum partium, sunt colerici, & bellicosi admodum, feroces & agrestes, nihilominus satis prudentes, & acuto ingenio, quòd sint laboriosi, & quod subtili & acuta mente percipere nõ possunt, labore summo obtinẽt, inimicitias exercent crudeles, nec unquam possunt inimici inter se recõciliari, non vinum, nec frumentum hisce in Regionibus crescit, at habent radices bulbosas quibus vescuntur, sanguinemque potant recentem, ex animalibus brutis recenter occisis, fructus habent & pisces, quibus communiter vescuntur, & aliquando carne humana, ex inimicis occisis desumpta, hęc natalis crudelitas, ex Saturno & Marte cœlesti descendit in hos incultos homines, qui brutorum more vivunt, & in quemcumque animi affectum facili negotio feruntur, quòd ad virtutem humanam non edocti sint, & educati, & in his Regionibus est ferri copia & plumbi, quòd influxus huiusce constellationis hæc metalla producat, nec unquam ad auri & argenti perfectionem cõducere potest, propter caloris nativi debilitatem, & excrementorum sulphureorum copiam quæ à debili calore, separari non potest, & perindè, ad perfectionem auri & argenti devenire nequit, unde in sua corruptione permanens, & sua innata putri materia, fit ferrum & plumbum, & è contra in Zona torrida eadem penitus materia fit aurum & argentum, à fortissimo calore nativo soli illius, & fortissimo calore cœlesti qui ambo juncti materiam metallicam perfectè digerunt, & coquunt, & summoperè depurant, unde aurum & argentum in Zona torrida copiosum.

Crudelitas in viris Antarcticis unde sit.

Cur in polis rarò aurum producatur.

In Zona torrida cur aurum copiosum.

Concludamus ergò, Pavonem Polarem antarcticum esse lumen cœleste, ex primo lumine creato sursum elatum, & in ea parte australi cœli collocatum, & in suas stellas divisum ac separatum, virtutes Martis & Saturni habentes, quibus exornantur mixta cuncta naturalia, quæ in terris australibus enascuntur.

De Indico sene Polari antarctico, quid sit & quid influat terris australibus.

CAP. VIII.

HÆc constellatio etiam, nihil aliud est, quàm lumen ex primo lumine, per creationem sursum elatum, & in ea parte australi collocatum, & in octodecim stellas divisum, ac separatum magnitudinis quartæ & quintæ, & virtutis Iovis & mercurii, & est collocata hæc constellatio extra circulum Polarem, in ea parte cœli, quæ Zonam temperatam meridionalem mensurat in terra, versùs Polum antarcticum &

Senex astrũ antarcticũ quid sit.

dominatur provinciis Timor, Beach maletur bandæ, & Psitacorum regioni, & terræ igneæ, in quibus divitias ingentes producit, & præcipuè auri & argenti copiam, propter nativi caloris robur, humidum aëreum coquens, & summoperè depurans, homines verò sunt satis acuto ingenio præditi, & ad omnes artes nati, liberales sunt & magnifici, justitiam amant & colunt, nihilominus latrones insignes, & acerbè puniuntur, qui in flagranti crimine, inveniuntur. Hanc constellationem senem Indicum nominarunt, quòd prudentiam, & sapientiam infundat Incolis harum Regionum, quòd divitias, & omnia vitæ humanæ commoda terris impertiat, proprium enim senum est, hæc cumulare & persequi, pari ratione, quòd hæc constellatio producat & influat terræ, ea omnia quæ senes procurare solent suis familiis & domibus, ideo Senem vocitarunt & indicum, quòd Indiis meridionalibus dominetur & influat. Magellani vocant ipsam constellationem, & præcipuè qui Insulam de maragnam incolunt, Tuyvæ idiomati maragnano, quod seriem significat, & disponuntur stellæ eius constellationis, ad figuram senis Baculo se nitentis, unde Tuyvæ ipsam constellationé vocitarunt, id est senem qui nihil aliud est, quàm constellatio, Octodecim stellas habens, Iovis & Mercurii virtutis & energiæ, quas virtutes communicant terris & provinciis, quibus dominatur hæc constellatio, & dominatur Zonæ temperatæ nostræ oppositæ versùs meridiem, ubi mira & extra fidem ferè humanam producit, cum elementis inibi existentibus, & tota collocatur extra Circulum polarem Antarcticum, sunt qui Indum nominent hanc constellationem, & sagittam manu sinistrâ tenentem effingunt, quâ pavonem minari, & impetere videtur.

Senex antarcticus quid influat.

Senex antarcticus cur sit dictus.

De Phœnice constellatione Antarctica, quid sit, & quid influat terris australibus.

CAP. IX.

Phœnix constellatio quid sit, & in qua parte cœli collocetur.

PHœnix Constellatio Polaris Antarctica, circa Circulum polarem Antarcticum constituta, in extremitate fluvii Erydani prope illam stellam, primæ magnitudinis, quæ in extremitate Erydani collocatur, nihil aliud est, quàm lumen naturale, ex prima massa materiæ primæ, sursum elevatum, ac sublimatum à summo rerum opifice, ibique coagulatum, & fixatum, ac distinctum in quatuordecim stellas, tertiæ magnitudinis unam, & reliquas quartæ & quintæ magnitudinis, miræ virtutis, & efficaciæ, quod ex lumine claro & radianti facile est colligendum: Et ut Phœnix rara est avis, ita virtutes huiusce constellationis, raræ sunt & admirandæ, raros enim & admirandos producit effectus in meridionalibus terris fertilitatem summam, quod Copiam humidi radica-

Phœnix constellatio quid influat.

dicalis,&pinguis infundat hisce terris, prudentiam verò, & ingenium hominibus impertit, quòd eius constellationis stellæ sint virtutis,&proprietatis Mercurii & veneris, qui fertilitatem terris, ingenium verò & industriam hominibus infundere soleant, non solùm enim natura benigna est nobis, qui Europam incolimus, sed etiam benignissima est his omnibus, qui Americam incolunt, & præsertim his qui Americam australem habitant, quibus dominatur Phœnix nostra hæc constellatio, à qua constellatione, recipiunt Incolæ miras animi dotes, itaque quamvis rudes sint & agrestes, nihilominus, inter agrestes illos & duros Patriæ mores, relucet mirum ingeniũ, & industria, quæ inculta jacet, & ex necessitate otio suo rubiginem, contrahit, & marcescit, sed si excitetur, & excutiatur illud Americanum otium, & torpedo insignis, quâ detinentur omnes ibi homines, virtutes statim scintillas illius ignis cœlestes, quas ex hac constellatione suscipiunt, conspicuas & manifestas habemus.

Americani sunt ingeniosi. & unde hoc sit.

De Grue Constellatione Polari Antarctica quid sit & quid influat.

CAP. X.

GRus constellatio Polaris Antarctica, nihil etiã aliud est, quàm lumen naturale, sursum sublimatum, & elevatum ex massa primæ materiæ, & ad illam cœli partem collocatum & coagulatum, ut luceret in perpetuas æternitates, divisũ autem est illud lumen in tredecim stellas, magnitudinis secũdę duas, quartæ magnitudinis quatuor, sextæ verò magnitudinis alias quatuor, & quintę magnitudinis unam, virtutis autem sunt omnes Saturninæ & parum Martis, undè hæc constellatio infundit fertilitatem satis copiosam terris meridionalibus, sed agrestẽ & duram, frigidam & difficilis maturitatis, hominibus verò agrestes, & duros & incultos mores, crudeles, ac difficiles ad bellũ & rixam pronos, unde homines Americam australẽ habitantes, tales sunt, crudeles, feroces, ad rixas & querelas proni & faciles, unde bellatores sunt & Martẽ amant & sequuntur, & in perpetuis bellis vivunt, & hoc habẽt ex influentia particulari astrorum quorumdam, & præcipuè ab ipsa grue nostra præsenti constellatione, quæ Martis & Saturni habet virtutes & proprietates, hasq; infundit, & communicat Americanis, quibus dominatur, non tamẽ cogit ipsos, & tales ex necessitate reddit, sed pronos & faciles facit, nihilominus tamen, liberam possident animam, quicquid astra influant, anima eorum astris dominari potest, & earum influxus, in cõtrariam divertere partem: Est enim anima eorum verè humana, & divinæ originis & supercœlestis, quæ cœlestium influxus non sequitur, et si corpus cui immergitur, eos sequatur, cùm omni ex parte elemẽtare sit, & lux

Grus constellatio quid sit. & cuius virtutis.

Astra non cogunt sed inclinant.

Anima humana astris dominari potest & quare tamẽ virtutis habeat.

& lux creata in illud habeat actionem, Anima tamen sua, cùm sit lux supercœlestis, & supra corpus suum habeat potentiam, & perinde supra omne quod corpori attinet, ideo etiam influxibus cœlestibus verè dominatur, ne excusationes quærat, quòd aliquid in corpore supra se sit, quod corpus regat, ipsa est sola, quæ corpus suum omninò regit nec cœlum in illud potest, quin anima consensum præbeat, est enim lux supercœlestis & divina, quæ lucem aliam naturalem & cœlestem corpori inclusam regit, & gubernat, eiusque influxus, sua virtute irritos facit, & quamvis in corpus influat, tamen corpus humanum non omninò regit, sed hæc sola, cui imperium corporis à Creatore datum est.

Anima humana regit omnino corpus suum.

De Hydra constellatione australi Antarctica quid sit, & quid influat.

CAP. XI.

Hydra constellatio Polaris Antarctica quid sit & ubi collocata.

Hydra australis Antarctica caput habet extra circulum Polarem Antarcticum, & habet in capite suo stellam unam tertiæ magnitudinis, & in collo suo duas habet stellas quartæ magnitudinis, & sunt hæ stellæ etiam extra circulum Polarem Antarcticum: Reliquum verò corporis est intra circulum Polarem Antarcticum, & cauda sua ferè Polum attingit, & sunt stellæ duæ quartæ magnitudinis, & decē quintæ magnitudinis. Ita ut in toto corpore Hydræ nostræ Australis sint quindecim stellæ, una tertiæ magnitudinis in capite eius collocata, & quatuor quartæ magnitudinis, & decem quintæ & omnes hæ stellæ sunt ex lumine primo massæ materiæ primæ compositæ, & sursum elevatæ, in illa parte cœli australi Antarctica collocatæ, ut ibi luceant in perpetuas, æternitates, in usum & utilitatem terræ australis Antarcticæ, & sunt virtutis, & proprietatis Saturni & Mercurii, & in terram australem Antarcticam infundunt Poli virtutes & proprietates, Saturni & Mercurii: Unde hæc terra fertilis satis est, etsi jaceat inculta, propter inertiam & pigritiem habitantium, qui Saturni mores sequuntur, & imitantur, pigri admodum sunt, & inertes & otium amant, & nullo pacto sunt laboriosi, sed ad somnum & quietem proclives: Mercurius tamen excitat somnolentiam illam, & ad labores excitat, etsi cum Saturno conjunctus, Saturni sequatur naturam & essentiam, nihilominus cùm Saturnus ad labores etiam excitet, & agriculturam colat, Mercurius etiam idem operabitur & Americanos satis laboriosos & ad agriculturam pronos faciet.

Habitatores Poli antarctici pigri, & unde.

Provinciæ & Regiones Americæ, quibus dominatur hæc constellatio, plumbi argenti, & mercurii feraces admodum sunt, & lapidum prætiosorum, adamantum præcipuè & Topaziorum, & Avium colorum varieta-

Hydra Polaris antarctica quid producat.

rietate insignium, florumque & fructuum varietate colorum admirandorum, gustu tamen & sapore non insignes sunt defectu caloris nativi, qui paucus est in hisce Regionibus, quòd Sol multùm distet ab his, nec ibi luceat nisi per medium annum, ut in Septentrione nostro: lucet tamen per stellas, quæ inibi soles sunt, & virtutem solis & Planetarum aliorum huc deferunt, & sic ubique locorum virtus illa solaris asportatur, alioquin generationes & productiones rerum, ubiq; fieri non possent.

Solis lux ubique defertur per stellas alias.

De Parivogel constellatione Polari antarctica.

CAPUT XII.

Parivogel constellatio Polaris antarctica quid sit. & ubi collocata.

PArivogel cõstellatio Polaris antarctica, nihil aliud est, quã lumẽ illud primum, primæ materiæ infusum, & ab ipsa materia sursum elevatum & sublunatum, ac in ea parte Polari Antarctica collocatum, & in duodecim stellas divisum, ac distinctum, quarum decem sunt quintæ magnitudinis, & reliquæ duæ sunt sextæ magnitudinis, virtutis & proprietatis Jovialis & Veneris quibus Polum antarcticum afficiunt & imbuunt hæ stellæ, terramque polarem antarcticam decorant & exornant, ut his virtutibus decorata & insignita, generationes & productiones rerum inibi fieri possint, nam ni hæ stellæ calorem cœlestem illum infunderent terræ Polari antarcticæ, ibi præ frigore nihil fieret ac produceretur: at cœlum ubique benignum suis radiis ac influxibus, virtutem productricem, & germinatricem ubique diffundit, ad commoditatem & utilitatem hominum, qui ubique terrarum habitare debent, utpotè terra universa illis data & concessa pro domicilio, quod domicilium exornatum esse debet, omnibus quæ homini competunt ad vitam, ideo terra omnia ubique virtutem germinatricem & productricẽ habere debet, ut producere queat, quæ habitantibus competunt, ideò cœlum etiam ubiq; infundere debet suum semen, quod productionis & germinationis est vera & unica causa, non ergo cœlum in parte Polari antarctica, denudatum esse debet luminibus, à quibus semen istud prolificum descendere habet, ut opinarunt antiqui, sed multis & variis luminibus debet esse exornatum, & præsertim constellatione nostra Parivogel dicta lingua & idiomate Americano, sic nuncupata, ab ave hujusce nominis, quæ frequens & vulgaris apud Americanos, est autem hæc avis pulchra admodum & speciosa inter Americanas aves variis coloribus insignita, & nullos habet pedes, utpote terræ nunquã insedens ac superstans, sed aëri semper suspensa remanẽs quousque moriatur, tunc temporis in terram decidit, ibiq; mortua reperitur, & dum vivit, vitali illo ac nectareo spiritu, qui in aëre reperitur, utitur ad vitam suam sustentandam, nec alio utitur cibo, ut

Homines terram universam habitare debent, & perinde ubique commoda hominum reperiuntur

Cœlum ubique stellis exornatum.

Galli vocãt hanc avem oiseau de Paradis.

Parivogel constellatio cur sic dicta.

ut asserunt Americani, neque pascentem unquam viderunt. Et propter hanc insignem proprietatem & virtutem, & alias multas, quibus decoratur, in cœlum transtulerunt, & hanc constellationem quæ sita est intra circulum polarem antarcticũ propè Triangulum & muscam, duodecim stellas habentem, nomine hujusce avis decorarunt, quòd hanc avem viderent & cognoscerent Jovialis, & Veneris esse virtutis & proprietatis, ut hanc constellationem: quæ Polares antarcticos nostros prudentes facit & justitiam amantes, & res omnes pulchras & virtuosas insequuntur, quocirca non ita rudes sunt, ut perhibentur.

Polares antarctici quales.

De Triangulo Polari antarctico, quid sit & quid influat.

CAPUT XIII.

Triangulus Polaris antarcticus quid sit & ubi collocatus.

TRiangulus propè Polum antarcticum quatuor habet stellas secundæ magnitudinis unam, in cuspide Trianguli positam & hæc est vicinior Polo antarctico, quamque contemplantur omnes qui lineam Ecclypticam transeunt, Polumque nostrum arcticum amittunt, habet etiam Triangulus noster tres alias stellas, tertiæ magnitudinis duas, & unam quintę magnitudinis: Sunt autem hæ omnes stellæ hanc constellationem constituentes, ex lumine, primo massæ materiæ primæ sursum elatæ, ac sublimatæ, & in ea parte Polari antarctica constitutæ ac collocatæ, ut lucerent in perpetuam æternitatem, terramque Polarem antarcticam illustrarent, suaque virtute exornarent. Inter omnes Trianguli nostri stellas efficaciores, est illa unica secundæ magnitudinis in cuspide Trianguli posita, ac collocata & Veneris est proprietatis & efficaciæ, reliquæ omnes sunt Saturni virtutis, quæ Veneream virtutem & proprietatem coarctant, & cohibent: & harum proprietate & efficaciâ qui Polum antarcticum habitant tristes admodum sunt & melancholici, sed Veneris proprietate & virtute sublevãtur ab illa insigni mœstitia, & genio indulgent, & rebus Venereis, quibus proclives sunt à virtute illa stellę secundæ magnitudinis propè Polum antarcticum radiantis, à qua etiam germinatio & fertilitas in hac terra Polari dependet, quòd humidum pingue calido naturali permixtum, terræ infundat & impertiat, à quo solo fertilitas & germinatio in terris ortum habet. Ab hac etiã stella Polari producitur cuprum & vitriolũ, & marcasitarum genus, quo Polus hic antarcticus abundat & turget, & hac etiam stella circa eundem Polum enascuntur aquæ Thermales calidissimæ, plurimum virtutis habentes, quibus decoratur Polus hic antarcticus.

Polares antarctici Veneri indulgens & genio.

A triangulo Polari antarctico quid producatur.

De Nubecula minori propè Polum antarcticum quid sit & quid influat.

CAPUT XIV.

Nubecula minor Polaris antarctica constellatio quid sit, & ubi collocata.

NUbecula hæc minor constellatio Polaris Antarctica nihil aliud est, quàm lumen tenue & subtile admodum, adeo ut propter subtilitatem, & tenuitatem quam maximam lucere nequeat, ad lucem enim & splendorem compactio & partium lucis quædam constrictio sufficit, non subtilitas & tenuitas, quæ diaphanitatem efficiunt, potiùs quàm splendorem, & radium: In nubecula hac est subtilitas, & tenuitas luminis, ideò subobscurè lucet, sed illud omne lumen qualecumque sit, ex lumine primo primę materiæ fuit sursum elevatum, & sublimatum, & in ea parte circuli Polaris Antarctici collocatum prope polum, ad illustrationem terræ Polaris Antarcticæ, & ad fœcunditatem illius. Alii dicunt nubeculam hanc esse aggregationem stellarum nubilosarum, quæ sunt minimæ magnitudinis, & ideo lucere non posse nisi subobscurè, sed hæc omnia coincidunt in eadem, quæ jam diximus, & idem ipsũ sonant, superest tantum ut disquiramus qualis sint virtutis & proprietatis hæ nubilosæ stellæ, easque asserimus esse Saturni virtutis, eo quòd subobscurè luceant, lumen enim omne subobscurum Saturni est proprietatis, quòd terræ & aquæ plurimum insit, cœlesti tamen modo, unde obscuritas illa luminis originem habet, corpora enim elementorum præsertim aquæ & terræ etsi subtilia admodum & tenuia, si lumen vincant & superent, illud obscurũ reddunt, ut in præsenti nubecula minori, cujus lumen subobscurum est, propter elementum terræ & aquæ, quæ prædominium habent in ipsius compositione, unde etiam Saturni sequitur virtutes, & energias, & inde terrã polarem Saturni influxibus, & radiis esse subjectam asserimus, quod ferè omnes constellationes, quæ circulum Polarem Antarcticũ exornant & decorant, sint Saturni virtutis, & proprietatis, exceptis nonnullis quę Saturni naturã & proprietatẽ corrigunt & moderant, ut est Triangulus, Parivogel & Toucam. Reliquæ verò omnes, ut Pavo, Indus, Hydra, Nubecula, Cameleon, Musca, Saturni sequuntur naturam, & essentiam, ita etiam, homines ferè omnes, qui Polarem terram Antarcticam incolunt Saturni imitantur naturam & essentiam.

Nubecula minor cujus sit virtutis.

Constellationes ferè omnes Polares sunt Saturni virtutis & inde Polares omnes melancholici & tristes.

De Nubecula maiori, Polari Antarctica constellatione, quid sit & quid influat terris his.

CAPUT XV.

Nubecula maior constellatio Polaris Antarctica quid sit & quid influat.

NVbecula hæc major sita est & collocata extra circulum Polarem Antarcticum, prope piscem Dorado dictum, & ejudem virtutis & Proprietatis ac nubecula minor supra descripta, & idem influit ter-

ris Polaribus Antarcticis & Zonæ frigidæ Antarcticę, ac nubecula minor, & ex eodem & simili componitur lumine, ideo de ipsa constellatione, nihil amplius est disquirendū, cùm natura illius satis pernoscatur ex natura alterius.

De Ape Indica constellatione Polari Antarctica quid sit & quid influat.

Caput XVI.

Apis indica constellatio Polaris Antarctica quid sit & quid influat.

APis Indica est constellatio Polaris Antarctica, extra circulum Polarem Antarcticum collocata, propè Chameleontem, & suo rostro tangit fundum navis austrinæ nostræ, quam supra Orizontem nostrum videmus, hæc constellatio Apis dicta, nihil aliud est, quàm lumen primum, primæ materiæ sursum elatum à creatore summo, & in ea parte cœli collocatum & in septem stellas divisum, quintæ magnitudinis habet quinq; stellas, & duas sextæ, sic dispositæ, ut extremitas capitis & caudæ habeat unam stellam sextæ magnitudinis, medium verò corporis aliam habeat quintæ magnitudinis, & ala utraque duas habeat stellas quintæ magnitudinis, in singulis alarum extremitatibus collocatas, & sunt hæ omnes stellæ, virtutis & proprietatis Veneris & Mercurii, & corrigunt valdè ac tēperant naturam Saturni Polo australi dominantem, undè Incolæ harum Regionum rerum Venerearum amantes esse perhibentur, & terra eorum satis fertilis, etsi frigore denso detineatur per sex aut septem menses, & nocte opaca per sex menses obumbretur, nihilominus tamē dum dies est, solque lucet, per sex etiam menses germinat terra, & pullulat hoc in tempore, quicquid homini competit & ad vitam illius est necessarium, non tamen ad delicias ut in Europa nostra, sed ad victū tantum, est tamen copia animalium, quorum lacte & caseo vivunt, & copia piscium quibus vescuntur.

Terra Polaris antarctica fertilis unde.

De constellatione Polari antarctica Dorado dicta quid sit & quid influat.

Caput XVII.

Dorado constellatio Polaris antarctica quid & quid influat.

HÆc constellatio Dorado dicta, septem stellis constat, quarum tres sunt quartæ magnitudinis, & quatuor reliquæ sunt quintæ magnitudinis, ita nuncuparunt hanc constellationem à pisce hujusce nominis optimi saporis & gustus, qui in Mari Mediterraneo frequens est & copiosus, & in Oceano australi etiam frequens est & copiosus, & ita nuncupatur quòd aurei sit coloris, & rutilantis: hanc autem constellationem nomine hujusce piscis insignivêrunt, quod naturam & essentiam hujusce constellationis, ex natura & essentia hujusce piscis, dignosca-

Dorado cōstellatio cur sic dicta.

scamus, est autem Saturninæ constitutionis, & proprietatis, frigidæ & humidæ naturæ, perindè frigiditatem & humiditatem impertit, & omnia quæ in hisce terris insunt, hoc etiam temperamentum imitantur ratione constellationum frigidarũ & humidarum, quæ huic terræ dominantur, & ratione elongationis Solis ipsius, quæ in hanc terram radios suos directè mittere nonpotest, ut eam excalefaciat,

De Chameleonte constellatione Polari antarctica quid sit & quid influat terris Polaribus australis.

CAPUT XVIII.

Chameleon constellatio Polaris quid & quid influat.

CHameleon constellatio Polaris antarctica, constat decem stellis quintæ magnitudinis & est propè Polum antarcticum, inter Triangulum & nubeculam minorem cõstituta, & est virtutis Saturninæ, humidæ & frigidæ naturæ, quamvis ex luce prima sit fabricata & originem habeat ex illa luce, quæ tota calida est, cùm tamen elementa quæ compositionem ipsius ingrediuntur, sint subtile aquæ & terræ quæ alia elementa superant & vincunt, ideo lux quæ ex sua natura calorem effundit, ratione aquæ & terræ dominantis, parum caloris effundit, & ratione paucitatis, frigida & humida dicitur, quamvis ex se ipsa lux omnis, & constellationes omnes cœlestes, quę ex luce sunt, calidæ sint, & calorem vitalem effundant, alioquin terræ Polares omnes inhabitabiles essent, & nihil in ipsis vivere posset, si polares constellationes vitalem calorem suis radiis non effunderent: Effundunt ergo vitam, ratione cujus vivunt & subsistunt omnia terrena polaria, etsi frigidum & humidum habeant temperamentum, in eo enim temperamento, radicatur & vita & calor vitalis, ut in reliquis temperamentis. Est autem constellatio hæc dicta Chameleon, quòd naturam & essentiam imitetur Chameleontis, qui est species Draconis & serpentis capite leonino, unde dicitur Chameleon parvus Leo, quòd similis sit Leoni capite saltem, dicimus autem Saturni esse virtutis, & proprietatis, quòd serpentes omnes & Dracones, Saturni naturam & essentiam sequantur & imitentur.

Constellationes Polares etsi frigida sint vitam infundunt.

Chameleon constellatur Saturni sit virtutis.

De Musca constellatione Polari Antarctica quid sit, & quid influat.

CAPUT XIX.

Musca constellatio Polaris Antarctica quid sit & quid influat.

MVsca constellatio Polaris Antarctica nihil aliud est, quàm lumen sursum elatum, à sumo Creatore, ex lumine primo materiæ primæ infuso desumptum, & in quatuor stellas divisum, & separatum quintæ magnitudinis & in Poli Antarctici circulo collocatas, ut ibi luceant & radient ad usum & utilitatem hominum, habitantium terram Polarem, quibus communicant virtutem

 tutem

tutem & proprietatē, quam habent quamq; desumunt ex Saturno, quē sequuntur & imitantur terrisq; Polaribus virtutem hanc & efficaciam Saturni impertiunt, quam toties diximus ut jam repetere non sit opus, hæc constellatio musca dicta est, quòd ex proprietate sua muscarum naturam & essentiam imitetur quæ Saturnina omninò est, & melācholica, & non quòd harum stellarum quatuor figura, ex quibus componitur hæc constellatio, figuram muscæ repræsentet, non possunt enim quatuor stellæ in figuram muscæ configurari, sed Astronomi naturā, & essentiam internā rerum conspexerunt, & rebus cœlestibus nomina imposuerunt ex essentia interna astrorum, quam si ad muscas tendere cernerent, muscas hæc astra nominarunt, si ad Tauros, Taurum dixerunt, & si ad Leonū naturam inclinare conspexerint, Leonem nuncuparunt. Quid enim Leonis nomine dignius, quàm id quod Leonis naturam & essentiam sequitur, & sic ratiocinandū est de reliquis astris, quibus nomina indita sunt à prudentibus Astronomis secundum eorū naturam & essentiam: Plurimum etiā videmus in terris operari, secundùm proprietatem, & virtutem rerum, quarū nomina gerunt, & hæc dicta sufficiant de astris quę Polum Antarcticum exornant, quorum naturam & essentiam desumimus, tum ex eorum nominibus, tum ex calore & radiorum natura, quibus elucent, tum etiam ex parte ipsa cœli, cui insunt, non decet enim Zonis frigidis calida astra, & ignea dominari, nec calidis frigida astra elucere, nec temperatis intemperata, radiare, non enim hoc voluit Deus, nec natura patitur.

Musca constellatio cur sic dicta.

Nomina astris indita unde.

Vnicuique parti cœli, sua propria & peculiaria astra data sunt.

DE PLANETIS SINGVLIS QVO LUMINE CONSTENT, & qua virtute vigeant.

SECTIO QVINTA.

De Saturno, quid sit & quâ virtute vigeat in terris.

CAPUT I.

SAturnus Planetarum primus, cū sit omnium altissimus, nihil aliud esse credimus, quàm sulphur naturæ, quod Deus divina sua potentia in sublime elevavit & exaltavit ex massa illa prima materiæ mundi, lumine primo & creato actuata & informata, ex massa illa Deus assumpsit aquosam quandam substantiam ex tribus nostris principiis compactā, scilicet sulphure, Sale & Mercurio, eamq; materiam sursum sublimavit & in cœlum fluidum & liquidum ęthereum configuravit, & subtiliorem ejus partem & efficaciorem condensavit in astrum, quod Saturnum dixerunt Antiqui, quod quidē astrum etsi moderni authores, unicum & solum lumen esse asserant, nihilominus tamen quamplura adesse lumina asserit Galileus, ejusdem tamen virtutis & efficaciæ cum lumine illo visibili, quod Saturnum dici-

Saturnus quid sit.

In Saturno plura lumina.

dicimus; non sunt diversæ & variæ virtutis; sed omnes quotquot sunt virtutem Saturni continent, qui ut plurimum generaliter infrigidat aërem constringens ipsum, ne caloris vim & energiam recipiat, secundum tamen magis & minus, atque etiam parum desiccat, licet quandoque siccitas ejus in humiditaté permutetur: Est autem frigidus maximè si sit Orientalis, siccus autem si sit Occidētalis, malus tardissimi progressus, qui generaliter ex Ptolomeo, corruptiones maximas frigore præstat, ac aëris constitutionem facit glaciosam, nebulósam, ac pestilentem significat, prætereà tempestates adversas in aëre, dēsas nubes, pluvias copiosas & minimè utiles, sed damnosas & aëré præsertim Hyemalem, nives & pruinas, secundùm temporis conditionem: in fluviis ac mari tempestates Hyemales, naufragia classium, infirmitates lōgas, impetus humorū, & fluxiones. Quartanas febres, & pestes, terræ motus & terræ fructuum caritatem, inopiam & devastationem prout ipse Saturnus fuerit malè affectus, & pro varietate signi ubi collocatus fuerit in Zodiaco, Signa enim Zodiaci mutant & alterant valdè Saturni qualitates, & virtutes, & conjunctiones aliorum Planetarum nihilominus semper talis est, ex natura sua, quæ frigida & humida est, & interdū sicca, quòd principia naturæ, Sal putà & Mercurius in eo prævaleant super sulphur, unde lumen ejus est obscurū, non splendēs, non rutilans, quòd Mercurius & Sal obtundant sulphuris splendorem, ejusq; potentiā & energiam, undè Saturnus non æquè potentior, & efficacior in suis actionibus, ac reliqui omnes Planetę propter obscuritatē sui luminis, lumen enim in syderibus, quo splendidius & rutilantius habetur, eo majorem in terris & efficaciorem infundit actionem.

Saturnus quid influat

Signa Zodiaci mutant Planetarū virtutes.

An omnes stellæ quæ Saturnum sequuntur, sint eiusdem virtutis, & quid est, quòd eorum lumen non appareat.

CAPUT II.

DIximus superiori in capite, cœlum omne sive spatium illud, quo volvitur Saturnus, compositū fuisse, & compactum ex una & eadem materia, ex qua compactus est ipse Saturnus, differre tamen quòd Saturnus ex subtiliori, & splendidiori & compactiori materia hujusce cœli compactus fuerit, grandiorque stella facta indè fuerit, sequitur inde, quod omne reliquū quod in eodem cœlo, seu spatio reperitur, sit etiam ejusdē virtutis & proprietatis cū ipso Saturno, cùm ex una eademque materia facta sint indivisibili seu individua materia, & perindè e, una & eadem forma seu sulphure, & lumine, quod formā omnem constituit, distincta tantū sunt ex divisione, sed nullo pacto differunt neq; forma neq; materia, ideo non experimur diversos & varios ex Saturno nostro effe-

Saturnus an differat ab stellis aliis quæ in cœlo suo sunt.

effectus. Quòd si in eodem spatio, in quo ipse Saturnus spatiatur & volvitur, conspiciantur lumina alia multa, quæ Saturni motum sequuntur, ut Galileus asserit se vidisse, & multi etiam viderunt alii, & ego ipse vidi multoties, certum est hæc lumina esse ejusdem speciei luminis, cum ipso Saturno, & perinde esse etiam ejusdem virtutis, & proprietatis, & nullo modo differre ab ipso Saturno, sed motum ejus & naturam sequi & æmulari. Quòd si æquè non conspiciantur in cœlo illo ac Saturnus conspicitur, Ratio in promptu est, quòd ipsa lumina sint multo minora ipso Saturno, & cùm majus lumen obscuret minus, fit inde quod lucente Saturno ac radiante, cum aliis syderibus multum rutilantibus, hæc minora lumina non conspiciantur, nihilominus lucent, ac radiis, in terras suas virtutes & proprietates Saturninas tamen effundunt, & præsertim in has terras Zonæ torridæ, ubi directè, & perpendiculariter suos radios effúdunt, & inde fortasse ratio vera sumi potest, cur Zona torrida, sit ita temperata, ut temperie temperatarum Zonarum æquipolleat, etsi radiis solaribus perpendiculariter & directis subjiciatur, quòd Saturni virtutes & influxus sint ibi potentes, & efficacissimi, quòd Saturni stellæ omnes, quæ inibi directè influunt, Saturni virtutes omnes adaugeant & multiplicent suis radiis & influxibus, unde temperies illa quam maxima Zonæ torridæ, Saturnus siquidem astrorum omnium ardores & fervores temperat ac minuit, & inde etiam exoriuntur pluviæ & imbres frequentes, quæ in Zona torrida reperiuntur, quę aërem sua humiditate & frigiditate temperant.

Saturnus zonã torridam temperat suo influxu.

Concludimus ergò stellas omnes, quæ in cœlo Saturni reperiũtur, & quæ motum ipsum Saturni sequuntur, esse ejusdem cum Saturno virtutis, & idem ipsum influere cum Saturno, easque non videri & apparere, quòd minora sint lumina, & perindè lucente ac radiante Saturno, cum aliis syderibus, videri & conspici non posse.

De Saturni fabulis, quæ sint & quid Chymicè portendant.

CAPUT III.

MVlta ac varia apud antiquos enarrantur fabulosa de Saturno. Cœli & terræ asserunt filium esse, alii verò ex Tethide & Oceano ortum duxisse dixerunt: Qui quidem cùm fortis & adultus fuit, & intellexit patrem suum cœlum incarcerasse fratres suos Cyclopes & Titanas in intimis terræ antris, excogitavit ipsos è carcere educere, & liberare, ut patrem deinde è Regno pelleret, ope Titanorum, quod tandem fecit, & obtinuit ex fratribus, ut solus regnaret, pacto tamẽ inito, ut post eum, ad ipsos deinde pervenerit Regnum: Saturnus ergò sororem

Saturni fabula.

rorem suam duxit in uxorem Opem dictam, quæ cùm gravida fuisset, Saturnus ex oraculo audivit, se filium habiturum, qui patrem è Regno pelleret, ipse ergo excogitavit, se masculos omnes filios suos occidere, & devorare, Ops autem sive Rhea uxor Saturni, profugit in Candiam, ibiq; peperit Gemellos, Iovem & Iunonē: Juno declarata est, Iupiter verò occultatus, & clam enutritus in Candia: Saturnus interim captivus factus, à fratribus suis Titanis, quòd clā enutriret filios suos, ad regnandum contra legem & pactum initum, Iupiter adultus factus exercitu facto Candiorum, magno impetu advenit in Titanas avunculos suos, ipsosque superat & vincit patrem liberat, eius tamen testiculos ne prolem aliam haberet, falce excidit, & truncavit, in Italiam deinde confugit relicto Regno, qui à Iano benignè receptus ibi cum ipso in pace regnavit, & summa cum tranquillitate, hinc exortum est aureum sæculum.

Saturni fabulæ Chymica explicatio.

De hac fabula mira dicunt explicationibus suis Chymici Philosophi, & asserunt Saturnum materiam esse physicam, ex qua Chymici Elixir suum, & tincturam suam cōponunt, eaque cùm sit cœli & terræ filia cum Saturni genesi similitudinem habet, cœlum Titanas incarcerat in intimis terræ antris, hoc est calor naturalis uniuscuiusq; rei è cœlo descendens, incarceratur in intimis terræ antris, & intimis cuiuscumq; rei visceribus: calores enim naturales rerum, sunt Titanes, & veluti soles incarcerati, in intimis rerum visceribus, & præsertim in visceribus terræ, ex quibus carceribus materia nostra, seu Saturnus liberat ipsos, & ope ipsorum solus regnat solo patre repugnante, nolit enim velitq; cœlum, materia nostra, seu Saturnus noster, tādem elevatur ad summam perfectionem & cœli imperium, & potentiam habet, & ideo regnat loco cœli: calor enim naturalis liberatus ab omni vinculo, quid non potest, Cùm autem jungitur pinguedini terræ, hoc est Opi, tunc generat & producit Gemellos Iovem scilicet & Iunonem, sulphura scilicet duo, album & rubeum sulphur, album Iuno est, rubeum Iupiter, quod quidē in sua perfectione tanquam in adolescentia sua, patrem suum Saturnum à Titanibus captivum liberat, perficit enim patrem suum & ab omni elementorum sorditie vindicat, at testiculos suos abscindit, quia multiplicandi virtutem non illi relinquit, quo facto Saturnus Regnū suum Iovi relinquit, & confugit ad Italiam, hoc est ad temperamentum calidius devenit, ibique regnat cum prudentibus Chymicis, qui tanquā Iani pacifici cum Saturno nostro pacificè regnant & sæculū aureum constituunt, suis benignis Imperiis, mandatis ac legibus, sic prudentibus exponitur quod stultis pandere non creditur.

Saturnus qua ratione regnet.

De Iove quid sit, & qua virtute vigeat in terris.

CAP. IV.

Iupiter quid sit.

IUpiter Planetarum secundus, nihil aliud in natura ipsa esse potest, quàm portiuncula luminis creati ex massa prima materiæ primæ sursum elati ac sublimati in astrum cõdensati, ut luceret in perpetuas æternitates, eo in spatio seu cœlo, quo lucere cernitur, ad decorem universi, & ad virtutes suas insignes, elementis inferioribus infundendas, quibus elementa inferiora temperatas & moderatas accipiunt conditiones, in qualitate humida & calida: Rarus siquidem eius contextus, ex primis tribus principiis, in quibus sal & Mercurius rarè & tenuissimè compinguntur cum sulphure, unde lux clara & rutilans fulget, & in terras effunditur, ex qua luce rara & clara, temperies summa in aëre imprimitur, & hominibus, qui Iovis imperio & radiis subjacet, temperamentum optimum exsurgit, unde sunt bonæ indolis, & optimi ingenii & fortunati, & sani, & religiosi, cultum divinum amantes & Deum timentes.

Quare tẽperies ex Iove & cur joviales homines sint bonæ indolis.

Terris verò infundit fertilitatem summam, vini & frumenti copiam, aëris serenitatem & temperiẽ summam, unde omnia bona in terris subsequuntur, unde Gallia, Italia, Hispania, Germania, & tota Europa, fertilis admodum est, & bonis omnibus turget & abundat, quòd benignis Iovis radiis illuminetur, & his fœcundetur. Quòd si in hisdem terræ partibus, reperiantur loca deserta omninò infertilia, hoc dependet ex peculiari terræ proprietate viriata, quæ fertilitatem illam, & Iovis benignitatem suo sinu arido & lapidoso, recipere non potest: omne enim solum, fertile esse non potest, nã siccum terræ & aridum, fœcunditatem non recipit, sed tantùm pingue, crassum in quo latitat ignis naturalis, qui recipit influxus cœlestes tanquam eiusdem naturæ & essentiæ, eosq; suo innato calore sublimat, ad terræ superficiem, & semina, quæ hinc inde reperiũtur, per totam terram sparsa, suscitat & pellit ad germinandũ, Iupiter ergo, nec alii planetæ omnes saxis & lapidibus fertilitatem inducere nequeunt, sed tãtùm pingui solo, quod tantum hos benignos cœlestes influxus recipere potest.

Cur Europa sit tota ferè fertilis.

Cur solum omne fertile esse nõ potest

An cœlum Iovis habeat alios planetas præter Iovem, & an idem influant cum Iove.

CAP. V.

Plures Iovem in cœlo esse.

ANtiqui Astronomi, alium & distinctum planetam, in cœlo Iovis non noverunt: moderni verò plures agnoscunt; qui etsi clarè & apparenter non luceant, nobis nihilominus clarè & apparenter, radios effundunt, cùm luceant cœlo: Iupiter quidem maior est omnibus, & clarè

clarè micat reliquorumq; omnium lumen offundit, cùm sit inter ipsos sol eorum, à quo virtutem & splendorem suscipiunt, unde non apparent ipso lucente, cùm sint substantiâ rariori & tenuiori, unde lumen compactè & strictè recipere nó possunt, inde nec fortiter emittere, quod tamen facerent si essent substantia crassiori & densiori, in ea siquidem lumé compactius & strictius reciperetur, unde etiam fortiùs emitteretur, & perindè clarè & apparentur lucerent nobis, ut alii planetæ, artificio tamen Galilei perfectè lucere apparent, an autem cum Iove idem influant & easdem habeant cum Jove proprietates & virtutes, quæstio non levis est, cùm lumina sint distincta & varia in illo cœlo posita ex distinctione illa, & separatione videtur distincta virtutis & proprietatis separatio, nihilominus res aliter se habet, distinctio individuorum non parit distinctionem virtutis, & proprietatis, nisi substantia & essentia individuorum sit prorsus diversa, Salvia siquidem & aliæ omnes plantæ quamvis in diversis horti alicuius locis distinguantur multis ramis, hinc inde surgentibus, nihilominus omnes illi rami sunt eiusdem virtutis & efficaciæ, nec inter se differunt, etsi loco distinguantur, pari modo se habent planetæ hi qui in cœlo Jovis constituuntur, sunt omnes eiusdem virtutis & ꝓprietatis cum ipso Iove, etsi loco distinguantur, & lumine vario ornētur, Cœlum ipsum, in quo collocantur, est etiam eiusdē virtutis & efficaciæ, nam compactū est ex eadem substantia, ex qua ipsi planetæ compacti sunt, differunt tamen tenuitate, & subtilitate substātiæ, nam cœlum tenuissimæ est substantiæ, & rarissimæ, unde non lucet, propter raritatem, & substantiæ tenuitatē: Planetæ autem cùm sint densioris substantiæ, ibi lux compacta micat & lucet, nihilominus est eiusdem proprietatis, cùm sit eiusdem substantiæ & essentiæ, à qua sola proprietas & virtus emergit.

Individuorum distinctio non facit varietates virtutis.

Cœlum cur non luceat & splendeat ut stella.

Concludimus ergo in cœlo Iovis plures esse planetas, cùm conspiciantur artificio Galilei, & clarè appareant, & distinctè, eosq; esse eiusdem virtutis & proprietatis cum ipso Iove, nec ullo pacto habere distinctas & differētes ab ipso Iove virtutes, sed unum & idē influere, cùm ab una & eadem essentia formali dependeant, nec in toto Iovis cœlo alias experiamur virtutes præter ipsas suas.

De fabula Iovis, & quid Chymicè significet.

CAP. VI.

Mira & magna enarrantur de Iove tanquam hominum deorumq; patre, at fabulosa sūt omnia, & mistica: sub cortice sua continēt multa abstrusa, & naturæ secreta: fertur Saturni & Opis, hoc est cœli & terræ filiū fuisse, ut superiùs enarratū est, sunt multę & aliæ Iovis gene-

Fabula Iovis.

alogiæ, hæc sola nobis sufficiet, ut arcanum Chymicum hac genealogia occultum, reserare valeamus, prolove intelligimus spiritum mundi, qui verè cœli & terræ filius est & alumnus. Quod enim influit cœlum, tanquam semen masculi, terræ concreditur, tanquam fœminæ, & vaporibus terræ permiscetur, qui unà permixti cum cœli influentiis constituunt Iovem, seu spiritum illum naturæ beneficum, quem Deorumque hominumq; patrem verum esse censemus, propter admirabilem necessitatem, quâ egent omnia tum cœlestia, tum elemẽtaria, nihil enim subsistere potest absq; illo spiritu, ideo cùm omnia habeãt esse ab ipso spiritu & quicquid illis bonum est, ab ipso dependeat, ideo Iupiter nuncupatus, quòd juvet omnia & perinde pater Deorum hominumque vocatus est: hoc est rerum cœlestium & elementorum conditor naturalis. In Chymia facienda nihil præstantius, sine ipso nihil in ipsa fieri potest, & magnum reseratur arcanum in fabula Iovis explicanda, dum enim cœli & terræ Iovem filium esse declaramus, spiritus mundi ortum & originem pandimus, quo noto, nihil est Chymia, quàm ludus puerorum, & opus mulierum; in æthere latet Saturni & Opis ille filius nobis necessarius. Quisquis illum miro artificio ex æthere ipsum educere valeat, summus est Chymicorum, habet enim occultum illum vitæ cibum, qui universalia naturæ Regna sustentat, qui levi igne coctus, & cõgelat⁹ in salis naturam fusibilem, & permanentem melior est terra ipsa universa, unde versus hi præclari apud Trebellum.

Iupiter quid sit apud Chymicos.

Fabula Iovis Chymica explicatio.

Hi Versus continent totum arcanum Chymicum.

Si centrum Æthereum cognoveris accipe centrum.
Ætheris, & centri quære superficiẽ
Iunge superficiem centro, fit æther ab alto
Defluet in terram, terra polumque petet
Hanc hermetis avem si multiplicaveris arte,
Totius arcani Rex eris Alchymici.

Nihil doctius, nihilque præstantius in rerum natura dici potest, habes his versibus, quicquid de Iove nostro, seu æthere dici potest: nihil occultatur, at omnia necessaria clara & nota fiunt, miror quòd adhuc sint & reperiantur de Alchimia, malè feriati, qui ipsam vili pendant, quæ tantum naturæ arcanum pandit ac reserat sub fabula Iovis, quæ sic explicata sufficiet chymiæ alumnis.

De Marte, quid sit, & quid Terris influat, & an solus sit in suo cœlo.

CAP. VII.

Mars quid sit.

Mars Planetarum tertius, nihil aliud est quàm portio luminis creati ex massa materiæ primæ, sursum elati ac sublimati, & in illo universi spatio in massam solidam & firmam condensati, & in Planetam Mar-


Martis compacti, ut hinc micaret, in perpetuas æternitates, & terris ac elementis inferioribus Martis virtutes & proprietates communicaret: lumen enim illud summè calidum & siccum, quod iras accendit, quod bella facit & commovet, quod adurit & ardet, semina Martem vocamus. Quid enim violentum est & magnæ actionis in elementis inferioribus, id omne ex planeta Martis dependere diximus, bellatores omnes constituit promptos, magnanimos, necnon & crudeles, immisericordes, audaces, fortes, amabiles, iratos, amatores armorum, & rerum armis convenientium se periculis liberè exponentes, nulli obedientes, nec se submittentes, renovatores rixarum, vilipẽsores rerum omnium, quæ omnia mitigantur vel augentur, ex conjunctione aliorum Planetarum, & mutatione domus in terris producit ferrum, chalibem, salem, vitriolum & lapidem magnetem, & reliqua cuncta, quæ caliditatem & siccitatem habent.

Mars quid influat.

Mars veluti sol alter calorem summum rebus impertit, eumq; siccum & adurentem, & suo intensissimo calore vitali perficit, & maturat crudum omne & frigidum, quod in natura reperitur sine Martis influxu cruda omnia & frigida in sua cruditate & frigiditate marcescerent, nec ullum pepasmum attingere possent, sed cruda & incocta semper remanerent, & ut tantum naturæ opus facilius consequi posset, & suo officio fungi, Deus author naturæ, alios indidit eidem cœlo seu spatio planetas eiusdem virtutis & proprietatis, ut unà cum Marte hoc naturale opus perficere & absolvere queant: quãvis enim unus præcipuus sit Mars, nihilominus tamen aliæ illæ stellæ quæ Martis sequuntur viam, & semitam, eosdemq; observant motus, dici possunt Martes, & planetæ, cùm per Zodiaci viam ferantur, & sint eiusdem virtutis, & efficaciæ, cum ipso Marte.

Sunt ergò hi Planetę comites Martis, nec voluit author naturæ Martem, per hoc universum cœli spatium, solum devehi, comites addere voluit, ut plura lumina eiusdem speciei & naturæ essent, unico solo efficaciora, & sic virtutes & proprietates Martis efficaciori motu, & lumine effluerent ac terris demandarentur, cùm à pluribus effundantur in unam actionem coeuntibus, sic fortiores fiunt Planetæ omnes, cùm habeant coadiutores suæ actionis, cùm enim hi septem sint, totius naturæ gubernatores, tanto officio consonum videtur, plures esse subsidiarios planetas, qui ei officio præsto sint, ut nihil deficiat universæ naturæ.

Cur singuli planetæ habeant comites multos eiusdem virtutis.



De Martis fabula, & quid ea Chymicè significet.

CAP. VIII.

Martis fabula.

MUlta apud antiquos de Marte enarrantur, eaque ficta, & ridicula asserunt ipsum Iunonis filium sine patre, cùm enim Iupiter tacto suo capite Minervam concepit, Juno idem agere tentavit, & concipere voluit absque viro, ideo cùm ad diversas terrarum plagas veheretur, ut tanti secreti compos fieri posset, ab ipsa Flora admonita fuit dari florem in campis oleniis, cuius floris tactu solo, ipsa conciperet, hoc tentavit Iuno, & illico sine viro concepit, & peperit Martem nostrum.

Martis fabula explicatio Chymica.

Nihil fabulosius & ridiculosius inveniri potest, nihilominus tamen sub tali cortice, & suo risu mirum occultatur arcanum, Iuno infima nostra aëris regio est, quæ sine viro hoc est sine suprema ætheris & cœli regione, concipere & gravida fieri cupit, hoc impetrat, exhalationes & vapores terræ suscipiendo, qui sunt veluti flores naturæ, tactu horum florum, concipit infima nostra aëris regio, & parit tonitru & fulmen, Martem verum, quòd magna subvertat.

Sulphur siquidem præter naturam, & ignis qui nobis dicitur elementaris, ab infima nostra aëris regione concipitur absque cœlo concurrente, hoc est non descendit suprema aëris regio, quæ Iupiter dicitur & verus Iunonis maritus & frater, hæc regio non concurrit ad generationem ignis præter naturam, qui in hac regione reperitur, quamvis tamen generaliter loquendo invisibiliter & spiritualiter concurrat, nihil enim in rerum natura sine utroque parente, generari potest, at quia hic ignis, & omnis eius species, nunquam pervenit ad supremam aëris regionem, ideo pater eius non creditur, cùm pater non extinguat, & suffocet filios suos, sed carè foveat & alat, ignis ergo & fulmen, cùm in nostra & media aëris regione concipiatur ideo in ea sola fovetur & conservatur, Mars autem hic rectè dicitur à Poëtis antiquis, cùm omnia voret, vastet ac ad sui naturam convertat, Mars enim & ignis, nunquam satis dicunt, multa alia dici possent de Marte & igne, sed hæc clariora fient cùm de comœtis & ignibus in aëre generatis tractabitur, in quo loco remittenda sunt quæ de Marte dicenda supersunt.

Mars & ignis nunquã satis dicunt.

De Sole quid sit, & quid terris influat.

CAP. IX.

SOl pater & scaturigo vitæ, caloris, & luminis, nihil aliud est quàm lumen ipsum creatum, in corpus solis compactum, è massa materiæ primæ sursum à creatore elevatum & sublimatum, & in ea parte mundi in qua lucere videmus, in unam massam solidam ac firmam luminis concretum, ut ibi luceat in æter-

Sol quid sit.

Sine sole nihil existere possit: lux est vita principium.

ternum, lucemque suam infundat omnibus rebus mundi, ut inde lucē, vitam, & esse habeant, sine sole enim, nihil in natura existere posset, unà siquidem cum luce, vita & esse infunduntur: lux etenim, & vitæ & esse veri principium est, cùm sit forma cuiuscumq; rei, cùm autem formale esse cuiuscumque rei, in perenni & perpetuo sit fluxu, eget unaquæq, res conservatore perenni, ut labile illud sui ipsius esse perpetuo resarciatur, ideo Deus summus naturæ opifex, lumen in sole firmiter compegit & congelavit, ut inde tanquam ex perenni fonte, lux emanaret, luces alias formales, in rebus omnibus fovens, conservans ac nutriens, non enim tantùm lux solis illuminat & omnia collustrat, sed & illuminando, & collustrando omnia fovet, conservat & nutrit, & cibus ille vitæ occultus, qui in reb9 omnibus inest, in aëre, in aqua & in rebus omnibus, nihil aliud est quàm lumen innatum, & occultum in centro cuiuscumque rei, sit lumen illud pereat & evanescat, perit & evanescit cibus ille vitæ occultus, qui rebus omnibus inest. Vnde unaquæq; res in rerum natura, solem habet internum, quo vivit, &; quo vitam aliis rebus omnibus impertire potest, at hic sol & hæc vita sustentatur & conservetur à cœlesti nostro sole, qui radiis & lumine effluenti suo, solem hunc particularem & vitam uniuscuiusque rei, perpetuo conservat & fovet, alioquin periret & suomet ipso calore tabesceret, & marcesceret, ni perenni illo lumine cœlesti effluenti refocillaretur.

Cibus occultus in rebus omnibus est lux.

Quæq; res naturalis solem habet internum quo vivit.

At quia fotus ille labilis est, & fluidus cùm non sint fixus & permanēs, ideo perfectè & absolutè ab eo resarciri non potest, fluxus ille deperdit9, unde invita illa reparatione, fiunt morbi, & mortes inde im̄aturæ consequuntur, quòd reparatio illa exalimentis, & radiis cœlestibus sit labilis & fluxa. Vnde excogitarunt antiqui Philosophi, lucem illam internam, sive solem rebus omnibus intrinsecum, vitæ fomitem, & verum cibum perfectè & absolutè coagulare, ac summoperè purificare, & ab omnibus elementorum impuritatib9 vindicare & ita præparatam lucem & solem viventibus administrarūt, ad eorum vitæ fœlicitatem omnem, & cùm in aëre purior lux, & nitidior solis radius reperiatur, ideo ex aëre miris modis excogitarunt illum solis radium extrahere, & aquam fieri, quam summè depuratam, tanquā verum & legitimū Hermeticæ scholæ, Mercurium, levi igne ac cōtinuo, coagularent, & solem fixum, & lucē perfectè coagulatam habuerunt, verum & legitimum rerum omniū alimentū, sic & in terris, & præ manibus solem habuerunt cœlesti æquipollētem, qui radiis suis & influxu omnia perficit, omnia vivificat, omnia à morte prǽservat: ignari hoc fabulosum hoc ridiculum existimāt, sed ipsimet vero risu digni sunt, cùm hanc lucem percipere nequeant, omni-

Sol rerum internus quomodo habendus & fixandus.

Misochymici reprehenduntur.

mnibus obviam, & omnibus necessariam, & sine qua vivere non possumus, id negant esse, quo persistunt & quo vivunt. Perpendant ergo an ne risu digni habeantur, vel potius sibilo ex theatro naturæ explodi mereantur, cùm ipsum solem credere nequeant.

An circa solem sint lumina varia, solis virtutem habentia.

CAP. X.

An plures sint in cœlo soles.

NEmo antiquorum excogitavit unquam, circa solem esse lumina varia ac distincta, quæ luceant ac splendeant ipso lucente sole, eumq; solem concomitentur in itinere suo, easdemque prorsus emittant virtutes & proprietates: Id autem ignorarunt antiqui omnes, quòd artificiũ illud Galilei non cognoverint, quo longinqua quæque quacumque distantia distent, oculis nostris cerni & conspici possint, itaque artificio illo omnia, quæ in cœlo sunt, perfectè videmus, circa solem plura ac varia lumina, variç magnitudinis conspicimus, quæ alioquin lucente sole cerni non possunt, cùm maius lumẽ obscuret minus, nihilominus perspiciliis illis luce illa meridiana cernimus mira & inaudita circa solem. nec est quòd ea apparentia tantùm, & veluti in aëre ficta credamus, operante luce refracta, quod ea conspiciantur omni tempore, sereno, & opaco tamen, modo sol modicè luceat, sive oriatur, sive occidat, quod tamen si id esset apparens & in aëre refractum velut Iris, id non fieret omni tempore, sed una & peculiari quadam aëris dispositione, extra quam Phænomena illa apparere non possent, at cùm semper appareant, realia & vera esse oportet, quæ lumina nihil aliud esse possũt quàm portiunculæ luminis creati, ex quo sol factus est, quas luminis portiunculas Deus naturæ creator, sejungit ab ipso sole, & distinxit & separavit, ut essent solis administratores & coadiutores, ad emittendum virtutes solares: sunt enim veluti soles parvi, qui virtutem solis recipiunt, & lumen, & in terras effundunt mirum naturæ arcanum, nihil enim Deus voluit solum, & unicum in natura persistere, etsi sol ita dicatur ab unitate, & solitudine, sol quasi solus, nihilominus habet alios subsidiarios, non tamen æquales virtute & lumine, sed minores, ut minima illa virtute & luce, quamvis ab ipso sole dependente, sint soli subsidio, & adminiculo, ad proprietates suas & virtutes terris demandandas.

Soles qui circa solem existunt ad quid sint.

Esset ne naturæ consonum, ut totum illud spatium, quo sol circumfertur, esset lumine orbatum, cùm proprium & consonum cœli sit, esse luminibus distinctum, & variegatum, ego existimo non solùm circa solem esse lumina varia ac distincta, sed per totum illud spatium seu Cœlum, quo sol defertur, esse etiam varia lumina, quibus illud spatium illustra-

Cœlum solis

est luminibus variis distinctum.

lustratur, & condecoratur, & mira illa solis virtute & efficacia condonatur, ut etiam tempore noctis varia illa solis lumina, irradient & splédeant, sed cùm firmamenti lumina, etiam tunc temporis splédeant, hæc lumina à cæteris propriè non distinguuntur, cum motu illo communi diurno à primo Mobili unà cum cæteris convolvantur, unde reputantur esse firmamenti lumina.

De solis fabula, & quid ea Chymice significet.

CAPUT XI.

Solis fabula qualis.

MUltis & variis fabulis obscuratur & ipse sol, nec lumine suo ab ipsis fabulis, se extricare potuit, ejus originem ignorarunt permulti antiquorum, multi tamen filium esse Thiæ & Hyperionis declararunt, & horum parentum nominibus, veros solis parentes declararunt θυιος enim divinum significat & ὑπέϱιον supereuntem, quasi divinitatem supereuntem, solem generasse, ac produxisse, nobis hæc nomina indicent, quod à veritate alienum nō est, Deus siquidem super omnia excellens solem creavit, vel lumen quod omnibus excelleat, & quod propter excellentiam suam divinum nominari queat, possumus asserere, id indicare voluisse, dum Thiæ & Hyperioni solis genealogiam attribuerūt lumen enim est vere τὸν θυιὸν & ὑπέϱιον & solis pater & origo, ut capite superiori satis admodum declaratum est: & hoc antiqui indicare voluerunt, cum hoc commentum de sole fecerunt, quod verè commentum non est, sed ipsius solis productionis veritas ex lumine illo creato & massæ materiæ primæ immisso, materia illa prima vera Thia est, & lumen est Hyperion, sed altiùs adhuc hoc repetendum est, & profundiori Chymico arcano solis productio indaganda est, habent Chymici solem cœlesti non inferiorem, qui cùm ex intima aeris luce, & humiditate aeris procreetur, ex Thia & Hyperione procreari & produci asserere possumus: Thia siquidem est vera illa interna aeris humiditas, & Hyperion est lumen illud internum aeri immissum, quæ duo solem nostrum Chymicum constituunt, & pariunt. Hyperion enim est verè lumen, cùm super omnia transeat, unde verè Hyperion dici potest, & humiditas illa intrinseca aeris, vera Thia est, cùm adeo magna sit & excellens, ut sine ea nihil subsistere possit in rerú natura, unde verè Thia & divina nuncupari meretur, propter excellentiam, & summam necessitatem, quam in rerum natura habet, & obtinet rebus in omnibus.

Sol Chymicus qualis sit

Sic sub antiqua illa genealogia solis, continetur & occultatur mirum illud Chymicum arcanum, quo tota Chymia illustratur, & quo Chymia fulget, super omnes scientias, tanquam sol super alios Cœlestes Planetas, & reliqua cuncta lumina, de quo plura Deo dante in sequentibus

Sub genealogia solis, solis essentia continetur.

tibus capitulis dicendum erit, nam sol ille internus rebus omnibus inest, & ubique lucet.

De Venere quid sit, & quid terris influat & communicet.

CAPUT XII.

Venus quid sit.

VEnus Planetarum quintus, nihil aliud est quàm lumen coagulatum, & condensatum in massam solidam, ex lumine primo materiæ primæ sursum elatum, & sublimatum, & in ea parte cœli ubi Venus lucet, fixum factum, & in corpus solidum redactum, ut ibi luceret in æternum, & terris suas virtutes miras communicaret, lucẽ suam & radios infundendo: Lux siquidem quę emittitur ex corpore illo, suas omnes virtutes habet, cùm substantię tenuissimæ portiuncula sit, quę ex corpore fixo perpetuo emanat, & sic virtutes & proprietates, ex eo educit, & foris comunicat, alioquin cœlestes virtutes inferioribus rebus communicari non possent, nec aliarum rerũ naturalium virtutes communicari possent, nisi substantiæ tenuissimæ, & volatiles ex corporibus effluerẽt, quæ virtutes illas efferrent & aliis impertirent: sunt enim virtutes & proprietates accidentia quæ esse nõ possent, & persistere in rerum natura, sive essentia propria, cujus sunt virtutes, unde non possunt communicari & deferri alio, nisi mediante substantia tenuissima, cujus vehiculo, deferuntur hæ virtutes.

Virtutes cœlestes sunt radii lucis.

Venus ergò & cæteri omnes planetæ, per radios suos & lumen deferunt virtutes suas & proprietates rebus inferioribus, & hę virtutes sunt, fertilitas rebus in omnibus, humidi radicalis copia, & abundantia, honestas & amor, & beneficentia, & animi dotes insignes, unde qui venerem habent fœlici aspectu ridẽtem, acuto sunt ingenio, & probis moribus, magnanimi, & liberales, honesti & rerum honestarum cupidi, & terræ regiones quibus dominatur Venus, sunt fertiles admodum & feraces frumenti & vini, quòd temperiem summam, & humidi radicalis copiam, hisce regionibus infundat, cujus humidi radicalis copia, adest fertilitas, & reliquæ omnes virtutes: nam humidum illud, est vitę principium, & fomes, & Venus multum illius humidi infundit, & quasi sol alter, à quo summum commodi, utilitatis, & beneficii, suscipit universa terra, & omnes habitantes ipsam, & qui Venerem non habent benefacientem, ingrato nati sunt solo, & semper aliquid incommodi patiuntur.

Venus quid influat.

Concludamus ergò Venerem esse Planetam beneficum admodum, quòd claro & limpido lumine primo, ex materia prima sursum elato, & in planetam coagulato constet, ex quo exsurgunt insignes hæ omnes proprietates, & virtutes, quas superius descripsimus Nec lumina quæ circa venerem apparent, ac lucent, sunt diversę virtutis, quicquid enim est in cœlo veneris, est Venus, nec in illo spatio, diversum & distinctũ virtute,

tute, & proprietate lumen conspicitur, & perinde non est quod capitulum distinctum habeamus pro his luminibus, cùm sint omninò ejusdē virtutis, & efficaciæ cum ipsa Venere, & ex eodem lumine primò creato materiæ primæ sumpserunt originē.

Quicquid est in cœlo veneris est Venus.

De fabula Veneris, & quid ea Chymicè significet.

CAPUT XIII.

Veneris fabula.

FInxerunt antiqui Venerem enatam fuisse, ex spuma maris, ex testiculis Saturni in mare projectis, & ex concha prodiisse. Hâc fabulâ nobis indicarunt generationis, & multiplicationis virtutem tanquam veram venerem, ortum duxisse, ex virtute ignea cœli, quæ est veluti Saturni testiculus, nam masculina virtus Saturni sive cœli, radius est, & influxus cœlestis, qui ab ipso cœlo abscinditur, & elemento aquæ projicitur, ut ibi cum spuma maris, hoc est, cum reliquorum elementorū semine permisceatur, & sic oriatur virtus germinativa rerum, seu nostra alma Venus, quæ rebus omnibus inest, unde sic videtur dicta, Venus quasi ad omnia veniat, nihil enim est in rerum natura, cui Venus nō adsit, aut mortuum est, & omninò sterile, vis illa germinatrix & prolifica, quæ ex vita immediatè dependet, venus nostra est, quæ in omnibus rebus reperiri necesse est, aut res omnes imperfectę essent, & mancum quid haberent, quod virtute germinatrice destitutę essent: Donum enim principale, & præcipuum quòd à summo creatore habent, est illud quo se multiplicant & germinant, & quo, à nihili abyssu se tuentur: & tanti donum illud fecerunt antiqui, ut divinitatē in ea constituerint, & virtutem illā Deam fecerunt, quam Venerem dixerūt, de cujus potestate mira & stupenda narrarunt, sed sub fabulis cōtecta obscuris, ut plebecula his arcanis particeps fieri non posset, ut cū Marti fecerint Venerem amicam & amasiam: Hoc intelligere voluerunt belli impetus omnes, cohiberi posse matrimonio, & sola Venere, quæ pacis symbolum est, rebus in omnibus, nihil enim Veneri jungitur, quin sit pacificum, finxerunt etiam, Venerē à Jove aere suspensam fuisse, ut sapienter & occultè indicarent Physicis, vim germinatricem & productricem rerum omnium, in ipso aere suspensam detineri, & ab ipso fomitem & alimentum suscipere debere, cùm in ipso aere vis prolifica, præ cæteris elementis lateat & occultetur, sic fabulis occultarunt antiqui, quod pandere noluerunt.

Virtus masculina Saturni qualis sit.

Venus unde dicta.

Venus cur aëri suspensa à Iove.

De Mercurio, quid sit, & quid terris influat & communicet.

CAPUT XIV.

Mercurius quid sit.

MErcurius Planetarum sextus, nihil aliud est, quàm lumen coagulatum, & fixum factum, è primo lumine creato, & materię primę immisso, sursum elatum & sublimatum,

rum, &in ea parte cœli, in qua lucet, à creatore positum, ut ibi luceret & influeret terris, & elementis inferioribus suas virtutes in perpetuum: Subtile enim materiæ primę sursum elevatum est, ut in crassum ejusdem materiæ ageret, sic facti sunt cœli, & cœlorum lumina, ut agerent in inferiora, superna enim activa sunt, inferna verò passiva, quòd crassa sint & perinde susceptiva & capacia actionis, illius subtilis quod sursum elevatum, subtile enim illud suum crassum & fœculentum iterum intrare cupit, est enim summus amor inter ipsa, ut subtile crassum attenuare queat, & sursum evehere unà secum agens siquidem omne, passum sibi assimilare tentat, sic cœlum in terram agit ut terrã attenuare possit, & sursum elevare, & secum unire, unde non imeritò nonnulli Physicorum asseruerunt formas inferiores, à superioribus foveri, & superiores inferiorum benignitate nõ destitui, & superius idem esse quod inferius, & inferius idem quod superius, ut actionem illam superiorem cũ inferioribus certam & apparentem efficerent, de qua nullatenus est dubitandum, cum & ipse Mercurius, nobis apparentem faciat, ipse enim quibus influit & præest, ipsos omni arte, & omni scientia delibutos facit, sunt enim Mercuriales ardeliones omnes, & omniscii, liberales & magnanimi, si mercaturam exerceant, in ea utilitatem quammaximã consequuntur, & fortunati sunt, in quocumque negotio exsequendo, si verò infortunatum habeant Mercurium, parum prosunt in mercatura facienda, mendaces sunt, & omnibus se accommodant, ut miserè vivant: Terris verò & Regionibus quibus dominatur, fertilitatem magnam communicat, vini & frumenti copiam, & omnium terræ fructuum abundantiam, propter pinguẽ & humidam radicalis humiditatis substantiam, quam rebus omnibus infundit, & dicitur hic Planeta Mercurius, quòd plus cæteris omnibus infundat humiditatis radicalis, humidum enim radicale, apud antiquos dicitur Mercurius, & quòd humidum illud, quod Mercuriũ dicimus omnibus insit rebus, & rebus omnibus quibus inest se accommodet, & earum virtutes & proprietates induat, ideo Mercurium cœlestẽ illi dominari & præesse asserimus, undè & omnes virtutes Mercuriales habet, & quod agit Mercurius in cœlestibus, idem ipsum agere videtur humidum radicale nostrum in inferioribus, nihilominus tamen ab ipso cœlesti gubernatur & dirigitur, ita ut nihil agere possit, quin ab ipso cœlesti Mercurio id ipsum suscipiat.

Mercurius quid influat

humidum radicale dicitur Mercurius.

Habet & Mercurius quàm plura lumina circa ipsum, quę ipsum concomitantur, & sequuntur, quæ quidem non existimo variæ esse virtutis, sed ejusdem omninò, cùm in ipso cœlo reperiantur, & eundem motum observent quæ virtutem eandem denotant & efficaciam, motus enim

Mercurius habet in cœlo alios. Mercurios.

enim diversus & locus varius, formam variam & diversam arguunt: locus potissimùm varius & distinctus, variam & distinctam arguit formam, unde cum nec locus nec motus sit distinctus, nullam etiam proprietatis distinctionem & varietatem suspicari debemus.

De fabulis Mercurii, & quid hæ Chymicè significent.

Caput XV.

Mercurii fabula.

MUlta eaque varia finxerunt antiqui de Mercurio, nonnulli eum dixerunt filium esse cœli, & diei, alii ex Jove & Maja ortum duxisse, alii alia dixerunt, & multos Mercurios fecerunt, sed nos hanc varietatem omittentes de illo Mercurio dicemus, cujus pater cœlum fuit, & dies mater, nam hæc fictio veritati quadrat, Mercurius siquidē ut planeta est, cœlum verè pater ejus est, lumen enim quod verum cœlum est, & dies ortum dederunt Mercurio nostro, est lumine enim Deus fecit Mercurium nostrum, cujus obscœniis dicitur excitata natura, nam Mercurii facultate & virtute natura universa excitatur ad germinationem & productionem, undè Mercurius est pater fœcunditatis, & bonorum omnium fons, & antiqui in sua domo hauriebant tanquam ex fonte inexhausto, bonorum omnium genus, & sic rectè dicitur excitata natura Mercurii obscœniis, nā sine Mercurio sterilis omninò esset, imo persistere non posset, unde ipsum mercaturæ Deum fecerunt, quasi sit ille solus inter Planetas, qui rerum supernarum cum inferioribus commercium exercet, & est vera merces, cujus ope & auxilio tota natura persistit: finxerunt etiam antiqui animas ad orcum deducere & reducere, & nihil sine Mercurio vivere & mori posse, quod verissimum est: nihil enim ad generationem & corruptionem adduci potest, sine Mercurio, est enim solus ipse, qui generationes & corruptiones rerum omnium peragit, unde verè dicitur animas ad orcum & lucem deducere, & pacis & belli esse nuncium, & consiliatorem, dum enim res omnes in esse persistunt tunc pax est, & concordia rebus, dum verò intereunt, bellum & crudele bellum denunciatur, Argum occidisse ferunt, quòd lumen cœleste, verum Argum, in rebus omnibus figat & coagulet, sic enim occiditur, quod semper vigilare habet ad custodiam corporis nostri.

Mercurius est fœcunditatis pater, nam tota natura eo excitatur.

ad productionem.

Cur Argus occidatur à Mercurio.

De Luna quid sit, & quid terris influat & communicet.

Caput XVI.

Luna quid sit.

LUna in rerum natura luminare minus, ut sol Luminare majus, ultima cœlo, & citima terris, solis discipula, obsequitur cursibus supernis, & prout accedit ad solem, vel recedit ab eo, crescens vel senescens

 dispen-

dispensat lumen, ideò semper lumine mutabili conspicitur nec semper eadem est, nec esse potest, cùm à sole lumen recipiat, quod quidem, cum horum Planetarum motus sit varius, uno & eodem modo semper illuminari nequit, hinc arguerent multi Lunam non habere ex se lumen, propter ipsam luminis varietatem, nam si lumen internum & formale haberet, luceret æqualiter, sed cum æqualiter non luceat, id ab alio dependere certum est, cujus illuminatio varia est: multi astronomi certissimum istud credunt. Alii verò Lunã nobis asserunt ex dimidia parte sui luminosã esse, & ex illa tantùm parte radios nobis effundere lucis, sed cùm suum corpus undiquaq; cõvolvi necesse sit, ut influxus Planetarũ superiorum recipiat, nobis secundũ illum motum, dimidiam aliquando faciem, tertiam & quartam faciei partem ostendit, dum verò ad nos integrè conversa est, totam nobis ostendit faciem, & suos omnes radios ad nos transmittit, donec pedetentim iterum cœlum versùs convertatur, & sic nobis facies Lunæ diversa apparet, & diminuta: At hæc opinio magis subtilis est quàm vera. Tutissimum est, & verissimum antiquæ opinioni adhęrere, & asserere Lunam habere ex se lumen cùm ex lumine creato materię primæ sit compacta, non tamen adeo luminosum & radiosum, ut hos quos fundit radios ex nativo & intrinseco suo lumine fundat, sed hoc lumen, quod nativum habet lumine solis refocillatum, & quasi vivificatũ, lunares nobis dare, & communicare radios & influxus, quòd si omnes cœli stellæ, & planetæ, ab intrinseco sui ipsius esse lumen fundant, quòd ex lumine sint compacti, & fabricati, quidni & Luna suum ab intrinseco lumen fundere debet, quod & Planeta sit & eadem substantia luminis sit compactus, ex qua sunt cæteri Planetæ: Luna varios habet effectus, ut varii sũt sui radii nunc enim senescentes, nũc vividos fundit radios, sic & effectus & influxus sui varii sunt & inconstantes, nunc sereni, nunc pluviosi, sic & homines, quibus Luna dominatur, inconstantes sunt, nec tenaces sunt propositi sui, sed in omnes sententias se convertũt, quod hodiè promittunt, cras omnino negant: Terræ etiam & Regiones quibus luna dominium habet, nunc fertiles nunc steriles experiuntur, & Lunam omninò sequuntur, quòd jam succi plenæ reperiantur, nunc verò vacuæ & aridæ, secundùm lunæ senescentes, vel adolescentes dies, qui terræ fertilem succum vel sterilem infundunt.

Luna cur lumen variet & mutet.

Lunæ varii effectus.

De Luminibus quæ circà Lunam apparent.

CAPUT XVII.

MUlta lumina circa Lunam apparent diversæ magnitudinis, quæ multos stupefecerunt, & Astronomos omnes pręcipuè qui hoc novum, & inauditum apud antiquos

Varia lumina circa lunam seu Lunæ plures in cœlo.

quos admirarũt, & superspicilia illa Galilei, quibus hæc conspiciuntur, honorant cum adorare nequeant nam arcana & secreta cœli omnibus occulta, his solis perspicilus manifesta fiunt: infinita ferè lumina cœlestia præter communia & visibilia comperta sunt, quorum gratiâ Astronomia nostra, ab antiquorum Astronomis jam toto cœlo distat, nõ quòd alia sit omninò, & diversa, sed quòd multa & quàplura sint in nostra Astronomia, quàm in antiqua, ut verbi gratiâ quàmulta sunt lumina in spatio seu cœlo in quo Luna volvitur quæ antiquitus ignorabãtur: hęc autẽ lumina, nõ sunt frustra cum luceant & cũ luce sua virtutes miras terris infundant, sunt autẽ hæ virtutes, cum lunę virtutes non mutent, nec alterent, nec diminuant, ejusdem efficaciç & operationis, cum ipsa luna, & perinde hæc lumina, ex eadem luminis essentia ac ipsa luna, sunt compacta & fabricata, & cœlo lunæ defixa sunt, ut lunę coadjuvẽt, & subministrent, motum etiã habẽt eundem, & simili luce vigẽt ac scintillant: ob quam rẽ nullo pacto dubitandum, quin similes habeant cũ luna proprietates, & similibus tum terræ regionibus, tũ hominibus influãt, quibus & luna influit, & sicut in terra quammulta sunt rerũ individua, quę lunę proprietates sequũtur, sic etiam & in cœlo quamplura esse oportet, quæ etiam lunæ habeant virtutes, ut nihil in terra sit quin idem & in cœlo reperiatur, ut verissimum sit, quod est inferius, est sicuti quod est superius, & terræ & cœli reperiatur eadem imago, unde nam enim fierent in terra distincta illa, & separata ejusdem virtutis & efficaciæ individua, nisi causa formalis & efficiens in cœlis reperiretur, quæ distinctionem illam & separationẽ ageret, quæ distinctio, à pluribus agentibus ejusdem virtutis citiùs celebratur, quàm ab uno agente ejusdem virtutis, cum unã tendat ad unitatem, & plura ad divisionem, & multiplicationẽ, imò si unũ tendat ad pluralitatem & divisionem, id agit non ratione sui, sed ratione pluralitatis ut ita loquar, quam potentialiter & virtualiter in se continet, unum enim fuerunt omnia, sed illud unum erat tunc tẽporis virtualiter & potentialiter omne, & ratione illius virtutis, unum in omnia divisũ est, sic unũ ratione virtutis pluralitatis, quam in se cõtinebat, factum est omnia, & illa omnia ratione unius, à quo dependent & quod virtualiter in centro habent, in unum etiam iterum redire habent ut in æternum quiescant: est enim in unitate quies, & perinde unitatem quærunt omnia, ut in ea tandem quiescant.

Lumina quæ circa lunam conspiciuntur sunt ejusdẽ virtutis cũ luna.

Cur Luna plures in cœlo esse debeant.

Quies in unitate consistit.

Plura ergo in cœlo Lunæ, reperiuntur lumina, ejusdem virtutis & proprietatis, ut plura in terris producãtur individua, quæ Lunæ habeant virtutes & proprietates, & quod de Lunæ luminibus dicimus, idẽ & simile afferimus, de reliquorũ Planetarum luminibus, quæ etiam reperiri plura.

ri plura asseruimus, in suis spatiis, & cœlis, in quibus convolvuntur.

De Lunæ fabulis, & quid hæ Chymicè significent.

CAP. XVIII.

Luna fabula.

QVamplurima enarrantur ficta & fabulosa de Luna apud antiquos, eaque omnia veritatem sub cortice suo continent, fertur imprimis Lunam ortum duxisse ex divina luce, quàm Hyperion dicunt & Thian, & eandem tribuunt Lunæ originem ac Soli, nihil autem verius est quàm lumen æternum, & verè divinum Solem & Lunam ex luce fecisse, hoc enim testantur sacræ scripturæ, dum asserunt lucem creasse primo die, deinde quarto die fecisse duo Luminaria magna, ex luce illa præexistente, quæ tota divinitus coagulata est in Luminare majus & in Luminare minus, quæ duo Luminaria sunt Sol & Luna, quæ facta sunt ex lumine illo præexistente, & per totam mundi massam diffusa, unde non immeritò dicunt antiqui Lunam ortum suum duxisse ex Hyperione & Thia, hoc est ex luce, quæ Hyperion est, hoc est supervadens, & per omnia volitans, lumen enim ex quo Luna facta est, super omnia volitabat, & omnia equitabat elementa, unde verè Hyperion erat.

Lunæ origo vera & terra.

Fecerunt antiqui Lunam aëris uxorem ex quorum copulatione exsurgit puella pulcherrima, Ros dicta, rerum omnium altrix, ex quo secretissimum habemus arcanū patefactum, aër enim & Luna simul juncti pariunt humiditatem illam radicalem, quæ res omnes substentat & conservat, & Rore deportatur per omnes terræ partes, ut vitalis spiritus qui in ipso rore continetur, per totam mundi massam facillimè deferatur tenuitate sua, & ut adhuc tenuius deferatur, in ventum ex rore convertitur & per ventum sic omnia perflat elementa, & sic vitalis illa virtus undiquaque defertur, radio, vapore, & vento, unde non immeritò finxerunt antiqui Lunam adamasse Pana, Pan enim apud antiquos nihil aliud est quàm spiritus ille vitæ à Luna & aere productus, non enim mirum est matrem adamare filium suum, & verè dicitur ipsum adamare spiritum, quòd ad hoc à summo creatore creata & facta sit ut vitalem illum mundi spiritum elementis inferioribus ultimo communicet, quamvis enim reliqua astra conferant, ad productionem illius vitę spiritus, nihilominus tamen luna quòd sit astrorum ultima & elementis inferioribus proxima, dicitur ultimo producere illum spiritum, quòd ipsa sit ultima, quę in ejus elaboratione, suam operā communicat, & sit mater ejus, ex consensu Chymicorum omnium, unde plus tribuit, quam reliqua cuncta, generationi huic, unde etiam hic spiritus Luna dicitur, propter conformitatem quam habet cum Luna

Venus qua ratione vitalis.

Pan quid sit

Luna cur dicatur producere spiritum mundi.

& hos

& hoc omne indicarunt antiqui, cum Lunam asseruerunt adamasse Pana, & uxorem esse aeris in productione vitalis mūdi spiritus, multa alia enarrantur fabulosa de luna nostra, quæ possent Chymicè explicari, sed hæc sufficient ut quæ necessaria sunt filiis Hermetis non occultentur, sed in lucem prodantur.

Conclusio Libri secundi.

Caput XIX.

Conclusio libri secundi

HAbes, amice Lector, omnia quę de cœlo (& quę in eo continentur) Chymicè enarrari possunt, nova fortasse tibi erunt, quòd in nullis authoribus hæc reperiantur, à me solo hęc scripta sunt perinde tanquā nova & prioribus seculis inaudita, non enim solet mens mea, trivialia & vulgaria scribere, si vulgaria & jā nota fuissēt nullatenus scripsissem, sat enim placent aliorum scripta, at cum natura nō penitus ab antiquis nota fuerit, volui quæ rationi & experientiæ consona sunt, in lucem prodere, ut natura tandem penitus nobis innotescat, & ut antiqui non omnia dixerint, sic & ego fateor me non omnia dixisse, quæ ad naturæ notitiam absolutam pertinent, sunt enim adhuc quamplurima, imo verè infinita, quæ supersunt enodanda, circa naturæ cognitionem, Philosophi antiqui multa eaq; præclara annotarunt, recentiores verò pulchriora cùm nova sint, adhuc dicturi & scripturi sunt, & futuri qui sunt authores, adhuc pulchriora & rariora enarrabunt, sic posteris in seculis mirabiliora enarrabuntur de natura, quā in transactis, & sic quotidiè notior fiet natura, & scientiæ erunt clariores & quamplurima de cœlo enarrabuntur, quę adhuc excogitata non sunt, nec adhuc in mentem humanam venerunt, majus enim est quod ignorat homo, quàm quod notum habet, quis, quęso, superioribus & anteactis in sæculis scribere ausus esset plures esse quam septem planetas, quis terram esse majorem & grandiorē tribus hisce notis partibus, Europa, Asia & Africa, asseverasset, quis partes cœli australes syderatas & astris conspicuas esse dixisset, quis Zonam torridam, temperatam, fertilem, habitatam, & terræ Paradysum exclamasset, nemo me herculè, nemo? Sic posteris in sęculis, multò majora & rariora proclamabuntur, quàm in anteactis proclamata sint. Ita ut secula quæ ventura sunt, sint lumine clariori radiatura, & homines erunt doctiores multò, quàm jam sint, scientia enim ut fama vires acquirit eundo.

Plura adhuc sunt enodanda circa naturæ lumen.

Panchymici Libri secundi.

FINIS.

Nn PAN-



PANCHYMICI SEU ANATOMIÆ TOTIUS UNIVERSI.

LIBER TERTIUS.

In quo quicquid in toto aëris ſpatio continetur, quid ſit, quibus conſtet Chymicè indagatur & perquiritur.

Aer propriè quid ſit ex Chymicorum doctrina.

CAPUT I.

DIximus in primo hujus operis libro quid ſit aër in genere, hoc verò in libro diligētiùs multò ejus naturam indagabimus: ut ejus certiſſimam notitiam habeamus, & non ſolùm ejus naturam inveſtigabimus, ſed eorum omnium quæ in aëre habitant, etiam naturam perquiremus, tanquam aëre enata, & in eo viventia, cùm in eo permaneant. Eſt autē aer ex Chymicorum ſententia elementum verū ex craſſioribus ſulphuris, ſeu luminis partibus, & ſubtilioribus Mercurii, ſeu humidi radicalis portiunculis, quæ in chaos inerant per creationem divinam eductum, ad partē integrantem hujuſce mundi conſtituendam, & ad ſpiritum vitæ in eo collocandū: ut ex illo omnia naturæ mixta vitam ſuſciperent, tanquā ex communi naturæ vitali promptuario, exterius eſt elementum volatile, & infixum, atq; inviſibile, interius verò eſt viſibile, & ſummè fixum & calidum & humidū ignis ipſum tēperat, & quamvis volatile ſit, tamen ante fixari poteſt, & res omnes pretioſiores in natura, ex aere fixato fiūt, aurum

Aër quid ſit propriè.

Ex aere fixato quæ fiant.

aurum & gemmæ aeris fixati partes habentur. Vitales omnes animales spiritus, ex pura ejus substantia fiũt, & ex pura etiam ejus substantia, nutriuntur & conservantur. Purissimã aeris partem sublimavit Deus, in supremam ejus sphęram, crassam verò & minùs subtilem inferiorem relinquit, ut ibi naturaliter cũ aqua circuletur, ad perpetrãda miracula naturæ, quæ hinc, tanquã ex fonte perenni desumũtur: Ut enim pars crassior luminis, quę ignis dicitur in terra, & cũ terra circulatur, & depurãtur invicem, ad productionem mixtorum, sic & crassior aeris pars, unà cum aqua circulatur, & tandiu invicẽ coquuntur donec ambo figãtur.

Aër cum aqua circulatur.

Aer ergo est elementum naturæ catum, cùm sit receptaculum seminis rerum omnium, & ut in homine, & in quacumque re particulari colligitur esse semẽ, in quo virtus multiplicativa ejus conservatur, sic & in aere colligitur esse semen generale mundi & naturæ, ut res omnes producantur quod semen motu indesinenti, tandem exit in sperma, quod aqua est, cujus ope & ministerio semina cuncta distribuũtur in matrices, ad res omnes producendas, & ut ex aere sumunt originem beneficio vitalis illius spiritus, qui in ipso aere occultatur, sic ex aere, ubiq; nutriũtur, & si aer non esset, res omnis creata destrueretur, & non solùm animalia, quæ sine aere vivere nõ posse clarũ est, sed & vegetantia cuncta & mineralia cuncta destruerentur, nisi aer omnibus hisce rebus vitalem administraret auram, & spiritum conservatorem. Et non solùm aer nutrit & conservat mixta quæq;, sed & elementa ipsa ab ipso aere conservationem, & vitam habent. Putrescunt aquæ sine aere, & ignis extinguitur, nec terra sine aere persistere potest, cùm pori ejus aere conservẽtur: cõservãtur ergo elementa reliqua solo aere mediante, imò & tota natura aere cõservatur, cùm spiritus conservationis aere ubiq; locorum asportetur, qui alio elemento commodiùs asportari nequit: id in homine clarũ est & conspicuum, qui Microcosmus habetur, in quo nisi aer continuus adesset, qui vitales spiritus, & animales ubiq; deferret, sanguis frustra adesset, & reliqua cuncta, quæ hominem constituunt, non prodessent nisi intercederet aer, qui fotu suo & spiritu omnia cõservat, & nutrit: Sic & in Microcosmo omnia corruerẽt, nisi aere mediante, conservarentur.

Aër est receptaculum seminis omnis.

Sperma mundi est aqua.

Necessitas aeris ut omnia conserventur.

Spiritus conservativus aëre ubique asportatur.

In hoc ipso elemento, semen generale mũdi actuatur virtute luminis, seu ignis, qui virtute sua & energia semen in aere ipso, in actũ reducit, & semen illud tanquã, menstruũ mundi, (quod est aqua) congelat & coagulat, virtute sua naturali & innata, unde spermata apparent: Id in herbis & arboribus quotidiana experientia manifestum est: calor naturalis & innatus plantarum & arborum per poros exprimit, & exire facit, & dũ exit, ab aere congelatur, & cõprimitur, & sic crescunt arbores,

In aere semen generale actuatur ab igne seu cœlo.

res, & plantæ, nã virtus illa seminalis exeundo, cógelatur ab aere, & nó potest in ultimis, & extremis arborũ partibus, congelari & condensari, quin excrescant arbores & plantę in longum, & in latus, nam ubiq; fit ejus congelatio, in ipso aere est virtus magnetica attrahendi alimẽtum, ut semen in eo conclusum multiplicetur & crescat, sine enim illa virtute attractiva, virt⁹ illa seminalis cóservari nó posset, ideo innata illa est, & naturalis, ut quæ illi naturaliter implantata sunt conservet & nutriat, & virtus illa attractiva verus magnes est, unde & Magnesia ab Antiquis dici solet, ut virtutem suam attractivã tali nomine coñotent, de hac virtute attractiva seminis mundi magnus posset oriri sermo, at non revelanda, quæ Deo solo revelãda supersunt, sufficit hoc in capite dixisse & patefecisse naturam aeris, & ea protulisse quæ multis in scholis, patefieri solét. quæ tamen adhuc silentio & tenebris obvolvi deberent, ob quorundam ingratitudinem, quibus omne bonum denegari debet.

In aëre est vis magnetica attrahendi semẽ.

An aer in plures Regiones dividatur.

CAPUT II.

Solent moderni Philosophi aerem dividere in tres præcipuè Regiones, supremam, mediam & infimam, easque distinguunt qualitatibus variis: Supremam calidam & humidam asserunt, mediam verò frigidam & humidam constituunt, inferiorem verò intemperatam dicunt, modo calidam, modò frigidam & humidam, quod ex varietate temporum varietur, & hæc infimæ regionis aereæ temperatura, at hoc cum sit accidens, temperamentum naturale, & innatum aeris mutare non potest, nam etsi in infima regione tempore hyemis frigus vigeat, & pluviosa & hyberna tempestas, hoc nativum aeris temperamentum immutare nó potest, semper aer in sua iñata & naturali substantia immutabile habet temperamentum, quod ex sua substantia immutabili, ni corrumpatur, exoriri habet, adveniunt fateor in ipso aere mutationes, sed propter eas, non mutatur nativum ejus temperamentum, ut neq; in aqua propter ejus calefactionem, redit enim semper transacta calefactione ad natale temperamentum, sic & aer propter varias in eo mutationes frigoris & caloris, nó mutatur ejus insitũ temperamentum, semper aer est calidi & humidi temperamenti, ideo etsi sint tres ejus regiones variæ & distinctæ, non existimo tamen ullam esse aeris regionem, quę in eodem permaneat statu, cum enim in perpetuo sit motu, tum à vaporibus & exhalationibus, quæ perpetuò aerem sursum & deorsum exagitant, unde nullibi reperitur purus putus aer, & innatis ac insitis qualitatibus præditus, nec etiam debet reperiri, cum ubiq; locorum sit permixtus, & aliis elemẽtis connexus, ad supellectilem variam naturæ perpetuo fabricandam: natura enim ex aere solo, plus quàm ex

Divisio aeris in tres regiones.

Aeris temperamentũ immutabile

ex aliis alimentis materiam productionis & generationis assumit: concludendú ergo est aerem, in tres quidem regiones dividi posse, supremã, mediam & infimam, sed in nonnullis hisce regionibus purum & simplicem reperiri, & insitis suis qualitatib⁹ exornari, sed variis omnino qualitatibus ubique decorari, ad variam rerum omnium generationem, quæ ex aere sumit exordium, ut sequenti capite videre licebit.

Aër nullibi purus est.

An ex aere generationes omnes sumant exordium.

CAPUT III.

IN primo libro hujus operis asseruimus elementa, nihil producere, & solùm matrices rerum esse, & præsenti in capite asserere volumus generationes omnes ex aere exordium assumere, nulla tamen est contradictio, quod in primo libro de elementis simplicibus, & puris putis intelleximus. Jam verò de elementis, ut sunt in sphæra sua & suo statu naturali, quæ permixta sunt, & spiritu vitali & seminali rerum omnium vivificata, hæc viva sunt & semine plena, illa verò mortua, nec in rerú natura reperiuntur nisi in sola imaginatione, & intellectu, quæ talia fingit esse debere, si in rerum natura persisterent.

Elementa simplicia nullibi reperiuntur.

Generationes ergò omnes ut fiant ex aere, tanquam ex primo & principali generationis principio, necesse est, ut in aere, tale principium generationis reperiatur, in ultima sua ad generationes dispositione. Clarum autem est, & manifestú reperiri tale principium, cùm semen rerum omnium ritè dispositum, in aëre reperiatur: Quod quidem semen verissimum est tale principium esse, cùm sit purissima pars totius naturæ creatę, quę hanc partem puram, ex omnibus sui partibus seligit, ad sui multiplicationem: unde cœli omnes, & partes omnes cœlestes, & elementa cuncta purissimam dant sui partem, ut semen illud componant, quòd cùm habeat virtutem & efficaciam rerum omnium, ideo ex illo virtualiter enasci possunt res omnes naturales, cùm in eo potentialiter includantur.

Semen generale quid sit.

Semen enim illud facili negotio calore interno sui ipsius actuatur, humidum aëris comprimendo & condensando, in quod agens calor ille internus, à calore externo suscitatus fit putrefactio secundùm Peripateticos, quamvis sit tantum pura digestio & coctio, ac maturatio seminis occulti, & in aëre latitantis, non potest enim actuari semẽ, & ad maturitatẽ perduci, nisi calore cótinuo & perpetuo, perinde natura, & Deus adjungit illi semini innatum & insitum calorẽ, qui assiduè ipsum semen concomitatur, & perindè ipsum assiduè coquit & ad maturitatem conducit, quòd autem paucus sit, & minimæ actionis, ideò tardè agit natura, in actuando semine illo, nisi ab externo calore adjuvetur, unde videmus, in frigidis locis tardiùs quàm

Semen qua ratione actuetur.

ùs quàm in calidis semen actuari, vix in Zonis frigidis semel in anno actuantur semina: at in Zona torrida, ter aut quater in añо actuantur omnia semina rerum, singulis tribus mensibus maturantur & perfectè coquũtur omnia inibi semina, in aliis verò terræ locis vix semel in anno, quòd externus calor in his locis paucus sit, nisi æstatis tempore, qui internum illum seminis calorem suscitet, ad actionem & sui ipsius maturitatem.

Semina rerum in Zona torrida ter in anno actuantur.

Generationes ergo fluunt, dum semen occultum in actum educitur calore interno sui ipsius, cum autem illud generale semen rerum omnium ubiq; deferatur, per omnes mũdi partes ab ipso aere, ideo rectè asserere possumus generationes ab ipso aere sumere exordium, quamvis nõ immediate ex aere id contingat, sed à spiritu vitali & seminali rerum omnium, qui in aere continetur, quomodo autem id fiat, id ex lumine repetendum, scimus enim omnia lumina cœlestia totum aerem impregnare suis radiis, & influxibus, & lumen etiam centrale, quod alii Solem dicunt, qui ex materiæ primæ reliquiis in centro terræ relictus est, suos etiam habere influxus & radios, quibus impregnatur aer internus, & subterraneus, & hic aer jungitur alii aeri, & sic radii radiis junguntur, & communicatur influxus cœlestis influxui terreni solis, vel ut clariùs dicam, partes subtiliores & effluentes materiæ primæ inferioris, communicantur & junguntur partibus subtilioribus & effluentibus materiæ primæ superioris, & sic ambæ miscentur partes, ut ex superioribus & inferioribus mixta naturalia cuncta producantur, in medio aeris nostri hæc conjunguntur, & sic conjuncta modo alta petunt, ut depurentur ac sublimentur, modo inferius tendunt ut figantur & coagulentur, & in illa coagulatione, actuantur semina rerum, & sic necessarii sunt venti, vapores, & exhalationes, tonitrua, & fulgura, nives, glacies & pluviæ, ut semen illud rerum omnium, quod alii quintam essentiam nominant, ubique rerum deferatur, & deferendo depuretur, & suo innato calore tandem coaguletur, & figatur in mixtum aliquod. Et sic clarum & compertum habemus generationes omnes fieri ex aere, & ab ipso suum sumere exordium mediante illo vitali & seminali rerum spiritu, qui generationum omnium est immediatum principium,

generationes qua ratione fiant.

Quomodo calor cœlestis & terrenus junguntur ad generationem.

Venti vapores & exhalationes, tonitrua, & fulgura ad quid necessaria.

An aer subintret rerum omnium compositiones.

CAPUT IV.

SI quis existimet aerem crudum, & simplicem elementarem, rerum omnium compositiones ingredi, toto hallucinatur cœlo, cum hic aer nullas ingrediatur rerum compositiones ex cruditate sua, oportet ut prius concoquatur, & simplicem mundi spiritus compositionem ingrediatur & semẽ fiat generale mũdi, an-

Aer qua ratione rerum compositiones subintrat.

di, antequam compositiones rerum ingrediatur, tum enim temporis composita subintrat, & fit pars integrans illorum: Coquitur prius & varias subit mutationes, adeo ut non sit aer, dum fit mixtum aliquod naturale, sed quid aliud ab aere omnino diversum & distinctum: hallucinantur Peripatetici, qui elementa docent reperiri in mixtis pura & puta, & permisce i solum secundum minimas eorum partes, & sola illa permixtione formas amittere, & formam mixti induere, remanente crudo, & simplici permixto elementorum corpore, aliter fit vera & naturalis mixtio elementorum in rerum generationibus: Purum uniuscujusque elementi segregatur ab ipso elemento, & invicem singula elementorum pura miscētur, & simul alterantur, adeo ut corrúpantur eorū corpora in ipsa mixtione, ex qua corruptione exsurgit unum quid omnium, quatuor virtutes & potentias in se recondens, & illud quintū est, ex quo deinde singulæ & particulares fiunt generationes, dum calore suo & agentibus externis disponitur ad particularem formam suscipiendam illud quintum, quod est ex quatuor unum verum simplex & homogeneū, quod quatuor illa corrupta, ad summam simplicitatem redacta, homogeneum illud componant, & perinde quintum ab Antiquis dicitur elementum, sic aer subintrat rerum omnium compositiones, at prius alteratur & mutatur in quintum illud elemētum, unà cum reliquis elemētis, alioquin ex se ipso nullas essentialiter subintrat compositiones.

Elementa qua ratione reperiantur in mixtis.

Quintum elementum quid sit.

An aer mutetur in aquam antequam fiat quintum illud elementum.

CAPUT V.

AEr in sua simplici natura persistens, nulla mixtorum genera subingredi potest, ut solida sūt mixta naturalia & omnes eorum omnium solidæ partes, sic & solidum fieri debet, & permanens, quod mixtorum compositionē ingredi habet, aer autem cùm non solidū corpus, nec permanens, at omninò volatile, & fugitivum sit, necessarium est antequam permutetur in corpus, verum & naturale, fixum & permanens, ut fiat ipse corpus fixum & permanens, at ab uno extremo in aliud extremum, non datur transitus, ex legibus naturæ, nisi per media, quę ex utroque extremo participant, sic aer qui est omninò volatilis & fugitivus, non potest fieri corpus fixum & permanens, quin prius fiat quid medium, medium autem istud est aqua, quæ utroq; extremo participat, partim enim fixa est & partim volatilis, natura ergo, ut suas generationes producat, suscipit aerē (qui reliqua cuncta continet in se elementa, mediante illo vitali spiritu & seminali rerū omniū radio, & pnevmate, quo totus impregnatur) & frigida noctis umbra frigidisq; & humidis cœlestibus constellationibus in aquam permutat,

Aër qua ratione fiat mixtum aliquod.

Aër fit aqua ut generationes subintret.

mutat, hanc terræ poris immittit & circulat, coquit & maturat, & coctã & maturam distribuit totis & singulis naturæ membris, dum autẽ cocta est, & matura, quintũ est illud elementũ de quo est sermo, quod cũ nullum simplex sit elementum, non cœlum, non aër, non aqua nec terra habeatur, & omnes rerum subintret compositiones, & omnes elementet productiones, ideò rectè & sapienter ab antiquis nuncupatum est quintũ elementum, sic aër postquã tota die radiis solis, & cœlestibus radiis & influxibus perfusus est, & quasi vivifico luminis spiritu animatus, repenti noctis umbra, & frigida illius tẽperie crassescit, & liquescit in aquã vitę plenam, hæc insinuatur in terræ poris, & cavernis, & intimo & naturali terræ calore coquitur & digeritur, pars subtilior inter coquendũ in vapores convertitur, & sic circulatur, sublimatur, & iterũ delabitur, & sẽper & assiduè coquitur & digeritur, donec in illud quintum elementum cõvertatur, ex quo deinde res omnes suscipiunt alimentum & incrementum, & ex quo imediatè fiunt res omnes naturales qualescumque sint, continuata semper digestione & coctione, nam generationes rerum omnium non sunt nisi quinti illius elementi perfectæ & absolutæ digestiones & coctiones, dum enim digeritur, educuntur firmę in centro illius latitantes, & apparent quæ intus latitabant.

Quintum elementum quid dicatur.

Aer qua ratione fiat aqua.

Generationes fiunt ex quinto elemento.

Pars interim aquæ subtilior, quæ inter coquendum aër iterum facta est, alta petit aëris, & in media aeris regione, quæ per accidẽs frigida est, frigiditate illa condensatur in aquã, & sic aer aere capitur, ut piscis pisce & volucris ave, & hoc secretum naturæ, ipsi arcanum est summum, & clavis est aurea ipsius naturæ, qua fores ejus reserantur omnes, sic beati sunt terque quaterq; beati, qui illud arcanum capiunt & ut veluti natura facit, aerem capere sciunt, & in quintũ norunt figere elementũ.

Clavis naturæ quæ sit.

Vndenam aer, si vitæ spiraculum, supra alia naturæ elementa.

CAPUT VI.

MUlta aeri condonantur, sed inter omnia præclara sua elogia habet quod sit vitæ omnis spiraculum, quod soli aeri attribuitur, non enim cœlum hoc habet, nec aqua, nec terra, nihil in cœlo, nihil in aqua, nihil in terra vivere potest nisi mediante aere, hic solus est, qui spiritum illum vitalem & vitæ radium ubiq; defert, in mediis aquis pisciũ omne genus, suscipit vitæ nectar ab ipso aere: & mineralia cuncta ac metalla in intimis terræ antris ab ipso etiam aere suscipiunt illam vitæ vim, & energiam, quâ fiunt, & conservãtur Comœtæ, & ignes omnes qui in mediis ipsis, & supremis cœli regionibus exardescunt, ab ipso etiã aere deportatur eorũ materia ut inibi ignescat & in actũ reducatur: Cur autẽ hoc

Aer cur sit vitæ spiraculum.

hoc habeat aër supra omnia reliqua elementa, mirum est in natura arcanum. In creatione siquidem mundi, & naturæ huius postquam massa & indigesta naturæ moles creata fuerit, à summo rerum Opifice debuit actuari vitali forma quæ fuit lux ipsa quam Deus creavit, & massæ illi indigestæ duræ & informi essentialiter insinuavit, non autem creavit Deus lucem hanc totius naturæ formam, in mediis aquis, nec in medio terræ, nec in medio cœlo, at in medio aëre, ubi spiritus Domini ferebatur creata fuit, & in eodem instanti, ac materia rerum prima; ita ut lux sit æquè materia prima, ac corpus suum cui infusa fuit à creatore. & hinc per tota, & singula totius naturæ membra dispersa est, ut vitali suo pnevmate totam naturã recrearet, & vitalem faceret, hinc aër fact⁹ est vitæ spiraculum, quòd vita seu lux in medio sui ipsius creata fuerit, vita autem hæc seu luminis aura in medio aere potiùs, quàm in reliquis aliis naturæ elementis creata fuit, quòd in creatione mundi spiritus Domini mundi opifex & creator, in aere deportaretur super aquas: non autem dubitandum est, quin Sãctus Spiritus vitæ veræ verum spiraculũ, vitam naturalẽ creando, ipsam creaverit in ipso actuali sui ipsius domicilio & cùm domus præcipua illius fuerit, quin etiam præcipuè & singulariter suam ipsam domum peculiaribus & singularibus exornaverit donis, & præsertim vitalibus, quæ

Lux in Medio aere creata fuit.

pretiosiora & magnificentiora sunt naturæ dona. Aer ergò cùm sit totus vitalis, & cum in ipso vita ipsa creata fuerit, spiraculum vitæ rectè dici meretur, supra alia elementa: sunt quidem alia elementa vitæ plena, & lumine, nec absque ipso persistere possunt: sed quod ab ipsis, primo vita non spirarit, recte spiraculũ vitæ, dici non merentur, nec etiam poterant tali perfungi officio, ex naturali repugnanti lege. Terra propter crassitiem, & grave sui pondus, spiritum illum vitæ, ubique necessarium non poterat, per omnes mundi deferre partes, nec aqua propter suam gravitatem, nec cœlum propter firmitatem. Ergo aeri soli debetur jure merito hoc officium: unde animalia cuncta perfecta, quæ actuali illo vitæ spiritu, perpetuò indigent ut cõserventur & vivant, in medio aere collocata sunt, ut facili negotio vitam illam exhauriant ex fonte suo, ex quo deportatur per omnes mundi partes, & sic vivãt in media ipsa vita, ut enim effluit perpetuò vita eorum, sic etiam perpetuò habeat ex quo resarciatur quod effluxum est.

Aer est vitæ spiraculum propter vitam in medio aere creatam.

Animalia cur in medio aere vivant

Cur omnia elementa, & omnia ex elementis composita, aere indigeant ut conserventur.

CAP. VII.

Omnia vitali indigent spiritu & perinde aere

CVm omnia elementa, & cuncta quæ ab ipsis composita sunt, vitali indigeant spiritu ut conserven-

tur & nutriantur: Et aer ubique deferat vitalem illum spiritum, cùm illius sit vehiculum, sequitur inde omnia elementa, & reliqua cuncta, quæ ab ipsis dependent, aëre indigere ut conserventur, indigent autem tali spiritu vitali ab aere ubique deportato, quòd omnia creata ab ipso spiritu formaliter dependeant, forma enim eorum omnium, est ab ipso spiritu vitali, uti multoties superius demonstratum est, cum ergo forma cuiuscumque rei dependeat ab ipso spiritu, ergo eget ipso ut conservetur, quæ enim formã communicant, eadem ipsam conservãt, & cum ipse spiritus omnia conservans, omnia nutriens, ut & omnia producens, aereo suo vehiculo indiget, ut ubique deferatur. Sic pariter omnia indigẽt aere, qui vehiculum est ipsius vitalis spiritus, ut conservari possint, non enim indigent aere solo, sed aere spiritu illo nectareo pleno, cuius solius ope & auxilio fit nutritio & rerum omnium conservatio, simile enim simili nutritur & conservatur, forma cuiuscumq; rei est ex lumine, & puro ac subtili cuiuscumque elementi, & spiritus ille vitalis qui in aere residet, ex lumine etiam est, & ex puro ac subtili cuiuscumque elementi, unde ex simili & eadem penitus est essentia, & perinde est alimentum rerum omnium: Mirantur aliqui quòd ignis extinguatur nisi in medio aere exardescat, aer enim est ignis pabulum, & sine ipso aere, vivere non potest, quod radicale humidum ignis quo ignis exardescit, spiritu illo aereo indigeat, ut resarciatur, perenniter, ut perenniter consumitur à calido suo, & ut ignis eget aere, sic & reliqua omnia naturæ elementa, ut conserventur, egent etiam aere, & reliqua cuncta naturalia mixta propter easdem & similes rationes, egent enim alimento, quod aliunde desumi non potest quam ex aere, hic enim solus est, qui rerum omnium continet alimentum & pabulum, & perinde omnia egent aere ut conserventur.

Forma cuiuscumq; rei est vitalis.

Forma cuiuscumq; rei est lux & subtile elementorum.

Omnia elementa indigent aere.

Cur aer inter cælum, & aquam, & terram interponatur.

CAP. VIII.

Futilem & inanem existimabunt fortasse nonnulli hanc quæstionem, at si scirent eius causam, non ita inanem reputabunt, calor enim cœlestis, cùm perpetuo & indesinẽter agat in sphæram aquæ & terræ, si non intercederet aer, qui sua humiditate calorem illum temperat, aquæ omnes in vapores converterentur, & terra ita exsiccaretur, ut exuraretur, & sic tota destrueretur natura, nec ullæ generationes, & productiones fieri possent: cùm à calore illo perpetuo cœlesti omnia desiccarentur, vastissimum enim est cœlum, & grandia quoque sunt corpora cœlestia, & sua magnitudine terrena omnia & aquea corpora vincunt, & perinde magnus inde & po-

Aer cur inter cælum & aquam interponatur.

Calor cælestis aquam & terram destrueret

nisi intercederet aer.

& potentissimus effluit calor qui in aquam & terram agendi facili negotio ipsa destrueret elementa, nisi ipsemet intercederet aër, qui calorem illum, motu ipso magis ac magis incalescentem moderaret: & ut calor centralis terræ moderatur & temperatur aqua, quæ totam terram intus & extra irrigat, sic calor etiam ille cœlestis, debet temperari & moderari aere intermedio, qui non est aliud quàm aqua rarefacta, & aqua non est aliud quàm aër coagulatus & condensatus, quod est in natura mirum, nam cum calor cœlestis sit multò subtilior & tenuior calore centrali terræ, sic etiam habet aquam subtiliorem qua moderatur, quam habeat calor centralis terræ, qui cùm sit crassus & multò magis pinguior cœlesti illo calore, habet etiam crassiorem & pinguiorem aquam qua refrigeratur & moderatur, calor enim crassus & ponderosus, crassum & ponderosum ex postulat refrigerium, calor autem tenuis & subtilis, tenuem & subtilem expostulat aquam, qua refrigeretur in corde Microcosmi ubi ambo reperiuntur calores: cœlestis ex astrorum influxu & radio, & terrenus ex alimentis, ambo etiam reperiuntur refrigeria: Aer intrat per bronchia pulmonum, ut refrigeret & temperet calorem innatum seminalem & cœlestem, aqua verò in pericardio stagnatur, ut calor fixus in eodem corde, terreno respondens, ab eadem aqua moderetur, ne cor tabescat & siccescat continuo & perpetuo illo fixo & fluenti calore, sic clarum est, & manifestum in utroq; hoc mundo, aerem dari ad refrigerium nativi & innati caloris, utriusq; tam cœlestis, quàm terreni: de terreno isto nativo calore, & primigenio agemus, dum arcana terræ mysteria declarabimus, in quinto & ultimo huius Tomi libro, sufficit jam nobis declarasse aeris necessitatem & situm eius pernecessarium, ad generationes & productiones rerum omnium.

Vt calor cœlestis terreno subtilior est sic etiã subtiliorem aquam habet ut temperetur.

In microcosmo calor cœlestis & terrenus reperitur sic & utrumq; refrigerium.

Vndenam aër productus est in principio creationis hujusce mundi.

CAP. IX.

Aer unde factus sit.

Sacræ lineæ nullam faciunt mentionem de aëre in principio creationis mundi, sed tantùm cœli, terræ & aquæ mentionem habeamus, & recte quidem quod aer inde factus est ex necessitate legis naturæ, illicò enim ut terra luce impregnata est, egit lux in terram, & aquã quæ in interioribus terræ degebat, sublimavit in aerẽ, unde ex aqua factus est aer, ex necessitate naturæ non enim poterat aqua lucis spiritum vitalem & seminalem rerũ omnium, per omnes mundi partes ubique deferre, unde subtile, & tenue sui ipsius separatum est virtute lucis, & sic ex subtilioribus aquæ partibus factus est aer, unde recte superiùs diximus aerem esse aquam rarefactam, & aquam aerem esse condensatum. Sic in ipsa aqua crea-

creatus est aer, imò & omnia elemẽta, in ipsa aqua possunt rectè dici fuisse creata, nam ex grossitie aquæ terra concreatur, & subtilitate eius aer, & cœlum ex subtilissima eius parte possumus asserere, fuisse creatum seu factum, unde rectam & synceram existimamus sententiam eorum, qui aquam materiam primam rerum omnium fecerunt, ex qua etenim res omnes productæ sunt, & adhuc producuntur, & productæ nutriuntur & conservantur, unde nomen eius aqua, quasi à quâ facta sunt omnia, & à quâ nutriuntur & conservantur omnia tanquã ex vero & unico fonte, à quo prodierant, at hæc dilucidiora fient libro quarto sequenti, in quo de mysteriis aquæ tractabitur, nũc verò tantùm de aere agendum est & probandum num ex aqua factus sit, in principio creationis huiusce mundi. Postquã lux creata fuerit & elemẽtis immissa, & infusa tanquam forma vera, à qua actiones & virtutes agendi scaturierunt, non potuit inquam lux creata, & elementis infusa, persistere in rerum natura, quin ageret, est enim principiũ actionis uti superius multis in locis probatum est: Egit ergo statim ut infusa est elementis, elementa autem omnia, etsi ex nonnullorũ opinione fuissent in una massa confusa, tamen non apparebant nisi in forma illa confusa, & indigesta, quę Chaos & Hyle dicebatur, & perinde adhuc nõ esse rectè asserere possumus. Lux autem in massam illam confusam infusa separavit & distinxit elementa, & apparere fecit, & inde, fecisse elementa, quòd distinxerit ea satis admodum claret, agendo ergo in massã illam, quod subtilissimũ erat altius sublimatum est & cœli spatium occupavit, & in cœlum coagulatum est, quod verò minus subtile erat, sublimatum est in aeris spatium, & in aërem condensatum est, quod verò adhuc minùs subtile, & quasi crassum, & pingue factum est, ex reliquis duorum quæ sursum elevata sunt, transiit in aquam, & aquæ locum occupavit. Quod autem relictum est ex trib⁹ his, ex massa illa separatis, crassissimum factum est, & quasi magma massę primæ, illud terræ locũ occupavit, & terra vera factum est, quasi crassamentũ reliquorum elementorum, unde ex hoc sermone, qui antiquorum sapit sententiam & opinionem videntur omnia elementa producta & educta fuisse, virtute & energia lucis, ex massa illa confusa materiæ primæ. Qualis autem fuerit illius massæ primæ materiæ forma, jam distinctè quærẽdum, ut asserere valeamus, aquam materiam esse primam rerum omnium, & aerem ex aqua ortum duxisse fuisse certum, asserunt antiqui & veritas ipsa docere videtur, massam illam primam aqueam prius fuisse, quàm cœlicam, aeream vel terream, quòd in centro mundi creata fuisset & perinde aqueam fuisse, quòd aqua adhuc centrum hoc occupet & teneat, propter gravitatem & pondus suum quod

Aqua cur prima rerũ materia.

Lux fecit elemẽta quòd ea separaverit,

Ratio cur massa prima

aquam habebat formā quod ex natura habet, unde si tota massa elementorum centrum occupabat mundi, ut materia semper cētrum occupare debet sui ædificii, ut hinc partes omnes desumant quod illis necessarium est, hinc gravitate & pondus habere necesse erat, levia autem elementa non gravitant, ergo nec eorum forma aderat massæ illius primæ. Superest ergo ut formā gravitantium elementorum haberet, massa illa prima, gravitantium autem elementorum forma, aquea & terrea est: terrea esse non poterat, propter siccitatem & duritiem quæ terræ convenit, ex quibus levia fieri non possunt & mollia, superest ergo solùm, ut aqueam formam haberet massa illa materiæ primæ, ex qua & levia & ponderosa, & omnia mollia & dura fieri possunt. Et sic claret & manifestum est, qua ratione factus est aer ex aqua, quæ massam primam elementorum omnium in se continebat.

Aër Chymicus quid sit, & qua ratione differat ab elementari.

CAP. X.

CHymici Philosophi pecularia habent elementa in compositione arcani sui, præter communia & vulgaria elementa, quæ compositionem mixtorum communium ingrediuntur, ea autem nosse oportet ut doctrina Chymicorum intelligatur; & cùm hoc opus Panchymicum dicatur, nihil est prætereundum, & silendum quod ad doctrinam Chymicorum patefaciendam faciat. Itaque, aerem Chymicum dicimus aquam igne coagulatam & in flores tenuissimæ terræ sublimatam, quam Hermetis avem & Aquilam dicunt, & aerem vocitant, qui omnia secum elementa in se coercet volatilia tamen & aerea, quæq; in terram igneam, fixam, & permanentem continuatione coctionis cōvertēda sunt, ut hinc arcanum vitæ absolvatur, & mysterium sacrum elementorum omnium perfectum, & absolutū habeamus, & sic aer Chymicus cætera reliqua elementa in se coercens, in ignem Chymicorum cōvertimus fixum & permanentem reliqua etiam elementa in se continentem, qui totum absolvit & claudit vitæ arcanū, quo vita cuiuscumq; rei perfectissimè fovetur, nutritur & conservatur, cùm vitales & seminales virtutes quæ in elementis coercentur, perfectissimè digestæ & percoctæ, & maturæ sint in ipso vitæ arcano: quod quidem ante peragatur & absolvatur, aqua nostra convertenda est in aerem nostrum, & aer noster convertendus est in ignem nostrum, & ignis in terram nostram puram & fixam, unde Alexander clamat *quando habuerim aquam ex aëre. Aërem ex igne, & ignem ex terra, totam & perfectam possidebis artem.* Hoc Aristotelis dictum valde obscurum est, nihilominus qui operationem Chymicam huiusce arcani notam habent, perfectissimè intelligunt quid hinc velit Aristoteles.

Aer Chymicus quid sit.

Hermetis avis & Aquila quid sit.

Aer Chymicus in ignem Chymicum converti debet.

Vita arcanū quid sit.

les. Habenda, inquit, est aqua ex aere, docet ibi ex quo fonte nostra sit exhaurienda aqua. Habita hæc aqua convertēda est in ignem, ex quo deinde eliciendus est aer, ex igne siquidem Chymico nostro fixo, cùm aqua nostra sit aer, qui deinde aer convertendus est in ignē, ex quo continuato opere fit terra, ex qua deinde ignē habemus. Et sic verè omnia convertimus elementa, in quorum conversione consistit opus: converte elementa & quod quæris, invenies: in conversione autem elementorū aerem Chymicum invenies, qui nihil aliud esse comperies quàm aquam igne coagulatam, & in flores tenuissimæ & subtilissimæ terræ, conversam: ut cera fluentes & liquescentes sunt hi flores, & multorum nominū apud Chymicos, ut quid sit aer Chymicus, non intelligant qui filii artis non sunt, & Hermetis libros non evolverunt & Chymicam artem nō tractarūt, sed tantùm eius calumniis studuerunt, ut Chymicos & artem ipsam ridere queant, at ipsimet risu sunt dignissimi, cùm rideant quod non intelligant, suo risu ignorantiam verè crassam suam testātes. Hinc claram differentiam Chymici aeris, & aeris elementaris sufficienter videmus, cum aer elementaris sit quid crudum, simplex invisibile, volatile, & tactui cedens & quasi impalpabile, Chymicus verò aer, sit palpabilis, visibilis, & quasi terra fluens, & ut cera liquescens, unde aqua verè coagulata est, & multum ab igne passa.

Conversio elementorū arcanum absolvit Chymicū.

Aeris Chymici & aeris elementaris differentia.

DE HIS OMNIBVS ET singulis quæ in aëre continentur Sectio prima.

DE RORE.

Quid sit Ros, & qua ratione fiat in aere. & quibus inserviat in natura.

CAP. I.

Quæ de Rore possunt dici tanta sunt, ut volumen expostulent integrum, non unicum & solum caput, quicquid enim natura peragit in aëre, in ipsis aquis, & in medio terræ id rore mediante facit, unde quid sit Ros definire velle, arduum valde est, cùm sit munus Domini & naturæ, cuius ope, & artificio omnia componuntur. Non lux, non aer, non aqua, nec terra seorsim & simul juncta, quæ in orbe sunt peragunt ac componunt, Ros est solus qui hæc cuncta disponit. Quatuor elementa suas omnes energias & potentias architectrices in solo & unico Rore posuerunt, mirum opus totius naturæ & solum & unicum nectar, quo res omnes naturales foventur, conservantur, nutriuntur, imo quo fiunt & componuntur. Hæc prædicta Roris nostri elogia definitionem eius ferè constituunt, aut facile est ex his definitionem integram & absolutam Roris constituere. Ros est vapor tenuissimus ex centro terræ sursum elevatus à calore centrali terræ, & in

Roris elogia & virtutes

Ros quid sit.

& in media aëris regione, in tenuissimam, aquam, & quasi aquæ florem cōdensatus virtutes cœlestes omnes, & elementares in se essentialiter coercens, vel est semen universale totius naturæ, ex centro mundi prodiens, & à calore centrali totius mundi, sursum elevatum in forma vaporis tenuissimi, qui in media aeris regione, tepenti mortis umbra, & frigidis & humidis cœlestibus nocturnis influxibus, in aquam tenuissimã convertitur, in terras defluentem & cuncta suo vivifico nectare restaurantem & componentẽ: Ibi est quintum elementum, ibi est entelechia, ibi est vis motiva, & Architectrix totius naturæ. Omnia elementa suam quam habent virtutem & energiam sua subtili seminali aura, in centro terræ deponunt, & virtutes omnes cœlestes suis influxibus inferius descendunt & cum subtili illa elementorum seminali aura permiscentur, & omnes simul constituunt materiam roris, quam calor centralis digerit & coquit, sublimat & attenuat, purum ab impuro semper separando, & purum illud in res puras & pulchras convertendo, hinc vegetantia cuncta & quæ ad illa pertinent, & mineralia & quæ illis sunt, & animalia quæq; & quæ illis sunt, desumunt alimentum, fotum & cōservationem, ac ipsorum omnium generationis materiam & essentiam seminalem, hinc tota natura Rore conservatur, instauratur, & vivit & vivificus ille aeris spiritus quo vivunt omnia, nihil aliud est, quàm Ros rarefactus, & Ros noster non est aliud quàm spiritus aeris in rorem conversus, non differunt Ros, & aereus vitalis spiritus nisi tenuitate. Ros est alimentum solidum & compactum rerum omnium, spiritus vero aereus, est alimentum spirituale, & cœleste rerum naturaliũ, & quia omnia creata & facta egent duplici alimento, & conserventur, natura in rore, & aereo illo spiritu, duplex illud alimentum omnibus constituit devorandum: Sic habemus rorem apprimè & acutè descriptum cogitent jam filii artis Hermeticæ, ad quid hæc dicta sint, non solùm enim ad animi delectationem & doctrinam Hermeticam patefaciendam, sed ad corporis emolumẽtum hæc scripta fuêre, habet enim in rore ex quo factum est, & ex quo vivit, & ex quo conservatur, cogitet verò qua ratione desumpturum est ex eodem rore, quo victurum est, & conservaturum extra communes naturæ terminos, & limites, quo morbos vincet omnes, & superabit omnia vitæ incommoda, ea etenim ratione perveniet ad arcanum vitæ naturalis, quo solo & unico, naturæ balsamo, vita humana omnibus felicitatis donis temporalibus exornatur, adeo ut nullis aliis, quàm invidiæ stimulis & aculeis exagitari, possit & non solùm animantium perfectio in rore consistit, sed & vegetantium & mineralium seu metallorum omnium.

Materia roris qualis sit.

Tota natura rore conservatur.

Vitalis aereus spiritus & ros qua ratione differunt.

Arcanum vita ex rore potest perfici

DE

DE PLUVIA.

Pluvia quid sit, & qua ratione fiat, & ad quid naturæ inserviat.

CAP. II.

Pluvia quid sit.

PLuvia est aliud naturæ instrumentum & organum, quo spiritus vitalis, & seminalis illa virtus cœlestis & elementaris deportatur, ad terras fœcundandas, irrigandas & epotandas, est enim pluvia terrarum potus: cum desiccati sunt campi, & arefacti tum calore cœlesti, tũ calore centrali, advenit pluvia, quæ sitim illam, & ariduram extinguit, & diluit; tabesceret enim terra & nimis aresceret agente utroque calore, ni superveniente pluvia madesceret, & sic tabem terræ impediret & curaret ipsa pluvia, non ratione suæ solius humiditatis aqueæ, sed ratione sui spiritus vitalis quem devehit & quem vaporum ope & auxilio ex centro terræ, eduxit, & ad usque aeris mediam regionem evexit.

Pluviæ vera definitio.

Hinc pluviam definire possumus, aquam quæ calore solis & calore cẽtrali terræ, sive solis centrici lumine & radiis, in vaporem conversa, & usque ad mediam aeris regionem devecta frigiditate & humiditate illius loci, iterum in aquam abit & convertitur, & super terram decidit in pluviam: At quia aqua illa super terram & in intimis terræ sinubus spiritu vitali, & seminali rerum impregnatur, spiritus ille aquã illam, quæ in vapores convertitur, nunquam relinquit, at semper ubiq; comitatur, & tanquam fidelis achates aquam sequitur, ideo unà cum aqua illa ubiq; defertur, & ideo cum ipsa pluvia in terram decidit, terrãque fœcundat. Nec differt aqua pluvialis ab ipso rore, nisi tenuitate, & subtilitate, ros est tenuior & subtilior multò ipsâ pluviâ, quòd à tenuissimo & subtili calore elevetur materia & vapores roris, à forti autẽ & potentissimo calore eleventur vapores, ex quibus formatur & producitur pluvia, itaque crassior est pluvia, & pinguior ipso rore, quòd ebullitione maiori sursum feratur, quæ crassiores & pinguiores aquæ partes sursum evehit, quàm minor ebullitio, quæ tenuiores & subtiliores aquæ partes sursum pellit, à tenuiori & minori ebullitione elevantur vapores subtiles & tenuissimi, ex quibus ros condensatur à fortiori & minori ebullitione, crassiores & pinguiores elevantur vapores, ex quib' condensatur pluvia, & sic ros & pluvia distinguũtur, nihilominus unã & eandem habent essentiam, & ad unum & idem naturæ inserviunt, scilicet ad spiritum seminalem & vitalem rebus omnibus deferendum, ut eo fiant, nutriantur & conserventur: Terra siquidem quæ extra aquam arida & sicca demonstratur, nisi interdum & sæpius aqua madefiat & irroretur, nimis sicca & arida fieret, ita ut nutrire non posset & con-

Pluvia qua ratione differat à rore.

Ros & pluvia ad quid inserviant.

cõnservare, ea quæ intra eius loculos à natura facta sunt, ideo indiget rore & pluvia ut eorum irriguis intermittentibus irroretur, & spiritus vitalis ea ratione omnibus mundi partibus communicetur.

DE VENTO.

Ventus quid sit, & qua ratione fiat, & ad quid natura inserviat.

CAP. III.

Ventorum elogia.

NOnnulli rerum ignari existimant Ventum esse quid inutile naturæ, & potius ad hominum incommoditatem & angorem datum esse Ventum, quàm ad eorum commoditatem, & summam utilitatem: nihilominus Ventus est vita cuiuscumque rei, & educitur ex thesauris naturæ, ut vita rerum conservetur; Uti *Iob* exclamat, *memento mei quia ventus est, vita mea*, & aliis in locis clamant sacræ lineæ, *qui eduxit ventos de thesauris suis*: Rarissima ergo res est, & preciosissima ventus, cùm sit vita rerum naturalium, & educatur ex thesauris naturalibus quod quidem ex definitione eius clarius multò nobis fiet: Ventus ergo est subtilissima & tenuissima humidi radicalis mundi pars, quæ ab eius innato calore foras cum impetu pellitur, & aerem pellit & agitat, & sic ventus enascitur ex aere agitato à subtilissimis humidi radicalis mundi partibus, à calore innato & insito sursum sublimatis & elevatis, sic clare

Ventus quid sit.

admodum videmus ventum educi ex thesauris naturæ, educitur enim ex calido innato mundi & naturæ, quod quidem calidum, thesaurus est verus & unicus totius naturæ, ex eo enim fit aurum, argentum, & omnia metalla, lapides omnes pretiosi & margaritæ, vegetantia cuncta, flores, & arbores, & fructus omnes, animalia quæq; & vita eorum. Quid enim rarius est, & nomine thesauri dignius quàm illud ipsum, ex quo fiunt omnia, & ex quo conservantur, vere ergo educuntur venti ex thesauris Domini, cùm educantur ex humido primigenio & calido innato mundi, ex quibus res omnes pretiosæ & reliquæ omnes enascuntur & prodeunt.

Ventus cur dicatur educi ex thesauris divinis.

Cùm ergo ex tanto thesauro educantur, non frustra educuntur, sed ad utilitatem, & commoditatem rerum omnium naturalium, hinc enim vita rerum omniũ sursum fertur & ventus fit, cum tenuior pars humidi primigenii & calidi innati mundi, fit vita mundi, quæ hinc exire non potest absque utilitate, & commodo rerum omnium, sic venti pernecessarii sunt naturæ, deferunt enim vitam per universa mundi membra, sic aer, Ros, Pluvia, Ventus sunt manus quibus deportatur vitalis ille spiritus, & Entelechia mundi per universas mundi partes, est enim vita adeo necessaria, ut natura, ad ipsam deferendam non unico vehiculo contenta sit, sed pluribus utitur, ne unquam & usquam deficiat.

Ventus est spiritus mũdi aut saltẽ in ventre suo gerit.

DE NIVE.

Nix quid sit, & qua ratione fiat, & ad quid natura inserviat.

CAP. IV.

Nivis elogia NIx est aliud naturæ instrumentum, quo spiritus vitæ defertur, per omnes mundi partes, & ut in opiparis conviviis & opulentis dapibus, non uno & solo cibatur alimento, non carne una, non pane uno, nec vino uno, sed diversis, & pluribus variè & distinctè præparatis, sic natura Regina rerum, dapes & convivia sua celebrat, omnigeno rerum cibo, variè & distinctè præparato exornata, & decorata, ut res omnes, regiis suis in conviviis inveniant alimenta propria & idonea suis ventriculis. *Nix quid sit* Nix ergo est alimentum hybernum, quo natura utitur, ad res suas restaurandas, tunc enim temporis calidissima sunt interiora terræ, itaque egent refrigerio, ne calor exurat potius quàm maturet semina rerum, quæ in interioribus terræ loculis præparantur, ad vernum tempus. *Terra hyberno tempore eget refrigerio cum incalescant interius.* Itaque cùm interiora terræ summopere incalescant, & aqua ipsa interior calescat etiam supra naturam suam, exterius natura paravit refrigerium ex nive: Quæ nihil aliud est quàm aqua sursum à calore centrali terræ, per vapores elevata, & in media aeris regione, iterum in aquam conversa, unde pluvia præparatur, quæ dum incidit in terram in infima aëris regione Hyberno tempore frigidissima condensatur in nivem, quæ veluti lana super terram spargitur, ibique à ventis calidis, & à calore ipso terræ liquescit in aquam, quæ spiritum vitalem suum terræ dispergit & temperat sua frigiditate & humiditate, calorem terræ exæstuantem Hyberno tunc tempore.

Nix & pluvia qua ratione differant. Ab ipsa pluvia, non differt ipsa nix, nec ab ipso rore, nisi quòd nix condensetur frigore, & congelata decidat in terram, nihilominus liquatur, & redit in aquam & eodem fungitur officio, ac ros & pluvia, refrigerat & temperat calorem internum terræ, & alit, itaque veri potus exercet officium ut & reliqua duo naturæ præparata potus, qui per rorem & pluviam, terræ demandantur, ut alant & refrigerent.

DE GRANDINE.

Grando quid sit & qua ratione fiat, & ad quid natura inserviat.

CAP. V.

Grandinis elogia. GRando naturæ flagellum, quo fructus eius, arbores & plantæ disperduntur, pereunt aut saltem lethaliter vulnerantur, detrimento potius esse videtur quàm utilitati, nihilominus si rem penitius côtemplemur: grandinem multum afferre utilitatis experiemur, exceptis his quibus fructus grandine depereût: grandinis enim tempestate, multum

vita.

vitalis spiritus, è terra ascendit in aerem, qui copia sua, aerem turbat & exagitat, ventis multis, fulmine: fulgure, & tonitru, prælium videtur excitari, & exercitus naturales in medio ipsius aëris, tanquam in indicato campo convocantur ad prælium, ibique signo dato, summopere præliantur, quòd frigidum nimis, calido permixtum sit, & donec separetur non cessat pugna, in separatione grando decidit, & calidum fulmine & fulgure separatur, & in terras iterum decidit ut pedetentim frigido assuescat, & illi associetur, vapores ergo cum ascendant tempore æstatis, in die æstus maximi cõdensantur copiose, in media aëris regione, quæ tunc temporis per antiperistasim frigidissima est, & frigoris illius ope in glaciem convertuntur. Vnde pondere suo deorsum tendit glacies, terrasq; petit, dumq; decidit motu volubili, in globulos cõformatur qui grandinem constituunt, arbores & plantas, earumq; fructus maximo humanæ gentis detrimento & damno quatientem, ac omninò & funditùs disperdentẽ: Hoc utitur sæpissime flagello Deus, ut superbos hominum animos, & impios castiget, qui fructibus terrę abutuntur, non ad vitam sustentandam, sed ad vitæ voluptates & delicias eximias his utuntur.

Grando qua ratione fiat.

Grando ut fiat.

Etsi hæc incommoda grando afferat, nihilominus in genere natura grande admodum suscipit ex grandine emolumentum. Calidum enim innatum naturæ æstu nimio exæstuans & quasi seipsũ destruens, grandine æstus ille compescitur, & in terram iterum decidit, ut perfectissimè uniatur elementis. Quod enim tempestate grandinis sursum elevatur, non solùm humidum est, sed & pingue, & oleoginosum. Ex quo fulgura fiunt elevatur, unde calidum innatum naturæ, unà cum humido primigenio, sursum elevantur, & cum grandine simul coagulata & congelata iterum decidunt in terram, unde ascenderant, ut melius coquantur & digerantur. & optimum fiant alimentum rebus omnibus, quæ hoc egent humido & calido innato.

Grando ad quid inserviat.

Sunt multi Philosophorum qui existimant grandinem, ut & pluviã, & ventum ex quibusdam peculiaribus astris ortum habere, nam ex horum astrorum ortu in nostro Orizõte hæc Meteora in aere producũtur, unde Astrologi pluvias, ventos & grandines ꝓgnosticãt & pręsagiunt. Quòd si hoc ex astris proveniat, nõ ergo ex ebullitione humidi primigenii totius naturæ, & vaporibus eius sursum elevatis, & in media aeris regione congelatis solet fieri. Cui objectioni respondemus Astra quędam peculiaria movere quidem & excitare ebullitionẽ illam humidi radicalis mundi, & esse causas efficientes ventorũ, pluviarum & grandinũ, & reliquorũ eiusmodi Meteororũ, non tamẽ esse causas materiales illorum, de quibus causis agimus in præsenti capite, easque dicimus esse vapores

Grando etsi ex astris soleat excitari, tamen fit ex vaporibus humidi radicalis mundi.

 & ex-

& exhalationes humidi radicalis mundi, ex quibus fiunt materialiter pluviæ, grandines, & venti.

DE IRIDE.

Iris quid sit, & quo modo fiat & ad quid inserviat natura.

CAP. VI.

Iridis elogia.

IRis quam vulgariter Arcum cœlestem miris coloribus variegatũ dicimus, est naturæ mirum, quo sulphur naturæ seu lumen in aere suos colores repræsentat, imò & odores, inibi enim ubi Iris adest balsama rorant, & suavissimè olent ac fragrant: Sulphur enim naturæ non solùm colorum sed & odorum omniũ censetur pater, itaque cum Iris ex purissimo lumine, & purissimo aere, ex reflexione concavæ nubis in aere producatur, non mirum est quin colores puri & vivi, & odores suavissimi adsint, ex purissima quidem materia vivi colores, & suavissimi odores producuntur.

Iris quid sit.

Unde Iridem definire possumus lumen & radium Solis in concava nube densa & humida, & aquæ plena receptum & in aëre opposito reflexum, unde per cavitatem nubis reflexio radii & luminis solis incurvatur, & fit arcus ille cœlestis miris coloribus variegatus, nubes enim formam arcus discoloris efficiunt, quia alia parte earũ tumidiores sunt, alia submissiores, & quadam crassiores, quam ut solem transmittant; alia imbecilliores quam ut excludant, hæc inęqualitas alterius lucem umbramque permiscet, & exprimit illam mirabilem arcus varietatem, adde quod secundum Chymicorum doctrinam in lumine sint omnes realiter & essentialiter colores & odores, oportet tantùm ut permisceatur subjecto capaci, colores & odores recipiendi. Aër autem nube interposita est semper dispositus, ut tales recipiat colores, seu ut lumen recipiat ita coloratum: nam Iris nihil aliud est, quàm lumen solis variegatum, & ita coloratum. Id claret & manifestum fit, in globo Chrystalli, & in phiala vitrea aquæ plena, quæ Chystallum imitatur, si opponatur Solis radiis, statim directè apparet Iris, & arcus cœlestis, ibi enim radius solis, à Chrystallo vel à corpore aquæ, quæ in phiala residet, & continetur coloratur, & coloratus reflectitur in directam partem, idem apparet in vitro spisso triangulari, in quo si introspiciamus per angularẽ unam partem, perpetuam iridem in eo vitro introspicimus, etiam sole non radiante. Quia lux quæ est in aere, in centro vitri illius in triangulum oblongum secti, reflectitur, & â variis vitri coloribus coloratur in Iridem, aqua siquidem, chrystallus, & vitrum modo solidum, etsi colorata non appareant, nihilominus miris coloribus variegantur, si luce irradientur limpitudo enim aquæ, chrystalli, & vitri, cum radiis solis & luce, colorum varietatem illam in Iride

Nubes qua ratione iridi efficiant.

In lumine sunt colores omnes.

Iridis alia definitio.

Iris qua ratione fiat aliis in rebus præter in nube.

Iride constituit, nam per reflexionem illam, radii verè apparent colorati.

Iris ad quid inserviat naturæ. Naturæ autem inservit Iris, ut spiritus vitalis, qui per lucem & radios descendit in hæc inferiora, crassescat & fiat aqua, nam eo tempore quo fit Iris, pluviosa est tempestas & aër valdè humidus est, & humiditate illa incrascescit radius, & pedetentim transit in aquam roridam omni odore flagrantem, cùm habeat sulphur naturæ & lumen in se condensatum, & in aquam coagulatum, quod est verum naturæ Nectar, & instaurans alimentum rerum omnium, in quo colores omnes adsunt, & ex quo solo fit Iris nostra.

DE FVLMINE.

Fulmen quid sit, & quo modo fiat & ad quid natura inserviat

CAP. VII.

Fulminum admiranda natura & virtus. ADmiranda est fulminum natura, & nihil rarius in natura inveniri potest, sunt enim fulmina quædam adeo subtili & acuto igneo spiritu prædita, ut aurum & argentum liquefaciant in crumena, & in scriniis, illæsa crumena & scrinio. Enses nonnulla frangant vaginis illæsis, ossa in corporibus animalium disrumpant intactis corporibus, Vinum in Dolio disperdant, & per poros exire faciant infracto & illæso Dolio. Quòd igneus ille spiritus, quo constant fulmina adeo subtilis sit, & penetrans, ut nisi in solidissima agat, cætera verò quæ poros habent largos & laxos intacta transeant per poros eorum, admirandum & ferè occultum omnino existimant nonnulli, hoc mirum fulminum opus, nihilominus est valdè appertum & naturale.

Fulmē quid sit. Ex his itaque declaratis, possumus fulminis definitionem his verbis construere, fulmen est igneus spiritus ex calore centrali terræ sursum elevatus, cum tenuissima terræ & aquæ substantia, & in media aëris regione per antiperistasim frigidam excandefactus, deorsum cum violentia detrusus. Ex hoc igneo spiritu, & materia eius elementari pingui & viscosa, generatur tandem Lapis, qui metalla sæpissime habet admixta, & vocatur Lapis fulminis, generatur autem hic Lapis non in medio aëris, sed in terra ipsa, ab ipsa materia fulminis: *Lapis fulminis qua ratione fiat.* quæ cùm sit viscosa & pinguis materia ex humido radicali mundi facilè transit in metallum imperfectũ Lapide admixtum, cùm talis materia viscosa sit metallorum materia, ex qua naturaliter fiunt metalla, fulmina autem ex eadem materia fiunt, cum eadem materia sublimetur sursum, & in sublimatione illius attenuetur valdè, ita ut frigore mediæ regionis, calida & ignea hæc substantia in unum compressa globum, ut à frigore se defendat, tandem adaucto eius calore, & ignea eius sub-

stantia fortior, & potentior facta, per compressionem illam ignescit & flammescit, unde cum violentia tendit ad locũ suum naturalem, ex quo sublimata fuerat, & fugit inimicum suum frigus in media regione, tunc temporis imperans & vincens, & sic fiunt fulmina, non ex collisione nubium ut communiter docetur Collisio enim illa nubium non posset excludere ignem illum nisi intra nubes materia illa viscosa, & pinguis & ignea ex calido innato mũdi sursum elevata contineretur, & includeretur, quæ dum nubes tali materia impregnatæ simul colliduntur, magis ac magis calida fit, igne nubis comprimente materiam, & materia hæc à frigore nubis compressa calidior fit & ita calidior ut tandem ignescat, addam etiã ego ex Chymica doctrina, cùm hæc materia sit pinguis & viscosa crescit ignis eius & calor, aqua madefaciente illam materiam quæ tartarum eius, & calcem sua humiditate frigida excandefacit & inflammat: Nubes deferunt hanc materiam, collisio nihil agit quàm augendo materiam hanc, quæ nubibus defertur, etsi non simul colliderẽtur nubes, ignesceret hæc materia adaucto ei⁹ calore, frigore mediæ regionis, vel humiditate aquea nubis, quę calcem & tartarũ illius materiæ inflammat, uti videmus nos in calce, & tartaro calcinato, quibus superfusa aqua communi, excitatur ignis & flamma. Sic ignis naturæ sive lux sursum tendit, & deorsum etiam detruditur fulminibus inde excitatis: Exhalationes & vapores efferunt sursum materiam lucis, cum elementorum pinguedinibus & fulmina quæ inde fiunt modo prædicto inferius detrudunt eandem materiam, ut tandem circulatione idonea & debita peracta, tandem coaguletur in mixtum aliquod, secundùm variam dispositionem quã acquirit in circulatione illa. Fulmina ergo detrudunt inferius materiam calidi innati mundi, quæ sursum elevatur, dum coquitur à calore suo interno sui ipsius, ut coagulationem ad quam tendit tandem obtineat, subtilior eius pars coctionem illam pati non potest, & perinde sursum tendit, & iterum ab inimico suo frigore, cogitur ad locum redire suum ut ibi coctionem suam naturalem patiatur, & tandem figatur & coaguletur in mixtum aliquod.

Fulmina nõ fiunt ex collisione nubium.

Fulmina quid prosint.

DE FVLGVRE.

Fulgur quid sit, & quo modo fiat & ad quid naturæ inserviat.

CAP. VIII.

FUlgurum & fulminum, eadem penitus est materia, & substantia pinguis scilicet & viscosa, quæ ex calido & humido primigenio mundi (quod in centro terræ collocatur) calore suimet ipsius sursum elevatur, & in media aeris regione, frigore comprimente hanc materiam, & eius calorem augente inflammatur, & in

Fulgurum qualis materia sit.

Fulminis & fulguris differentia.

& in igneam convertitur, qui frigore in inferiora cum impetu detruditur. Differt solùm fulgur à fulmine, tenuitate & subtilitate substantiæ, substantia fulguris subtilis admodũ est, & tenuis, & ignescit sine ulla aëris agitatione, & tonitru, fulminis verò materia crassa valdè est, & pinguis, & ignescit cum multa aëris agitatione, & cum tonitru. His ita positis fulgur definire possumus.

Fulgur quid sit.

Subtilem & tenuem calidi innati mundi substantiam à calore suimet ipsius sursum elatam, & sublimatam, & in media aëris regione ignescentem sine ulla aëris agitatione, & murmure. Hæc ignea substantia fulguris in ascensione sui ipsius, ita aliquando attenuatur & subtiliatur, ut à calore interno sui ipsius ignescat & inflammetur, unde fiunt coruscationes tempore noctis, æstatis tempore, præcedente die sereno, & æstuoso, in qua temporis constitutione multum sublimatur & elevatur illius substantiæ pinguis, & viscosæ, & oleoginosæ, quæ solet accendi in media aeris regione. Accenditur autem ut iterum decidat in terram, ex qua ascenderat, ut ipsam fœcundet. Est enim ipsamet substantia terræ pinguedo, & reliquorum omnium elementorum, quæ in se continet semen & vitam rerum omnium, & dum ignescit, in cineres & calcem convertitur, salis vitalis plenam, quę dum terram ingreditur, sua virtute vitali ipsam impregnat, & perinde summoperè fœcundat ipsam, unde non inania & vana sunt fulgura & fulmina, sunt enim terræ quasi fimeta, ipsam stercorant & pinguedine vitali replent, unde fertilitas exoritur quammaxima, & provinciæ & Regiones quæ fulguribus & fulminibus, cometis, coruscationibus, & aliis igneis Meteoris quamplurimis & copiosis turgent, & abundant, fertiles admodum sunt, quòd calcẽ & cineres horum naturalium ignium, in se recipiant & recondant, qui fertilitatis causas omnes in se coercent, fatui quidã sunt Philosophi, qui horum ignium causas inutiles & vanas existimant. Sciant autem hi & reliqui omnes, mundum hunc ita sapienter & prudenter fabricatum fuisse, ut nihil in ipso reperiatur inutile & vanum, omnia quæ sunt & existunt optima sunt, & naturæ pernecessaria, ad opera sua peragenda. Sic fulgura pernecessaria sunt ut pars illa calidi innati naturæ quæ ignescit, iterum in calcem redigatur, & decidat in terram & uniatur suæ massæ, ex qua exierat, & sic eam multiplicet, & terram fœcundet.

Fulgura quid prosint.

DE TONITRV.

Tonitru quid sit & qua ratione fiat, & ad quid natura inservi it.

CAP IX.

Tonitru elogium.

TOnitru terror humanæ gentis, & quo tonantem credimus Iovẽ, quo concutitur tot⁹ orbis, & resonant

Tonitru quid sit. sonant intimæ terrarum cavernæ, & intima terræ tremunt, nihil aliud est quàm fragor & ingens ille sonitus & strepitus, qui fulmine ex nube erumpente, exauditur. Non potest enim fulmen ex nube frigida & humida erumpere, quin aer circumstãs percutiatur magno impetu & violentia, aer autem sic verberatus resonat & tinnit, & tonitrua constituit, quæ nihil aliud sunt quàm aer reverberatus à fulmine ex nube cum violentia erumpente. Id experientiâ quotidianâ cernimus in tormentis bellicis quæ tonitrua naturalia imitantur, quorum os dum ignem cum impetu evomit, ex pulvere tormentario accenso aer verberatur ab ipso impetu ignis salientis, & fit fragor ingens & sonitus tonitruum similis. Pariter ignis ille naturalis dum accenditur in media aeris regione, in nube frigida & humida, diverberatur aer, & procreatur sonitus & fragor ille ingens, quem tonitru dicimus, ex verberatione enim aeris procreatur sonus, & quo fortiùs verberatur aer, eo fortior & acrior fit sonus.

Tonitrua quid prosint naturæ. Tonitrua ergo eo modo in natura fiunt, & naturæ inserviunt ut sonitu illo vehementi attenuetur aer, & vapores & exhalationes omnes quæ aerem contaminant & inficiunt sic disperdantur & consumantur, ita ut aer tonitru clarescat & ita attenuetur ut seren⁹ omnino appareat, fugatis omnibus nubibus, pluviis & vaporibus. Ita ut conspiciamus aerem post ingentia & frequentia tonitrua serenum admodum, & clarum, & non solùm à pluviis & reliquis omnibus Meteoris repurgatur aer, beneficio tonitruum, sed ab omnibus venenatis qualitatibus, quæ tonitru perfugantur & in centrum suum redeunt, ex quo surrexerant, nam cum nubibus, pluviis, & reliquis omnibus, quæ in aëre sublimantur vaporum & exhalationum ope, redeunt in centrum terræ, ut iterum à calore centrali terræ percoquantur, & digerantur in melius. Sic aër ab omnibus venenatis qualitatibus tonitruum ope, liberatur, & homini purus putus præparatur, ut in eo, sine noxa & detrimento vivere possit. *Venenum aëris tonitru disperditur.*

DE ECHO.

Echo quid sit, & qua ratione fiat, & cuius sit utilitatis ipsimet naturæ.

CAP. X.

Echus naturam & essentiam admirati sunt Philosophi omnes, & quid esset indagarũt, & quasi stupefacti fuerant contemplantes Echus naturam & essentiam consistere in solo aëre percusso & reflexo in cavitatibus peculiaribus terreis, in quibus voces, & soni omnes & cant⁹, & quicquid aërem agitare potest, cum sonitu & sono, repetitur veluti in gutture quodam viventis & organo, & non solum vice una repetitur, *Echus natura & essentia.*

tur, at per tres, quatuor, & usq; ad septem vices articulariter iteratas, vox & sonus repetitur in quibusdam & peculiaribus antris, ita ut inibi reconditi homines videantur, qui has voces, & sonos ac cantus repetant: his ita positis definire possumus Echo nostram, aerem repercussum & agitatum in locis concameratis & fornicatis, à sono vel strepitu, vel voce aliqua violenter facta & expressa. Soni enim omnis generis violenter, & cum expressione forti facti, aerem percutiunt & diverberant, aer autem ita diverberatus repercutitur in locis concameratis & fornicatis, ita ut vox reflectatur & repetatur in ipsis locis, tanquam in gutture quodam & organo, sonoro, & vocali, est enim aer sonorus, & habet quicquid est necessarium ad sonos emittédos & efficiendos, modo percutiatur, ac verberetur, habet enim subtilitatem & tenuitatem quammaximam & soliditatem raram, satis sufficientem ut sonos & voces in se ipso coerceat & emittat non secus ac specula, quæ limpiditate sua, & nitore terso & déso, rerum imagines foras emittunt, & in medio aere imagines apparere faciunt, quòd nitor & splendor speculorum, præcipuè concavorũ tantus sit, ut in medio ipso aere, per radios splendoris sui, aerem ita condensent, ut imaginem ipsam reflectere queat & ita conspicuam faciat. Ita pariter concava loca & fornicata, aerem continent, ut si diverberetur & agitetur voce aliqua, aut sono, repetitur & iteratur vox illa, & sonus à quo percutitur, quia in ipsis locis reflectitur vox, non secus ac imagines rerum in concavis speculis reflectuntur, & foras emittũtur. Experientiâ etiam constat Echo esse reflexioné vocis & soni emissi in aere, in fornicatis & concameratis locis concluso. Ponãtur & locentur Tympana duo magna satis ad satis magnã inter ipsa distantiã. Pulsetur unũ intacto alio, intactũ resonat ex pulsatione alterius, quòd aer verberatus per pulsationem unius tympani, reflectat & emittat sonum in concavitate alterius, Cithara etiã pulsata, aliam Citharam juxta se positam intactam resonare facit, propter eandé & similem rationé quod aer repercutiatur in cavitate alterius Citharæ intactę, ab aere percusso, in vétre Citharæ percussæ & pulsantis, sic aer repercussus totam Echus nostræ essentiam constituit, & componit, in peculiaribus quibusdam locis, à natura vel ab arte præparatis

Echo quid sit.

Qua ratione vox repercutiatur in aere ut Echo faciat.

Exemplum quo pateat quo modo fiat Echo.

Inserviunt autem hæ aeris diverberationes & repercussiones, ut aer in concameratis illis locis, & subterraneis speluncis fornicatim à natura excavatis, incorruptus permaneat, sic enim agitatur & motu suo purificatur ab undis & humidis terræ vaporibus, sic spiritus aereus vividus manet & vitalis, & ubicumq; nutriri potest, alioquin cavernas subterraneas invisere nó possemus, nisi aer earum aliquo motu moveretur, & repurgaretur, id auté fit clamoribus, & fra-

Echo quid prosit naturæ.

& fragoribus, tonitrubus, & strepitibus ingentibus rerum variarum in natura existentium, quæ aerem tali modo exagitant & movent, & à corruptione præservant.

DE COMETIS.

Cometæ quid sint & quo modo fiant, & cuius sint utilitatis in rerum naturn.

CAPUT XI.

De Cometis varia opiniones.

VAria est, & omni ex parte contraria Philosophorum antiquorum de Cometis sententia & opinio. Sunt enim qui Globum à sole illuminatum esse existimant, alii materiam ignitam, & accensam ex exhalationibus terræ provenientem, alii materiam æthereiam & astralem ad tempus aliquod persistentem & perdurantem in tali dispositione, ut lucem solis recipiat & remittat. Et sic luceat veluti astrũ, & moveatur ad motum astrorum reliquorũ. At missis hisce opinionibus, quas existimo ni fallor, plus habere subtilitatis quã veritatis, ego existimo, & firmissimè credo Cometas esse exhalationes & evaporationes subtilissimarũ partium calidi innati & humidi primigenii mundi, quæ sursum ferantur à calore ipso calidi innati & humidi illius primigenii fervescentis, quæ materia, cũ pinguis sit & oleoginosa, ascensione sua attenuatur & subtiliatur, nihilominus viscositatẽ retinet subtilem & tenuem, ita ut dum inflammatur ardeat & ignescat cum difficili consumptione sui ipsius, unde diutissimè durant Cometæ, quòd materia eorum sit pinguis, terrestris & viscosa difficilis consumptionis.

Com a quin it & que l:fi- ant.

Est enim materia similis & ferè eadem ex qua antiqui Philosophi lampades perennes & perpetuo ardentes fabricabant, quod hæc materia dum ignita est ardet, sine consumptione sui ipsius, at ut ardeat, & pabulum habeat, attrahit hæc materia ignita pabulum ex quo vivit, & ardet. Sic Cometarũ materia adeo pinguis, glutinosa & viscosa est, nihilominus subtilis admodum & tenuis, ut quamvis ardeat, nõ consumatur, aut saltem parum, unde diutissimè durant, & pabulũ attrahunt ex aere circumstante, qui est ignis verus cibus & unicum naturale pabulũ, propter pinguedinem & oleum occultũ omnium elementorũ, quod residet, & latitat in ipso aere, nec ideo cogitandũ est, ut Cardanus Cometas non posse inde esse exhalationes, & vapores pingues ignitos & inflammatos, quòd diutissimè perdurẽt & persistant, veluti ad sex & septem menses, intra quod temporis spatium totus ferè Globus terræ & aquæ consumeretur si totus ignesceret. Quia verum id quidem esse posset si materia cometarum non esset viscosa & glutinosa valdè consumptioni resistens, ardet hæc quidem materia, sed non promptè consumitur, propter suam viscositatem & tenacitatẽ suæ substantiæ, videmus enim cerã difficiliùs consumi ab igne, quàm sevum & axungiam in candelis.

Materia Cometarum qualis.

Aër cur ignis cibus & pabulum.

Nullo pacto est ergò dubitandum Cometas esse exhalationes pingues & glutinosas, quæ sursum elevantur ex ebullitione humidi radicalis mundi, & ita cœlum versùs sublimantur, ut etiam ad Firmamentum usq; perveniant, & in medio stellarum ipsarum ipsius Firmamenti ardeant, & splendorem earum imitentur. Ut evenit tempore Cæsaris augusti, in quo tépore apparuisse novã & recentem stellam inter stellas Cassiopeæ asserunt Historici, hæc stella non potuit esse quid aliud, quàm materia quædam cometarum quæ usq; ad hunc locum sublimata est, ibiq; igné concepit & splenduit quãdiu perduravit hæc materia, deinde extincta est, & sic evanuit stella illa recens facta & enata, sic etiam evanescunt Cometæ, postquam per tres menses, aut quatuor, vel usq; ad septem splenduerunt, quod denotat materiam eorum esse consumptibilem & non esse de natura astrorum cœlestium quæ semper splendet & radiat, absq; ulla consumptione, & diminutione luminis sui, & splendoris, sic ergo fiunt Cometæ, & naturæ inserviunt, quod eorum materia dum ignescit & consumitur, ipsa materia extincta decidit in terras, & fœcundat, quòd in se contineat salis multum, in quo continetur pinguedinis elementorum omniũ maxima copia, quæ vera est & unica terræ totius fœcunditas, itaq; non potest ullo pacto separari illa substantia humidi radicalis mundi à centro terræ, quin tandem ibi redeat, unde exierat, idque ex decreto summi Creatoris, omnia oportet redire in fontem, ex quo ortum & originem habuerunt.

Cometæ usq; ad firmamentum elevari possunt.

Cometæ quid prosint naturæ.

Terræ fœcunditas unde.

Vndenam Cometæ, pestes, bella, sterilitates, Regum mortes & alia eiusmodi denuncient.

CAPUT XII.

Cometæ undenam pestes prænuncient.

Cometæ pestes nobis prænunciant, eo quòd non solent fieri & in natura excitari Cometæ, absq; inflammatione, & ebullitione violenta calidi innati terræ, ut superiùs demonstratum est, non potest inflammari, & excandescere calidum innatum terræ, quin vapores & exhalationes atræ, & corruptæ foras exeant, aeréq; contaminent: Quicquid enim tunc temporis intra terrę viscera continetur venenati & maligni, foras erumpit, cùm calor innatus terræ, excitatus & excandefactus, ea ebullire faciat, ex qua ebullitione multa venenata & pestifera sursum efferuntur, ex quibus aer inficitur & ex aere infecto & contaminato, vita animalium, & præsertim hominum, cùm in tenuiori & subtiliori aereo victu & cibo consistat, contaminatur & inficitur; unde morbi contagiosi, & pestilentes exoriuntur & mortes frequentes inter homines, & animalia quæq;: vitam enim ex aere trahunt, qui cũ sit infectus & conspurcatus vaporibus illis, & exhalationibus venenatis & malignis, vitam inficere necesse est.

Cometæ ut bella prænũtient.

Bella autem solent exoriri & excitari inter homines; tunc temporis, quòd morbosa sit eorum vita, & perinde variis humoribus ad iram & rixam concitantibus contaminata, unde bellum & rixæ & querelæ solent excitari, & præsertim inter Reges, quibus totus componitur orbis, horum vita, seu materia vitę, cùm sit his vitiis infecta, apud Reges faciliùs operatur, quam apud alios homines, qui legum freno dominantur, & temperantur, Regibus verò omnia sunt ad voluntatem & liberum arbitrium. Itaque Reges tunc temporis facili negotio ad iram & rixam concitantur, cum aer ex quo vitam ducunt, plenus sit spiritibus igneis & calidis, ad iram & rixam excitantibus.

Cometæ ut sterilitates denunttient.

Sterilitates etiam portẽdunt Cometæ, propter nimiam siccitatem & ariditatem, quam terræ & aeri inducunt, nam calidum illud innatum terræ, non potest inflammari, & quasi ad febrem excitari, quin terræ corpus valdè exsiccetur, & exsiccatione illa humidum pingue fertilitatis causâ disperditur & consumitur, aer etiam tunc temporis inflammatur & æstu nimio æstuat, unde terræ fructus omnes arescunt, & quasi comburuntur, & sic ad maturitatem & pepansim perduci non possunt, & sic sterilitas exoritur.

Regum mortes ex Cometis ut portendantur.

Regum autem mortes, & Principum & Magnatum tunc etiam temporis solent portendi & indicari, quod tunc temporis Reges, Principes & Magnates soleant magis irasci & ad querelas & rixas concitari, quibus somnus interrumpitur, & cibus & potus, undè facilius incurrunt morbos, qui tunc temporis crudeliores sunt & violentiores propter temporis constitutionem, & propterea faciliùs moriuntur, & frequentius Reges, quàm alio quovis tempore, sed hæc omnia facili etiam negotio evitare possunt optima vivendi methodo, modo credant Medicis suis Chymicis, qui prudentia suâ cœlum ipsum corrigere possunt & astris dominari.

Morbi varii ex Cometis exoriuntur.

Multa etiam alia solent exoriri vitæ humanæ incommoda tempore Cometarum, ut sunt febres ardentes, disenteriæ, inflammationes, Erysipelata, phlegmones & alia ejusmodi, quæ non ex alio oriuntur fonte, quam male affecto calido innato mundi, quòd cùm male afficiatur & male se habeat, particularia etiam alia calida innata rerum male se habere necesse est, ex universali enim calido innato rerum particularia quæcumque suum esse & vitam desumunt, nec illud potest affici quin & aliud afficiatur cum particulare habeat esse ex universali.

)(:)(

DE

DE STELLIS DISCVRRENTIBUS ET ALIIS IGNEIS METEORIS.

Stellæ discurrentes quid sint, & fatui ignes lanceæ, trabes & alia einsmodi Meteora.

CAPUT XIII.

Stellæ cadẽtes quid sint & quo modo fiant.

PRæter Cometas sunt alia permulta ignita Meteora, quæ in medio aere ignescunt & flammam concipiunt: ut sunt stellæ discurrentes huc & illuc & cœlo cadentes, quæ nihil aliud sunt quàm partes quædam viscosæ & pingues humidi radicalis mundi, quæ sursum elevatæ sunt, tum à calore solis cœlestis, tùm à calore salis centrici, qui alias subtiliores & pingues humidi radicalis terræ partes, sursum evehit, & in mediam usque regionem extollit & sæpè sæpius altiùs evehit, donec motu suo elevationis, excandescant & ignescant, & dum ignescunt decidunt, & ita discurrere videntur, & ex cœlo præcipitari in terram.

Ignes fatui quid sint.

Ignes verò fatui, sunt etiam partes ejusdem materiæ, quæ dum sursum ascendunt, motu suo exardescunt & inflammantur, & quia subtiles sunt & tenues, non comburunt res circa quas exardescere videntur. Ut sunt fatui illi ignes, qui circa antennas & vela in navibus æstuante mari, qui nomine Pollucis & Castoris solent efferri, hi omnes & similes ejusmodi, qui ex terra exoriuntur æstatis tempore, nocte serena, fatui dicuntur ignes, quòd non urant sed tantum splendeant propter tenuitatem & subtilitatem substantiæ, quâ constant, & hi omnes exoriuntur ex pinguedine terræ, quæ sursum elevatur calore sui meipsius substantię, vel sursum attrahitur a calore solis cœlestis, qui pinguedinem illam mira virtute attractrice, sursum trahit, non ut ipsa nutriatur, ut antiqui nonnulli existimarunt, sed ut eam subtiliet, & depuret sublimando, & eam extollendo, ut puriores & clariores res fiãt, ex ea pinguedine in viscerib⁹ terrę: Lanceę verò & Trabes nihil aliud sunt, quàm materia pinguis humidi radicalis mundi, quæ sursum sublimatur & elevatur, calore solis cœlestis vel centrici, & in sublimi aeris regione, vel altius ignescit, & figuram lanceæ & trabis suscipit, unde nomẽ lãceæ & trabis hæc Meteora habuerunt, & hæc omnia & similia Meteora ignita propter eandẽ & similem rationẽ in natura fiunt, quam retulimus in capite Cometarum, hæc enim materia ignita sursũ fertur ut depuretur & subtilietur elevatione illa, ut inde iterum cadat in terram ibiq; coquatur, & tandem figatur & coaguletur in lapides pretiosos vel metalla, hęc enim materia, ad metalla & lapides pretiosos à natura destinatur, perinde sublimatur, & per aëra volutatur, ut inde summoperè depuretur, ut hinc pretiosiores fiãt lapides, & multa alia clariora, & puriora, & quod in metallum vel lapidem cogi non potest, in humidum radicale vegetãtium, et mi-

Sol attrahit pinguedinẽ terræ, non ut ea nutriatur sed eam subtiliet & attenuet.

Lanceæ & trabes quid sint.

Materia Meteororũ ad metalla & lapides pretiosos destinatur.

neralium aliorum transmutatur, sunt & alia similia his Meteora ignita, quæ non est opus huc referre, ex eadem & simili fiunt materia, & perinde, eandem definitionem subire possunt, & his cognitis, quæ relata cognoscuntur, & alia omnia, quæ à natura excitari possunt.

DE AVIBVS SECTIO SECUNDA.

Aves quid sint in genere & qua ratione fiant ex aere.

CAPUT I.

Aves qua ratione oriantur.

AVes omnes, qualescumque sint ex semine suo, quod in se coercent habent originem: Semen autem illud ex alimentis suis ducit ortum, alimenta autem ex quibus nutriuntur aves, partim visibilia sunt, partim invisibilia, visibile alimentum volucrum omniũ, est id omne quo nutriuntur aves visibiliter, invisibile autem alimentum est aer, in quo aves omnes degunt & persistũt, est enim in aere occultus & invisibilis vitę cibus quo utuntur invisibiliter aves & volucres omnes, nec eo cibo carere possunt minimo temporis momento, tanta est eius cibi necessitas, unde cũ nutriantur illo occulto aeris alimento, ut & manifesto & apparenti alio quo etiam utuntur, hinc etiam fit, ut invisibiliter & occultè, semen eorum ex quo fiunt, & generantur, producatur & fiat ex aere.

In aëre est cibus occultus avium omnium.

Imò semen volucrum totum ferè est ex invisibili & occulto aeris spiritu, qui volucrum cibus est, sperma autem quod est corpus seminis & vagina ipsius, fit ex aliis alimentis, quibus visibiliter utuntur volucres: semen autem cum sit quid astrale lucisq; portio, fit ex spiritu illo invisibili, qui in aere continetur, qui est vera lucis portio & astrorum omnium verus influxus, in aere residens, ut hinc tanquam ex naturali promptuario, animalia cuncta desumant suæ vitæ cibum, & alimentum conveniens.

Semen volucrum unde fit.

Hinc volucres pręcipuè suum invisibile alimentum, quo vita eorum sustinetur, ex aere desumunt, illumque incolunt & habitant ut facilius vitam suam hinc exhauriant. Quid ergo volucres sint hinc auspicandũ est, devoluta enim earum materia ex qua componuntur, facilis est earũ definitio. Volucres ergo definiemus animalia ex semine æthereo & cœlesti, cum elementari permixto, educta, & pennis decorata, & volatu prædita, ut ęthereum & cœlestem originem testari queant, in avibus siquidẽ effingẽdis natura elemẽta superiora potiùs quã inferiora convocat, unde etiã volucres omnes, quòd in compositione earum aer, & cœlũ cæteris elementis prædominentur, super ipsa inferiora elementa gradiuntur, & ideo pennis exornantur, ut elementorum suorum, quibus componuntur naturam sequi possint.

Volucres quid sint.

Non est tamen existimandum, alia elementa, aquam putà & terram

Omnia elementa vo-

non

lucres componunt.

non esse in compositione avium & volucrum nostrarum, componuntur quidem omnes ex quatuor elementis, eo modo quo solet à natura fieri, miscendo elementa omnia in semine generali naturæ, ex quo deinde variis alterationibus, & nutritionibus, tandem fit semen istud particulare volucrum omnium, in quo sunt quidem elementa omnia, sed aer & cœlum cæteris aliis duobus inferioribus elementis, aquæ putà & terræ prædominãtur, & sic æthereum & cœleste dicimus volucrum omnium semen.

Oportet autem ut sint volucres omnis generis in natura, ut omnia elementa reperiantur plena & referta animalibus in sphæris suis, summum enim & supremum naturæ opus, est productio animę viventis. Itaq; cum natura ubiq; sit, ad suum supremum tendit opus, per totum orbem, unde in singulis naturæ elemẽtis, progignit & producit animalia, sic elementa quæq; tanquam variæ & distinctæ naturæ Regiones, & Provinciæ animalibus reperiũtur decoratæ, & exornatæ, tanquam civibus & incolis veris, & legitimis, qui sua tuguriola inibi construunt, in hisq; vivunt donec moriantur.

Animalia in singulis elementis.

Vndenam variæ volucrum species exoriantur.

CAPUT II.

Semen generale ut particulare fiat

SEmen generale & universale, ex elementis eductũ, dum in individua incidit, ibi individuum & particulare constituit, & varia omnia individuorum genera constituit, ita & similiter prorsus natura in volucribus & avibus operatur, semen illud suum generale, quo in omnibus rebus procreandis utitur natura, in avibus progignendis impendit, & individuat, si ita mihi loqui fas sit in singulis, ita ut generale illud semen particulare fiat & individuum: Quia autem in una individuorum specie terminari non possit, sed in plures, cùm plures ejus sint virtutes & radii tingentes, nam ex lumine quod est in illo seminegenerali exoritur multiplicatio, lumen enim solum est, quod multiplicatur, sine ipsius diminutione, ex uno siquidẽ lumine infiniti ferè radii exoriuntur, qui singuli radii, lumen constituũt particulare. Sic ex seminis generalis lumine, infiniti effunduntur radii, qui singuli lumen singulare cõstituunt, & perinde semen particulare faciunt, ex quo particulare individuum enascitur, unde variæ volucrum species, nam semen illud generale dividitur ratione sui luminis interni, in diversa rerũ genera, & sic multiplicatur, inter hæc rerum genera, volucrũ genus reperitur, quod in diversas iterũ volucrum species dividitur, & multiplicatur ratione luminis interni, quod in suo genere reperitur. Lumẽ enim dũ dividitur, diversas cõstituit rerum species, & individua ultro cõstituit diversa, ratione suę divisionis, dũ enim in fonte suo manet, unũ est, dũ verò à fõte separatur, dividitur, & rivos

Lumen solũ suscipit multiplicationem.

Vnde variæ volucrum species.

rivos constituit ac radios, qui in ipsa separatione distinctionem suscipiût: Sic volucrum diversæ ac variæ species exoriuntur, quòd semen illud generale dividatur in plures partes quæ varietatem specierum constituunt, eo quòd dividatur, nam in ipsa divisione lumen illud internû, quod est forma cujuscumq; rei, distinctionem statim & varietatem facit, unde in Lampade solet evenire, quæ lumen unum & solum constituit, at si fila ex quibus componitur varia, & multiplicia, inter se dividantur, fient lampades quamplurimæ & multiplices, ex sola divisione filorum, sic & in genere universali solet contingere, non potest dividi genus illud quin & species diversas & varias constituat, forma enim cùm dividatur, dat esse varium & distinctum ratione divisionis, loca etiam varia & distincta, quæ occupantur, ex divisione multiplici, varietatem etiam illam & distinctionem, adjuvant: sed formalis ratio cur in divisione generis, contingat specierum varietas, & distinctio, est divisio formæ, seu luminis, quod est internum in genere, quod dividi nô potest, sine distinctione, & multiplicatione sui ipsius, unde plures & multiplices formæ exoriuntur, sic variæ & multiplices species volucrum, ex divisione luminis interni quod intima seminis volucrum occupat.

Semen generale dividitur in plures partes.

Loca varietatem faciunt.

Varia volucrum species unde sint.

Vndenam voces variæ & varii cantus inter volucres exoriantur.

Caput III.

ADmirandi sunt omni ex parte volucrum cantus, & voces variæ & distinctæ, quibus inter se volucrum omnes species distinguuntur, & quibus Musica naturalis, per totum orbem exauditur, nec die nec nocte cessant, quin modulatus admirandus ubiq; resonet: Mirum omninò est linguam exiguam in gutture minimo suspensam adeo variis & distinctis resonare sonis. Quid hoc agat, non solùm lingua est, guttur, caput & totum aviculæ corpus, at præcipuum soni illius, & modulatus instrumentum est aêr, qui in hisce corpusculis æthereo semine productis, lingua tenui agitatus, & reflexus in concameratis avicularû partibus, sic resonat, & hos modulatus & cantus varios & distinctos peragit, corpora quidem avicularum cû præcipua aêris parte constent, & peculiaribus organis constituâtur, quæ sicca admodum sunt, & præcipuè earum guttur, & larinx, quæ siccitate sua conformitate naturali, quasi tinniens, & resonans est, in ea aer reflexus, & percussus ac diverberatus, ab avicularum linguæ perpetuo & subtili motu, sonos, modulatus & cantus illos excitat & agit: Sunt enim avicularû guttura, fistulata instrumenta, quibus aer agitatus,

Cantus avium unde sit.

tus, sonos illos varios excitat: Unde ex aere & ex gutture, palato, thorace, & ex toto ferè avicularum corpore exoriuntur voces avicularum variæ, & cantus diversi, nec aliunde quærenda est, & investiganda huius distinctionis & varietatis causa, in fistulis enim aperte videmus, quàm varietur sonus, non solùm in variata fistula, sed in una, & eadem fistula, modo foramina varientur, modò aperta, modò clausa, modò semi aperta, sonum variant & distinguūt, sic aviculæ modò aperto gutture canunt, modo semi aperto, & stricto, modo largo gutture resonant & sic cantus variant & distinguunt, quamvis guttur non varietur, sed tantùm distinguatur leni qualitate, quæ ab avicula dependet & sic concludimus varios avicularum cantus, à variis avicularum organis, ex vario avicularum affectu & passione distinctis, & ab ipso aere in ipsis organis variè agitato dependere.

Aves qua ratione cantus varient.

Cantus varius avium unde.

Vndenam volucrum colorum varietas exoriatur.

CAP. IV.

Vndenam volucrum colorum varietas.

VOlucres sunt adeo variis coloribus inter se distinctæ & variegatæ, ut admirationem summam omnibus pariant, & si flores colorum suorum varietate, nos in admirationem sui rapiant, quid agere debent flores hi vivi, & canentes, nam verè volucres nonnullæ sunt flores naturæ vivi, dulcè modulantes, quid in floribus mirum est, & admirandum, quin idem in avibus reperiatur circa colores, & odores, in his siquidem elucent & radiant viridis color, cæruleus, rubicundus, albus, niger, & rufus, & cæteri omnes medii, infimi & supremi colores, puri & simul permixti reperiuntur, adeo ut varietatem admirandam pariant & faciant, unde autem hæc colorum varietas & distinctio exoriatur jam nobis disquirendum: Vt enim in floribus colorū varietas, à sulphure naturali dependet, quod mercurium seu humidum vegetabilem, in floribus coquit, digerit, & digerendo colorat, secundum coctionis suæ gradum, ita pariter in avibus contingere solet: Sulphur naturale quod in ipsis ab ipsa natura inditum est, coquit, digerit & maturat mercurium seu humidum radicale volucrum, & coquendo & maturando ipsum colorat, secundum digestionis & coctionis suæ gradum, & ex gradu illo diverso & vario fiunt calores varii, & diversi: Videmus enim experientia ipsa, tum in floribus, tum in avibus, in principio ortus sui colores esse distinctos, & varios, ab his coloribus, qui in media ætate, & in senectute solent oxoriri: Hoc aliunde evenire non potest, quàm à calore naturali (quē sulphur dicimus) qui quidem calor digerit & coquit suum humidum, diverso modo in principio sui ortus, quam in medio, & in fine, & secundùm illam diversitatem

Color omnis ex varia coctione humidi radicalis.

coquendi, & digerendi suum humidum, necesse est ut hinc exoriantur varii & distincti colores, at in nonnullis simul & semel in una & eadem parte varii colores exoriuntur, veluti viridis & rubicundus simul cum rufo permixtus, ut in Psittacis, & aliis multis avibus, quæ in Zona torrida reperiuntur admirabiles, & in nostro Pavone qui omnibus coloribus reperitur variegatus, & exornatus, unde nam tanti & varii ac distincti colores in una & eadẽ penna harum volucrum reperiuntur, diximus in Chymicis omnibus nostris operibus, colorum omniũ fontem esse sulphur naturæ, quod est lumen internum cuiuscumq; rei, illud naturale lumen, seu sulphur parit ac producit omnes colores coctione sui ipsius, si omnes simul vigeãt, si verò unus tantùm vigeat, unum producit. Quidni enim omnes producere potest? si omnes habeat in centro sui reclusos? Quidni unum tãtum si omnes habeat? hoc dependet solùm ex dispositione sui ipsius, cum disponitur ad omnes colores, omnes excludit, cum ad unum tantùm, unum solum excludit & parit colorem.

Ex sulphure omnes colores.

Cur omnes & singulæ aves in omnibus terræ Regionibus non reperiantur.

CAP. V.

Aves omnes cur ubiq; terrarum nõ reperiantur.

NOn omnis fert omnia Tellus, sic omnes & singulæ aves in omnibus terræ plagis reperiri nequeunt, quòd ibi vivere nequeant, ut nec enasci, Aquilæ in planis non reperiuntur campis, sed in montuosis, & sylvestribus locis, Psittaci in Europa reperiri non possunt, nisi ab India in Europam asportentur asportati vivunt quidem, at non producunt sibi similes, est enim aliquid in Europa, quod inimicum est Psittacis, nostræ etiam aves quæ copia reperiuntur multæ, per totam Europam, in australibus plagis reperiri non possunt, quòd australes terræ plagæ habeant aliquid illis inimicum & contrarium, illud autem quod illis inimicum esse potest, sunt quædam constellationes, quæ peculiariter in his locis dominium habent, quarum constellationum influxus, contrariatur omninò hisce avibus, Et quod in avibus rarum esse, & occultum censemus, in plantis manifestũ videmus, omnes enim plantæ & arbores, in omni terræ loco enasci nequeunt propter eandem rationem, quod in omni loco, non idem & simile reperitur alimentum, alimentum autem idem & simile in omnibus locis esse nõ potest, propter cœlum, & influxus cœlestes, qui variantur ex varietate locorum, cum & ipsum cœlum varietur, & astra ubique non sint eadem, sed per totum cœlum varia & distincta, sic à variis & distinctis ubiq; astris, varii & distincti influxus descẽdunt in terras, ubiq; varia & distincta producunt in genere animalium, vegetantium & mi-

Alimentum non ubiq; simile.

& mineralium, in unoquoque enim genere, invenitur varietas & distinctio summa, quæ à cœlo descendit, igneus est ollis vigor, & cœlestis origo seminibus, quę non à terra distinctionem suscipiunt, sed à cœlo, à quo formam internam suscipiunt ratione lucis, quæ est formarum omnium origo, unde si volucres & aves diversæ & distinctæ reperiantur, per totas universi orbis plagas & regiones, id à cœlo dependet, cùm ubique cœlũ varietur, & influxus astrorum eius varius & distinctus reperiatur, per omnes & distinctas terræ plagas, & regiones, unde alimenta & semina rerum varia, & ab his varia & distincta rerum genera, & species.

Cœlum constituit varietatem in rebus omnibus.

Qua ratione progignantur volucres ex semine suo, & quid sit earum semen.

CAP. VI.

Semẽ quàm nobile sit.

NObilissima & prætiosissima res est rerum singularum semen, cùm occultam & latentem in se cõtineat rerum animam & vitam, vita siquidem & anima, in semine latentes & occultæ totam seminis essentiam constituunt, ex anatomia vitalis & animalis substantiæ, seminis substantiam apertam habebim⁹ & manifestam: Nam substantia quæ in se coërcet animam & vitam rerum, est eadem quæ continet semen non enim intelligimus animam & vitam solam, quæ nihil aliud sunt quàm actus primi illius vitalis substantię, sed intelligimus substantiam ipsam in qua vita & anima radices agunt: Itaque hæc substantia est lucis purissima pars, cum pura & subtili elementorum singulorum parte unita vera permixtione, in unũ quid homogeneum, & simplex, quòd ex simplicibus elementis constituatur, quæ in illo uno, diversas & varias nõ constituunt partes: Semen ergo rerum omnium est quintum illud elementum, quod ex quatuor elementorum permixtione ortum habet. Quod quidem quintum elemẽtum in tria rerum genera dividitur, ut eorum semen constituat, animale siquidem semen seu quintum animalium elementum distinguitur à vegetabili & minerali quinto elemento, non ratione substantiæ elementorum, quæ quintum illud elementum constituit, sed ratione mixtionis, nam in animalium genere alio modo miscentur elementa, ut illud quintum constituant elemẽtũ, quàm misceãtur in vegetabilium & mineralium genere, & adhuc in singulis horum generum speciebus, peculiariter & singulariter permiscentur elementa, ut earum specierum constituatur peculiare semẽ ut in volucribus, quę ex genere animalium devolvuntur, & speciem singularem animalium constituũt, in hac specie peculiariter permiscentur elementa, ut peculiare & singulare eius semen cõstituãt atq; cõponant: Aër & cœlum plus dant sui puri, quàm

Semẽ quid sit in genere.

Elementa quo modo misceantur in semine volucrum constituẽdo. aqua & terra, purum terræ, & aquæ subjicitur puris cœli & aëris, & purũ aeris adhuc, cæteris elementorum puris dominatur, itaque in semine constituendo volucrum omnium generaliter, aer semper dominium habet, itaque his positis semen volucrum generaliter definire possumus *Semen volucrũ quid sit.* substantiam purissimam, & subtilissimam quæ in corporib⁹ volucrum reperitur, omnium elementorum purissimam partem in se habentem, & permixtam vera unione in quintum elementum: quod in se coercet, illud omne quod ad productionem avium necessarium est, ex quo *Ova qua ratione ex semine nascuntur & fiant.* solo multiplicantur in infinitum: Ex hoc semine in fœmellis generatur ovum, quod quidem modò ex semine masculi & fœmellæ progignatur utile est, & ad productionem idoneum, modo calore levi pepantico, excitetur virtus illa seminalis, quæ in toto ovo, virtute seminis superiùs descripti sparsa est, non enim in solis ovis continetur virtus seminalis, seu semen, & sperma volucrum, at etiam in partibus seminalibus & spermaticis Volucrum, quæ continent semen reale, ex quo deinde fit ovum, in peculiari matrice avium, virtute caloris naturalis earum matricum, quæ virtute innata sua, semen illud æthereum subtile admo- *Ova ut semẽ contineant.* dum in ovum commutant, in quo deinde ovo continetur virtus seminalis volucris, cuius est ovum, exci tata autem illa seminali virtute, calore levi tum volucrem ipsarum ova sua incubantium, vel alio externo calore, modò in gradu simili, tota substantia ovi mutatur in volucrem: & sic volucres omnes progignuntur, ex semine quod in ipsis mutatur in ovum, & deinde ovum ab ipsis caloris externi fotu, mutatur in avem, qua ratione verò fiant ova, virtute seminis in matricibus avium jam nobis est disquirendum.

Ova volucrum qua ratione fiant ex earum semine.

CAP. VII.

Ovorum mira natura. OVorum omnium natura, & essentia admirabilis omninò est, quis intra putamen, & testam ovorum volucres residere existimaret, nisi quis experientiâ vidisset, solo caloris fotu reducuntur in actum: mirum omnino est, quod in tenui & molli adeo substantia, pennæ, carnes, ossa avium, & ipsa anima sentiens & quicquid aliud ad aves pertinet coërceatur, videntur etiam aves in quintam essentiam sese convertere, ut ova pariant, tanquam quid illis simile, unum & idem saltem proxima potentia, semen siquidem avium omnium, in ovum convertitur in matrice peculiari ibi actione caloris nativi, crassior pars seminis, in putamen & testam abit, aquosior verò pars in albumen convertitur, pars verò quæ aeris & ignis partes subtiliores habet, in vitellum mutatur, cui supernatat germen, pars seminis

In qua parte ovi resideat virtus seminalis.

minis subtilior & efficacior, cui vitalis & seminalis virtus omnis inest: ex quo solo dependet vita pulli, & multiplicatio, in quo incipit vita & anima radicari, cætera omnia quæ in ovo sunt, & reperiũtur, sunt quasi ad alimentum pulli recenter ex germine illo enati, non habet enim aliunde unde nutriatur, clausa illi sunt omnia, ideo Deus & Natura intra testam suam tanquam in orbe suo, & mundo, paravit illi omnia quæ ad vitam sunt necessaria: aliunde enim vitam suam enutrire non potest, nõ ut fœtus alii quadrupedum, qui ex toto corpore matris, per venas & arterias tanquam per canales & tubos vitales, suum alimentum exhauriunt, ad matricem enim ubi detenti sunt fœtus, omnia confluunt. At in ovo non ita est, separatum est ovum à matre sua, & loco distinctum, unde fœtus, qui in ovo producitur, oportet ut ex ovo desumat omnia quæ illi necessaria sunt, non producitur autem ex omni parte ovi, sed tantum ex germine, quod vitello supernatat, illud germen quod verum sperma est volucrum, calore sui ipsius à calore externo suscitato, mutatur in volucrem ejusdem speciei cuius est ovum, vitalis enim ille internus calor, est Archæus suimet ipsius corporis, & verus faber suæ domus, corpus tanquam domum suam propriam fabricat, & dum fabrefecit, & ordinavit, tunc ultimũ actum educit ex potentia suimet ipsius, & animat & informat corpus illud, & hæc est ultima perfectio, quam calor nativ⁹ introducit, in illam materiam, tunc quiescit ab opere, & gaudet suo fine, & conservat quandiu potest, sic volucres ex ovis, & ova ex semine volucrum fieri solent.

Unde enutritur a vis in ovo recẽs nata.

Ex ovis aves omnia educũt quæ illis sunt necessaria.

Vitalis calor est Archæus suimet corporis.

Cur volucres factæ sint in rerum natura.

CAP. VIII.

AD gloriam Dei altissimi rerum omnium creatoris facta sunt omnia, non quòd egeret his Deus, ad gloriam suam, Deus enim solus est, qui sui ipsius gloria est, sed ut nobis manifesta fuisset gloria, & omnipotentia divina, ex creatis enim scintillam aliquam potẽtiæ divinæ & gloriæ desumimus, si nihil creasset ac fecisset, sibi solus notus fuisset, post creationem autem, externam habuimus illius cognitionem, quæ ex creatis originem habet, & posteriora sua hæc sunt, volucres ergo ut & reliqua cuncta, ad Dei altissimi gloriam factæ fuerunt deinde secundò ad hominis usum: Nam cùm homo sit totius mundi caput, & Coryphæus, cuncta quæ in mundo sunt ad illius usum facta sunt. Voluit enim ut omnia elementa & singula producerent homini alimenta vitæ sustentandæ necessaria: itaque aer cùm sit præcipuum elementorum, voluit Deus ut aër peculiariter sua alimenta materialia & corporalia producerent, ad hominis vitam sustentãdam,

Ad gloriam Dei facta sunt omnia.

Volucres propter homines factæ sunt.

Volucres ex aëre. volucres autem sunt præcipua alimenta hominis, quæ in aëre & ex aëre precipuè progignuntur, non enim tantùm aer spiritualia dat homini alimenta, spiritum vitæ illi subministrando, sed etiam materialia & corporalia præbet illi alimenta, volucres omnis speciei illi progignendo. Quæ illi non solùm sunt alimento sed etiam delectamento.

Natura manca esset, sine avibus. Præterea volucres omnes, sunt toti naturæ, & toti universo, maximo ornamento, manca verè esset natura, & mutilum haberemus orbem universum, si volucres ab ipso abessent: mel & cera non adesset si apes non adessent, sericum omne genus non adornaret homines, domos & templa, si bombices nō adessent, nec in molli lectulo sterteremus, si plumulæ molliores volucrum, ab ipsa natura abigerentur. Volucres ergo non solùm ad Dei laudem & gloriam, sed ad hominis cōmoditatem, & utilitatem quammaximam & naturæ totius ornamentum, (quòd verè mancum & defectuosum probaremus, si volucrum omne genus abesset) factæ sunt & procreatæ.

Qua ratione, & ad quid coëant aves perfectæ omnes.

CAP. IX.

Volucres perfectæ cur per putrefactionem fieri nequeant. Volucrum quamplurimarū species, ex sola putrefactione producuntur, ex semine generali totius naturæ, quod in omnibus latitat elementis, ideo aves perfectæ eo ēunt cum non possint ex illo semine generali, per solam putrefactionem produci, oportet ut virtus multiplicativa & seminalis, quæ in perfectis avib⁹ divisa est, in marem & fœmellam coniungatur, & una fiat, ut tertium enascatur, divisa enim inutilis est, & vana ad productionem virtus illa seminalis, itaque oportet ut conjungatur, ut ignea illa virtus quæ in semine masculino continetur, jungatur virtuti aquæ & terrestri, quæ in semine fœminino latet, & fœcundet ipsam, & ad germinationem pellat, cùm ex se ipsa nimis frigida & stupida sit, ad prolem excitandam. Vis etiam masculi nimis adurens & ignea est, itaque eget humida & tepida seminali virtute fœminæ, ut temperetur, & ex temperamento illo moderato, exsurgat semen prolificum, & aptum ad generationem suscitandam, itaque cum utriusque maris & fœmellæ semen inutile sit, separatim sumptum ad generationem, oportet ex necessitate naturæ ut simul conjungantur, ut simul cōjuncta fiant unum productioni idoneum & aptum Coïtus ergo necessarius est avium perfectarum, ut inde ovum producatur aptum & idoneum generationi faciendæ: alioquin ova inutilia sunt & irrita, quæ *Hypenemia* græcis dicuntur, ex quibus nihil gignitur, quòd à virtute seminali masculi non sint illustrata & irradiata, virtus siquidem illa masculi adeo subtilis est, ut quasi radius lucis *Semen utriusq; parentis quomodo aptum ad generationē.*

cis esse videatur è longinquo etiam aliquando ut in perdicib⁹ fieri asserit Plinius, emittitur, ad fœcundandum fœminæ semen, sed hoc agitabimus cum naturam particularem avium tractabimus.

An aves habeant ingenium & industriam.

CAP. X.

Aves an habeant ingenium.

NUllo pacto dubitandum est, de ingenio & industria avium ferè omnium in nidis construendis suis, ingenium & industriam satis admodum testantur, & in conservanda sua prole, quid enim non faciunt, quas argutias non habent, & cautelas, & eludant venatores si forte ad nidos suos deveniant, fingunt se delumbes & prægravatas, fracto pede aut ala, ita ut venator, eas persequatur, eas manu capere existimans, donec longissimè abducant venatorem à nidis, tunc alta petunt & canendo, quasi ridentes venatorem frustrant, & deludunt. Villaticis gallinis, & Religio inest, inhorrescunt edito ovo, excutiuntque sese, & circumactæ purificant, ac festucis & paleis, sese & ova sua lustrant. Quid etiam agunt in defendendis suis pullis ab incursu Milvorum: ipsos pullos in globum cogunt, & circa ipsum glocientes omni conatu pullos, à Milvis defendunt, aliquando ipsos & sæpe sæpius, pullos in vepreta ducunt, ut ibi tanquam in forti castro prælientur adversus Milvos, sunt & aliæ quamplurimæ aves, quæ cantus aliarum imitantur & sequuntur, quæ voces humanas addiscunt, & Græca, Latina, Gallica, Italica & Hispanica, & alia omnia humana idiomata loquuntur, adeo ut humanum ingenium imitentur, hæc & plura, quæ longissimum esset recensere ingenium avium & industriam testantur, cùm autem magnum sit illarum ingenium, undenam proveniat jam nobis restat disquirendum.

Plinius lib x. sua hist. cap. 41.

Forma uniuscuiusque rei est principium & fons omnium actionum, illa ergo omnia, quæ peragunt aves, ex forma earum dependet, forma autem avium, qua virtute & innata potentia hæc peragere potest ex virtute lucis quam intrinsecam habent, lux siquidem est actionum omnium fons, & origo, & quò plus est lucis in mixto, eò forma eius habet actiones subtiliores: Itaque in avium formis omnibus multum est lucis, & perinde subtiles sunt omnes aves, & subtiliores sunt quædam ipsarum, eo quòd ipsæ, plus lucis habeant formalis, quàm aliæ, sic unæ aliis sunt subtiliores & acutiores, multum autem habent lucis aves omnes, supra alia bruta animalia, quòd earum semen sit æthereum & aëreum, in quo multum lucis est, quia aër totus luminis radiis perpetuo impregnatur, & perinde semen, cui aer prædominatur, plurimũ habet luminis, ũde forma exsurgit subtilis, & acuta, & mirandæ actionis, Ingenium ergo & industria omnis quæ in avibus reperitur, ex multitudine

Undenam avium ingenium proveniat.

Ingenium ex luce.

tudine & copia luminis dependet, & originem habet, quod in earum semine, innatum est, & naturaliter implantatum in primi seminis compositione, in qua elementa permiscentur dum purum sui unumquodque ex se ipso ejicit, & in centrum deponit, ut ibi purum unumquodq; misceatur alteri elementorum puro, & semen generale constituat, quod deinde in tria genera distinguitur: in semen animale scilicet, vegetabile & minerale: semen animale plus lucis participat, quàm cætera alia duo semina, ideo actiones animalium sunt subtiliores & acutiores vegetantium & mineralium, & hoc manifestissimum est, inter autem animalia, alia aliis sunt subtiliora, & acutiora, quòd una aliis plus illius lucis participent, quàm alia. Volucres autem sunt omnibus subtiliores, & acutiores, propter eandem rationem, quòd lucis plus participent cæteris omnibus animalibus, unde earum omnium ingenium, & industria dependet, & originem habet.

Volucres animalibus subtiliores.

An volucres inter se loquantur & earum voces intelligi possint.

CAP. XI.

An volucres inter se loquantur.

FUerunt quamplurimi inter Philosophos antiquos, qui existimarunt volucres inter se loqui, & voces earum intelligi posse, sed hoc repugnat rationi, & Christianorum doctrinæ, & Fidei Orthodoxæ, quę nos docet solos homines loqui, quòd locutio & sermo verus à ratione dependeat, soli autem homines rationales, inter animalia, quod volucres nonnullæ sint, quæ voces humanas & sermones distinctè pronuntient, non intelligunt quod loquuntur, nec sciunt ad quid voces has proferãt, sed quia sæpe sæpius audiverunt has voces tanquam sonos, & cantus aliarum volucrum proferunt & gutture suo elidunt: verus autem hic non est sermo, cum non à ratione fiat, nec etiam ex ordine sed tantum sonus est qui rudes animę motus aliquando exprimit, ut infantium ejulatus, qui matri indicant se velle aliquid, quod alio modo quã ejulatu exprimere non possunt, sic volucres exprimunt quidem rudi quodã modo animæ suæ motus, per sonos suos quos ex ore elidunt, non tamen loquuntur, cùm nõ habeant mentem rationis capacem, quæ præcipua est veræ loquutionis & veri sermonis causa, cum certa & propria articulatione vocis, quæ etiam articulatio deesset vocibus & sonis volucrum. Muti pari modo exprimunt conceptus & motus suæ mentis, cùm tamen non articulent voces suas, loqui non dicuntur, etsi voces eorum oriantur ex anima rationali, cùm articulatè non exprimant voces, sic volucres, cùm non articulate exprimant voces, etsi aliqua ratione exprimant his vocibus animæ motus interiores, non dicuntur loqui, sed voces & sonos edere, animæ mo-

Locutio volucrum non est verus sermo.

Volucres nõ dicuntur loqui.

tus interiores Interpretes, quòd si apud antiquos fuerint nonnulli Philosophi, qui voces has interpretati sunt, hoc per cõjecturas factum est, vel à Dæmone aliquo, qui interiores animæ motus apprimè novit, etsi volucres nullas ederent voces.

An in semine volucrum & in ovis earum Chymica principia reperiantur.

CAPUT XII.

Chymica principia in ovis volucrum reperiuntur.

NUllo pacto ambigendum est, quin Chymica principia, sal putà, sulphur & Mercurius reperiantur in semine omnium volucrum, & in ipsis volucrum ovis, cùm nihil fieri soleat in rerum natura, quin ipsa principia, illud ipsum constituant & componant; calidum enim quod est sulphur, & humidum primigenium quod est Mercurius & nodus & vinculũ sulphuris & Mercurii quod est sal, ubiq; in omnibus rerum compositionibus reperiuntur: tanquã immediata rerum omnium principia: Ipsæmet volucres constituũtur hisce principiis, itaq; si ipsæmet componantur, quid fieri potest, quin & semina & ova hisdem principiis componantur, cum semina & ova in ipsis volucribus fiant, nec in ipsis fieri queant, quin ab actionis principiis fiant, sulphur autem, Mercurius & sal sunt principia actionis, & compositionis, ergo nullo pacto dubitandum & ambigendum est, quin principia Chymicorum, in semine volucrum omnium & in ipsis ovis reperiantur. Quid autem in semine volucrum, est sulphur, Mercurius & sal, jam nobis disquirendum. calidum innatum quod est in semine invisibile, & impalpabile, sola tantum ratione perceptibile, quod intra seminis intimos meatus & sinus agit, & semen transmutat in ovum, illud ipsum calidum, sulphur vocamus, quod alii formam ipsius seminis, quam lucis portiunculam quandam puris elementorum substantiis permixtã dicimus, Mercurius verò in semine volucrum nihil aliud est, quàm humidum seminis in quod agit ipsum sulphur, ipsum coagulando in ovum. Sal verò est soliditas & corpus ipsius seminis: cujus beneficio soliditatem acquirunt sulphur & Mercurius. Quid verò in ovis volucrum sulphuris, mercurii & salis naturam sapiat, ex his quæ dicta sunt de semine: facile quivis intelligere potest: itaq; in omnibus volucrum partibus, & præcipuè in eorum semine & ovis reperiri necesse est Chymicorum principia, non secus ac elementa, quæ in his principiis immixta sunt, ut superius multis in locis dictum est, ac declaratum, ita ut elementa & principia non possint separari, ubi illa sunt, hæc & reperiuntur, ut principia ex elementis indesinentem & perennem desumant materiam, mixtis componendis idoneam, & ut elementa principiis naturæ perpetuò subserviant, & sic perennis & perpetua

Quid in semine volucrum sit sulphur, quid mercurius & quid sal.

Elementa & principia separari nequeunt.

petua fiat rerum generatio, donec Creator hæc principia, & elementa per ignem separare veniat, ut cuncta de novo componat ac reficiat.

DE VOLVCRVM NATVRA PARTICVLARI.

SECTIO TERTIA.

DE AQVILA.

Aquila quid sit & quibus componatur principiis ut ab aliis differat avibus.

CAPUT I.

PLinius, & multi alii præclarissimi Viri, Avium naturam particularem tractarunt. At quia Chymiam artem non noverunt ipsi, non descripserunt quæ ego hoc in tractatu & sectione tractaturus sum, alioquin enim eandem telam nunquam retexerem, cùm non in votis sit ea scribere, quæ ante me scriptis exarata sunt: nova sunt hæc omnia aut saltem paucis cognita, & perinde cùm paucis per nota sint, omnibus palam fieri exardet animus: ad Alchymiæ laudem & gloriam quæ huc usque nihili apud quosdam æstimata est, & nihilominus totius Philosophiæ occultæ aut magiæ, non quidem superstitiosæ, sed naturalis minervam unicam, atque margaritam præcipuam reputandam jure merito censemus, cum intima totius naturæ recludat, igne suo, cujus calor adeo penetrans est ut nihil ab ipso se abscondere possit. Itaque nec Aquilæ ipsæ, quamvis volatu suo in æthera se extollant, ab igne suo se subtrahere possunt, quin ab ipso penitus intus & in cute dignoscantur.

Alchymiæ laus & gloria.

Itaque Aquilam dicimus Avem prægrandem, volatu potentissimã, rostro adunco & ungue, ex semine enatam, & Ovo Aquilino, cui sulphuris multum est, & mercurii aquillini, modo forti & vinculo connecti: unde diutissimè vivunt Aquilæ, quòd sulphur animale & mercurius, quæ in earum semine & ovis insunt, fortissimo vinculo connectantur, adeo ut difficillimam patiantur dissolutionem, & separationem, unde vita longissima in Aquilis est, quòd earum semen ex quo formantur multum habeat sulphuris & mercurii, perfectè coctorum & invicẽ perfectissimè unitorũ vinculo salis: hoc autẽ solũ non constituit differentiam Aquilarũ inter alias aves, sed propria & peculiaris earum differentia in ventre earum, & in unoquoque individuo residet, dum enim semen volucrum divisum est in species à Creatore, ab ipsa divisione, quæ divinitùs facta, exorta est differentia in unaquaq; specie, quæ differentia adhuc conservatur in ipsis individuis specierum. Vnde si semen & ovum Aquillinum differt ab aliis volucrum seminibus & ovis, hoc ab ipsis Aquilis dependet, quæ differentiam illam ovis suis & seminibus communicarunt, suisq; principiis

Aquila quid sit.

Vita longa in Aquilis

Differentia avium unde.

cipiis differentiam individuam dederunt: unde sulphur, mercurius & sal, Aquilinam differentiam habent individualem, quâ differunt ab aliis avibus, ab ipsis Aquilis quibus insunt, & Aquilæ à creatore dum per ipsum à genere divisæ sunt & factæ, & ipsis mandatum est ab ipsomet Creatore, ut producerent & progignerent simile sibi, tunc temporis receperunt differentiam quam per productionem adhuc communicant.

Aquilæ unde magnanimes & fortes. Ex copia autem sulphuris sui & mercurii quam in seminibus suis & ovis recipiunt Aquilæ, suscipiunt etiam magnitudinem animi, & ingenii sagacitatem, & industriam, quã habent, de qua apud authores mira narrantur, & præsertim apud Plinium. Plumæ Aquilarum miram exercent actionem in aliorum avium plumis omnibus corrumpendis, ac corrodendis, & hoc ex sulphure innato, quo abundant & turgent, unde ossa & carnes crudas perfectè digerunt, & excrementa sua quæ ejiciunt sunt veluti calces ciborũ quos sumpserunt in alimẽtum, adeo fortis est calor Aquilarum ut excrementa & reliquias ciborum in cineres vertat ac calcinet.

Species Aquilarum quot sint. Sex Aquilarum sunt species: unæ aliis majores, tùm corpore, tùm animo, & vigore, & hoc ex copia sulphuris innati quo turgent, ex hoc enim solo, animi vigor dependet, & vita longissima, quæ adeo longa est, ut non oppetant senio nec morbo, sed sola fame, nam crescentibus annis, crescit & rostrum in tantam longitudinem, ut aduncitas superior inferiorem superet, adeo ut rostrum aperire nequeat, & sic jejunio contabescit & tandem emoritur, aliquando tamen rostrum in saxa & rupes quatit, ac rumpit, & sic quæ per menses jejunaverat, refocillata copia ciborum juvenescit. *Qua ratione juvenescat Aquila.*

Aquila cur dicatur Iovis Ales. Ales dicitur Jovis, quòd æterna quasi sit, nec unquam emoriatur nisi sola fame, & quòd plurimum habeat sulphuris innati, cujus proprietate & virtute fulmina effugit, & ab ipsis se vindicat, quod sulphur hoc naturale, innaturale repellat omni qua potest virtute, & cùm hoc sulphur naturale, seu lumen cœleste, in Aquilis potentissimum sit, ideo ab ipso tuetur adversus fulmina adeo ut, aut nunquam, aut rarò percutiatur, non secus ac magnanimi viri ac fortes, qui invicto animo ad prælium incitantur & rapiuntur, & rarò percutiuntur ab ictibus sclopetorum, aut saltem non ita frequentiùs ac pusillanimes & timidi, qui timore suo calidum innatum suum ita debellant ut ferè ipsum extinguant adeo ut nullis virtutibus vigeat, sicque offeriuntur vulneribus, nullo repugnante. *Aquila cur à fulmine non feriantur.*

Principalis tamen, & præcipua ratio, cur Aquilæ fulminibus & grãdine, nõ percutiantur, est, quia suborta tempestate, Aquilæ statim ab hac infima aeris Regione in supremam volatu sese extollant, ubi nullum

lum fulmen adest, & sic tutæ sunt ab omni fulminum ictu.

DE PHOENICE.

Phœnix quid sit, quo semine constet, unde enascatur & quo valeat ingenio.

Caput II.

Phœnix an detur. TOt & tanta de Phœnice dicuntur, & enarrantur miracula, ut ego fabulosa crediderim omnia cum ipso Herodoto, qui asserit, se nunquam vidisse hanc avem, quamvis diu expectatam, de qua cantatur.

Convenit Ægyptus tanti ad miracula visus
Et raram volucrem turba salutat avem.

Nihilominus cùm gravissimi authores adsint, qui eam admittant in rerum natura, & præsertim Tertulianus, qui libro de resurrectione carnis, ad probandam resurrectionem utitur exemplo Phœnicis, & ait: Accipe plenissimum atque firmissimum hujus spei specimen, siquidem animalis est res, & vitæ obnoxia & morti, illum dico alitem Orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate monstrosum, qui semetipsum lubenter funerans renovat, natali fine decedens atque succedens iterum Phœnix, hæc Tertulianus: at Plinius asseris Romæ delatum fuisse Phœnicem quinto Plantio, & sexto Papinio Consulibus, Claudii Principis censura, anno urbis conditæ DCCC. (Lib. 10. cap. 11.) & in Comitio propositum fuisse, quod actis testatum est, sed ipsum non verum Phœnicem existimarunt omnes. Manilius tamen Senator illustris admodum & clarissimus, de Phœnice primus scripsit, asseritque neminem extitisse, qui viderit vescentem, lachrymis tamen thuris, & balsami cremore vescentem, credūt Sacrum in Arabia soli esse, & inibi enasci ac emori, & vivere sexcentis & sexaginta annis, & Aquilæ esse magnitudine, aureo fulgore circa colla, & per totum corpus purpureo esse colore, cæruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis faciem caputque plumeo apice honestante, oculisque micantibus senescentem casia, thurisq; surculis construere nidum, replere odoribus, & superemori: Ex ossibus verò & medullis ejus enasci, primò seu vermiculum, inde fieri pullum, principioque justa, funeri priori reddere, & totum deferre nidum prope Panchaiam in solis urbem, & in ara ibi deponere. Hæc apud Plinium Manilius, quæ an vera sint aut esse possint jam disquirendum: Hæc rara de Phœnice nobis miracula videntur, cùm tamen naturæ potentiam & virtutem non excedant, insectum enim apud nos est, animal vulgare Bombix dicitur, qui tumulum, & sepulchrum sibi ipsi parat & antequam moriatur, è vermiculo fit papilio volans, qui sepulchrum sibi componit quo includitur, ibiq; mutatur, emoriendo in grana synapi ferè

Phœnix quamdiu vivat. *Phœnicis descriptio.* *Phœnicis historia vera probatur.*

ferè simillima, quæ tepido virginis alicujus calore in medio sinu virgineo facilè mutantur in vermiculos, & bombices, prioribus similes, nonne rara & miranda est hæc animalculorum vita, & mors, quæ tamen cùm communis sit & vulgaris apud nos, raram non æstimamus: Seminis virtus nullo pacto extingui potest, nec igne, nec aqua, nec terra, nec aere, incorruptibilis est, & nullo pacto annihilari potest, alioquin nulla nobis esset spes, aliquando resurgere posse ex cineribus nostris, si in ipsis nihil nostri resideret, cùm resurrectio non sit creatio, sed renovatio corporis, ex veteri corpore.

Seminis virtus inextinguibilis.

Phœnicem ergo miramur, cùm ipse resurgat ex cineribus suis: cineres ipsius avis continent in se semen & virtutem seminalem ipsius avis, hique cineres lenissimo roris irroratu, & solis radiis excalefacti putrescunt, & ex illa putredine, exoritur vermiculus ille, qui totam seminis virtutem Phœnicis in se coercet, & brevi tempore fit pullus, qui in verum Phœnicem transmutatur, non ergo supra vires naturæ hæc generatio haberi meretur, cùm similia nobis quotidiana experientia nobis exhibeat: comburuntur sylvæ integræ sæpe sæpius & quicquid in his reperitur sylvis animale, reptile, & volatile, unà cum sylvis redigitur, & convertitur in cineres, cineres hi irrorantur rore, & calor solis superveniens, excitat per putrefactionem ex his cineribus, omne insectorum animalium genus, non ne Phœnix ex insectorum animalium solitare aliquod genus esse potest, cui à natura datum est, ex cineribus suis enasci posse, ut nobis resurrectionem futuram suo exemplo exponat, & spem confirmet, fieri ergo potest Phœnicis generatio, & productio, uti Plinius enarrat in sua historia: Unde autem exoriantur præclari & insignes colores illi, aurei, purpurei, rosei, qui Alitem nostrum peculiariter insigniunt, & vita illa adeo longa, ut cæteras aves facilè evincat. Colores omnes qui Phœnicem nostrum adornant ex sulphure sunt, seu luce sua innata, & calido primigenio, quod humidum suum varie coquit, & secundùm variam illam coctionem in puro & nitido subjecto, perpulchri & vividi illi exsurgunt colores, ignis enim omnia lutulenta & crassa consumit, remanent solùm cineres qui salem purum & fixum continent, in quo colores illi varii sedem habent, qui facili negotio communicantur avi, quæ inde enascitur, sal siquidem ille qui in cineribus Phœnicis residet ex ipsius combustione est verum semen Phœnicis, ex quo exsurgit, tanquam ex ovo aliquo, Phœnix novus. Vita etiam longissima illa, qua in sexcentos & sexaginta durat annos, ex sale illo provenit, cum difficillimæ sit corruptionis & alterationis, illud omne, quod ex sale ortum præcipuum ducit, ut in metallis cernere licet, & lapidibus, qui ortum suum

Cineres Phœnicis continent in se virtutem seminis.

Phœnix potest resurgere seu enasci ex cineribus suis.

Undenam colores præclari in Phœnice oriantur & vita longa.

Vita longa Phœnicis unde sit.

suum peculiaré ex sale ducunt. Durat ergo longissimè Phœnix ex sale suo originali, & seminali quo pollet, & cùm longissimè vivat, & cæteras aves vita sua excellat: Excellat etiam ingenio & industria necesse est, cùm sua principia, ex quibus enascitur pura sint & sordibus vindicata, ab ipso igne, omnia impura comburente, & solis puris ac æternis residentibus, ex quibus generatur, & ex quibus exorta forma, & anima, nullo pacto dubitandum quin donis particularibus hisq; insignibus & præclaris insigniatur: & si præclara sint dona corporis, quin etiam præclara sint & miranda animi dona,

DE VVLTVRE.

Vultur quid sit, & quo modo generetur & quo polleat ingenio.

CAPUT III.

SVnt plures Vulturis species, & omnes sunt Nobilium delitiæ; cùm venationi inserviant, cui potissimũ Nobiles ferè summoperè student, & vacant, itaque ut volucres ipsas per medium aërẽ insequantur opus habent volucrib⁹ ipsis, ut volucres ipsas persequi possint. Vultur pręcipuum obtinet locũ, cùm ipsemet à natura sua alias insequatur aves, ut sibi sint alimento & pabulo, vorax est enim avis & carne vescitur, unde alias aves tanquam crudelissimus hostis venatu persequitur, captasque vorat, & sic suam vitam sustinet, aliarum morte, enascitur ex ovo quod parentes ex coitu producunt, & deinde mater excludit in altissimis rupibus, ubi nidificat, & cum bina sunt aut tria, tunc fovet & incubat, & sic calore suo & fotu excludit pullos binos aut tres, quos solemni & mira industria ac studio, & amore nutrit, & alit, perquisitis undiquaque aliis avibus, quas venatu insequitur, & defert summa cum diligentia pullis suis, præparatque in principio cibos ipsos, rostro suo plumas avellit, & carnes atterit & attenuat, & sic præparatas carnes, tenero pullorum ventriculo, & ori offert & exhibet, postquam autem grandiores facti sunt, non plus illis carnes & offas præparat, sed pedetentim cum plumis offert & palam ipsis pullis vellicat & avellit, ut doceat, ipsos sibi præparare cibos, aliquando etiam cum pluma molliori carnes ipsas vorat, ut illi sint medicamento, nam cùm pluma concoqui nequeat. Sed integra egeratur cum excrementis, pituitosum mucorem qui in intestinis congeritur, sic pluma foras trudunt & ab intestinis avellunt. Sic videtur ipsos vultures medicæ arti operam navasse, ut saluti suæ consulant, dum verò magni omninò sunt & volatu capaces. Parentes ex nido pellunt ipsos, & in medium aërem deponunt ut volare perdiscant, parentibus semper ipsos concomitantibus, ut ipsis adhuc per tempus aliquod cibos administrent, & tunc tẽporis, aves ipsas vivas fra-

Vulturum species multa.

Vultur alias aves insequitur.

Vultur unde enascatur.

Vultures cur carnes cum plumis devorent.

ctis alis, aut aliqua ratione concussis illis offerunt, & coram ipsis in medio aëre projiciunt, ut ipsimet, discant & cognoscant vivum eorum cibum & persequantur ipsum, dum verò persequi sciunt & venari, eos tunc temporis linquunt & longe abeunt ab ipsis, aliumque terræ terminum quærunt, ut sibi ipsis sufficiens quærant alimentum, & natale solum pullis suis relinquunt, ut inibi sine bello & pugna victum quæritent.

Vultures quales esse debeant.

Sunt autem omnes Vultures nigri coloris, ventre subgriseo, capite parvo, oculis micantibus, rostro adunco ac forti & ungue, alis nigerrimis, & veluti glutine perunctis, adeo ut luceant ingenio vivaci, & acuto, adeo ut voces Venatoris & canum latratus intelligant, & quicquid ad venationem pertinet apprimè addiscant, & hoc omne ex sulphure & nativo calido adusto & terrestri quo constat & turget eorum semen, originem habet. Unde Melancholici sunt ferè omnes vultures, unde loca tristia & umbrosa ac sylvatica, montibus, ac prææltis rupibus obsessa quærunt & colunt.

Vultures tristes & melancholici.

DE ACCIPITRE.

Accipiter quid sit, qua ratione nascatur, & quo semine & ovo, & quibus natura donis insigniatur.

CAPUT IV.

Accipiter quid sit.

Accipiter est quævis species volucris prædatricis, quæ prædâ vivit & rapina, unde Accipitres dicuntur, quòd accipiant & capiant victum suum ex prædis & rapinis aliarum avium quas capiunt, & captas vorant ac degluciunt, & septem enarrantur Accipitrum species. Prima, est Falco gentilis, qui in nido proprio captus est. Secunda est peregrinus qui extra nidum captus est, sed vagando hinc inde quærens nidum capitur. Tertia species, est Tartarus, qui ex Tartaria advenit, & est peregrini species. Quarta, est Gyrofalcus, in gyrũ volans, & ex Dannomarchia asportatur, vel Chersoneso Cymbrica. Quinta est Sacer. Sexta est Lanians vel Laneus, sic dictus, ex laniandis avibus, vel à pilis lanæ similibus, quos in ortu primo habẽt. Septima est, Thunisianus qui ex Barbaria defertur. Plinius verò sexdecim ponit species, nam Milvi, & Corvi in his speciebus collocantur, inter autem species Accipitrum meliores & excellentiores sunt Falcones capite rotundo, rostro parvo, nõ oblongo, sed forti & crasso, collo lõgo, spatulis largis, pennis subtilibus, & acutis, longo femore, & tibia brevi, & ungue longa, & forti, & manu larga.

Species Accipitris quot sint.

Falcones quales esse debeant.

Nascuntur omnes ex ovis, quæ parẽtes ex coitu generãt ex permixtione seminis utriusq; parentis, alioquin inania sunt & infertilia, & postquam excluserunt, seu ediderunt, fotu caloris sui ipsius incubant ipsis, & ex ipsis pullos excludunt similes parentibus: in ipsis copia est sulphu-

Accipitres unde enascantur.

sulphuris & mercurii, sed lutulenti, & terreis excrementis turgentis, unde ad iram & rixam proni sunt omnes Accipitres, & maxima cum difficultate se submittunt dominis suis venatoribus, nisi maxima cum patientia, & tardo ac difficili sunt ingenio, nihilominus cùm ea quæ venationi competunt addiscerint pertinacissimè retinent, nec dominos, & venatores mutare gaudent, nec ad pastus, & ad voces veniunt, nisi venatorem perfectè noverint, suos pullos educunt maxima cum diligentia, & studio, & amore, eosque docent alias insequi aves, & vivas capere, captasque vorare, & in alimentum sumere, hyberno tempore dum frigus maximè viget, aviculam aliquam sub vespertinis horis capiunt & pedibus & ungulis per totam noctem captam observant, & sic à frigore pedes & ungulas præservant, manè verò aviculam illam liberam linquunt, & ex adversa parte advolant, ne iterum ipsam capiant cujus beneficio & auxilio à frigore per totam noctem præservati sunt, & sic persolvunt gratiam, etsi non gratis datam.

Accipitres ad iram proni unde.

Mira Accipitris industria ut se à frigore defendat noctis tempore.

DE CORVO ET CORNICE.

Corvus quid sit & Cornix, & qua ratione progignantur, & quo animo vigeant.

CAPUT V.

Corvus & cornix qua re funesti volucres & cur diu vivant.

Corvus & Cornix, funesti & lugubres alites & inauspicati, tùm propter quòd tristes sint, & melancholici, & cadavera petant mortua, diutissimè vivunt, quod plurimum salis habeant in semine, ex quo progignuntur, sal enim in omnibus rebus durationem & conservationem longam, & diuturnam operatur, & sunt nigerrimi coloris, & rarò albi, nihilominus reperiuntur albi, & rubei, & ego ipsemet sic coloratos vidi apud Lutetias Parisiorum, & habui præ manibus Cornices, rostro rubeo & pedibus rubicundissimis, adeo ut corallum ipsum rubore æquarent, tales reperiuntur maxima in copia in montibus Pyreneis nostris.

Vndenam corvi & cornices fiant.

Progignuntur autem non secus ac aliæ aves, simul coëunt & ante coitum deosculationibus quamplurimis ad amorem excitantur, columborum more, ita ut nonnulli crediderint Corvos ore coire & parere, sed falsum hoc est, coeunt verè ut aliæ aves, & deosculantur ante coitum columborum more, ut ad amorem & libidinem excitentur, calidissimæ sunt aves calido primigenio, & innato, adusto & lutulento unde niger ille color innatus & naturalis toti speciei, qua sulphur harum avium impurum est, & fœculentum, & ratione illius fœculentiæ generatur color niger, dum calor agit in crudam materiam, & fœculentam: id in metallis comprobatur, quæ quo impuriori constant sulphure, & fœculento, nigro colore tinguntur, ut plumbum & ferrum, idem in avibus asseren-

Color niger in corvis unde sit.

asserendum est quæ sulphure vegetabili turgent, quòd si lutulentum sit crudum & immaturum, aves colore nigro tinguntur; cum autem Corvi, & Cornices nigro imbuantur colore, eodem etiam sulphure, innato & naturali turgere & abundare asserendum est: sulphur autem istud etsi lutulentum & fœculétum sit, perfectissimè unitur & copulatur cum suo mercurio, salis pinguis & glutinosi ope, & auxilio, unde vinculum vitæ solidissimum habent, & diu vivunt, & ad trecentenos annos vitam protrahunt, & solidum habēt & acutum ingenium, humanasque voces pronunciare addiscunt, & ita loquuntur, ut verè loqui & quasi ratiocinari videantur, de his mira enarrantur: amant aurum & argentum, & illud si inveniant asportant & occultant, eumque invisere gaudent propter radiantem, & micantem auri & argenti colorem, quo mirè afficiuntur, cùm tristes sint & melancholicæ aves, luce autem auri & argenti tanquam solis & lunæ radiis earum tristitia & melancholia fugatur, lux enim omnis, est fuga tristitiæ, ut tenebræ congregant & multiplicant tristitiam.

Corvi & cornices unde diu vivant.

Corvi & cornices aurum amant.

Tenebræ tristitiam multiplicāt & lux fugat



DE GALLIS ET GALLINIS.

Galli & Gallinæ quid sint, & quo modo progignantur, & qua vi mente polleant.

CAP. VI.

GAlli & Gallinæ aves familiares & domesticæ sunt, etsi montanæ & sylvaticæ reperiantur, hæ omnes superbæ sunt aves, & præsertim mares, qui semper crista erecta, & quasi passu Hispanico incedunt, ad pugnam & rixam semper parati, unde tela adnata cruribus suis intelligunt, ardua cervice incedunt, cœlumque solæ volucrum aspiciunt crebro, imperitant suo generi, & ubicumque sint imperium exercent & dimicatione summa, hoc contendunt & pertinaci pugna regnum acquirunt, nec finis sæpe commorientibus: quod si palma contingit, statim in victoria canunt, seq; ipsi principes testantur, victi verò occultantur silentes, ægreque servitium patiuntur. Solares sunt & multum lucis solaris habent, ideo occultato sole occultantur & ipsi, & somnum oppetunt, sed singulis horis adventante sole, solem advenire cantu denunciant: & sic vigiles nostri nocturni sunt, & ipsos natura creasse videtur, concitandis ad opera mortalibus, rumpendoque somno, ita ut nec solis ortum incautis patiantur obrepere, diemque venientem cantu de-

Galli volucrū sola cœlum aspiciūt

Galli cur sole occultato somnum oppetant & cur singulis horis noctis canant.

Tt nun-

nunciant, & sic mortales ad curam laboremque revocant, fortis admodum aëris & resonans est eorum cātus, adeo ut eo solo clamore terrori sint Leonibus ferarum generosissimis. Dantur in rerum natura galli & gallinæ plurimarum specierum: est Affrica, est Numidica, Hispana, Indica, & aliarum huiusmodi specierum, quæ non separant genus, sed aliqua ratione distinguunt colore, magnitudine, & pennis & pedibus aliquando longioribus, & brevioribus, omnes tamen sunt in genere galli, & gallinæ, quæ coloris omnis generis reperiuntur nigræ, albæ, griseæ, variegatæ, & hoc omne colorum genus, ex vario sulphure quo turgent originem habent. Omnes coëunt & generant ex coïtu ova quā. multa, quæque ipsæ fotu caloris sui fovent & sic excludunt ova sua intra viginti dies, & pullos suos mirificè amant, eosque conducunt industria mirabili, semper glociendo & convocando eos ad pastum, ubi grana & semina adsunt, eosque etiam defendunt contra milvos mirabili audacia, & forti animo, & se ex Gallorum genere, & familia ortas ubique testantur, gaudent nitore, & quamvis per excrementa victum quæritent & fimeta, tamen semper mundæ & puræ sunt, adeo ut edito ovo, sese festuca aliqua lustrent, nec unquam terra dormiunt & cubāt, sed alta petunt tanquam nitidiora & pulchriora, itaque ubi degunt, theatra illis sunt componenda, ut in hæc conscendant ad dormiendum, alioquin morbos contrahunt varios, & emoriuntur.

Gallorum cantus terrori est Leoni.

Galli & Gallinæ ut enascantur.

Galli & Gallinæ nitorem amāt.

DE PERDICIBVS AC COTVRNICIBVS.

Perdix quid sit ac Coturnix, & qua ratione progignantur & quibus animæ donis insigniantur.

CAP. VII.

PErdices satis frequentes, & copiosæ per totam Europam, Aves sunt columborum maiorū magnitudine, rostro rubeo & pedibus, oculis micantibus, & pluma subnigra, rubra, & quasi castaneo colore, & cervino, inter cibos delitiis sunt maximis perdices omnes, sunt melancholicæ & tristes valde, ad sexdecim annos vivere dicuntur, salaces admodum sunt & præ libidine si masculum audiant, & captum videant in servitutem, & captivitatem ire non recusant; tanto amore feruntur in masculos, ut Aucupis non timeant retia, modò masculos invisere valeant aut audire, nascuntur ex ovis & ova variegata per coïtum pariunt multa, eaque excludunt ipsis incubando, per sexdecim aut viginti dies, nec in quo loco peperêre, incubant, neve cui frequentior conversatio sit suspecta, transferunt aliò: ovis stragulum molli pulvere contumulant, & spina & frutice muniunt receptaculum, ut contra feras abundè

Perdices quid sint.

Perdices quo modo nascantur.

undè vallentur, inter se dimicant mares alacriter & pertinaciter fœminarum desiderio, neque in alio animali par lopus libidini, præter in passeribus. Et hoc provenit ex sale quo naturaliter abundant: Sal enim stimulat partes veneri dicatas & vellicat, & eas excalefacit, ita ut attrahāt semen ex omnibus corporis partib⁹. & cùm semen sale etiam abundet, titillat illas partes, & ad venerem excitat, unde salaces à sale dicuntur, sal enim est quod salacitatē facit, & excitat in natura. Color quo particulariter colorantur in rostro, & in pedibus & per totū corpus, ex sulphure est rubeo, sed impuro & fœculento, in pedibus vero & rostro cùm sint extremitates corporis, magis depuratur sulphur, unde etiam in his partibus nitidior & purior est color rubeus, sunt etiam Perdices leucophæo colore, & cùm rostro & pedibus leucophæatis, & hæ sulphure impuriori & fœculentiori præditæ sunt: sunt etiam albissimi coloris ut in Pyreneis Montibus, omnes ferè perdices, quæ in ipsis montibus nive coopertis degunt, sunt albi coloris, & hoc non ex nive dependet, ut putant nonnulli, sed ex sulphure earum quod frigiditate externa, excādescit & depuratur magis ac magis calore suo, donec ad puritatem deveniat, & ea ratione frigus est causa externa illius albedinis, sed causa interna efficiens & materialis, est sulphur album quo abundant. Rostrum autem illarum & pedes rubei sunt coloris, quia sulphur rubeum dum purum est, nunquam per calorem in album mutatur, sed magis perficitur & confirmatur in suo colore: omnes autem Perdices sive rubeæ, sive albæ, sive leucophæatæ, sunt optimi saporis, & conviviorum ornamentum & decus.

Perdices unde sint salaces!

Perdices unde rostro & pedibus sint rubeis.

Perdices varia, alba & grisea.

Coturnices autem sunt parvæ aves, leucophæo & subnigro colore & subalbido variegatæ pariunt ova ejusdem coloris, ex quibus enascuntur, adveniunt nobis ex partibus Meridionalibus & Orientalibus, & paucæ sunt quæ hybernēt nostris in Regionibus, sed verno tempore adveniunt, & in principio Autumni iterum abeunt in calidas Regiones & Provincias, timent siquidē frigus & hyemale tempus: Calidissimum est animal & salacissimum, & triste est, & melancholicum propter sal naturale quo abundat & turget, ex quo etiam est optimi saporis, & inter epulas & cibos reputatur delicatos, cùm ad nos ex partibus Meridionalibus & Orientalibus adveniunt tāta ad nos copia advolant, ut Navigātibus sint naufragio, velis siquidem Navigantium velint nolint Navigātes insidunt & pondere premunt, ita ut navigia mergant, in Castrinovodarii cāpis tanto & copioso advolant numero ut venator unus singulis diebus cane suo & rete, ad centum usq; capiat. Sunt autem Coturnices sagaci & acuto ingenio, dū n. è nostris Regionibus, in Meridionales & Orientales Flagas transvolāt,

Coturnices quid sint & quales.

Coturnicū maxima copia in Castrinovodarii campis.

Coturnicū ingenium & industria.

postquam frumento nostro saginatæ sunt & bene curata cute, ita ut præ pinguedine & obesitate corpus in altum & sublime ferre nequeunt, nec longos volat⁹ & diuturnos peragere ad Mare Mediterraneũ transvehendum jejunio se macerant, & sic deponunt pinguedinem, ut alacriùs & fortiùs pervolent, nec unquã mari transveheundo se committunt, quin pinguedinem deposuerint: Regem præterea eligunt & ducem, quem honorant & amant, suisque humeris lassatum deportãt per vices iteratas, ne in transmeando mari submergatur, temporum mutationes agnoscunt, nec Austro flante, itineri se committunt, ut pote humido & graviore vento, sed Aquilone flante transmigrationem incipiunt Ortygometra duce & Rege.

Coturnices Regem habent quem amant.

DE HIRVNDINIBVS, Merulis, Turdis, Sturnis, Turturibus & Palumbis.

Hirundines quid sint, Merulæ, Turdi & Sturni Turtures & Palumbes, & quo animo vigeant.

CAP. VIII.

Hirundines in Africam transvolant

Hirundines parvæ aves sunt, sed pernicissimo volatu vigent, & sola est avicularum quæ volatu pascitur, & tanta volatus sui pernicitate pollet ut eo solo ab aliis avibus præda viventibus, se defendat, ac tueatur, carneque vivit, muscis & papilionibus, sola inter aves, quæ aduncos ungues non habent, peregrina est, & ad nos transvolat verno tantùm tempore, & in principio Autumni in Orientales & Meridionales partes transvolat, nonnullæ verò illarum in apricos montium recessus confugiunt, ibiq; hybernant, in Affricam ferè omnes convolant, ut pote calidissima Regio, in qua frigus minus est, hibernis in temporibus mirum est earum ingenium in ædificandis nidis, exterius luto & festucis circumsepiũt, interius verò molli pluma circumliniunt, ne ova sua lædantur, & pulli recẽter enati quos ex testa ovorum suorum exclusos, mira industria & amore incredibili alunt & educunt, & postquam robusti sunt & fortes ad volandum, ipsos è nidis ejiciunt, & pellunt in aerem, ut volare discant, & muscas & papiliones, & reliqua insecta volatilia persequi sciant, & ad hanc venationem alliciuntur patris, & matris exemplo, & doctrina, tùm fame & jejuno ventre, qui artes omnes edocet, nidificant in domibus recentibus, & pulchris, & nunquam in veteribus, & ruinam minantibus, hoc enim habent ex natura, ut ruinosa & casum minantia apprimè dignoscant; nigri sunt coloris hirundines ferè omnes, & raræ sunt albi coloris, nihilominus visuntur nonnullæ, quod sulphur earum putridũ & lutulentum, quod est causa coloris nigri, coctione forti depuretur in nonnullis, & candidum fiat, post coctio-

Hirundines ubi nidificent.

Hirundines albæ.

ctionem, & sic pennas colore albo tingi certissimum est, & manifestũ: vilis sunt pretii inter cibos, nec vulgariter inter cibaria revocãtur, carnes earum non delicatæ, nec optimi saporis. nimio sulphure adusto prædictæ sunt, quod omnia in ipsis adurit & quod adustum est nunquam bene sapit.

Hirundines unde non optimi saporis

Merula quid sint.

Merulæ verò sunt aves grandiores hirundinibus, nigerrimi coloris & rarissimæ sunt quæ candido colore sunt, in Arcadia tamen candidæ dicuntur enasci, & sunt saporis optimi, & inter cibos delicatissimi saporis enumerantur, acuto sunt ingenio & voces humanas pronuntiare addiscunt, & miris modis sibilant ac canunt, & abeunt in exteras regiones, ut & hirundines, & redeunt verno tempore, Hyeme verò abeunt verus Affricam ubi hybernant, vernoque adventante iterum redeunt, pariunt ova, eaque fotu excludunt & nidificant super arbores & inter dumeta.

Turdi quid sint.

Turdi pariter abeunt versus Affricam & in nostris Regionibus non hybernant, at per Autumnum nobiscum sunt, & tempore racemorum pinguescunt valde; amant enim racemos, & aliquando & sæpe sæpius ebrii fiunt ex racemorum deglutitione, adeo ut eo temporis facilè capiantur veluti ebrii venatores non videntes, adeo vino novo & musto obcæcati sunt, & tunc temporis optimi sunt Turdi, quia pingues, hi obtuso & hebete sunt ingenio, propter mercurii & primigenii & naturalis qualitatem quo turgent & abundant: phlegmatici sunt, & frigidi temperamenti: ideo frigidas non amant Regiones, ideo ipsas Hyberno tempore linquunt & in calidas confugiunt. Pariunt ova, & ex his enascuntur fotu caloris sui exclusa, & hi qui recenter exclusi fuerunt, Hybernãt sæpe sæpius in solo patrio, & hi sunt qui in Germania conspiciuntur: Hyberno tempore victum Hybernum quæritantes, & in aliis frigidis Regionibus Europeis.

Turdorum ingenium.

Sturni quid sint.

Sturni autem sunt parvæ aves, hirundinibus paulò grandiores, & nigri coloris: sunt etiam peregrinæ aves, & verno & æstivo tantum tempore Regiones nostras Europeas incolunt, sed in Autumno abeunt in Affricam & Barbariam, ubi hybernant, & iterum redeunte Vere redeunt, & olivas comedunt maximo cũ detrimento, sunt ingrati saporis, & amarulenti, cùm calidi sint, & forti ventriculo adurunt potius quàm digerant alimenta sua, unde amarities illa, quæ in carnibus eorum reperitur, ortum habet: sunt melancholici temperamenti, & tristes aves, vincit in his siccitas & frigiditas salis terrei quo turgent cum sulphure nigro & lutulento, hebete sunt ingenio, & nullum aliud insigne animi donũ, ab ipsa natura obtinuerunt, nisi quòd dùm abeunt catervatim proprium est illis advolare, & quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus, ut

Sturnorum ingenium.

se ab inimicis tueantur, ac se defendere queant.

Turtures quid sint & palumbes. Turtures verò & Palumbes grandiores sunt aves, & columborũ species, leucophæi & subnigri coloris, propter sulphur fœtidum & lutulentum quo turgent, gratissimi sunt saporis & inter delicatos enarrãtur cibos præsertim Turtures, qui multò sunt palúbibus gratiores, & sunt ambæ peregrinæ aves, & hyberno tempore nos derelinquunt, & in regiones calidiores abeunt, & verno tempore redeunt, ovaq; simpliciter duo pariunt & fotu excludunt & sic enascuntur: *Turturis amor erga socium.* tanto tamen inter se amore, ut nunquam nisi morte separentur, & præsertim Turtures, & si unus illorum priùs emoriatur, alter sive mas, sive fœmella sit, societatem alterius nullam quærit, sed perenné viduitatem observat, & luctu perpetuo mortem alterius delugere videtur, unde in arboribus siccis & emortuis, semper quiescit nec unquã in viridibus, tristitiæ & mæroris sui signum perpetuum observans, unde eorum cantus & sonus gemitus est, potiùs quam cantus, tristes siquidem sunt aves & melãcholicæ, frigido & sicco temperamento, & tristitiæ profundæ verum Hyeroglyficum & symbolum, quo res tristes & lugubres repræsentantur, & octonis vivunt annis. *Turtures quamdiu vivant.*

DE COLVMBIS, PASSERIBVS ET GALERITIS.

Columbus quid sit, Passer & Galerita, & quibus animi dotibus vigeant.

CAP. IX.

Columborũ multiplices sũt species, quæ tantùm magnitudine & coloribus variis inter se distinguuntur: *Columborũ species.* sed unum & idem sunt essentia & forma, nascuntur ex ovis quæ ipsimet coitu pariunt numero duo, rarò tria, & tertium sæpè sæpius est infertile & pro derelicto habetur, calidum est animal, & venerem amat suæ consortis, pudicitia illis prima, & neutri notata adulteria, conjugii fidem non violãt, communemque observant donum, fœmina nisi cœlebs aut vidua, nidum non relinquit, & imperiosos mares, subinde etiam iniquos ferunt, quippe suspicio est adulterii, quamvis natura non sit, tunc plenum quærela guttur, sæviq; rostro ictus, mox in satisfactione exosculatio, & circa veneris preces, crebris pedum orbibus, adulatio, Amor utrique sobolis æqualis. *Columborũ ingenium.* Parturienti & edenti ova fœmellæ solatia & ministeria adsũnt maxima ex mare, cum bibunt colla non resupinant, sed uno & pluribus haustibus repetitis, jumentorum modo aquam epotant: mira industria pullos educunt, & recenter natis *Columbi cur veneri dicati.*

tis salliorem terram collectam gutture, in ora eorum inspuunt, præparantes tempestivitatem cibo, ut asserit Plinius. Antiquitùs veneri dicabantur, quòd libidine summa tenentur, & hoc ex sale naturali quo turgent, ortum habet, ut dictum est superiùs capite de perdicibus: coloribus omnibus in collo variegantur, propter diversitatem sulphuris varium coctionis gradum patientis, quo abundant. Amant cuminum, fœniculũ, anisum & semina omnia calida, quę odoré emittunt, & amant etiam odores bene olentes, præsertim odorem moschi, ambari & zybetæ, & si nidi hisce odoribus illiniantur, mirificè his commorari gaudẽt; Salsamentis: etiam omnibus delectantur, & præcipuè terra nitreata; littora frequentant maris, propter salem quem mirificè adamant, unde etiam terram urina permixtam, pro condimento consequuntur sunt inter cibos delicati saporis, & convivia his decorantur. Passeres verò sunt minutæ & parvæ aves, maximæ garrulitatis & salacitatis tantæ, ut propter eam brevissimæ vitæ, unum siquidem ante austerum annum liberi vivunt, si vero capti, & privati fiant, quòd libidini non indulgeant diutiùs multò durant, masculi passeres nigros habent collos, & reliquum corporis leucophæatum, & rostrum etiam valde nigrum, in juventute tamen non ita nigrum, inter cibos minimi sunt pretii, nec nisi juvenculi comeduntur, duras alioquin habent carnes: Acutissimi sunt ingenii, & difficili admodum modo capiuntur, retinacula enim & captus omnes cognoscunt, & præsertim paleas & festucas glutine delibutas, quas si vident circa aquas positas, ut eo glutine capiantur, auferunt rostro prius aqua madefacto, & deinde tutò bibunt & Aucupem illudunt, miro amore persequuntur pullos suos, quos ex ovis suis fotu suo exclusos habent, & nutriunt omni industria & arte. Quòd si captivi in caveis detineantur, & Iovi exponantur, parentes nutriunt ipsos per totum tempus captivitatis, & ipsos liberos omni arte facere tentant rostro suo, forti & adunco, foramina caveæ grandiora efficiunt, ut pulli sui hinc exire queant, & liberum petere aërem. Serenum maximè tempus expostulant, & sole sereno surgente maximè garriunt quasique solem salutant.

Columbi cur veneri dicati. *Columbi quid ament.* *Passeres quid sint.* *Passerculorũ ingenium.*

Galeritæ sive Alaudæ, sunt aliæ parvæ aves, in nostra regione copiosissimæ, autumnali tempore, quo maximè pinguescunt, ex omni frumenti genere, quòd terræ tunc temporis commendatur, ut germinet: sunt delicatissimæ & optimi saporis, & cristatæ nonnullæ earum, sed crista plumea est, unde Galeritæ dicũtur quasi Galeam habentes, Alaudæ verò non Galeritæ sunt sed perpętuis cantibus se exhilarant, unde & Alaudæ quasi dictæ videntur, quòd laudent & canteną perpetuò laudes Divini Creatoris, ut mandato satis-

Galeritæ quid sint. *Alaudæ unde dicantur.*

tis-

tisfaciant: *benedicite volucres cœli Domino*: nascuntur ex ovis quæ ipsæmet fovent, & excludunt, postquam autem exclusi sunt pulli, illico grana comedere sciunt, & parentibus non egent ut educantur, nam statim ac exclusi sunt comedere sciunt, ut pulli gallinacei, & perdicum & coturnicum, & aliarum plurimarum avium, quæ non egent parentibus ut educantur, nisi tantùm ut calore vitali matris, vel patris: foveantur, ut membra earum roborentur tali refocillatione caloris, nam solo aëris frigore, quamvis æstivo excludantur tempore, eorum vitalis calor extingueretur, nisi sæpissimè calore, matris aut patris foverentur in ipso nido, donec plumis, & pennis tegantur corpora, & roborentur, ad volandum, quo tempore non amplius egent parentum auxilio, satis enim edocentur ab ipsa natura, ad victum suum quæritandum: Parentes tamen comitantur ipsos pullos, donec omninò grandiores fiant & se à volatu prædantium alitum & rapina se subducere queant, sunt enim hæ parvæ aves aliarum rapacium prædæ.

Alauda aliarum aviũ viventium præda.



DE PICIS, GRACCVLIS ET GALGULIS.

Picæ quid sint, & Gracculi & Galguli & quo mentis vigore valeant.

CAP. X.

Picæ quid sint & quomodo enutriuntur.

Picæ aves sunt, columbarum magnitudine, nigri coloris & albi, cauda satis oblonga, pedibus nigris & rostro, vescuntur omnibus arborum fructibus, & carne, & saltatim insedunt dum per terram ambulant, ovis enascuntur quibus incubant viginti dierum spatio, & sic fotu tali excludunt, nidificant super arbores in extremis ramorum caudis, ibique festucis, & dumetis exteriùs appositis ita componunt, ut ventorum impetibus resistant, ibique alunt exclusos pullos miro cum amoris affectu, eduliorum omne genus illis asportando, auspicatò omnibus occurrunt & felicia portendunt, & raró infortunia. Sagaci sunt ingenio, & voces omnium animalium imitantur, & præsertim hominum & ita loquaces sunt & garrulæ, ut homines ipsos garrulitate vincant, subtiles admodũ sunt & acutæ, in auro & argento deprædando, mirum in modum occultant ipsum, & tanquam thesaurum custodiunt. Ego vidi picam quæ aureum nummũ aliquod surripuerat Domino suo, & ipsũ occultaverat in altissima turri in for-

Picarum ingenium.

in foramine, ubi nidificabant colũbi, quod ex nido illo ejecerat suum nummum custodiendo acerrimè, contra columbos,& si forte aliquem in ipso nido, ubi erat nummus absconditus reperiebat, magnis cum injuriis ejiciebat ipsum & persequebatur, illũ injuriis afficiendo, & gallicè loquendo clamabat, *baſtard, coquin, pendart, tu la payeras*, de quo adsũt quamplurimi testes, Vulpeculas odio miro persequuntur. Vulpeculæ etiam ipsas miro artificio deludunt & capiunt, carnes habent duras, nec optimi sunt saporis, & perindè raró comeduntur, nisi dum juvenes sunt: Nuces amant potissimum & nucibus insidunt, & juvenes assuescunt hominibus, & mira loquuntur & faciunt, & undique advocatæ veniunt voce vocantis, & hoc omne habent à natura, quòd illis sit calidum innatum subtile admodum, & tenue, quod eorum sal, & mercurium nativum, etiam attenuat & subtiliat, ad actiones illas admirandas eliciẽdas, quo enim subtiliora & tenuiora sunt animalium principia, eo subtiliores sunt, & acutiores eorum animaliũ actiones: & non solùm in brutis, sed etiam in homine, qui quamvis habeat animam rationalẽ & intelligentẽ, nihilominus, quo plus in ipso subtiliores & tenuiores sũt humores principiis formalibus correspondentes, & clariores & illustriores sunt hominum actiones: anima enim etsi rationalis & intelligibilis nõ potest agere, nisi beneficio organorum suorũ, quibus indiget ad agẽdum. Sic & in animalibus brutis, quo subtiliores habẽt humores quibus constant, & componuntur, eo promptiores & clariores sunt eorum actiones, ut apparet in Picis, quæ cũ sint & multo calido innato & subtili conflatæ, subtiles habent admodum actiones, & in perpetuò ferè sunt motu.

Pica Vulpeculas odiunt

Actiones praclara unde dependeant.

Graculi sunt ejusdem temperamenti, habent multũ sulphuris, seu calidi iñati, & sunt ejusdem magnitudinis, pictas tamen habent alas, cæruleo & albo colore, & reliquum corporis bętici est coloris, caput habent rotundum & satis magnum, multumq; medullæ in cranio continent, & sola avium hæc, Herculeo morbo, seu Epilepsia tentatur, non tamen omnes, sed nonnullæ carnes porcinæ sunt illis veneno, Locustæ verò sunt illis opiparo alimẽto, unde in Lemno Insula antiquitùs habebantur maximis in honoribus, & pro Diis colebantur, quòd à locustis terram devastantibus liberarent ipsam Insulam. Sunt ipsi Graculi, acuto ingenio, & voces & cãtus aliorum animalium exprimunt, & præcipuè voces humanas optimè pronunciant, & fallunt sępissimè iter facientes, qui ipsos exaudiunt, non ingrati sunt saporis, & præsertim Juvenes, & comeduntur hisce in Provinciis à vulgari plebe.

Graculi quid sint.

Graculorũ ingenium

Galguli verò seu Icteri aves sunt, flavi, coloris, & Icterici, unde à Græcis Icteri dicuntur, quod flavi sint & Icte-

Galguli quid sint.

Icterum morbum curent, toto corpore enim flavi coloris sunt, rostro tamen subalbido, ex ovis exoriũtur, quę fotu excludũt in nidis suis, quos construunt in extremitatibus ramorum arborum, & eos juncis tenacissimis & glutinosis alligant & suspẽdunt, ita ut non fulciũtur arborum trunco, at in medio aere suspensi cõspiciantur, juncis illis quasi filis & funiculis alligati: Miram habet industriam in construendo suo nido, postquã exclusi sunt pulli sui, & robusti ad volandum: abit ex patria & transvolat in aliam patriam calidiorem, non enim hybernat in hisce regionibus, sed in calidioribus versùs Africam & Meridionales partes, & transacto hyeme redit in patriã nostram & per totam Europam: calido est temperamento & optimi saporis, & qui ictero morbo infestantur habent in his avibus & pabulũ & gratissimum remedium, non hebete sũt ingenio, & Hybernum tempus, & temporum mutationes apprimè dignoscunt & præsagiunt tunc cantu reditu & recessu: difficili admodum, sunt captu, norũt enim astutias Venatorum, quas effugere sciunt. Et hoc ex calido innato, subtili & puro, quo abundant, habent: flavus enim ille color purus, & pulcher, ac radians, subtilitatem sulphuris & calidi innati denunciat, & ex subtilitate & tenuitate sulphuris, subtiles & acutas animæ actiones desumere facillimum est, unde etiam ex subtilitate & tenuitate sulphuris, qua pollent curatur morbus ictericius in Hominibus: morbus enim ille ex obstructione dependet & copia biliosi humoris, qui non potest repurgari à chyste fellis, unde amandatur per totam cutim, Galguli autem quòd sulphure tenui & subtili admodum constent & calidi sint, reservant omnes corporis humani obstructiones, & calidum nostrum innatum multiplicant & sic curatur morbus Regius ille, ab esu galgulorum, reseratis obstructionibus, & fugato per poros, humore bilioso morbum causante.

Galguli industria.

Galguli cur icterum curent.

DE LUSCINIIS, CARDUELIBUS ET FICEDULIS.

Luscinia quid sint, Cardueles & Ficedula, & quo mentis vigore polleant.

CAPUT XI.

LVscinia seu Philomela avis parvissima est, subcineritii coloris, toto verno tempore dulcissimè canens, diebus ac noctibus continuis viginti quinq; garrulus, sine intermissu cantus, miratu dignum quòd tanta vox reperiatur in tam parvo corpusculo, tamque pertinax insit spiritus. Deinde in una perfecta Musicæ scientia modulatus editur sonus, & nunc continuo spiritu, trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur revocato, infuscatur ex inopinato, interdum & secum ipse murmurat, plenus,

Luscinia quid sit & qualis.

nus, gravis, acutus, creber, extentus ubi visum est, vibrans, summus, medius, imus breviterque omnia tam parvulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis, ars hominum excogitavit, nec Musica tota tã varios ac diversos excogitare potest sonos, ac ipsa avicularum sola facit: certãt inter se, palamq; animosa cõtentio est, victa morte, finit sæpè vitam, spiritu prius desinente quã cantu: Miratu dignum, si in sylvis Echo reperiatur, quæ cantus suos repetat æquali artificio & harmonia: Vox hæc plumis adornata, vel potius Harmonia aviculam agens, vel nihil hoc, Musica animatũ, in ipso cãtu deficit & emoritur subtili tono, & acuto, ad cœlum usq; elevatur, deinde medius subitò tendit ad imũ, fugit, sequiturq;, moratur, suspirat, dolet, irascitur, atq; quiescit, grave & asperum, molle & dulce, ultro citroque miscet, tibicines & fistulas & neupmatica organa imitando. Odiosa deinde sibimet ipsi videtur, cũ modulari nihil sciat, quin Echo idem & simile moduletur, cum pari harmonia, & accentu. Adulatur ergò, emollit vocem, & cantum, mollique gutture & languido iterat sonos, & cantus debiles, ut rigorem moderetur inimici, & anticantoris, accentu dolenti & plangenti: ita tãdem excandescit & ignem concipit, sibilisq; inflexis, ac concisis minatur inimicum, eamque ubique locorum quærit & nullum videns, rabie afficitur, dum cantus suos iteratos ac repetitos cum eadem & simili Harmonia exaudit. Tacet tandẽ & spectat exaudire aliquid novi: cum tamen Echo similiter taceat, impatiens ipsa iterat accentus, voce gravi semibreves, & simul uno spiritu partes omnes quatuor Musicæ repetit, tonisque variis ac titillantibus aerem replet, & tanto impetu titillantes voces tinnientes ac trementes repetit, inflexas, concisas, intentas & intortas, revocatas, inopinatas, plenas, graves, acutas, crebras, vibrantes, summas, medias, & imas, ut pudore convicta, in sylvam se præcipitet, ibique rabie rumpatur & emoriatur, quod Echo cantu vincere non potuit. Sed hæ tantæ tamque artifices astutiæ, etiam motu suo pedetentim desinunt nullum enim violentum natura perpetuum & durabile, æstu aucto mutatur hęc vox & variatur, & tandem muta omninò fit, mutatur & color. Pariunt ova sena vernali tempore quæ fotu excludunt, & pullos exclusos mirificè alunt, & canere docent.

Luscinia cantus admirabilis.

Echus & Phicomela prælium.

Philomela tandem obmutescit.

Docet pullos suos canere.

Minimæ avium Cardueles, imperata faciunt, nec voce tantum & ore, sed & manibus, humanas voces exprimunt, & aliarum avium cantus imitantur, mugitus boum, & equorum hinnitus suo gutture imitari vidimus, & fistularum sonos, adeo ut Luscinias ipsas imitari audeant.

Carduelis quid sint.

Est temperamenti calidi, & subtili & acuto ingenio, pullos suos mirificè

Carduelis ingenium.

rificè amat,& educat omni industria & arte,& canere docet, non secus ac Luscinia agere solet,& quod de Luscinia diximus, de Carduele idem asserere possemus,tantus in ea cantus ardor,& amor,& hoc Cardueles habent ex sulphure seu luce innata qua turgent & abundant.

Ficedulæ quid sint.

Ficedulæ autem non ita calido sunt temperamento, nec tam subtili & acuta mente, sed in cibis multò sunt excellentiores,& inter lautissimos & opiparos cibos enumerantur,Ortulani Italicè dicũtur,& Gallicè Benarriti, Hispanicè Becnofiguo,parvæ admodum sunt aves,sed verno tempore & præsertim in caveis ita pi guescunt ut pinguedine, amittant oculos, & tunc tẽporis sũt conviviorum nostrorum decus, & ornamentum,& in mensis,ad millia usq; in carinis argenteis offeruntur convivis: pariunt ova quamplura, & fotu excludunt& pullos suos summo amore alunt, donec robusti & fortes sint ad volandum.

DE GRUIBUS, CICONIIS ET ANSERIBUS, OLORIbus, & Anatibus.

Grues quid sint, Ciconiæ & Olores Anseres & Anates.

CAPUT XII.

Grues aves quid sint.

GRues aves sunt satis magnę,longo collo, & rostro lato, leucophæi coloris & cinericii, stagna & paludes & locos aquosos amantes & quærentes, sunt peregrinæ aves, nec nobis toto anno permanent sed transvolantes videmus & cernimus, ab uno Polo in alterum, & dum in Polo Arctico nox incipit, tunc illæ Polum illum nocte obumbratum & nimio frigore, congelatum relinquunt, & Polum Antarcticum petunt, Zonasque terræ omnes circuerunt,quòd autem Polos adeant bellum in Pygmeos certissimum indicium est,nullibi enim terrarum Pygmei reperiuntur, quam Zonis illis frigidis,ex Cosmographorum nonnullorum opinione, in nostris regionibus Autumni tempore transvolant à partibus Septentrionalibus, in partes Meridionales, nec in Hispania & Africa quiescunt, sed prætervolant & mare Meridionale transmeant, necesse est ergo ut adeant Americam Australem vel terram igneam & psitacorum,quæ est terra australis incognita, quæ nostræ Septentrionali respondet in temperamento:admirandus est eorum exercitus, dum ab una parte transeunt in aliam,ducem quem sequantur eligunt,in extremo agmine per vices, qui acclament, dispositos habent, & qui exercitum voce contineant, excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno,& decidens indiligẽtiã coarguat,cæterę dormiunt capite subter alam condito, alternis pedibus insistentes,sunt omnes optimi saporis,& comeduntur à quibusdã, Ciconiæ tamen magis placent & multò sunt sapidiores & inter primas

Pygmei cum gruibus pugnant.

Grues ubinam locorũ se recipiunt æstatis tempore.

mas alites expetuntur in cōviviis, & hoc quia sale turgent.

Ciconiæ quid sint & unde veniant. Ciconiæ autem sunt aves, anseris magnitudine, leucophæi seu cineritii coloris, pedibus longis & longo rostro, aquaticæ aves, paludes stagna, fluvios & locos aquosos inquirentes, pisces comedunt & præcipue ranas, ex quibus vivunt. Quonam autem è loco veniant, aut quò se referant incompertum fuit apud antiquos, sunt enim aves peregrinæ, nec nobis cōmorantur, è longinquo venire non dubium, eodem quo Grues modo illas hyemis, has æstatis advenas habemus, abituræ congregātur in locis quibusdam destinatis, comitatæq; sic ut nulla sui generis relinquatur, nisi captiva, & serva, dato die recedunt, nemoque vidit agmen discedentium, cum discessurum appareat, nec venire sed venisse cernimus, quod utrumq; nocturnis fiat temporibus, has mentis suæ luces & argutias obtinet ex sulphure satis puro & nitido, quo cōstant; honosque Ciconiis serpentium exitio tantus, ut in Thessalia capitale crimen fuerit, occidisse, eadēq, legibus pœna quæ in homicidā, & adhuc in Anglia & Britannia, apud vulgus honore quodā & reverentia habentur, quod in serpentes insiliant faustamque existimant ædem, super quā insederit Ciconia. Pullos suos serpentibus enutriunt, unde Juvenalis, serpente Ciconia pullos nutrit & juventa per devia, rura lacerta.

Ciconiæ serpentibus nutriuntur.

Satyr. 13.

Anseres & olores. Simili anseres quoq; & olores ratione comeant, sed horū volatus cernitur, nec tam longe abeunt: Liburnicarū more, rostrato impetu feruntur facilius, ita findentes aëra quam si recta fronte impellerent, à tergo sensim dilatante se cuneo, porrigitur agmen, largeq; impellenti præbetur auræ, posteriores colla inponunt præcedentibus, & sic fatigati, & lassati sublevantur, fessosq; duces ad terga recipiunt, ut simul solatio subleventur, olorum mortem flebilis præcedit cātus, ex opinione quorumdam dum redeunt pullos suos omnes secum ducunt, & cum familia ampliori antiquas & familiares repetunt domos: sunt calidi temperamēti, & ita calidi, ut semper aquis innatent, & pluvioso tempore congaudeant, ut moderetur nativus ille calor, humiditate & frigiditate externa aquæ: summum adferunt Anseres ex pluma vectigal, nā ex ea cervicalia fiunt ubicumq; terrarum, & eò deliciæ processere, ut sine Anserū pluma, durare jam ne virorum quidem cervices possint: Pinguedo Anserum etiam in vectigalibus reponitur, quòd sit condimentum summū ciborum & salsamentorum ferè omnium: carnes etiā eorum sale condiuntur & reponuntur, & conservantur ad usum ciborum.

Anseris temperamentū.

Anates quales & quid sint. Anates etiam sunt aves aquaticę, gallinarum magnitudine, cineritii coloris, & variegati, rostro lato, pedibus anserinis, optimi sunt saporis, sylvestres dantur & marinæ & privatæ, quæ peculiaribus in domibus aluntur

Anatium species.

aluntur, est etiã Anatis species alia, quæ Moscata dicitur, quòd Moschi odorem & Ambari habeat, hæc species præclara est & rara, & exotica, nam ex India Meridionali asportatur, hæ omnes aves, Grues scilicet, Ciconiæ, Anseres, Olores & anates, nidificant in paludibus intra arundineta, quæ variè componunt & ligant, & miro artificio ab aquis sublevant, ita ut non madefiant. In his nidis sic artefactis ova pariunt, eaq; fotu trium septimanarum spatio excludunt & miro artificio alunt & præsertim Ciconiæ quæ deinde senes factæ, à progenie sua miro cum amore, educantur, & aluntur, & sic eum pietate parentibus reddunt quod ab his acceperunt.

Anseres Olores Ciconia Grues & Anates ubi nidificent.

DE CVCVLO.

Cuculus quid sit, qua ratione oriatur & quo ingenio valeat.

CAPUT XIII.

Cuculus quid sit & qualis & eius ingeniũ & astutia.

CUculus avis est, columbi magnitudine, variegati coloris, albo & cineritio colore inter se permixtis, capite rotundo & rostro, eoque parvo non adunco. Sunt multi Authorum qui existiment ultimam & minorem Accipitrum speciem, quam Galli dicunt *Esmerillon*, tandem in cuculum permutari & senectute degenerari in timidam illam & imbellem avium speciem, nam magnitudine & colore ipsam refert, toto verno tempore cantãdo *cou, cou*, dulces Philomelæ cantus interrumpit, quo tempore stimulis, & œstro cupidinis percitus, nihil aliud curat, quã genium cantando exhilarare, postquam autem pullos habere cupit & progeniem, deficit cantus, & curæ agitant ipsum, ut prolem, ex se habere possit, nã se existimat avem omnibus avibus odiosam itaq; ut prolem suam salvam facere possit variis exagitatur curis, & cùm summoperè timeat alias aves, sua ova disrupturas, & perdituras, ut speciem perdant, ipse cautus & astutus valdè, in aliarum avicularũ nidis, ova sua clanculum deponit, & sic per alias aves excludit sua ova, nutritq;, unumq; tantum ovum in singulis nidis deponit, quod exclusum sua magnitudine, alios veros & legitimos pullos foras pellit, & ita solus enutritur, grandior factus & adultus, toto hyberno tempore occultatur terræ cavernis, aut in arboribus excavatis delitescit, Verè autem adveniente, prodit in lucẽ & cantu suo replet aërem, diebus & noctibus integris canendo, donec æstas adveniat, quo tempore cessat amor illum vellicare, & incipiunt curæ & studia, de prole sua progignenda & conservanda ipsũ agitare, tunc temporis deficit illius cantus & omninò obmutescit, saporis est optimi, & delicatissima avis inter cibos, & dum pinguis est, perdicibus anteponitur famosus inter gallos est cuculus, quod mariti, qui uxores adulteras habẽt, eo nomine injuriosè afficiantur, nescio qua fatua ratione, id contigerit apud Gallos, nam cuculus uxores non habet adulteras,

Cuculi nomen cur injuriosum apud Gallos.

sed

sed ipsæ adulterant aliorum nidos, ova suapro aliis reponédo, nisi quod nomen *adulter* & activè & passivè sumatur, deponunt autem ova sua in nidis Luteolarum quæ & Clorides dicuntur, quod luteo & flavo sint colore, gallicè dicuntur *verdiert*, & apud nos *verdaulos*, quo nomine injurioso afficiuntur hi omnes, qui uxorum suarum natos adulteros alunt & nutriunt ut peragere solent luteolæ, quæ cuculorum ova excludunt & pullos illos mirantur & amant tales ex ovis suis produxisse.

DE PAVONE.

Pavo quid sit, & quo modo enascatur, & quo genio valeat.

CAPUT XIV.

Pavo quid sit & qualis.

ADmirandus est Pavo, & tantæ admirationis, ut si unus esset in terris, credo mirabiliorem esse ipso Phœnice, quid enim cauda sua admirabilius esse potest, quid capite Galeato suo pulchrius, quid voce sua horridius, in Iride ipsa non majores ac nitidiores & pulchriores cõspiciuntur colores, quàm in plumis ipsius pavonis. Tota volucrum pulchritudo, in unico pavone quiescit. Superba est admodum avis, capite Serpentino tribus aut quatuor pennulis miris coloribus adornatis & lunatis radiantibus, & auro micantibus, & in crystam elevatis adornato, longoq; collo plumis mollibus; viridenti, nigro, cæruleo; & aureo colore variegato, ac veluti gemmis micantibus exornato, cauda longissima, quam in orbem contrahit & expandit, ad gloriam & ostentationem suæ pulchritudinis, in qua lunæ ac micantes stellæ, velut in uno cœlo radiant ac splendent, & singuli pinnarum rami Iridem pulchritudine vincunt, ibi aurum, ibi argentum, ibi gem̃as omnes micantes ac splendentes natura deposuit, nihil in orbe pulchrius, quod ipsemet agnoscit, & omnes aves pulchritudine se vincere credit, dum in orbem elato capite & cristato, caudam suam expandit, alasq; subcineritias & rubras per terram trahit, & rauco gutture sonum edit quasi horribilem ut spectantes cum admiratione terreant & horrescant, tanto & tam mirabili alite viso. Quod si spectantes ipsum laudent, & honorent ac venerentur, ipse magis ac magis caput extollit, & caudam expandit solique adverso opponit, ut fulgentiùs, & nitidiùs, stellæ & gemmæ suæ niteant, ac radiẽt, & gutture suo tonat, ut Spectatores in admirationẽ rapiat. Quod si post admirationem, spectatores ipsũ injuriis afficiant, ipsumq; nauci faciunt, illicò caudã contrahit & occultat, quidquid occultare potest, & fugit aut volat, ne ipsum videant: cauda itenramissa singulis annis, autumnali tempore cum foliis arborum, donec renascatur iterum cũ flore & foliis arborum pudibundus ac mœrens quærit latebras. Vivit annis viginti quinque, & usque ad triginta, colores incipit fundere, & gemmas

Pavonis superbia.

Pavo quam diu vivat.

in

in trimatu. Malevolum & superbum est omninò animal. Nidificat in summis arborum ramis, & ova sua excludit fotu caloris sui, & Cineritii coloris sunt pulli recenter nati, nec statim colorantur variis illis coloribus & gemmis, quæ ex sulphure dependent, quod varium & multiplex habet, nec in ætate Juvenili possunt manifestari, quòd mercurius tunc temporis vigeat & abundet, qui cruditate sua & frigiditate, colores varios sulphuris comprimit, & retinet, ne efflореant, & vigeant, adaucto autem calore, & sulphuris virtute pedetentim tabescit mercurius, & coagulatur ac figitur, & sic sulphuris virtutes omnes apparent, & exsurgunt: unde gemmas illas variegatas & micantes, ac radiantes splendescere necesse est. Melancholici est temperamenti. Sal & sulphur in ipso abundant & turgent, & perinde delicatissima est caro illius, & inter cibos expectatissima & optimi saporis, & in conviviis, cum pennis suis & cauda gemmanti cum admiratione offertur, & intra gemmas & stellas micantes latet caro sua cocta & assata. Sunt etiam Pavones albi coloris, & aurei simul, & hi rariores sunt, & lunatas habent pennas aureas & albas.

Pavo cur in Iuvenili ætate pulchritudine sua non ornetur.

Pavonis temperamentum.

DE PHASIANO.

Phasianus quid sit, & quo modo enascatur & quo genio polleat.

Caput XV.

Phasianus montes altissimos incolit in Pyreneis montibus & Appenninis. Copiosi sunt & numerosi, in sylvis abietinis, ubi in summis arborum ramis nidificant, & ova sua deponunt, ac fotu caloris sui excludunt, & eorum sunt sex species, qui magnitudine differunt & coloribus. Prima species magna est anseris magnitudine, collo oblongo & multis coloribus variegato, non secus ac masculi annatum qui variegato sunt collo, viridi & nigricanti cæruleo colore simul confusè permixtis in unum variegatum colorem, reliquum corporis est cineritii & nigricantis coloris, & aures binas plumaceas habent quas submittunt subriguntque. Secunda species, est minor multò priori & habet plumas perdicibus similes, rostro tamen sunt nigro, & pedibus itidem nigris: Tertia species est adhuc minor secundâ, & similis omninò perdicibus, rostro rubeo, & pedibus itidem rubeis, sed caput & collum habent variis coloribus nigricantibus & cæruleis distinctum: Reliquæ quę supersunt species Phasianorum, primæ ferè similes, sola magnitudine differunt, sunt tamẽ ejusdem coloris, & acutissimo sunt omnes ingenio,

Phasianus quid sit & qualis.

Phasianorũ species.

genio, & astuti valdè, ita ut perquã difficillimè capiãtur à venatoribus, nisi dum canunt, quia tunc temporis sui immemores non sibi cavent, sed cantus suos exaudire cupiunt & toti sunt in exaudiendis suis cantibus, qui tamen dulces non sunt, sed acres & fortes, ac quasi rudentes, non secus ac pavonum cantus, qui vocem dęmonis imitantur. Sunt autem Phasiani omnes, melancholici temperamenti, frigidi & sicci, colores etiam quibus insigniuntur hoc testantur. Sale abundant & mercurio, & perinde optimi saporis sunt, & inter cibos delicatissimi. Sal enim est quod saporẽ conciliat in omnibus rebus, nam si Sal hebescat insipida sunt omnia, & sine sapore subjecta, in quibus sal hebescit.

Phasianorũ temperamentum.

DE ATTAGENIS.

Attagena quid sit, & qua ratione enascatur & quo genio valeat.

CAP. XVI.

Attagena quid sit, & qualis.

ATtagenæ sunt aves perdicum magnitudine, colore castaneo & bætico, rostro lõgiusculo, capite rotũdo, timida valdè avis est & frigidi & sicci tẽperamẽti, & perinde melancholica & tristis. Rarò canit dum captiva est, & serva summa cum tristitia servitutem & captivitatem ferens. Montes Pyreneos habitat & colit, & in sylvis abietinis horũ mõtium nidificat & parit ova quãplura, quæ fotu caloris sui excludit & exclusos deinde pullos, summo cum amore nutrit & alit: est copiosa apud Hyspanos & Gallos ea potissimùm in parte, quâ Montes Pyrenei, Hispaniam separant ab ipsa Gallia versus Occidentem: Polonia autem habet frequẽtiores & numerosiores, & nihil habent Poloni hac ave frequentius, habent & Asiatici quamplures ejusmodi aves, & ubiq; terrarũ sunt prætiosæ, & optimi saporis, Gallicè vocantur *Francolins* & Hispanicè *El Francolin*, ave pretioso Alexander myndius lib. 9. Dipnosophisti apud Atheneum Attagenas sic describit, est, inquit, perdice, paulò major, cujus dorsum versicoloribus miculis distinctum est, testæq; figulinæ coloris speciem gerit, nisi quod magis rufum est: Apud nos verò est castanei coloris, & bætici, micas quidem habet versicolores in dorso, hoc autem ex sulphure suo, quo turget, dependet & origenẽ habet, in dorso enim cùm calor sit fortior, sulphur illud magis ac magis digeritur & coquitur, & per coctionem variam, & fortiorem quam suscipit, miculæ illæ versicolores apparent ex permixtione sulphuris cocti & crudi, quæ simul permixta varietatem pariũt, acuto sunt ingenio & sagaci industria, nam in ædificandis, & construendis nidis ingeniũ & industriã testantur, eligũt arbores in sylva remotiores & altiores, in quibus nidificant nidosque suos mirificè occultant, quibus possunt modis, ramis & foliis arborum, ne percipi possint à Venatoribus.

Miculæ versicolores in attagenarum dorso, unde.

DE AVIBUS EXOTICIS SECTIO QUARTA.

De variis Aquilarum speciebus, quæ in terris Americanis reperiuntur, & primum de Ouyra ouassou.

CAPUT I.

Aquila Americæ descriptio.

OVyra Ouassou, Avis est maxima Aquilarum omnium, quæ in terris Americanis reperiuntur, Aquilâ nostra duplo major, capite mediocriter magno, & rostro fortissimo & adunco, oculis terribilibus & minantibus; ita ut terrorem maximum incutiant expectatoribus: rotundi sunt ejus oculi, & valde micantes, cristam plumaceam habet in capite rotundam & radiorum instar, habet caudam longissimam plumis delicatissimis & albissimis exornatam veluti sunt plumæ Albardeolæ, apud Gallos *Aigrelles* nuncupatæ, habet pedes magnos & brachia humana æquantes, & manus ejus sunt præmagnæ, unguibus aduncis longis admodum præditæ, & griphus non habet majores. Est potens valdè ales, & terribilis adeo, ut arietem efferre queat, & dilacerare, hominemq; interficere potest, venatur cervos & cervas, easque interficit, pro ordinario pastu, aliaque animalia, quæcumque sint speciei, persequitur, & quamvis vorax admodum sit animal & fortitudinis maximæ, nihilominus tamen à cibo per viginti dies abstinetur sine vitæ suæ detrimento. Asportatæ sunt hæ Aquilæ, ad Lutetiam Parisiorum ex Insulis Maragnanis anno 1613. & lingua Americana sive maragnana, quâ utuntur Incolæ hujus Insulæ, vocantur Ouyra Ouassou. Et dantur aliæ quamplures species Aquilarũ, & avium rapacium, quæ illo idiomate variis nominibus insigniuntur, & præsertim.

Fortitudo Aquilæ americæ.

Alia species Aquilæ americana.

Ouyrata Ouyam, quæ est alia Aquilæ species priori simillima, tùm magnitudine, tùm colore pennarum, sed forma & figura aliqua ratione diversa, & Griphi species potius est quàm Aquilæ.

Datur adhuc alia nomine, Ouyra Ouassou pouytam, ejusdem magnitudinis ac priores, color tamen pennarum est differens quod in præcedentibus cineritius sit tantum color, in hac verò specie, sit cineritius flavo permixtus.

Datur etiam alia species Aquilæ, his in terris, quam Incolæ suo idiomate vocant, Ouyra Ouassou, quæ est vera hujus clymatis & regionis Aquila, rostrum habet rubeum & pedes itidem rubei & color pennarum est cineritius.

Karakara species Aquilæ.

Datur etiam alia species ab ipsis Incolis suo idiomate nuncupata Karakara magnitudine Gallinæ capite nudo & sine plumis, nisi circa rostrum, quod circundatur plumis cæruleis, toto reliquo corpore est albi & nigri coloris, hæc avis rapacissima est, & aves minores hujusce terræ insequitur.

Louron couron species

Datur etiam adhuc alia Aquilæ species, seu accipitris, apud terram Ame-

aquila Americana.

Americam præsertim Meridionalem, & vocatur idiomate Americano Louroucourea, Ouassou, ejusdem magnitudinis ac Karakara, nihilominus est forma differens, & est capite rotundo ac magno, & magnis oculis hisq; rotundis, & Bubonem nostrum majorem imitatur, differt tamen à nostro nocturno Bubone quem vulgari nostro idiomate nuncupamus *Duc*. Quòd hæc America avis caput habeat album & plumis albis insignitum, sine cornibus & toto corpore reliquo sit variegata. Bubo autem noster non est capite albo, & habet cornua plumacea sive aures plumaceas, quas submittit & erigit, est tamen variegatis, albo & castaneo colore: Dantur & aliç quàm plures aquilarum & Accipitrũ species per totam Americam, quæ ex præda aliarum avium vivunt: ex natura & proprietates descriptarum facillimum est, aliarum quæ supersunt, naturam & genium habere notum, sunt enim sulphure omnes prę- ditæ, & Sale pungenti, ex quorum principiorum virtute & peculiari proprietate rixosæ sunt aves istæ, & in alias omnes insiliunt, vivacitas enim sulphuris & salis talis est, & natura, ut omnia in se convertere tentet. Itaque aves & omnia reliqua naturalia, quibus sulphur & sal prædominantur, omnia reliqua in se convertere tentãt. Nascuntur omnes hæ species, ex ovis quæ ipsæmet per coitum pariunt & parta fotu caloris sui excludunt in pullos, quos miro studio, & amore enutriunt, non secus ac Aquilæ Europeanæ.

Quibus principiis vigeant Aquila Americana.

De variis Psittacorum speciebus, quæ in America reperiuntur, & de eorum natura & genio.

CAPUT II.

Quamplurima psittacorum species in America.

QVamplurimæ reperiuntur Psittacorum species, in terris & Insulis Americanis, quæ magnitudine inter se differunt, & quæ colore vario & diverso, inter se distinguuntur, imò & genio, nam sunt nonnullæ species, quæ tardo valdè sunt ingenio, nec facili industria alloqui discunt, & cantus aliarum avium imitari nequeunt nisi maxima cum difficultate, & continuò & improbo labore. Sunt tamen, & aliæ multæ, quæ voces humanas, & aliarum avium cantus imitantur: & præcipuè datur Psittacus nomine Americano Louyra Rosoy, qui admirabilis omninò est magnitudine Galli Gallinacei, plumis perquamoptimè variegatis viridi potissimum colore, rubeo, cæruleo, flavoq; colore, simul permixtis, ita ut miram constituant avem, & præsertim cum in orbem Pavonum instar plumas suas effingit, tunc tẽporis nihil pulchrius in orbe reperiri potest, Iridem pulchritudine vincit, imò & micantes lapides preciosos consensu expectãtium antecellit, nec prata floribus omnibus variegata verno tempore ipsi æquiparari possunt, Geniũ præterea admirandum habet, quicquid audit statim pronũciat, voces omnes humanas qualescumque sint expri-

Louyra rasoy psittaci species admirabilis.

mit, & aliarum avium voces & cantus perquam optimè imitatur, diutissimè vivit, enascitur ex ovo cæruleo variegato, quod fotu caloris sui excludit in pullum, quem enutrit, miro studio & amore, par enim est omnibus avibus, ubiq; terrarũ pullos suos enutriendi amor & studium.

Lyenday oussou psittaci species. Est alia Psittaci species nomine Americano Lyenday oussou, ejusdem magnitudinis præcedentis, plumis admirandis decoratus, nam caput habet rubeis plumis micantibus exornatum, dorsum verò flavum habet, ventrem verò & collum ea parte qua ventrem vergit, album habet, alas verò & caudam viridanti colore insignitas possidet, parte superiori, inferiori verò flavo colore variegatas obtinet, ita ut vividis illis coloribus tinctus, expectandus se præbeat, & admirandus, non tamen ita sagaci & subtili pollet ingenio, ut & præcedens, sed hebetem habet mentem, & difficili negotio & via, voces imitatur humanas, ex ovo itidem enascitur variegato suis coloribus quod ex coitu masculorum parit, quodque fotu caloris sui excludit, & exclusos pullos suos, ut & alii psittaci enutrit & alit.

Louyra ioup psittaci species quid & qualis. Datur adhuc alia psittacorũ species nomine Americano, *Louyra ioup* nuncupata, est æqualis magnitudine præcedentibus, est autem aureo colore, ab aliis distincta ac differens, quo colore aureo perfunditur per totum corpus, exceptis alarum suarum & caudæ extremitatibus, quæ viridi colore ac micanti tinguntur, hæc etiam psittacorum species, tardo est ingenio, nec alacris est & hilaris, sed tristis & melancholica, & difficili cum via, voces humanas imitari addiscit, & cantus aliarum avium, nihilominus expectanda est & admiranda suo colore aureo, & viridi, quibus demptis nihil habet aliud admiratione dignum. Nascitur ex ovo, ut & aliæ præcedentes species.

Datur etiam alia adhuc psittacorum species, nomine Americano, *Canide* vocitata, cæruleo & cælesti colore per totum dorsum colorata, ventrem habens flavum & aureum, & tempora capitis alba sine plumis, & miculis nigris perfusa, hæc etiam species hebetis est ingenii, & tardæ mentis, tristis admodum & melancholica, loquitur tamẽ & voces & cantus aliarũ avium imitatur. *Canide psittacus quid sit & qualis*

Est tamen alia psittacorum species, sagacis admodum ingenii, quæ captivitatem non amat, nec caveas, easque disrumpit fortitudine rostri sui nisi ferrea sint omni ex parte: hęc species vocatur apud Americos *Ara*, quæ magnitudine corporis præcedentem *Canide* dictam antecellit. Exornata est variis coloribus, & præsertim rubeo viridi flavo & cæruleo, simul permixtis, caudam habens oblongam, variis hisce coloribus decoratam: tempora autem capitis habet, pelle albissima absq; plumis obtecta velut & Canide, nisi quod in Canide, pellicula illa sit miculis nigris *Ara psittacorum quid sit & qualis*

grisvariegata, in Ara verò tota alba est hæc pellicula mirum in modum, hæc species domestica facta cantus omnes & voces imitatur.

Iuruue psittacus quid & qualis. Est alia psittacorum species nomine Americano *Iuruue* nuncupata, ejusdem cum Canide magnitudinis, viridanti colore & nigro insignita, cristatum habens caput & plumis cæruleis coronatum, quæ illi sunt crista, quæ maximè decoratur, & expectantibus est admiratione, hæc etiam optimè loquitur & voces exprimit quascumque.

Margana psittacus quid & qualis. Est & alia *Margana* dicta, voce patria, & parva est, & Merulam nostrã magnitudine imitatur, magno capite, & temporibus capitis albis, velut Ara, toto vero reliquo corpore, plumis viridantibus exornato, reperiuntur tamen in ipsamet specie, psittacorum nonnulli qui ventrem habent colore malorum aurentiorum maturorum pertinctum: hæc etiam species perquam optime voces humanas imitatur.

Eurunaia psittacus quid & qualis. Est & alia voce patria *Eurunaia* nũcupata, ejusdem magnitudinis, ac Margana, nihilominus, coloribus differentibus exornatur, viridantibus eũ plumis insignitur, nigro colore delibutis, ventrẽ verò habet cæruleum ac cœlestem, nigrum, viridẽ & violaceum, & hisce coloribus insignitam se præbet omnibus admirandam, ingenium habet acutum, & amat societatem hominum, hisque facili negotio assuescit & cantus & voces omnes imitatur, est hilaris admodum, & semper garrit & cantat.

Paraoua psittacus quid sit & qualis. Est & alia psittacorũ species, quã Americani verum & legitimum psittacum existimant, & voce patria nominãt, *Paraoua* & est satis magnus, & gallinã nostrã magnitudine æquat, & caput habet flavo colore, & rubeo claro insignitum, & reliquũ corporis est viridi colore tinctũ, & flavo colore rutilanti variegatũ, admirandus est suis coloribus insignib⁹ & facilis est ad addiscendas voces omnes & cantus, & ego vidi ejulatus infantiũ & ploratus ita imitari, ut infantes plorantes & ejulantes esse viderẽtur.

Touin nyri psittacus quid sit & qualis. Datur etiam alius psittacus parvus admodũ, nec passerculi magnitudinem superat, quem Americani patrio idiomate *Iouin miry* vocitant & facilis est, & promptus admodum ad voces humanas & cantus aliarũ avium addiscendos & imitandos, pluma est omni ex parte viridis, exceptis oculis, qui circundantur flavo colore, & superior capitis pars eodem flavo imbuitur colore.

Touinoua!sou psittacus quid sit & qualis. Est & alius nomine patrio *Touinouassaou* nuncupatus, qui magnitudine superat superiorem *Touin Miry* dictũ. viridi omnino pluma rubeo vivo variegata multis in locis, & superat omnes alias species psittacorũ in efformandis vocibus humanis & cãtibus aliarũ aviũ imitandis, subtile admodũ habet ingenium & acutũ, & amore virginum formosarũ afficitur, ita ut ipsas deosculari percupiat & in sinu earum quiescere gaudeat.

Couioup Coi upsittacus quid sit & qualis.

Datur & alius parvus admodum, & passerculi magnitudinem æquat, at varietate colorum omnino admirandus, nomine patrio dicitur *Couiou Couioup.* Caput habet rubicundo colore & viridi variegatum dorsum autem habet cæruleis & viridibus miculis insignitum, & ventrẽ omnino viridem, sed promptus est & facilis, ad voces addiscendas humanas, & voces aliorum animalium, nascitur ex ovo variegato cæruleo & viridi, est hilaris admodum, & jucundus semper garrit & jocatur, & ridentes audire gaudet ex jocis suis: dantur & aliæ plures psittacorum species per totam Americam, & tanta in copia, & numero, ut primi homines & navigantes, qui huc appulerunt terram psittacorum partem Americæ Meridionalem & Australem dixerint, propter numerum psittacorum, qui in hac terra reperiuntur, omnes hę species sunt optimi saporis, & habent carnes satis delicatas, & comeduntur hisce in locis, sunt tamen aliæ multæ aves, delicatiores multò, & inter cibos laudatos & optimi saporis enumerantur. de quibus agendum est capitulo sequenti.

Tanta est psittacorum copia in America australi, ut terra psittacorum dicta sit.

De multis aliis avibus Americanis delicatis admodum & pluma admirandis.

CAPUT III.

Ouyra tain eum avis america quid sit & qualis

REperiuntur aves in America, & præsertim in Insulis Maragnanis, & circum insulas illas, quæ vulgari & patrio nomine nuncupari solent *Ouyra Taineum*, magnitudine sũt passerculi, sed pulchritudine mirabili, capite nigro & alis, sed toto alio corpore adeò rubro, & igneo colore vigent rostro & pedibus rubeis & igneis, ut carbonem ignitum volantem esse existiment, qui ipsam conspiciunt avem. Perquam optimè sibilat & canit, & est optimi saporis, & delicatissima inter aves, multo sulphure constat, eoque puro & rubeò, & ideo est semper in perpetuo motu, & agitatione sui corporis, hinc inde volando & canendo & sibilis suis aërem replendo.

Insignis datur & alia avis, voce Americana *Moyton* nuncupata, quæ magnitudine pavonem nostrum imitatur albis & nigris plumis, insigniter variegata, & cristam plumaceam ejusdẽ coloris habet in capite, perpulchra est avis, & inter cibos est delicatissimi saporis & ibi in conviviis offertur, tristis est admodum, & melancholici temperamenti, & sale abundat primigenio, unde sapor suus optimus est, diutissimè vivit, & parit ova multa, quæ fotu excludit.

Moyton avis americæ quid sit & qualis.

Est & alia insignis avis similis magnitudine præcedẽti, sed tamen pluma, & colore, ab illa distinguitur, cũ hæc habeat plumas rubeas, & albas, & cristam habeat in capite, hisdẽ coloribus variegatam, Americani ipsã vocant *Moyton tin miram*, rostrum habet magnum & longum, & est delicatissima avis ad edendum, parit ova

Moyton tin miran avis america

quid & qualis. ova & excludit simili modo ac praecedens.

Toucan avis America quid & qualis. Datur & alia insignis avis gustu & sapore mirabilis, quae patrio nomine *Toucam* nuncupatur, rostro insigniter longo, magnitudine turturis, circa ventriculum est quasi torquatus plumis insigniter rubeis & flavis, toto verò ventre est albus, & supra dorsum plumas habet insigniter rubeas, & micantes, & alius habet nigras & caudam & est inter aves Americanas delicatissima & sumoperè inter cibos optimi saporis extollitur.

Est & alia mirabilis avis, apud Americanos optimi saporis & inter cibos delicatissima, qua utuntur Americani in cõviviis suis & nomine patrio vocãt ipsam *Iapou*, columbi magnitudine, rostro longo, digiti longitudine, plumis per totum corpus viridi colore & nigro variegatis, caudam verò habet flavã & longã. *Iapou avis America quid sit & qualis.*

Iapyouassou avis America quid & qualis. Datur & alia insignis valdè pulchritudine sua & sapore: nomine patrio vocatur *Iapyouassou*, passerculi magnitudine, capite albo, plumis viridibus & rubeis quasi igneis, viridi cauda & alis quoque viridibus sine varietate, & permixtione colorum, ut est in reliquo corpore, ipsa est conviviorum ornamentum apud Americanos.

Arasary avis America quid & qualis. Est & alia nomine patrio *Arasary*, vocitata avis, columbi magnitudine, albo & rubeo colore insignita per totum ventrem alas autem habet nigras, haec alias superat aves sapore, & delicatissima est omnium inter cibos, quia sale turget.

Datur & alio nomine patrio *Ourou* perdicis magnitudine, cristam habet in capite, instar galli, rubeo autem colore nigro & albo variegantur ejus plumae per totum corpus: Rostro suo arbores perpetuò tentat an crudae sint & plenę mellis, quo mirificè gaudet, hinc inde volando per sylvas & arbores veteres mel quaerit: haec nobilis admodum est, sapore, & delicata sua carne, perdices nostras vincit & superat sapore. *Ourou quid sit & qualis.*

Est & alia insignis avis delicatissima inter Americanas nomine patrio *Kereioua*, magnitudine passerculi, plumis violaceis, viridi colore variegatis: Alas autem habet nigras, haec excellẽs est inter cibos, est & alia nomine *Sauia*, ejusdẽ magnitudinis ac Kereiova, leucophęato capite, vẽtre flavo, ipsa est avis inter Americanas, quae pipere vivit, & excrementa sua & stercora sua piper adeo redolent, ut piper enascatur ex excrementis & stercoribus suis, in terrã projectis, sic ipsa avis seminat piper, per sylvas Americanas & devia loca, hanc autẽ asserunt Americani esse optimam & pretiosã, quòd illis piper seminet & ubiq; propalet, quo ipsi obtinent ex mercatorib⁹ nostris quicquid illis est opus ad vitam suam, praesertim ferrum, & omnia ferri instrumenta, enses, gladios, secures, serras, & alia ejusmodi, quae ex ferro fiũt instrumẽta vitae nostrę inserviẽtia, hęc pipera per- *Kereiova avis America quid sit & qualis.* *Sauia avis quid sit & qualis.* *Sauia avis America piper seminat excrementis suis.*

permutant nostri Mercatores cum Americanis, & sic cum ratione asserant Saviam, avem esse optimam, cum tamen sit amara gustu & sapore ex victu continuo piperis.

Tata ouyra avis americana qualis.

Est & alia mirabilis avis tum igneo suo colore & optimo suo sapore, nomine patrio vocatur *Tata ouyra ouassou*, hoc est avis magna ignea, quòd colorem referat ignis, datur enim & alia huic penitus similis, sed valdè hac minor est, & propterea hæc dicitur magna avis ignea, toto corpore est ignei coloris, alis exceptis, quæ sunt colore nigro & albo, hæc avis delicatissima est inter cibos & conviviorum Americanorum, decus & honos.

De variis Phasianorum & perdicum America speciebus.

CAPUT IV.

Phasiani & perdices Americana quot & quanta.

DAntur phasiani & perdices, apud Americanos, nostris ferè similes, colore tamen aliquando distinguuntur. Et prima species Phasianorum, quæ in America, copiosa repecitur in Insulis Maragnanis, nomine patrio vocatur *Iacou*, est quasi simi'is nostro Phasiano, & est delicatissima inter cibos.

Phasianorum prima species secunda & tertia.

Secunda species Phasianorum est illa quæ nomine patrio vocatur *Iacou Oubouyh*, & est magnitudine anseris nostri, miratu digna avis, quòd sit capite cæruleo, pedibus rubeis, & toto reliquo corpore nigro, lucente & micante, & hæc est optima inter cibos.

Tertia species Phasianorum est illa, quæ patrio nomine vocatur *Araconam*, & hęc est magnitudine Gallinæ nostræ, & collo rubeo & toto corpore, flavi est coloris, sed figura, & forma, rostro & pedibus, Phasianos nostros imitatur, & gustus & saporis dulcedine.

Perdicum species quæ sint apud Americam.

Prima autem Perdicum species, quæ in Americana reperitur est illa quæ nomine patrio dicitur *Nambou*, nostris Perdicibus magnitudine duplo maior: figura tamen, rostro, & pedibus ac plumis omninò similis & sapore & gustu.

Secunda species est, illa quæ vocatur patria voce *Nanbou, Ouassou*, & Gallos nostros magnitudine æquat, & paulò plus, & colore sunt Leucophæato, & cineritio, & ova sua ex quibus enascuntur sunt cærulea: & est delicatissima inter aves, & miro ingenio, ad enutriendos suos pullos, et occultandos, ne à Venatoribus inveniantur. Sunt enim et pulli jucũdiores et delicatiores parentibus, itidem et ova sunt esu jucundissima.

Tertia Perdicum species, quæ in America reperitur, est illa quæ patria voce nuncupatur *Inanb uin* magnitudine Gallinæ, et plumas habet albas, nigro colore variegatas, rostro tamen est rubeo et pedibus rubeis. Ova parit quàplura, et sunt cærulei coloris, quibus utuntur Americani, ad pertingendos enses suos, et colorandos, ut inimicis magis terrori sint quam si essent ferreo polito et nitenti colore, in his omnibus

avibus

avibus turget sulphur & mercurius unà cum sale.

Macoucaova Perdicis species Americana quid & qualis.

Quarta autem Perdicum Americanarum species; est illa quæ voce patria dicitur *Macoucaova* magnitudine Gallinæ, & trib⁹ coloribus variegata, rubeo scilicet, albo & cæruleo, quibus coloribus admodum micat & splendet, ita ut omnibus se præbeat admiranda hæc avis, ova etiam sua cærulea sunt, quę fotu caloris sui excludit, & exclusos pullos summo amore persequitur, eosque nutrit, & alit omni studio & industria, ova etiam sua sunt esu perquam optima, & visu perpulchra, & hoc ex sole & sulphure innato habent.

Infinitæ ferè sunt aves apud Americam nostris avibus dissimiles.

Sunt & multæ aliæ volucres in America quarum numerus est ferè infinitus. tùm nocturnæ, tum aquaticæ, & palustres, & præsertim datur magna copia Albardeolarum, seu Albicularum, quas nos Gallicè dicimus *Aigralles*, & dantur earum quatuor species, magnitudine solùm differentes, omnes albissimæ sunt, & plumis illis (quas Galli dicunt *Aigralles*, & preciosas habent) copiosis abundant & turgent, de his dicere nullus daretur finis: at ex his quæ enumeratæ sunt, admiranda conspicietur naturæ potestas, quæ variat ac distinguit rerum mixta & composita, cœlo & lumine variante, jam transeundum est ad quintam, & ultimam huiusce tractatus Sectionem, quæ de Insectis avium tractabitur.

DE INSECTIS AVIUM.

SECTIO QUINTA.

De Muscis & Culicibus, quid sint & quo genio valeant.

CAP. I.

Musca admiranda sunt.

Res omninò admiranda est, quâ ratione anima sensitiva, in tam parvo corpusculo functiones omnes vitæ suæ peragere queat. Et si America nos in admirationem rapuit, pulchritudine avium suarum, quæ flores sunt viventes & canentes huiusce mundi. Quid jam faciet totus orbis, Muscis & culicibus, qui colorum varietate, ac membrorum distinctione, in tam parvo corpusculo Americanas aves omnes superant & vincunt, imò & specierum varietate, nam Muscarum & culicũ quamplures sunt species parvitate & colorum varietate admirandæ. Sunt siquidem culicum species adeo parvæ, ut atomi videãtur, & quasi puncta animata, quibus alas addidit natura, ut Deum omninò admirandũ in hisce corpusculis cerneremus.

Culicum admiranda natura.

Quid enim musca, quid enim culex, in quibus omnia organa & partes animati corporis reperiri licet, etsi conspici oculis nequeant, aculeos habent quos dormientes persentimus, & vigilantes percipere nõ possumus. Aculeus ille imperceptibilis est illis, tuba, ut martem accendant,

est illis fistula ut cantent, est illis tubus ut bibant, est illis terebellum, ut venas nostra perforent, & sanguinem exhauriant: in illis quatuor elementa, in illis tria rerum omnium principia, in illis cœlorum omnium influxus & Entelechia, in illis Sol & Luna, & Planetæ omnes reperiuntur, ac in Elephantibus, & Camelis, & aliis animalium maximis corporibus. Tota natura æquè laborat in his effingendis, ac in aliis maximis corporibus: est plus inestque artis in ipsis minimis corporibus, quàm in grandioribus. Et præcipuè mirum est, quòd sine parentibus enascantur, non ex ovis, non ex coïtu parentum, nec ullo particulari semine, sed semine generali ortum habēt, quod ex centro sui educit omnia hæc animalcula, quæ omnibus Philosophis sunt admirationi. Et dicuntur insecta ab incisuris, quib⁹ constant, quę quidem incisuræ nunc cervicum loco, nunc pectorum atque alvi illis sunt, Aliquibus verò non tota incisura, eas ambiente rugas, sed in alvo, aut supernè tantùm ambiente, inbricatis flexilibus vertebris, & nusquam alibi expectatiore & mirabiliore naturæ artificio.

Culices unde enascantur.

Insecta unde dicantur.

Musca qua ratione differat à culice.

Musca differt toto corpore à culice, & grandior est musca, & grandioribus constat alis, quæ si radiis solis opponantur limpidæ, & pellucidæ veluti cristallus, & quid aëreum concretum esse apparent, & variis coloribus perfusæ videntur, viridi cæruleo & albo, & filamēta habens tenuissima intrinsecùs pertexta, quę venarum instar illis sunt, non sanguine rubeo plenæ sunt, sed succo viscoso & vitali qui illis sanguini est, Muscarum multæ & diversæ sunt species: datur musca equina, castanei coloris, pedibus multis & aculeo peracuto, quo cutis equorum terebratur, & sanguis emittitur, harum muscarum pabulum & alimentum, & potus. Dantur & aliæ magnæ satis, & fabam æquant magnitudine, capite variegato, & toto corpore, hæ non assiduè sanguine vivunt, sed succo florum & fructuum; nihilominus tamen si sanguinem inveniant & bruta quadrupedantia, in hæc insiliunt, & sanguine eorum delectantur, sunt & aliæ musculæ parvæ admodum, & alatæ, in quibus nihil præter alas ferè visibile est, ex vivo recenti enascuntur in cellis vinariis, ibique bibendo & pergræcando emoriuntur, dum vinum veterascit & senescit, quod recens parit, nutrit & alit, vetus deindè non probat, sed enecat, adaucto cellarum frigore, quod est certa insectorum mors.

Muscarum variæ species.

De formicis alatis & cicadis, quid sint, & quâ ratione enascantur, & quo sint genio.

CAP. II.

Formicæ senescentes cur alatæ fiant.

FOrmicæ senescentes alatæ fiunt, diligentiæ munus, dum enim ipsæ propter senectutem laborare nō possunt,

possunt, genium tamen habent laborandi, ex natura enim tales sunt, ut quiescere nequeant, sed perpetuo labori enatæ, ideo ipsi labori perenniter indulgent, benigna admodũ natura, ubi vires deficiunt, & crescit tamen amor habendi, alas addit, ut corporis vires subleventur ad laborem. Admirando pollent ingenio, nam quamvis ipsæ parva sint corporis mole, graviora ipsomet corpore trahunt corpora, & in ferendis ponderibus sunt semper occupatæ, grana frumenti, quæ in tuguriolis suis recondunt, errodunt priùs qua parte est germeñ, ne germinet in terra, si sint madefacta, sole exsiccant priùs, & deindè recondunt, ne putrescant: quid prudentius ageret homo in recondendis suis frumentis. Sauciatas & vulnere affectas peculiari quodam studio curant & alunt, donec à vulnere curatæ sint, si verò emoriantur, mirum est, quâ mœstitia, & quo luctu funera celebrant, eas sepeliendo multitudine convocata, ad honorem sepulturæ: hoc ipsum nunquam credidissem, nisi ipse vidissem. Enascuntur non ex ovis, non ex coïtu, ut quidam existimant, sed ipsæmet dum morti proximæ sunt, tumulum sibi glomerant, ex aëre fecundo materiam, vel ex viscida quadam materia, quam in ovum effingunt, quod tamen non verum ovum est, nam illud grandius multo est, & ipsismet veluti bombices effingunt, & in illo clauduntur, tanquam in tumulo, ubi putrescunt, & ex illa putredine calore solis in superficie terræ enascuntur aliæ formicæ, prioribus similes: Sic genus suum & speciem propagant, & velut Phœnix ex morte resurgũt, quod tamen non miramur, ut & in Phœnice.

Formicarũ ingenium.

Formicarũ funera.

Formica unde enascantur.

Cicadæ verò insecta sunt avium, quæ miras incisuras habent per totum corpus, & quamplures sunt earum species, aliæ sunt rubræ, aliæ virides, aliæ sonoræ, aliæ mutæ: Rubræ sonoræ sunt & tota æstate canunt, nec unquam quiescunt, nisi nocte, tantoque murmure aërem replent, ut maximæ sint molestiæ, vacuum habent pectus, seu mediũ corporis, in quo aër, aliis suis verberatus resonat: nam ore non canunt, sed alas parvas quas sub magnis recondunt, movẽt, & motus ille cum incisuris quas sub pectore possident, sonus illos & cantus efficit: habent enim quatuor alas, quibus utuntur, non solùm ad volandum, sed etiam ad cantum illum & sonum edendum: enascuntur, non ex coïtu, nec ex ovis ut nonnulli putant, Sed ex semine generali quod in aëre inest. Ipsæ etiam aëre vivunt & rore, sic etiam ex rore & aëre enascuntur, nam Hyberno tempore omnes omninò pereunt & emoriuntur: Redeunte verò æstate, iterum prodeunt, cùm Sol rorem & humiditatem aëris peculiari ratione disponat, ad cicadarum, & aliorum similium animalculorum generationem & productioné: Quicquid remanere

Cicadæ quid sint & unde enascuntur.

potest ex præcedentibus, est aliquid cineris quod quamvis dissoletur & disperdatur, nihilominus inanihilabile est, ut ita loquar, quod quidē redeunte æstate, humectari potest rore, & humiditate aëris, soleq; hoc ipsum calefaciente, potest inde per putrefactionem animal fieri; & cùm cicadarum spiritus in his cineribus reperiantur, cicadæ potius hinc exsurgunt, quàm alia animalia: in fine æstatis reperiuntur omnes mortuæ, siccæ admodum, ut in pulverem omninò facili negotio conterantur, & perlucida ac diaphana earū corpora: itaque sol eas generat, & sol item eas exsiccat, interficit & tabefacit.

Cicada qua ratione fiat.

De Scarabeis, Quid sint, & quo modo enascantur, & quo genio constent.

CAP. III.

Scarabeus quid sit.

SCarabeus qui est taurus, seu cervus volans, à nostris dicitur: insectum est animal, per totum ventrem incissuras habens, & multiplices alas habet: primæ sunt duræ & crassæ, & veluti tegumētum aliquod durum & siccū aliarū alarum, quæ tenuissimæ & delicatæ admodum sub primis reconduntur: cornua gerit cervorum modo, coloris castanei, dura admodum movet ipsa, astringendo & dilatando ea, ita ut ipsis cornib' arripiat & capiat strictissimè, quicquid capere vult, bisculis dentata forcipibus, in cacumine, cùm libuit ad morsum coëuntibus, ut Plinii verbis utar. Nascitur hoc genus insectorum, ex rore, in ipsis bovum stercoribus putrescente, nam stercora bovum nisi rore madefiant, & putrescant rore irrorata, & madefacta, nō producunt scarabeum; Rori ergò priùs debetur generatio scarabeorū, quàm stercori, cùm ros causa sit efficiens & agens, stercus verò materia tantùm patiens. Hæc animalculorum generatio sed admodum clarè testatur, mundum hunc universum vitæ esse plenum, cùm ex non vitali manifesto & apparenti producatur, nam ros, & stercus bovis nihil vitæ manifestæ & apparentis habēt, nihilominus occultam vitam habent, quâ scarabeus repletur & animatur. & ut ros vitam illi præbet, illam illi conservat, etiam & producit usque ad hyemem, nam rore vitam eorum sustentatam credimus, cùm non habeant os quo peculiariter aliquid edant, sed tantùm spiculum tenue valdè, quod ipsi trahunt & retrahunt, ut rorem aut saltē herbarum, & foliorum arborum succos attrahant, ad alimentum suum, sed de rore potius suspicandum est, cùm serotinis horis & matutinis, dum ros viget, ipsi victum quæritent, & volantes tunc temporis ipsos, hinc inde conspiciamus, per reliquum verò temporis occultantur, singulis vernis temporibus in lucem prodeunt, & hyberno tempore intereunt. Brevissima est eorum vita, cùm minimum

Scarabei qua ratione fiant.

Scarabei qua materia vivant.

mum salis habeant, quo vita eorum fulciatur, sed plurimum mercurii, qui putredini, & corruptioni est obnoxius, & sulphur quod habēt opacum est, & tenebrosum, undè in illis, non sunt vitæ actiones claræ & nobiles, cum eorum sulphur, à quo vitę actiones dependent; tenebrosum & obscurum sit. Sufficit illis quòd vivant, & sentiant, sed ignobili modo & cum nullis vitæ actionibus nobilibus & raris, ut vivunt & multa eiusmodi animalia, quæ præclaris vitæ actionibus vitam nobilitant, ut formicæ & apes.

Scarabeorū vita qualis.

De Cicindelis, quid sint, & quo modo enascantur, & quo genio valeant.

CAP. IV.

Cicindela quid sit & qualis.

Cicindela græcus πυgολάμπις & λαμπυεἰς, nostris verò *vert luisant*, quòd noctu luceat ut lampas, est muscæ species, quæ parvas admodum habet alas subrubeas, ventrem habens perlucidum, & est velut stella cœlestis, micans ac splendens: nonnulli dicunt esse vermiculum, sed falluntur, est muscæ species, quæ ex rore verno tempore enascitur, & ex rore vivit: Dum enim vivifica vis solis omnia verno tempore vita replet, guttulæ illæ roris vitâ turgentes, calore solis tepidæ fiunt, subtilior pars cœlum petit, reliquum verò crassescit & putrescit, & pedetentim animatur, & fit musca lucens & radians, quæ Cicindela dicitur, quæ cùm ex rore fiat, ex rore etiam enutritur & conservatur, & propterea spiculum habet muscarū modo, quod trahit & retrahit promuscidis instar, ut rorem super folia plantarum existentem exsugat, & attrahat, quem digerit, & in sui alimentum convertit: viscosa autem huiusce alimēti pars subtilissima, cuī calidum innatum seu sulphur naturæ prædominatur, cum subtili admodum sale in lucentem & radiantem humorem convertitur. Admiranda omninò est natura quòd in omni genere rerum radiantia & splēdida habeat composita: in genere animantium lampyrides habet sive Cicindelas: in genere vegetantium flores quam multas, & lignum putrescens, noctu lucens: in genere Mineralium lapides pretiosos multos, aurum & argentum; Lux enim illa innata & naturalis, quæ in unoquoque rerum genere reperitur, tanquā fundamentum & naturæ basis ubique lucet, modo ab excrementis elementorum liberetur.

Cicindelarum vita unde sit.

In omni genere mixtorum est aliquid radians.

In Cicindelis illud ipsum quod lucet, lux est illa innata & naturalis, quam nonnulli calidum innatum vocant, & Chymici sulphur appellant. Ipsa lux quæ est basis & fundamentum naturæ Cicindelarū, quod in ipsis Cicindelis purè permisceatur, cum reliquis Cicindelæ principiis, est sola causa radiationis & splēdoris quem noctu emittunt illa animalcula: facilè autem depuratur ipsa lux, & principia reliqua in mix-

 tione

tione & generatione Cicindelarum, quod in rore jam jam sint depurata, in quo Cicindelarum generatio incipit.

Cicindela unde enascantur.

Aliqui tamen Philosophorum existimãt Cicindelas enasci & oriri ex putrefactione foliorum, aliquarum plantarum, urticarum potissimùm, quod inter urticas potissimum reperiantur Cicindelæ: sed cùm ubi reperiantur Cicindelæ, non solùm inter urticas, sed etiam inter alias minutas plantas, & in pratis ipsis, inter fœnum recens enatum, suspicandũ est ex rore potiùs enasci, quàm ex putrefactione herbarum. Possunt quidem ex illa putrefactione enasci, sed mediante rore: plantæ enim putrefactæ, nisi rore madefiant, & calore solis tepefiant, in animalia & insecta transmutari non possunt: At cum ipsis conditionibus relatis, facilè quidem & possunt & verè transmutantur: In ipsis nullus relucet ingenii nitor quod copiosum habeant humorem superfluum clarum quidem & diaphanum tanquã roris phlegma, quod frigiditate sua & humiditate animi vigorem obtundit, & calorem lucis illius nitentis nimis infrigidat, unde obstupido sunt genio Cicindelæ, propter humiditatem illam superfluam frigidam, quæ calorem illius obtundit, ex quo solo animi vigor dependet, in omnibus animantibus sensu præditis.

Genium Cicindelarum quale.

DE APIBVS.

Apes quid sint, & quâ ratione enascantur, & quo genio valeant.

CAP. V.

Apes quid sint.

APes sunt muscatũ species, & sex numero in rerum natura reperiuntur, & omnes mel & ceram effingunt ex succo cœlesti, sive rore, quem summo mane ortu Auroræ, ex cœlo cadentem, & super folia arborum & florum super existentem colligunt, tùm ore tùm pedibus, quos duros & scabrosos habent, ut glutten illud cœleste fortiùs adhæreat, & faciliùs asportetur ab apibus, in cellulas & tuguriola sua, ubi digeritur, & purificatur, ut clarius erit suo peculiari capitulo.

Apes ex qua materia mel efficiant.

Apes unde enascantur.

Enascuntur plurimis modis, nec Natura in apibus progignendis unâ viâ contenta fuit, sed plures excogitavit, cùm & apes homini pernecessariæ sint. Primò enascuntur apes ex se ipsis, ut ipse Phœnix & formicæ, sibi tumulum & sepulturam ipsæmet conficiunt, dum ad senectutem vergunt, ex humiditate viscosa aëris sibi glomerãt nescio quid ovi simile, in quo includuntur, & quasi sepeliuntur, juvenes verò illud ovum in cellulas & tuguriola deponunt, ibique calore & fotu solis exsurgunt novæ apes & recentes. Secundò si mortuæ inter cineres sepeliantur,

liantur, dicuntur à calore solis susci-tari à mortuis, & reviviscere. Tertiò Virgilius asserit apes enasci ex tauro emortuo, & ruderibus concussa carne & sepulta in fimo, ex putredine huiusce carnis enascuntur apes, sed semper sol est pater apum, & humiditas, quæ in putrefactione reperitur, est mater. Quicquid sit, ex putredine enascuntur apes, sive in tuguriolis suis, ubi ipsæmet effingunt sepulturas suas & sepulchra, quibus recluduntur, & ex his sepulchris exsurgunt recentes apes & novæ, quas veteres ex tuguriolis depellunt & eliminant novasque domos quærere cogunt, tunc temporis maxima adest pugna, & crudele certamen, donec novæ sint expulsæ, tunc temporis it nigrum campis agmen, cum omni exercitus apparatu. Rex in medio collocatur, & ab omnibus stipatur, habent Reges & duces singula apum examina, qui quidem aculeum nullum habent, aut si habeant non eo feriunt: Mira est omninò earum œconomia, & Rempublicam imitatur: in medio tuguriolorum suorum collocatur domus Regia & palatium, cum omni Regio apparatu, & cum custodiis undiquaque appositis, ab eo palatio distribuuntur circum circa vicatim domus, & tuguriola, tum ad mel recondendum, tum ad cibaria sua deponenda, tum ad cubandum & dormiendum, est tandem ex Virgilii sententia.

Apes veteres novas expellunt.

Regem habent apes sine aculeo.

Apũ respublica & œconomia qualis.

Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.
Mane ruunt portis, nusquam mora, rursus easdem
Vesper ubi è pastu tandem decedere cãpis.
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant
Post ubi iam thalamis se composuere, siletur.
In noctẽ fessosq; sopor suus occupat artus.

Et multa alia admiranda cantat Virgilius, & quilibet videre potest 4. *Georgicon*. Et tanta dicit & narrat, ut tandem dicat esse apibus partem divinæ mentis, cùm tamen nihil aliud sit apud ipsas, quam aliquid sulphuris seu calidi innati & lucis naturalis, cum maximo calore, qui non obtunditur in ipsis excrementitio aliquo humore, ut in aliis insectis volatilibus sui generis, sed purus est & vividus ille calor in tali sulphure, & luce iñata inclusus: ex quo exsurgit acumen illud ingenii, & ardor & amor habendi, in ipsis apibus, quæ ipsos homines labore perpetuo suo & industria vincunt, aut saltem pudore suffundunt.

Apum ingenium mirum unde sit.

DE MELLE.

Mel quid sit, & qua ratione fiat, & qua virtute polleat.

CAP. VI.

QUòd mel ab aëre dependeat & ab apum industria & labore colligatur, & in tuguriolis suis reponatur, Ideo de melle dicendum est in hoc

Mel quid sit & qua ratione fiat.

in hoc aëris tractatu & libro: Itaque etsi omnes mel videant & gustent, pauci tamen naturam eius cognoscunt: non enim aptum opus est, sed verum totius naturæ opus, nec cœli solius, nec aëris, nec aquæ, nec terræ, sed omnium simul opus est, nec omni tempore prodit in lucem, verno tempore dum floret ac viget tota natura, dum sol poros aperit arborum & plantarum, & terrę focum naturalem suscitat, tunc tẽporis humidũ illud radicale naturę ex centro terræ, ubi ab ipsa natura collocatum est, subtilissimum quid sui ipsius calore suo sursum pellit, ac sublimat ad cœlum usque, & ascensu suo imprægnatur lumine solis, & luminarium omnium, & tepido noctis fotu, & frigida & humida Lunæ influentia, condensatur & coagulatur in substantiam quandam viscidam, & glutinosam, & dulcem, quæ super terram spargitur & seminatur, & super omnia, quæ super terram tunc temporis existunt, quamque substantiam mel dicimus, quam colligunt apes mira industria & labore summo, uti vidimus capite superiori. Nullo pacto dubitandum est, quin hæc substantia plurimarum sit virtutum, cùm sit quinta essentia cœlestis, & elementorum, ab ipsa natura elaborata & distillata; est enim humidum pingue elementorum omnium sursum elevatum, & calore Solis & Lunæ coctum & induratum in melleam substantiam, vigente potissimum Canicula, in qua peculiari

Substantia mellis unde sit.

Constellatione, totus aër exardescit, & humidum illud pingue elementorum ubiq; dispersum per aëra excoquitur, & maturatur, & majori tunc copia decidit in arbores & flores, quàm alio quovis tempore, propter calorem nimium & ardentem Caniculæ, & Leonis, quæ astra simul calorem Solis multiplicant, ita ut ardeat totus aër, unde facili negotio, humidum illud pingue elementorum omnium, quòd è centro terræ calore centrali terræ sursum sublimatum est, & elevatum, excoquitur & spissatur in mel; In quo cœlestes & elementares omnes sunt virtutes, in primis roborativæ & nutritivæ facultates: Deinde adsunt conservatrices, & balsamicæ proprietates, omnia enim melle conservantur, & vulnera ferè omnia, & ulcera facili negotio curantur. Purgatrices & adsunt virtutes, suo enim sale dulci ac pungenti facultas expultrix excitatur, ad excrementa ejicienda. Purum & putum mel miras habet naturales virtutes, sed nos habere non possumus illud purum putum, quòd apes alterent ipsum, permiscendo ipsum cum succis tenuissimis florum, qui melle illo naturali, intinguntur superficialiter, apes sua promuscide acutissima, & trahendi facultate potentissima, non solùm attrahunt mel ipsũ cœlitùs super flores delapsum, sed etiam unà succum florum vellicant & trahunt, & ipso succo alteratur mel, quod alioquin maioribus polleret virtutibus, si purum esset, & suc-

Canicula & Leo mel efficiunt.

Mellis virtutes & proprietates.

Mel alteratur ab apibus.

succo florum non alteraretur, magnam tamen cœlestis naturæ voluptatem affert, ut ab ipsis apibus reconditur in ipsis alveolis: his ita explicatis facili jam modo explicatur Plinius, dum 11. *lib. sua naturalis historia, cap.* 12. asserit mel esse sudorem cœlestem, & salivam quorundam astrorum, vel purgantis se aëris succum.

DE CERA.

Cera quid sit, & qua ratione fiat, & qua virtute vigeat.

CAP. VII.

Cera quid sit & qualis. CEra quoque cùm sit aërea & ab apibus colligatur, hoc in libro locum habere debet: est enim pars mellis, sed crassior, & terrestrior, & pinguior multò: est enim verissima pinguedo, humidi radicalis totius naturæ, quæ sursum unà cum humido radicali sublimatur & elevatur, & ubicumque locorum super flores & arbores, & super res alias spargitur, unà cum humido suo, dulci & melleo, apes sua industria & labore seligunt & separant hanc substantiam à melle, hancq; substantiam ceream, triplicem fecerunt Authores. *Cerea substantia quotuplex.* Prima dicta est Commosis, secunda Pissoceros, tertia Propolis. Commosis est crusta prima saporis amari, ex qua fundamenta prima ponunt & stabiliunt apes in cellulis, & alveolis suis, & est gustu amaro ad arcendas hinc bestiolas, quæ melle gaudent. Pissoceros deinde super commosim venit picantium modo, seu dilutior ceræ initium, plerumq; è mixtione gummi. Propolis verò est illa pars ceræ crassior, quæ ex succo florum exoritur, & est favorum stabilimentum & firmamentum. Ex his tribus Cera componitur in alveolis apum nihilominus tamen omnes hę partes non in ceram transeunt dum hæc materia favorum expresso melle colliquatur, tota hęc materia crassamentum relinquitur, & quæ ceræ substantiam redolet, liquatur, & frigida cócrescit in puram ceram. cùm sit piuguior & oleoginosior pars harum trium substantiarum & quibus apes muniunt, & cóponunt favos, & domos suas. Præter hæc convehitur ab apibus in domos suas, Prythace, quam alii cerinthum vocant, hic erit apum dum operantur cibus, qui sæpe invenitur in favorum inanitatibus sepositus, & est avari saporis. *Cibus apum qualis sit.* Mirum omnino ex apibus exemplú, ut qui inter dulcia versantur, amara degustare debeant, ne dulcium amore capiantur, & pereat vitæ opus, si quòd ipsæ tanto & improbo labore congerunt & cumulant, sola ingluvie dissiparent. *Apes cur cibo amaro utantur.* Utuntur etiam cibo illo amaro, ut dulce cognoscát & seligere possint. Hæc omnia ex aëre desumunt apes, quod seponatur & cadat super flores & folia arborum, fons autem horum omnium est humidum radicale mundi, quod in centro terræ residet, ubi à natura deponitur, ex cœlo, & ab elementis *Materia prima reli-*

quia in centro mundi collocata sunt, ex qua vapores sursum efferuntur.

omnibus, ut inibi percoquatur, & digeratur à calore centrali mundi, qui est quasi sol alter, in medio mũdi existens, & est residuum materiæ primæ, & pars illa crassa, quæ ex sublimatione rerum omnium quæ superiùs existunt, remãsit, & in ea per, stitit crassior pars lucis creatæ, quæ est imbuta calore nativo, beneficio cuius attrahit partes illas volatiles & effluentes, quæ ex omnibus rebus superioribus effluunt perenniter, & in centrum tendunt, ut calore centrali figantur, & coagulentur in aliquod mixtum: hic ergò calor sive sol centralis, ex humido suo emittit vapores sursum, qui ex terra ad aërem usque deveniunt & ibi circulantur, & calore tandem cœli sive astrorum quorumdam, potissimùm Caniculæ & Leonis, spissantur & concrescũt in humiditatem pinguem, quæ tepore noctis & Lunæ magis adhuc concrescit & ponderosior ita fit, ut decidat super arbores & flores, & super omnia quæ in superficie terræ existunt, & deinde ab apibus colligitur hæc substantia, & quod dulce seponitur in mel, & quod sapit ac redolet alias substantias de quibus dictum est, ipsæmet seponunt in suis propriis locis, ut hinc construatur & fabricetur quod illis necessarium est: & hæc de insectis avium sufficiant. Sunt tamen multa alia, sed ex his quæ dicta sunt, naturam aliorum, quæ supersunt, perquirere, & indagare poterimus si enim omnia particularia quæ in unoquoque genere reperiuntur, perquirere in votis esset, nullus esset scribendi finis, transeamus ad plantas & arbores quæ cùm in aëre vivant, & ex aere vita earum dependeat, in libro de aëre locum habere debent.

Mel qua ratione ex humido pingui natura fiat.

DE VEGETANTIBUS.

SECTIO SEXTA.

Vegetantia quid sint & qua ratione enascantur, & quo pondere & pretio habeantur apud Naturam.

CAP. I.

VEgetabile est quicquid crescit & vegetat ex semine suo innato, & sibi intrinseco à natura dato, quod quidem genus in principio mundi & ipsis naturæ incunabulis creatum fuit ab ipso summo naturæ Opifice, qui divina sua potestate, ac virtute terram & aquam omnibus vegetantibus, quibus placuit, adornavit. Quibus quidem creatis, & ex nihili fonte deductis facultatem dedit, & potentiam vegetandi & crescendi ex seipsis, virtute seminali in illis indita, quâ se multiplicant in infinitum, adeò ut nunquam deficere queant. Semen enim illud multiplicativam illam habet virtutem innatam & naturalem, à Deo inditam, ita ut nunquam deficere valeat. Sic perdurant vegetantia eo semine, ipsis intrinseco & naturali quod ex partibus subtilioribus eorum conflatur

Vegetabile quid sit.

Vegetabilia semine suo propagantur.

flatur & generatur, & perdurabunt ad finem usque mundi. Hoc ergo semen vegetantibus innatum, est causa proxima & immediata generationis & productionis vegetantium omnium. Et qui medullitùs adhuc naturam & causam generationis vegetantium inquirere cupit & optat, principia ipsius seminis illi inquirenda sunt, & ut ipsa quasi videat & percipiat, illi perquirendum est, quo cibo & potu vegetantia cuncta ab ipsa natura nutriantur & foveantur, nam ex cognitione alimenti vegetantium, cognoscitur & id omne ex quo semen vegetantium componitur, cum ea ex quibus nutriantur vegetantia, sint eadem, ex quibus componuntur, si ergo materia alimenti ultimi, ex quo nutriuntur vegetantia cognoscatur, cognoscetur & materia immediata, ex qua semen vegetantium componitur, & hinc perfectè & absolutè cognoscemus naturam & essentiam vegetantium omnium, & eorum omnium proprietates & virtutes.

Semen vegetantium unde.

Vegetantia ergò cuncta, radices defixas habent in ipsamet terra, & reliquum corporis habent in medio aëre collocatum, ex quo aëre tantumdem desumunt alimenti, quàm ex ipsa terra. Quid ergò est quod terra per radices vegetantibus omnib⁹ communicat, & quid est quod aer ipsismet per poros impertit, quod illis est alimento & vitæ, ac illud ipsum quod è terra provenit. Terra nihil nisi aquæ communicare potest, & aliquid aeris, quod intra poros eius latitat, & occultatur, quando aqua illa deficit, & desiccatur nimis terra, tunc temporis pereunt vegetantia quæque: aer verò nihil etiam vegetantibus impertire potest, quàm humidum quid, simile & homogeneum, illo humido, quod terra illis impertit. Alimentum ergò generale & proprium quod singula habent vegetantia, tam in ipso aere, quàm in terra, est aqua, non tamen simplex & elementaris, sed est nectar divinum & cœleste, quod sub specie aquæ virtutes omnes cœlestes & elementares totius naturæ in se continet. Verissimum enim est, naturam matrem rerum omnium charissimam & prudentissimam habere nectar illud, ex omnibus elementis compositũ, ut nutriat, foveat & restauret cuncta sua. quod quidem nectar singulis diebus & noctibus ubique terrarum & elementorum spargit, & singula rerũ mixta ex illo desumunt vitã. Vegetantia ergò cùm sint ex numero mixtorum, eadẽ lege & facultate desumunt vitam & alimentum, ex illo vitali nectare, tum per radices suas quas terræ defixas habẽt, tùm per poros omnes corporum suorum, quæ in aere suspendũtur. Est enim in aere sparsum idem vitæ nectar, sed rarius & subtilius, quàm in terra, sed eiusdẽ est substãtię & virtutis. Hoc ipsum ergò vitæ nectar attrahitur, virtute magnetica è vegetantibus omnibus, ut eo nutriantur,

Alimentum vegetantiũ quale.

Nectar naturæ quale.

Semen vegetantium ex qua materia fiat.

antur, foveantur, crescant & vegetent: ipsum enim attractum visibili modo per radices, & invisibili via per poros digerunt & coquunt in intimo membrorum suorum, & digestum & coctum convertunt in sui substantiam, & ex puriori & subtiliori eius parte, fit semen quod peculiari modo & corpusculo conservatur ad generationem & multiplicationem vegetantium. Quod quidem semen sive corpusculum, in quo semen conservatur, dum terræ mandatur, dissolvitur in primam sui materiam (ex qua concretum fuit) per materiam sui primam, hoc est per humorem illum alimentitium & nectareum, & sic dissolutum pullulat ac germinat, & excrescit in simile vegetans.

Productio vegetantiũ unde.

Hinc Philosophari possumus productionem & generationem vegetantium dependere ex liquore illo alimentitio & nectareo, ex quo vegetantia nutriuntur, foventur & conservantur, quod quidem nectar dum digeritur & coquitur in intimis vegetantium poris, transmutatur in vegetans, & virtutes particulares & proprietates vegetantiũ induit. Si à rosa, tulipo, ab absynthio, à pomo, à pyro & ficu attrahatur, digeritur in ipsis, & permutatur in ipsa virtute digestiva & coctrice. Attrahitur autem illa virtus seu nectar illud alimentitium & productivum vegetantium, ab ipsis vegetantibus, virtute similis substantiæ, quam fixam & radicatam habent in sui cen-

Est virtus attractiva in vegetantibus.

tro, beneficio cuius substantiæ fixæ, fit illa attractio & ratione huius attractionis illa substantia vocatur à secretioribus naturæ Mystis & Sophis *Magnesia*, habent enim omnia rerum mixta Magnesiam, hoc est substantiam illam fixam, attrahentem, nectar illud alimentitium, quo nutriuntur, & producuntur.

Magnesia quid sit & qualis.

Hinc deinde facilè colligimus, in quo pretio & pondere sint vegetantia apud Naturam, cùm ipsa nutriantur & producantur à nobiliori & prætiosiori substantia, quam ipsa natura habeat, & cùm secundum obtineant locum in rebus naturalibus, hisq; absentibus natura manca esset & mutila: si vegetantibus careret: nec animalia quæ primũ obtinent locum in naturalibus, existere possint sine vegetantibus, sunt enim vegetantia alimentum animalium omnium, quo alimento carere nequeunt, sine ipsorum totali ruina, & perditione: Alimentum enim generale seu nectar illud alimentitium, quod natura parat ex elementis omnibus & luce, adeo crudum & indigestum est, ut à ventriculo animalium coqui nequeat, nisi priùs in ventriculo vegetantium præparetur & vegetans fiat, & hinc transeat in familiam animalium.

Vegetantiũ pretium & pondus.

DE

DE SPIRITIBVS VEGETANTIVM.

Spiritus vegetantium, quid sint, & ex quâ materiâ fiant, & ad quid inserviant vegetantibus.

CAP. II.

Spiritus vegetantium quales.

TEnuissima pars alimenti in vegetantibus, dicitur eorum spiritus, non enim quid divinum, & super cœleste, sed est quid cœleste & elementare simul permixtum, lucis tenuissima portio, cum subtili elementorum parte simul permixtis, vegetantium spiritus constituunt & formant. Dum enim humidum radicale mundi, quod alii mercurium dicunt & aquam hylealem, per poros vegetantium insinuatur, & per radices eorum attrahitur in alimentum & vitam, tunc temporis tenuissima pars illius humidi radicalis, postquam humidum illud generale omnium rerum alimentum factum est particulare vegetantium alimentum, tunc temporis tenuissima pars illius alimenti vegetantium, censetur spiritus vegetantium, quòd deferat ubique per totũ corpus vegetantium, virtutes & facultates animæ vegetantis: Differunt enim spiritus & anima vegetantium quòd anima vegetantium sit pura portio lucis creatæ in principiis vegetantium radicata & implantata, ex qua facultates omnes & actiones proveniunt, & originem habent, spiritus autem habent quidem portionem illius lucis, sed cũ illa portione sunt permixtę partes subtiliorũ, elemẽtorũ maxima cum quantitate, aut saltẽ maiori, quàm in animæ substantia, in qua quidẽ sunt & aliæ partes elementorum simul cum luce creata permixtæ, sed subtiliori & tenuiori modo, & minori in quantitate, quàm in substantia spiritus, & sic differunt spiritus & anima in vegetantibus, imò & in brutis ratione tenuitatis & subtilitatis.

Anima & spiritus vegetantium differentia.

Anima vegetantium quid sit.

Spiritus vegetantium ad quid inserviant.

Inserviunt autem spiritus vegetantibus, ut animæ vegetantis facultates & virtutes, per universas corporis vegetantis partes deferantur, nam anima ex se sola non id potest, cùm fixa sit & permanens substantia in unaquaq; parte, in qua residet, nec hinc movetur, sed radicaliter permanet: spiritus autem ab anima fluit, & per totum corpus divagatur, & facultates animæ & virtutes secũ defert, & sic eget anima spiritibus, ut mandata sua exsequantur, nam quicquid vult anima & potest, id ipsum spiritus statim exsequitur, est enim spiritus filius animæ, qui matri fideliter obsequitur, & ut radii solis, sunt spiritus solis, id etiam quod effluit ab anima sive substantia illa fixa radicali vegetantium, in qua viget, lux creata cum tenuissima elementorum portione, tanquam radius & effluxus illius substantiæ, est verus & proprius spiritus vegetantium.

Verus spiritus vegetantium quid & qualis.

tium. Alius verò qui ex alimento est, non verus & proprius est vegetantium spiritus, sed est alimentum proprii & veri spiritus, & catenus potest dici spiritus vegetantium, quod facili negotio converti possit in verum & proprium vegetantium spiritum: Et nos primò mentionem de eo fecimus, quòd notu sit facilior, & intellectu, quàm ultimus, qui est verus & proprius animæ radius, & quid effluens ab ipsa anima, sed cum tenuissima pars alimenti sit eiusdem substantiæ, cum ex ea verus & proprius spiritus nutriatur, ideo ad hunc faciliter cognoscendum, tenuissimã alimenti portionem, in vegetantibus spiritum eorum diximus propter affinitatem, quod adhuc capitulo sequenti fiet notius.

DE ANIMA VEGETANTIUM.

Anima vegetantium quid sit, & ex qua materia ortum ducat, & quo pretio sit & pondere.

CAP. III.

Anima vegetantium quid & qualis.

ANimam vegetantium quamplurimi, ignem cœlestem sive lucem dixere, & verissimum quidem dixerunt. Ignis siquidem ille cœlestis sive lux est vera quidem substantia animæ vegetantis, sed cùm sit etiam substantiæ animæ bruti & sentientis, disquirendum ibi est, ex qua peculiari substantia potissimùm cœlesti, oriatur anima vegetans: Elementa omnia & cœlum ipsum projiciunt in terræ centrum, suum subtile, & Archæus naturæ in centro residens, ea semina seu partes subtiles elementorum, & cœli permiscet & sublimat calore centrali terræ; hinc vapores fiunt qui omnia elementorum & cœli semina seu partes subtiliores continent, hique vapores sublimatione continua & circulatione per poros omnes terrę deferuntur, ibique vegetantia inveniunt & implent poros eorum, & attrahuntur etiam radicum ope; in alimentum, & vitam, sunt enim vapores hi in aquam condensati, & cõgelati vegetantium vita & verum alimentum, quod quidem ipsa vegetantia adhuc digerunt & coquunt fortius, & coagulant illam aquam hylealem seu mercurium mundi, & in alimentum ultimum cõvertunt. Ex quo ultimo alimento, eligũt partem subtiliorem & calidiorem, ea autem est pars illa lucis (quæ in centro terræ demandata est, ut uniatur aliis subtilibus elementorum partibus, ad vaporem illum efficiendum hylealem, ex quo res omnes fiunt,) ex qua parte lucis præcipuè oritur anima vegetãs hoc sequenti præsertim modo. Vapor hylealis elementorum omnium qui per poros terræ sursum sublimatur, & in tali sublimatione in poris ipsius terræ condensatur in aquã, veluti fieri solet in distillationibus, hęc deinde aqua putrescit in ipsis terræ poris, subtilior pars

Ex qua materia fiat anima vegetantium.

Vapor hylealis quo modo fiat anima vegetans.

pars evaporatur, & in aerem, vertitur, crassior remanet & pinguior, quæ sursum tendit calore continuo usq; ad superficiem terræ, ibiq; germinat & excrescit in vegetãs, ex puriori & subtiliori eius parte, quæ lucis creatæ maiorem portionẽ habet, fit anima vegetans, & hæc est invisibilis omninò, sed intra substantiam corporis vegetantis latitat, & suas actiones visibiles reddit, ex crassiori verò parte fit corpus vegetantis, ex his verò partibus subtilioribus, quæ in crassiori persistunt, fiunt folia, & flores, ex his fructus, & ex fructuum subtilioribus partibus fit semẽ, quod includitur corpore quodam, in cui⁹ centro latitat pars illa subtilissima aquæ illius hylealis, quæ totum corpus vegetantium componit, & ex qua in genere vegetantium fit germinatio & pullulatio: si iterum illud corpus in quo includitur pars illa subtilissima quæ semen constituit, terræ mandetur & inibi dissolvatur ab eadem hyleali aqua, quæ ipsum semen putrefacit, & per putrefactionem ad germinationem pellit, in tali semine residet anima vegetantis, non in toto corpore, sed in minima corporis huius scintillula, quæ à quibusdẽ Chymicis 8200. pars esse censetur, vide quam minima sit pars illa lucis in corpore spermatis, quæ vegetandi continet facultatem & virtutem, quæ tamen etsi minima sit, ut atomi æquet quantitatem, in tam grandia possit extendi corpora, inde pretium & pondus huiusce substantiæ facili negotio dignosci potest, cùm reliqua verè omnia quæ inoẽduntur in generatione & productione vegetantium, hæc omnia corruptioni & alterationi sint obnoxia, illa verò pars quæ est omnium minima, maneat semper incorrupta, quãvis perpetuis corruptionibus sit obvia, & ex illis resurgat in corrupta, semper aliquid sibi simile producens.

Corpus vegetantium ex qua materia fiat.

Lux in vegetantibus quam minima fit.

Lux in omnibus est semper incorruptibilis.

DE ALIMENTIS VEGETANTIUM.

Alimentum vegetantium quid sit, & quale & undenam Oriatur.

CAP. IV.

Ex materia nutriantur vegetantia.

EX natura vegetantium, cognoscitur & eorum alimẽtum, nam ex quibus fiunt vegetantia, ex hisdẽ & similibus in natura nutriuntur; superioribus in capitulis narravim⁹ fieri vegetãtia ex quinta essẽtia cœli & elementorum omnium in unam hilealem aquam ab ipsa natura coadunatam: ergo ex eadẽ quinta essentia cœli & elementorum omnium in unã hylealem aquam coadunata, nutrientur, & si hoc obscurius nimium quàm par sit videatur, crescunt vegetantia & nutriuntur ex vapore aquæ elementaris, qui in visceribus terræ reperitur, hic vapor continet hylealem aquã, quæ est verum & legitimum vegetantium alimentũ, nam vapor non est totum alimentum, sed solùm ꝙ vapori inest hylealis aquæ, reliquum est excremẽtum, & per

Hylealis aqua quid sit.

& per poros in invisibilem auram ejiciunt vegetantia, quod autem est veri alimenti & hylealis aquæ, in sui substantiam convertunt & sic crescunt & vegetant. Et hoc est visibile & palpabile vegetantium alimentum quod in aqua continetur, & in terra ipsa aqua plena, & delibuta, datur & aliud vegetantium alimentum quod est invisibile & impalpabile, & per aëris vacuum spatiatur, aer solus est plenus ipso alimento, quid autem illud sit invisibile vegetantium alimentum est eadē quinta essentia cœli & elementorum, quæ invisibiliter & spiritualiter in centro aeris continetur, ac reconditur, ad omnes res naturales, sive sint ex genere vegetantium, sive mineralium, sive animalium nutriendas & conservandas, hæc quinta invisibilis essentia, est spirituale & invisibile rerum omnium alimentum, ut alia palpabilis & visibilis quinta essentia, & in aqua & in terra reperitur, est palpabile & visibile alimentum, & ut in unoquoque rerum corpore datur duplex substantia, visibilis una & palpabilis, quæ corporis essentiam & naturam constituit, invisibilis alia quæ formæ & animæ essentiam componit. Sic utriusque substantiæ datur proprium alimentum, substantiæ palpabili datur palpabile alimentum, substantiæ impalpabili, datur impalpabile alimentum: non enim rationi convenit ut utraque substantia uno & simili nutriatur alimento, cùm

Vegetantium alimentum invisibus in aere latet.

Duplex alimentum visibile & invisibile.

Corporū & animæ alimentum in-

inter se distinguantur corpus & eius forma & anima, necesse est etiam ut inter se habeant alimenta distincta, formale aere continetur, corporeum verò aqua & terra coercetur, ne quis tamen existimet, & credat hæc duo alimenta realiter & essentialiter inter se distingui, quia non ita distinguūtur, sed tantùm qualitate, ut colligere est ex supradictis, nam ut in vegetantibus & brutis & mineralibus omnibus, corpus & anima seu eorum forma, non distinguuntur essentialiter inter se, nisi qualitate, sic & eorum omnium alimentum formale & corporeum non distinguuntur nisi qualitate, unum tenuius est altero, & eatenus spirituale dicitur & formale. Sic formæ rerum naturalium non distinguūtur à corporibus, quibus insunt nisi ratione tenuitatis, formæ sunt tenuiores & subtiliores corporum partes, & corpora sunt reliquæ partes crassiores, quæ in illa compositione reperiuntur. Quisquis notionem habet corporis partium, is etiam habet & notionem formæ & utriusque notitiam absolutam habebit, ex cognitione utriusque alimenti, cùm ex his & similibus nutriamur, ex quibus sumus & constamus.

-ter se distin-ctum.

Corporis & formæ notio unde sit.

An vi-

An vegetantia in bruta animantia transmutari possint.

CAPUT V.

Vegetantia in bruta animalia facilè convertuntur.

FAcillimè solvitur hæc quæstio, tùm experientiâ tùm ratione, experientia quotidiana compertum habemus ex foliis arborum & plantarum, ex cortice, ex ligno, & ex toto deinde corpore per putrefactionem fieri vermiculos, muscas, papiliones, teredines quæ omnia animalia sunt facultate sensitiva prædita, quæque ex putredine vegetantium ortum habent dum enim per putredinem vegetantium materia attenuatur & subtiliatur, facili negotio transit & permutatur in animal sensitivum, nam materia vegetantium nullo pacto differt à materia animalium sensibilium nisi qualitate, seu crassitie & pondere, quod facili negotio amovetur, per attenuationem & levigationem in putrefactione. Natura siquidem ad perfectiora tēdit & puriora, unde semper occupata est in separatione puri ab impuro, itaque dum putrescunt vegetantia, puriora seligit natura, eaque attenuat & levigat omni qua potest industria, & dum pura & attenuata reddiderit, in illo gradu perfectionis consistere non possunt, quin illicò animentur, & quin in illa lucis scintillula quæ reperitur in ipsis puris & levigatis partibus introducatur actus vitæ, cum lux illa ubique vitalis sit, sed propter crassitiem & pondus materiæ, in qua reconditur, actus ille vitalis in lucem prodire nō potest, at cùm illicò sublevatur à pondere & crassitie materiæ, statim remoto impedimento, actus ille vitalis emergit, unde facili negotio permutari possunt vegetantia in animalia sensitiva, nec est miraculū neque rarum, folia quarumdam arborum in aquam decidentia transmutari in Anates, & volucres perfectas & absolutas, ut apud Insulas Orcades versus Septentrionem videre licet, ut libro nostro de fontibus confirmavimus & in præsenti capite adhuc confirmare non erubescimus, cùm id verissimum sit & ratio ipsa ipsummet dictet, nam infinita genera animalium sensu præditorum per corruptionem generantur & producuntur, non solùm in volucrum genere, sed etiam in quadrupedum, & piscium generibus, in quibus videmus pisces, & mures aliaque ejusmodi animalia, ex putredine vegetantium exoriri, sola attenuatione & levigatione materiæ per putredinem, uti superius enarravimus, & per exempla confirmavimus; teredines siquidem quæ in medio ligno producuntur, confirmant rationes nostras, & argumenta.

Materia animalium & vegetantium non differunt nisi qualitate.

Tota natura in se ipsa est permutabilis de genere in gen' aliud.

An vegetantia Mineralia fieri poßint.

CAPUT VI.

An vegetãtia mineralia fieri queant.

NArrant quamplurimi Chymicorum Mineralia quamplurima in visceribus terræ frondescere, hoc est veluti arbores crescere, adeo ut repertus sit ramus argenteus foliis & trunco argenteo, quasi sculptor aliquis, & faber fabricasset ex argento puro, ramum illum. Ex his historiis probant nonnulli, vegetabilia fieri mineralia, quòd hic ramus in visceribus terræ repertus ex vegetantium genere, fuerit primò, ex eorum sententia, & deinde non mutata figura externa, transierit in substantiam metallicam. At errant ni fallor, qui sic opinantur, nunquam hic ramus fuit ex genere vegetantium. Sed natura fecit ex puro argento ramum hunc, imitando, vel potius ex se ipsa & sequendo suam innatam virtutem & potentiam, quæ ex quacumque materia figuras omnes effingere potest, ut videmus in Marmoribus & lapidibus, in quibus effingit figuras Hominum, & Angelorum, & brutorum omnium, hoc enim verissimum est, & ego ipse, & multi alii mecum viderant naturaliter expressas figuras, Angelorum & hominum, arborum & brutorum, & domuum, atque templorum, in marmoribus, inde tamen non arguendum homines, Angelos, arbores, bruta, domus, & templa facta fuisse marmora, hoc enim ridiculum est cogitatu. Sed asserendum est naturam posse figuras omnes effingere in quacumque materia, quia materia capax est recipere hasce figuras, potens autem etiã est natura illas figuras in materiam introducere, quamvis formam interiorem harum rerum non introducat, nisi indebita quadam peculiari materia peculiariter præparata, hoc quamvis fiat multis in antris, & terræ cavernis, non tamen probat vegetantia fieri mineralia, quamvis id communiter & vulgariter fiat singulis diebus, ab ipsa natura. Verissimum enim est vegetantia cuncta, postquam ævum suum perdurarint, emori & putrefieri, dum putrescunt partes subtiliores uti superiùs diximus separantur à crassis, & impuris & sæpè sæpius actuãtur vita sensitiva & fiunt animalia. At etiam sæpè sæpius hoc non fit, sed omnia abeunt in corruptionem in qua incrassantur partes omnes vegetantium putrescẽtium, & abeunt in aquam pinguem, ex qua fiunt lapides, & Salia, mineralia, & vitriolum, ut fit ex quercu putrescẽti quæ tota abit & desinit in aquam cæruleam, ex qua, humida, superflua, separata concrescit verum vitriolum, nec etiam dubitandum est vegetantia, dum putrescunt, in suam redire materiam primam & in sua principia immediata, ex quibus facta fuerunt, hæc autẽ materia prima est aqua, ex qua nutriuntur: dum autem

Natura ex quacumque materia figuras omnes exprimit.

Vegetantia qua via fiãt mineralia.

Materia prima vegetantiũ qualis & mineralium omnium.

sunt aqua, aqua tunc temporis facile transit, & mutatur in mineralia, est enim eadem aqua, fons & principium mineralium omnium & metallorum, inde facile concludimus vegetantia cuncta fieri posse mineralia, per putrefactionem tamen & sui reductionem in aquam, ex qua ortum duxerunt.

An vegetantium figuræ naturales, aliquid habeant virtutis, erga illa quæ repræsentant.

CAPUT VII.

An figuræ vegetantiũ habeant aliquid virtutis.

ILlud omne quod de signaturis rerum disseritur inter Chymicos, huic peculiari capiti videtur inserẽdum: nam figuræ illæ quæ naturaliter in vegetantibus imprimuntur, tùm in ipsorum floribus, tùm in fructibus, tùm in ipsis foliis, tùm in toto vegetantium corpore, an habeant aliquid virtutis erga ipsa, quæ ipsamet effigiant ac repræsentant, totam rerum signaturam comprehendunt. Summus enim Naturæ Opifex, unicuique rerum creatæ, externam indidit notam, quâ sapientibus indicatur internũ omne, quod inibi occultatur. Et hæ notæ sunt figuræ quædam externæ, plantis & vegetantibus inditæ, quæ sæpissimè partes humani corporis repræsentant, ut nobis sint signa & notæ, plantas & vegetantia his figuris insignita, habere virtutes & proprietates hisce partibus corporis humani convenientes & competentes. Sunt enim hæ notæ, quasi verba virtutem hanc indicantia, & ut in homine, & reliquis animantibus dantur notæ quædam, & signa particularia, quibus internum hominis & reliquorum animantium interiora manifestantur, homo siquidẽ, & frõte sua gerit cognitionẽ quandam sui interioris. Ut equus & bos, & sic de reliquis animantibus notas habent peculiares, quibus & internũ eorum dignoscitur: alioquin nõ daretur electio horum animaliũ, si non externæ essent notæ, quibus bonitas eorũ & præstantia dignosceretur: sic & in plantis & vegetantibus inest aliquid externum, quo nobis indicatur, ejus virtus & proprietas. Nullo ergo pacto dubitandum est, quin figuræ externæ, quæ vegetantibus imprimũtur habeant aliquid virtutis & efficaciæ, ad ostendendas virtutes interiores & proprietates, non enim frustra sunt, sed ad id expressæ & effigiatæ, ut internã denotent virtutẽ, sunt enim notæ naturales quibus indicãtur thesauri occulti & reconditi, in substantia interiori plantarũ & vegetantium. Et si substantia interior est Architectrix suimet corporis & habet potentiã & facultatẽ omnes figuras & formas imprimẽdi. Quidni potest, & figuras exprimere & effigiare virtutis interioris ostẽtatrices, nã sẽper externũ debet indicare internũ. Sit ergo ratũ & sancitũ, figuras externas vegetantiũ indicare virtutes & proprietates internas, quas in se recõdunt. Itaque si capitis, si nasi, si oculi, si manus, si umbilici, si pedis

Figuræ externæ internam naturam denotant.

Capitis figura in vegetanti aliquo expressa testatur illud vegetãs habere virtutem capiti destinatam.

dis & cruris, figuram & effigiem delineatam conspicias in aliquo vegetantium, certus sis hæc vegetantia virtutes habere reconditas rerum harum, quarum effigies, & figuras expressas gerant: Et ex his posse desumere quidquid ad morbos capitis debellandos desumi potest, si capitis effigiem expressam in his conspicias, & sic de manu, oculis, pedibus, & reliquis corporis humani membris est asserendum, in his enim est par ratio.

An vegetantium qualitates externa, naturam eorumdem internam proment.

Caput VIII.

Externa sunt interiorum indicia.

IN omnibus rebus creatis, externa semper sunt inferiorum judicia; non ergo dubitandum est, quin id ipsum contingat in vegetantium genere. Qualitates quippe externę vegetantiũ certissimo sunt judicio naturæ interioris, natura siquidem interior ex suo fonte qualitates illas externas desumit & foras mittit sui ipsius prænuntias, & quasi anteambulones, sapores, odores, colores omnes ex centro naturæ desumuntur, & foras ab ipsa natura promuntur, ut indices sui ipsius, ut in rosis color rubeus & odor fragrantissimus Balsami Cardiaci naturam testantur, albus vero color rubedini intermixtus, & amarus sapor & austerus frigiditatem interiorem ipsius rosæ satis demonstrant, & astringendi facultatem. Sic in Malis Punicis seu granatis color rubeus & sapor subacidus, qui in eorum succo deprehenduntur, Cardiacam & Alexiteriam facultatem indicant & occultas illas facultates sua manifesta qualitate redarguunt. Et sic de reliquis vegetantibus est arguendum, ex quorum omnium qualitatibus manifestis, occultæ & latentes declarantur, imò nihil est in vegetantibus manifesti, quod aliqua ratione, ad occultum manifestandum non faciat, imò manifestum ad id ipsum natum & factum esse videtur, ut occulti rationem & naturam manifestet & indicet, nam manifestum nihil ferè est virtutis & efficaciæ in natura, nisi ad judicandum occultum, quod quidem virtutis & facultatis habet plurimum ad operandum, & actionum est principium.

Qualitates omnes ex centro naturæ desumũtur.

Manifestæ vegetantiũ qualitates occultas indicant.

Concludamus ergo vegetantium qualitates externas, naturam eorundem internam indicare, & nihil externi esse apud naturam quod internum non patefaciat & commonstret.

De sulphure vegetantium, quid sit, & quo modo differat à minerali, & animali.

Caput IX.

Sulphur vegetantium quid sit &

CAlidum innatum vegetantium differre à calido innato Mineralium & animalium non modo

cer-

qua ratione differat à sulphure mineralium & animalium

certissimum est, sed etiam id non ignorari ab omnibus credendum est, cùm vegetantia differant à mineralibus & animalibus, solo calido innato, in quo solo vera ponitur differentia, cùm ex Peripatheticorum doctrina sola differentia oriatur ex forma, forma autem non distinguatur à calido innato rerum, nec à sulphure nostro quod quidem cùm sit purissima pars, & tenuissima lucis creatæ, quæ mixtorum naturam & compositionem ingreditur, non dubitandum est, quin forma actionem omnium principium & scaturigo & ipsa lucis purissima pars, confundatur, & idem sit cum sulphure Chymicorum, quod quidem etiam confunditur & idem est cum calido innato rerum. Et perinde, cùm calidum innatum differat, in omni genere vegetantium, ab omni genere mineralium & animalium, non erit etiam dubitandum quin sulphur vegetantium, differat omni ex parte à sulphure mineralium & animalium: At eorum differentia clariùs adhuc elucescet perquisita eorum natura & essentia.

Sulphur vegetantium quid propriè sit.

Sulphur vegetantium omnium non resina est, non gummi, non pars oleoginosa & pinguis, quæ facili negotio ignescit, & flammescit, sed est pars tenuissima & purissima lucis creatæ, quæ compositionem eorum, unà cum elementis, & cæteris naturæ principiis ingreditur, quæ actionum omnium est principium, proprietatum scaturigo, & verus & unicus fons virtutum, formarum soboles, imò unum & idem cum ipsa forma, non possumus enim concipere sulphur illud, sine forma, nec formam, sine sulphure, cùm ergo forma vegetantium differat ab ipsa forma mineralium & animalium, necesse est etiam sulphur vegetãtium differre ab ipso sulphure mineralium & animalium: Mineralium quidem sulphur seu forma, plus habet aquæ & terræ, quàm vegetantium sulphur, in quo plus est aëris, & aquæ, quàm in mineralibus sulphur autem animalium plus habet aeris & cœli seu ignis vitæ, quàm sulphur vegetantium, cujus compositio est totaliter distincta & differens, à compositione sulphuris mineralium & animalium.

Insurgent hîc Peripathetici, & voce tonanti clamabunt, quàm Philosophiam nobis hîc pandit Alchymista, formam confudit cum sulphure suo, quæ quidem forma, simplex quid semper fuit, inter omnes Philosophos, & jam nobis compositionem formarum ex elementis enarrat, quod Philosophis inauditum est: O pallio tenus Philosophe, nonne tu ipse asseris formarum omnium originem & eductionem, ex centro materiæ tuæ: materia autem hæc nonne habet quatuor elementa, & si omnis forma sit materialis, cùm educatur ex materia, nonne omnis forma ex elementis erit composita, cùm & materia sua ex qua educitur, componatur ex elementis:

Forma qua ratione composita.

non distinguitur forma à materia sua, nisi tenuitate, forma est tenuissima pars materiæ, & materia est crassior pars subjecti, ex quo forma educitur, cùm autẽ in tali subjecto, sint elementa cuncta, simul permixta & unita, necesse est ut forma, ex tenuissima parte elementorum quæ subjectum hoc componunt, educatur, & perinde necesse est, ut subtiliora & tenuiora elementa formam ipsam componant. Si ergo forma componatur ex elementis, sulphur etiam nostrum quod cum forma confunditur, componetur etiam ex elemẽtis, & cùm elementa vegetantium sint diversa & distincta, ab elementis mineralium & animalium: sulphur etiam vegetantium erit diversum & distinctum à sulphure mineralium & animalium.

Forma quid sit.

Dicimus autem sulphur in genere & in particulari lucis, creatæ esse portionem, non perinde excludimus ex sulphure nostro reliqua elementa, sed cum lux prædominetur cæteris elementis, ab ejus prędominio fit ejus denominatio, & sic lucis creatæ portionem tenuissimã sulphur nostrum asserimus, cum aquæ & aeris portione tenuissima permixtum, ut vegetantium sulphur constitui possit.

Lux creata sulphur Chymicum constituit.

De Mercurio vegetantium, quid sit & quo modo differat à Mercurio minerali & animali.

CAPUT X.

DE Mercurio vegetantium tractatum fuit multis in locis, & præcipuè superiori capite 4 cum de alimento vegetantium tractatum fuit, est enim mercurius vegetantium proximum & ultimum alimentum eorum, ex quo proximè nutriuntur, est enim mercurius pabulum sulphuris, nec sulphur existere potest sine mercurio, cùm perpetuò egeat alimento ut persistat, est enim humidũ radicale subjecti, quo subjectum perdurat, & quo calidum innatum seu sulphur naturale vivit, & nutritur, & si sulphur componatur ex luce & elementis, sic etiã & mercurius componitur ex luce & elementis, diverso tamen modo permixtis, nam humidum aquæ & aëris prævalet omnibus aliis elementorum portionibus in compositione mercurii, calidum autem lucis & aeris prævalet in compositione sulphuris: Ut autem vegetantia plus habent aeris & aquæ, quam reliqua cuncta naturæ mixta, sic & vegetantium mercurius, plus habebit aeris & aquæ, quàm reliquorum mixtorum naturaliũ mercurius. Et ea ratione differt mercurius vegetantium, à mercurio minerali & animali: quòd in ejus compositione aeris plus reperiatur & aquæ, quàm in compositione mercurii mineralis & animalis, in quibus reperitur alia elementorum compositio, & cœli pondus, & lucis omninò diversum & varium, quibus solis dependet differentia & distinctio rerum.

Mercurius vegetantiũ quid sit.

Mercurius vegetantiũ qua ratione differat ab aliis.

De sale vegetantium, quid sit & quo modo differat à minerali & animali.

CAPUT XI.

Sal vegetãtium quid sit.

SAl vegetantium est ille nodus & vinculum, quo sulphur & mercurius in vegetantibus uniũtur, & copulantur, & quo corpus vegetantium subsistit, palpabile & tangibile, & à sulphure procadit, dum agit in humidum suum seu mercurium, & ipsum coagulat & siccitatem producit in ipso, quæ corpus salis inducit & naturam: Sal enim in humido producitur actione sulphuris, unde quid coagulatum & productum videtur, ex calido, & humido, & sic aquam concretam & siccam aquam verè dicunt salem Chymici, cùm ex humido fiat & producatur actione caloris. Unde ubicumque locorum reperitur, & nihil in rerum natura sine ipso subsistere potest, cùm in omnibus rebus calidum innatum reperiatur, & humidum primigenium, in quo agit calidum istud, depascẽdo ipsum, ut eo nutriatur & subsistat, & interim dum hæc fiunt desiccatur humidum istud primigenium, & dum desiccatur, Sal producitur, & apparet, ex actione caloris innati, in humidum primigenium. Unde Hectici in quibus humidum istud primigenium ferè depastum, & consumptum, à calore præter naturam actionem calidi innati acuente, habent salis maximamq; copiam, & carnes eorum abeunt ferè omnes in salem, unde à siccitate nimia contabescunt. Salis multæ sunt differentiæ in omnibus generibus, sed omnes in duas coarctantur differentias, in volatilem putà & fixam salis naturam, quæ in omni rerum genere reperitur, & præcipuè in vegetantium genere, in quo sal fixum & volatile magna in copia colligunt Chymici, fixum ex cineribus colligunt, volatile verò ex fuligine vegetantium combustorũ segregare norunt: Vtrumque virtutes & proprietates vegetantis, ex quo segregatur, observat. Sal omne vegetantis differt à sale animali & minerali, substantiâ & qualitate, cùm componatur & fiat ex vario pondere elementorum, & lucis: sal enim vegetantium, terræ & aquæ pondera minora habet in compositione sui ipsius, quàm habeat sal minerale, majora autem habet pondera eorumdem elementorum, quam habeat sal animale, in cujus compositione, terra & aqua minimo sunt in pondere, respectu compositionis salis mineralis & vegetabilis: Vt si sint in compositione salis vegetabilis quatuor pondera aquæ, tria terræ, duo aeris, & unum cœli, in compositione salis animalis varia & ferè contraria erunt hæc elementorum pondera, quatuor erunt cœli, tria aeris, duo aquæ & unum terræ, in minerali verò sale, erunt quatuor pondera terræ, tria aquæ, duo aeris & unum cœli, undè diffe-

Sal qua ratione producatur.

Salis differentia.

Pondera elementorum in compositione salis vegetantiũ mineralium & animaliũ.

Motus animalium unde, & privatio ejusdem in mineralibus, & vegetabilibus.

differunt tota substantiâ animalia, à mineralibus, unde motus in animalibus, cùm plus cœli habeant quàm reliqua naturæ mixta, unde privatio motus in mineralibus, cùm minus cœli habeant quàm reliqua cũcta naturæ mixta: motus enim est à cœlo seu luce, ex qua cùm quid plus possidet, plus etiam motus habet, & actus vitæ: At hoc capite sequenti fiet dilucidius.

In vegetantibus quo pondere & gradu uniantur elementa.

CAPUT XII.

Pondus elementorum in rerum compositionibus innotum est.

IN rerum compositionibus, elemẽtorum investigare pondus & gradus, quibus uniuntur, Creatoris potius est, quàm creaturę, nihilominus tamen cùm Chymia nobis naturam rerum reseret, & patefaciat ipsa duce, ad intima illius penetramus, & quæ Peripatheticis & Academicis videntur impossibilia, facilia, & patentia videbuntur: dum vegetans aliquod igne comburimus & calcinamus, si ponderis sit libræ unius, cinis, qui ex combustione superstes est, erit ponderis, dragmarum quatuor aut circiter: reliquum terræ, quod inter calcinandum sursum cũ reliquis elementis elevatum est, non pluris ponderis esse potest, quàm fixa ipsa terra, quæ in cineribus remansit, unde hinc colligere possumus quantum insit terræ in compositione vegetantium, & asserere possumus ex sexdecim partibus u-

Pondera elementorum qua ratione disquirãtur

nam esse terræ, quatuor aquæ, octo aeris, & tres cœli seu lucis in distillatione: siquidem alicujus vegetantis succo pleni, medium semper habemus pondus aquæ, in qua, cùm sint aeris pondera duo, & terræ unum, & lucis alterum, superest ergò tantùm quatuor esse pondera aquæ. Et si sint pondera duo aeris in ipsa aqua stillatitia vegetantium, in ipso aere erunt pondera quatuor & duo, quæ sunt in ipsa aquá, sunt sex, & reliqua duo pondera, quæ reperiuntur in ipsa terra, & igne, constituent octo pondera aeris, in unoquoque vegetante, si vegetans sit sexdecim ponderum, ergo in vegetantibus medium pondus occupat aer, quartum pondus aqua, terra verò & ignis minus occupant pondus, quod ex distillatione vegetantium, & resolutione eorum fit manifestum: Et ut ignis & aër prævalent in animalibus, & aqua & terra in mineralibus, sic in vegetantibus aqua & aer prævalent cæteris elementis. Et cùm sint numero quatuor, excellens elementum in compositione rerum duplo semper est majus numero, ipso elementorum, unde pondera octo sæpe reperiuntur excellentis elementi in rerum compositionibus, unde numerus hic dicitur, numerus justitię, & plenitudinis, cùm in compositionibus rerum omnium semper reperiatur, & quòd in justo & legitimo pondere elementa uniantur in mixtis, dum modo unum illorum prævaleat octonario pondere, quo

Numerus octo, ur numerus justitiæ dicatur.

gradu

gradu & pondere, cætera facilè vincit elementa, & ad concordiam & justitiam reducit, ut invicem permaneant. Nec arguendum est non posse tali gradu & pondere inter se convenire elementa in rerum compositionibus, cùm elementum vincens & excellens, si tali gradu vinceret alia elementa, facilè destrueret omnia & consumeret, quia id non est possibile, ut exemplo ipso satis claret. Detur mixtum veluti piper, in quo dicamus ignem prævalere cæteris elementis, & in eo octo partes esse ignis, sex aquæ, terræ & aeris unicam tantùm utriusque elementi partem, ignis jam quamvis in pipere prævaleat suis octo partibus, non potest cætera destruere elementa, cùm ab aqua & terra impediatur, nec vincit illa nisi unico tantùm gradu, in quo solo gradu non potest alia destruere & consumere elementa, sed ipsis uniri & permisceri, & gradum tenere dominii & imperii, & hoc est calidum esse in secundo gradu, vel tertio, cùm ab aëre addatur gradus alius caliditatis, qui non disperditur, sed permiscetur unà cum igne & reliquis elementis.

In elementis elementa qua ratione uniantur. Possunt & aliis ponderibus & gradibus inter se uniri elementa, ut detur unum elementum cętera vincens, quarto, sexto & octavo gradu, ut videre est in compositione rerum, quas nos dicimus elementa, ignis, verbi gratia, aqua, terra & aër, in compositione horum singulorum (non enim sunt res simplices sed compositæ) reperitur elementum vincens in octavo gradu, ut in igne, lux reperitur in octavo gradu, aër in sexto, aqua & terra in primo: In aëre, aër reperitur in octavo gradu, lux in tertio, aqua in quarto, terra in primo: in aqua verò, aqua reperitur in octavo gradu, lux in secũdo, aer in quarto, terra in secundo: in terra autem terra reperitur in octavo gradu, lux in quarto, aër in primo, aqua in tertio. Sic & mixta quæ plus habent horum elementorum virtutes & proprietates, gradus etiam & pôdera possident majora horum elementorum grave tamen est, & ardunm determinare singulorum elemẽtorum pondera, in rerum mixtionibus: nihilominus tamen temperamentorum indagamus naturas, & eas scire putamus, cùm tamen exactè eas pręscire non possumus, quin & pondera & gradus elementorum, in mixtione dignoscamus, cùm & temperamentum natura dependeat, ex elementorum ponderibus in mixtione rerum prænotatis. *Temperamentum dependet ex gradu & pondere elementorum.*

DE VEGETANTIBUS IN PARTICULARI.

SECTIO SEPTIMA.

De pomis, quid sint, quo modo enascantur, & qua ratione ab aliis, & inter se differant.

CAPUT I.

Pomorum in præsenti jam sæculo quamplures sunt species, nam *Pomorum species unde.*

 in situ

in situ & varia earum plantatione, multiplicatæ sunt species, nam semen cùm permiscetur alteri semini diversæ speciei, nascitur inde quid distinctum ab utroque semine & diversum. Sic multiplicatæ sunt pomorum species: nihilominus tamen sunt pomi omnes arbores pomiferæ, ex spiritu lucis & elementorum exortæ & eductæ, qui spiritus per Creatorem in hanc arborem specificatus est & individuatus, semenq; indidit illi, & virtutem multiplicativam, ut ex eodem spiritu, ex astris & elementis elicito & attracto, fructus proferret multiplices, grati admodum saporis, quibus homo, uti posset ad vitam suam sustentandam, & prorogandam. Sunt enim in his fructibus copiosi vitales spiritus, ex spiritu lucis & elementorum enati & producti, qui vitam hominis sustentare possunt: cùm enim vita hominis, ex hisdem & similibus spiritibus lucis & elementorum constituatur, ex hisdem etiam nutriri & sustineri oportet, & diu durabiles sunt, cùm plurimum salis habeant, quo mercurius conditur, & impeditur ne in corruptionem abeat, unde homines primi sæculi, diutius vivebant, cum pomis omnibus uterentur ad vitam, quæ tunc temporis tanquam in principio mundi & naturæ, plurimum naturæ, seu vigoris, & virtutis restaurativæ possidebant, jam verò cum natura senescat, senescit & ejus virtus & vigor restaurativus, unde vita nostra brevior,

Poma cur nutriendo homini idonea.

Homines primi sæculi cur nostris diutius vixerint.

Natura senescit in rebus omnibus

cum & alimentorum virtus & vigor minor habeatur, non solum in Pomis, sed etiam in omnibus naturæ alimentis & fructibus, qui ex luce & elementis ortum habent. Pomi ergò arbores, cum sint ex spiritu lucis & elementorum productæ potentiâ Creatoris, differentiam & distinctionem inter se suscipiunt ex varia mixtione, & combinatione illius lucis & elementorum: varia siquidem illa mixtio & combinatio varietatem & distinctionem Pomorum arborum constituit, ut in reliquis rebus omnibus, in quibus commixtio varia principiorum distinctionem & differentiam constituit; non enim aliundè est differentia & distinctio rerum in natura, & cum multiplices sint principiorum permixtiones, in Pomorum speciebus. Sic etiam Pomorum species multiplices & variæ reperiuntur, ex multiplici principiorum in Pomis arboribus permixtione.

Pomorum differentia unde sint.

Vnde sint odores, sapores & colores varii in Pomis fructibus.

CAPUT II.

VAriis qualitatibus distinguuntur inter se, Pomorum arborum fructus tum odore, sapore, & colore; undenam autem hæc distinctio & differentia proveniat, satis ex superiori capite liquet his, qui nasutuli sunt: Non possunt enim principia Pomorum inter se variè permisceri, quin qualitates diversę hinc inde exoriam-

oriantur, nam mixtio varia, & pondus elementorum, quod in compositione mixtorum naturalium innascitur, producit odores, sapores, & colores varios, Chymici omnes Philosophi asserunt ex sulphure naturali, seu calido innato rerum, odores & colores produci, ex sale verò naturali sapores educi, nec huic sententiæ refragari quis potest, cùm calidum innatum rerum omnium, uti diximus superiùs multis in locis, confundatur cum forma intrinseca rerum, à qua cùm sit tenuior & activior pars materiæ, dependent, & ortum habent omnes qualitates, tùm primæ, & secundæ: Ergò odores, sapores & colores dependent ex calido illo innato rerum, quod cùm habeat sal internum, ut subsistat, sapores ab illo potius quàm à toto dependere dicemus, cum quod sine sale est, insipidum dicamus: Ergo sapidum cum sale erit, & sapores ex sale interno dependent, & ortum ducent: Colores autem & odores ex calido innato dependere satis clarum & manifestum est, quod in pomis ea parte quâ Solem expectant, color vivus & intensior semper est, & suavius & fortiùs olent ea ipsa parte, quàm ex opposita, cùm calidum innatum ea parte sit fortiùs cùm à sole roboretur, qui est calidi innati pater & verus fons, quàm in quavis alia parte. Et hac sola experientia freti possumus rectè asserere & concludere, odores, sapores & colores varios in pomis exoriri, ex varia & multiplici combinatione principiorum, quæ calidum innatum Pomorum constituunt. Et quod in pomis asserimus, idem esse in cæteris vegetantium fructibus asserere possumus.

Odores sapores & colores in vegetantibus unde sint.

Poma ea parte qua solem expectant fortius olent & quare.

De Pyris, quid sint, quo modo enascantur, & qua ratione inter se differant.

CAPUT III.

Pyri multiplices sunt & unde.

PYri multiplices sunt, & variæ earum species, & omnes sunt ex spiritu lucis, & elementorum omnium, quod idem est, ac ex materia prima rerum eductæ & productæ, per Creatorem, qui suo verbo Pyros eduxit, ex illa rerum materia prima, quam ipse fecit in Pyrum arborem, in eaque virtutem imposuit multiplicativam & seminalem, quâ multiplicaretur in posterum in arbores & fructus sui similes: inter se differunt, nam multæ sunt Pyrorum species, ex differentia ipsa, quam acceperunt ex Creatoris suprema voluntate, dum eductæ fuerunt & productæ ex materia illa prima, in qua confusa erant omnia, sed in productione sua, differentiam & distinctionem receperunt distinctis, & particularibus formis eductis, quæ tamen virtute & energia in ipsa materia prima confusè & indistinctè latitabant: sed cùm Deus virtutem & efficaciam dederit se distinguendi & separandi ab ipsa materia confusa, ideò possumus asserere De-

Materia prima unde distinctionẽ & differentiam amat.

um fecisse illam distinctionem & differentiam rebus in omnibus. Etsi Physicè & Chymicè dare possimus illam distinctionem & differentiam virtuti & potentiæ innatæ & naturali materiæ primæ, quæ quamvis confusa sit & chaos quoddam rerum omnium, nihilominus tamen distinctionem & particularitatem ex se ipsa naturali sponte habere peroptat. Undè cùm formę particulares omnes, ex centro materiæ educantur, eò naturali & spontanea virtute celebratur: dum autem formæ educuntur, res omnes differentiam & distinctionem suscipiunt in ipsa eductionę. Ergo differentia & distinctio Pyrorum inter se dependet & originem habet, dum Pyri educuntur & producuntur ex materia rerum prima, quæ est spiritus lucis & elementorum omnium in forma pinguis & viscosæ cujusdam aquæ, ex qua res omnes producuntur, & enutriuntur virtute innata & propria ipsius materiæ quam à Summo rerum Creatore, suscepit, in ipso creationis suæ instanti. Quòd si hæc materia generalis, generalem suscepit producendi virtutem & energiam, materia etiam hæc particularis, quæ per productionem ex materia generali educta est, suscipit etiã particularem producendi virtutem in ipsa eductione, unde res omnes particularem, observant multiplicandi, & se ipsas producendi energiam. Vnde Pyri in se ipsis habent particularem, se multiplicandi virtutem, quæ in semine suo peculiariter consistit, quod semen nihil aliud est, quàm quinta essentia, seu purum quid totius corporis, in quo virtus & energia totius corporis consistit & residet; unde si totum corpus habeat virtutem, se multiplicandi, semen etiam quod est totius corporis purum compendium, possidebit jure merito illam producendi virtutem & potentiam, sic Pyri suo semine, se multiplicant & enascuntur.

Pyri unde particularem multiplicandi virtutem habeant.

Vndenam in Pyris sapor ille insignis & gratißimus, & unde sint lapillosa ferè omnia Pyra.

CAPUT IV.

Sapor pyrorum unde & lapillosa eorum substantia.

SApor ille gratissimus, & palato ferè omnium arridens, qui in Pyris ferè omnibus reperiri solet, unà cum lapillosa & calculosa carne, ex sale est, quòd in Pyris ferè omnibus turget & abundat; Sal enim in rebus omnibus saporem inducit, ut superius declaravimus, coquit enim mercurium, & coagulat ipsum, & secundum coctionis gradus varios & diversos, item varii ac diversi exoriuntur: ex coctione enim varia ac diversa, nemo negare potest, quin sapores varii ac distincti exoriuntur, cùm id quotidiè ex manifesta experientia clarum conspiciamus, in rebus omnibus, quæ naturalem vel artificialem patiuntur coctionem: dùm enim fructus omnes, qualescumque sint, maturantur, & coquuntur naturali suo igne & sulphure, videmus

mus in principio suo coctionis, saporem habere unum, qui pedetentim mutatur, dum coctionis gradus perficiuntur, uvæ enim immaturæ, in principio ortus sui aggrestes sunt, veluti acidę, dum verò maturescunt, & coctionem fortiorem passæ sunt, dulcescunt, & nihil acidi & agrestis habent: juscula omnia & condimenta artificialia, in principio suæ coctionis, saporem obtinent diversum ac distinctum, à sapore quem habent in fine suæ coctionis: Ergo coctio sapores facit, & inducit beneficio salis interni, qui ignem continet intrinsecum, & innatum, quo res omnes naturales percoquuntur, & maturantur. Si ergo Pyra sapores insignes & gratissimos habeant, id ex sale interno suo, quo turgent, qui succos suos percoquit, & perfectè maturat, habent & obtinẽt: ratione etiam ejusdem salis lapillosas & calculosas habent carnes. Succum enim internum seu mercurium Pyrorum, sal coagulat & figit, in calculos & lapillos, cùm virtus terræ, & energia coagulandi, in sale resideat. Vnde Pyra omnia durioris sunt substantiæ & firmioris, quàm poma & ficus, cùm plus salis naturalis sit in pyris, quàm in pomis & ficubus. Vnde etiam ex copia naturalis salis, lapillosas & calculosas habent Pyra carnes, cum crassior & terrestrior eorum substantia, in lapillos à sale naturali coalescat & indurescat.

Coctio sapores facit.

Pyra cur dura sint & lapillosa.

De ficubus, quid sint, unde enascantur, & unde differant inter se.

CAPUT V.

FIcus omnes nihil aliud sunt, quã materia rerum prima, seu spiritus lucis & elementorum, in ficus arbores individuatus & coagulatus: Vnum quid erant omnia, quæ jam sunt in rerum serie, & illud unum materiam primam rerum dicimus, quæ est genus generalissimum & universale, ex quo ortum duxerunt omnia, nec me irrideant Peripathetici, cùm in definitione rerum omnium, materiam primam in omnibus definitionibus particularibus, pro genere universali exponam: non enim aliud genus, materiale & efficiens excogitare possumus, quo internam rerum compositionem exprimere queam, cùm nõ detur aliud: Ergò ex necessitate sumendum illud est, ut essentia interna rerum denotetur, & patefiat ex definitione, quæ essentiam patefacere habet, si aliud genus assumeretur ad constituendam definitionem, non esset definitio, sed descriptio & delineatio rei, veluti si diceremus: ficus est arbor foliis latis, divulsis, ac inter se discectis, fructus dulcissimos ferens ac producens absque præcedente flore: hæc descriptio quædam arboris est, quæ nullo modo essentiam arboris denotat: Præcedens autem vera est definitio, constat enim

Ficus quid sint & unde enascantur & vivant.

genere & differentia, quæ essentiam veram internam ficus arboris connotant & demonstrant: ficus ergò nihil aliud sunt quàm materia rerum prima in ficus efformata Creatoris voluntate & energiâ, sic primariæ ficuum species enatæ fuerunt: jam verò aliter enascuntur, nam singulis ficuum speciebus Creator indidit, virtutem seminalem & productricem, cujus vi & potentia, ficus ex se ipsis enascuntur & producuntur: Rami enim singuli harum arborum seminalem illam virtutem & energiam in se concludunt, ita ut, si recentes terræ defigantur, radices altas agunt, & in arbores ficus ferentes excrescunt: sic propagantur ficus, & in infinitum numerum excrescunt, earum autem differentia & distinctio provenit, ex varia permixtione & vario pondere elementorum, quæ in materia earum prima reperiuntur. Pondus enim diversum, & mixtio varia elementorum, quæ compositioni ficuum inest, constituit varia omnia illa ficuum genera & species, quæ in rerum jam serie reperiuntur, albi, nigri, sanguinei, rubri, quæ sunt caloris, & varii saporis, & reliquæ omnes species, ex varia mixtione & pondere elementorum dependent, & ortum habent.

Ficus qua ratione propagentur

Dulcedo illa mira & gratissima in Ficubus, unde dependeat.

Caput VI.

Ficus arbores cùm habeant succum ingratissimum, & ferè venenosum, mirum omninò est, cùm ferant fructus, in quibus dulcedo gratissima reperitur & degustatur. Aqua simplex quæ radicibus arboris attrahitur, in alimentum arboris per coctionem suam, ingratissimum saporem acquirit in ipsa arbore, & ingratus ille sapor in ficubus fructibus, per eandem coctionem in saporem gratissimum transit. En vide & meditare arcanorum Indagator, quantum coctio valeat in permutandis naturæ succis, & inde facilè colliges, undenam dulcedo in ficubus exoriatur, nam ignis internus, seu sulphur innatum, quod in ficubus inest agendo in mercurium suum, calore suo ipsum coquit ac digerit, & coctione illa sola in dulcedinem illam convertit, & mutat: dependet ergo dulcedo illa, & sapor gratus, ex matura coctione mercurii, seu succi, quæ est ex sulphure suo, sulphur enim solum coquit ac digerit mercurium suum, & secundum variam ejus digestionem, varias acquirit mercurius qualitates & conditiones, nunc Sacchari imitatur dulcedinem, nunc Colochintidos amarorem, nunc Punici Mali seu granati acerositatem, nunc agrestæ acedinem & acerbitatem. Et id omne ex

Dulcedo ficuum unde proveniat.

varia

varia coctione & actione sulphuris in mercurium, qui varias hasce omnes qualitates suscipit, cùm ex interno sui ipsius, hęc suscipere queat. Est enim principium radicale & primordiale rebus in omnibus, quod cùm materiam rerum primam radicaliter implantatam in se habeat, ex centro sui ipsius possunt educi omnes qualitates, qualescumq; sint, modò agens idoneum reperiatur, quod illas qualitates educere queat, non datur autem agens aptius & convenientius ad illas qualitates educendas, quàm sulphur internum mercurii, quod est aliud radicale Generationis principium, cui datum est ab ipsa natura, ut mercurium suum coagulet, fixet, coquat & digeret, & interim ex his actionibus in mercurium suum, ut educat omnes convenientes qualitates, quæ suo competunt Mixto. Vt apparet in ficubus, in quibus mercurius seu earum succus coquitur & digeritur à sulphure suo, seu calido innato, donec dulcedinem illam gratissimam, & palato arridentem adipiscantur & obtineat.

Qualitates qua ratione educatur ex materia prima.

De Malis Punicis, quid sint, unde enascantur, & unde differant inter se.

CAPUT VII.

MAla Punica, quæ nobis Mala granata dicuntur, nihil aliud sunt quàm spiritus lucis, & elementorum reliquorum pars quædam, in Malorum Punicorum genus efformata per potentiam Creatoris, qui sua virtute & actione infinita, uno & eodem instanti, omnia rerum genera ex una & eadem materia elicuit & distinxit, in ipsis naturæ cunabulis: Mala ergò Punica ex eadem materia ortum duxerunt & nihil aliud habent ad compingendam & constituendam eorum substantiam, quàm materia illa prima, ex qua recipiunt quicquid habent. Et si jam multiplicantur inter se, virtus illa multiplicativa est ex ipsa materia prima, quę habet ex Creatore, uti superius diximus, virtutem illam multiplicandi: sic etiam materia hæc particularis & individuata virtutem habet multiplicandi, videmus enim surculos Malorum Punicorum nostrorum terræ defixos & implantatos in arbores excrescere, fructusque ferre similes prioribus: tota enim virtus seminalis dispersa est per totam arborem, unde & surculi ejus possident illam seminalem virtutē, & se multiplicant ex se ipsis, modò surculi terræ concredantur: Differunt autem inter se mala hæc Punica, ex eorum differentia, quę dependet ex varia coctione sui succi, ab eorum sulphure; ex varia enim illa coctione, in nonnullis dulcedo insignis & gratissima reperitur, in aliis verò acetositas grata palato, quæ diversitas succorū, non aliundè est, quā ex coctione varia succi. Nā quæ, dulcē habent succū, si è calidis Regionibus & Pro-

Mala punica quid sint & unde enascantur & vivant.

Mala punica unde differentiam suā desumant.

& Provinciis, ubi excrescunt & germinant, asportentur in frigidioribus, ibique transplantentur, ex frigiditate Regionis, quòd minori calore succus eorum excoquatur, acescunt, & dulcedo illa convertitur in acorem. Quòd si vice versa, quæ aciditate pollent & vigent, si in calidas Regiones transplantentur, ibi dulcedinem miram acquirunt ex fortiori coctione succi seu mercurii eorum. Id in vino singulis annis manifestum fit, quòd si æstas vigeat & Autumnus, racemique à calore forti perfectè digerantur, tunc vinum dulce est, si verò æstas & Autumnus frigidiori & pluviosa tempestate floreant, tunc temporis, vinum subacidum est, quòd succus racemorum perfectè & absolutè non digeratur.

Dulcedo vini.

De Malis Persicis, quid sint, & qua rati ne enascantur, & differant inter se.

Caput VIII.

Mala Persica quid sint & unde sint

Mala Persica nostris in Regionibus, gratissima sunt, & optimi succi, ac Cardiacam habent virtutem & Alexiteriam. In Asia verò & præcipuè in Persia ingrata sunt & venenosa, & cœlo toto differunt à nostris. Et hoc inde est quod eorum succus percoqui non possit simili coctione, ac percoquitur in nostris Europæis Regionibus: Addere & possumus cœli peculiarem quendam influxum, beneficio cujus in Persia, Mala ejusmodi venenatam quandam qualitatem acquirunt, quæ omninò in nostris Regionibus, cœlo adverso & qualitate cœlesti & influxu contrario, omninò extinguitur, imò transit in Alexiteriam quandam qualitatem. Itaque Persica hæc Mala etsi inter se differant qualitatibus diversis, nihilominus substantiâ non differunt: quæ ortum & originem habuit tota, ex fonte materiæ primæ, ex qua omnia scaturierunt virtute & potestate divina, nihil enim aliud sunt Mala Persica, quàm pars quædam materiæ primæ, in Malis Persicis individuata, & effigiata, cui Deus virtutem multiplicativam & seminalem indidit, ut multiplicaretur, & in sui similes arbores divideretur, per quasdam peculiares & proprias terræ Provincias & Regiones, huic arbori convenientes ad utilitatem & commodum hominum, non enim in omnibus Regionibus enasci possunt, cùm in omnibus Regionibus eundem cœlestem influxum non reperiant, quo ipsorum calidum innatum sustentatur, & roboratur. Egent enim vegetantia ut & reliqua cuncta naturalia, spiritu cœlesti peculiari & idoneo, ut persistant, unde non omnis fert omnia tellus, cùm ubiq; spiritus ille cœlestis non unus & idem reperiatur, cœlum variatur, & etiam cœli spiritus & influxus. Ex quo varia enascuntur & enutriuntur in terris, cùm ille spiritus, sit alimentum spirituale cujuscumque rei. Ab eodem ipso spiritu enutriun-

Persica mala in Persia cur Venenata sint.

Mala Persica quid sint.

enutriuntur Mala Persica, & quicquid mali & boni habeant, ab ipso habent, cùm ipse spiritus, sic tenuissima pars materiæ primæ, quæ in cœlum advolavit, astraque fecit & ab his in terras delabitur, ut foveat & roboret quòd in terris ex ipsa remansit, in ipsis mixtis naturalibus coadunatam & condensatum. Sic mala Persica enascuntur ex se ipsis, & spiritu cœlesti enutriuntur & vivificantur: Quòd si multæ & variæ species reperiantur Malorum Persicorum, id ortum habet ex ortu ipso, & origine materiæ primæ, dum formæ eorum diversæ eductæ fuerunt ex centro ipsius materiæ, ad constituendas differentias veras & legitimas Malorum omnium Persicorum. Sunt enim quædam tantùm inter se differentia, ut veram differentiam inter se constituant, hoc est ut habeant formas diversas, undè non tantùm qualitate distinguuntur, sed etiam verâ formâ & substantiâ, & hoc non aliunde est quàm ex eductione materiæ primæ, dum enim educta sunt Mala illa Persica, diversam formam sortita sunt.

Spiritus cœlestis est alimentum spirituale cuiuscumque rei

Diversitas formæ unde propriè fit.

De Malis aureis, Citriis, Limonibus & aliis eiusmodi arboribus, Mala illa perpulchra ferentibus.

CAP. IX.

Mala aurea Citria & Limones

MAla aurea, Citria, seu Assyria. ca & Medica, Limones, & alia eiusmodi Mala perpulchra ex arboribus similibus exorientia, fructus sunt materiæ primæ, nam ex illa, ut & cætera cuncta originem duxerunt. Et Deus materiam illam in instanti creationis mundi dividit & distinxit in arbores ferè infinitas, dedit que illis potentiam & facultatem se ipsas multiplicandi, in locis scilicet aptis & convenientibus suæ generationi, nutritioni, & multiplicationi, non enim omnibus in locis possunt multiplicari & produci arbores omnes, cùm in omnibus locis non habeant unde nutriantur, & unde possint se tueri, advers⁹ omnia, quæ præter naturam suam reperiuntur.

quid sint.

Postquam Deus arbores nostras aureas, Medicas, & similes eiusmodi ex materia eduxerit, & in locis suis propriis & convenientibus collocaverit, materiamque totam primam in omnia naturalia mixta distinxerit, *crescite*. inquit, *& multiplicate super terram*, verbo illo virtutem illā multiplicativam illis indidit, quam omnia jam observant, nam omnia virtute illa multiplicativa sunt repleta, & se multiplicant sola sua virtute. Et quod in his arboribus mirum est, est quod ex una & eadem unica materia homogenea & simili, amarum, dulce, acidum, durum, molle, calidum & frigidum exoriantur: Cortex enim fructuum harum arborum calida est & amara, valdè & dura, pulpa verò mollis, frigida, & insipida, succo acido & frigido referta, & in nonnullis succo dulcissimo repleta.

Virtus multiplicativa unde in vegetantibus.

ta. Et tamen hæc omnia etsi sint varia ac diversa, ab uno fonte prodeunt & ortum habent: Aqua, quâ pori terræ replentur, est ipsa sola, quâ nutriuntur hæ arbores, & qua fiunt & prodeũt fructus hi, cùm tam diversis partibus essentialibus, aqua videtur simplex & homogenea, & tamen varia coctione sui ipsius, in diversis partibus horum fructuum, nunc acescit, nunc dulcescit, nunc amarescit, nunc calidis ornatur qualitatibus, nunc frigidis decoratur. Sic ab una ipsa aqua quicquid habent varium & diversum arbores hæ, & fructus earum possident & obtinent. Natura quæ implantata est ipsi aquæ, ipsa est quæ hæc mira patrat suis spiritibus Architectonicis, qui materiam hanc variè tractant & agitant & disponunt, & coloribus variis ipsam afficiunt, saporibus & odoribus, ipsamque exornant, ut cuique palam est.

Aqua, quæ est in terra, fiunt & nutriuntur arbores omnes.

Vnde arbores Mala Aurea ferentes, & Mala Citria, seu Medica, & similia viridante semper coma exornantur, & flore perpetuo vigeant & fructu.

CAP X.

Arbores Mala aurea & citria ferentes cur semper vigeant.

Virtus seminalis & vivifica viget ac pollet summoperè in hisce omnibus arboribus, Mala Aurea ferentibus, & Mala Assyriaca seu Medica, quæ nos dicimus Citria, hæ omnes arbores & similes perpetuis foliis viridantibus, ac vitali succo plenis, flore ac fructu semper onerantur & ornantur propter Balsamum vitæ, seu sulphur naturæ, seu spiritum lucis; quo turgent & abundant ex natura sua, plus enim illis arboribus concreditus est spiritus luminis, quàm noñullis aliis arboribus quæ hyberno tempore foliis & fructu denudantur: In his spiritus vitalis, paucus est admodum, ita ut penuria sua non possit seminales virtutes & prolificas excitare, & in actum deducere: In nostris verò Mala Aurea ferentibus, copiosus est valdè spiritus ille vitalis, beneficio cuius, seminalis illa virtus & prolifica, quocumque tempore excitatur, & in actum deducitur, unde coma viridanti semper exornantur, flore & fructu decorantur, & suavissimis odoribus ac fragrantissimis aërem ambientem aspergunt, & hoc omne ortum habet ex perpetuo spirituum vitalium halitu, qui ex Balsamo vitali seu sulphure naturali perenniter exhalat, & hos odores exhalando constituit, & fructus & flores alit, & folia virida nutrit, & in suo vigore conservat: spiritus autem ille lucis, seu sulphur vitale ex quo omnia hæc prodeunt, ex aqua ortum habet, quæ est alimentum proximum arborum harum, in qua jacet hic lucis spiritus per coctionem & digestionem naturalem arborum, quæ in intimis arborum partibus celebratur, hic spiritus in lucem prodit, separantur enim par-

Spiritus lucis ubi vigeat.

res impuræ & crudæ, & coquitur reliquum, & in viscosum & tenacem quemdam humorem percoquitur, ex quo deinde separatur tenuissima, ignea & aërea pars in quo viget & floret lucis hic spiritus, qui hæc omnia miranda in hisce arboribus patrat, & efficit & qui invito sole, quamvis absente verum tempus, æstatem & Autumnum in hisce arboribus constituit & conservat, dum flores & fructus media in hyeme etiam excitat.

Copia Spiritus lucis vigorem efficit in arboribus

His ita declaratis concludeudum est Arbores Mala Aurea ferentes, & alia eiusmodi, viridâti semper coma caput extollere & flore perpetuo & fructu decorari, ex spiritu lucis seu Balsamo naturali, quo turgent & abundant super alias arbores communes, quæ media in hyeme floribus, fructibus & foliis denudantur ex penuria illius spiritus.

De Prunorum omnium generibus, undenam oriantur & fiant, & inter se distinguantur.

CAP. XI.

INfinita ferè sunt Prunorum genera & species, quæ omnia ortum duxerunt ex spiritu primo lucis, qui in materia prima rerum residebat, hoc est aquis incubabat, spiritus enim ille, qui in sacris lineis asseritur, aquis in principio rerum incubuisse, est spiritus ille lucis, à Deo creatus & materiæ primæ immissus, utipsam informaret, & actuaret, quocirca dicitur aquis incubare, vel incumbere, quòd materiam primam, quæ aquæ formam habebat, actuare & informare contenderet, & hoc est propriè aquis incumbere; Spiritus ergò lucis aquis incumbens in principio rerum, Prunorum omne genus ex aquis eduxit, & ut educta sunt Prunorum omnium genera, sic etiam in præsentiarum, ex aquis enutriuntur & conservantur, videmus enim experientiâ ipsa, nullo alio conservari & enutriri in rerum natura, quàm solâ aquâ; quam ex poris terræ suis radicibus tanquam sanguisugis exsugunt & attrahunt, & in sui alimentum convertunt & sic enutriuntur & conservantur. Quòd si aquâ enutriantur & conserventur Prunorum omnia genera, ut certissimum est, ex eadem aqua, ex qua nutriuntur & conservantur, ea eadem fieri, & ortum duci necesse est, cùm inter Philosophos ratum sit, & verissimum ex hisdem fieri res, ex quibus enutriri & conservari palam est, mirum est quòd in aqua tanta sint, eaque tam diversa, ac distincta, ex qua sola Prunorum omnia genera desumunt, illa omnia quæ habent & quibus inter se distinguuntur, nam dum in intimis partibus arborum suarum decoquitur aqua, mutatur ipsa in partes varias ac diversas, & fructus varios, & distinctos emittit foras, eosque nutrit & ornat qualitatibus particu-

Spiritus aquis primus incubans quid & qualis fuerit

Prunorum omnium genera unde educta & quid sint.

Prunorum genera unde enutriãtur.

ticularibus; ita ut inter se his qualitatibus distinguantur & varientur. Sic Prunorum omnia genera fiunt & producuntur ex aqua, quæ in intimis terræ poris continetur & clauditur ad vegetantium omnium nutrimentum & generationem, ex qua etiam per coctionem variam suscipiunt differentiam & formam diversam, quâ inter se distinguuntur & differunt.

Vndenam Prunorum varii colores & sapores item varii.

CAP. XII.

Prunorum colores unde sint.

PRuna dotata sunt variis coloribus & saporibus, coloris enim albi alia sunt, alia rubicundi, alia nigri, alia viridis, lutei & subrufi, ita ut in Prunis omnes colores reperiantur, & sapores: undenam autem tam varii & distincti colores, & sapores exoriantur, altissimæ est inquisitionis, cùm ab una & eadem materia ortum habeant: Ex qua quidem materia, cùm simplex sit & homogenea, coctione tamen fit multiplex, & variis ornatur qualitatibus. Quæ sunt enim intima in ipsa materia, quamvis simplici, coctione sola distinguuntur, & diversa fiunt. Principia enim sua radicalia ratione distincta, & unum tamen semper homogeneum & simplex constituentia, dum diversam coctionem patiuntur in diversis subjectis, distincta & varia apparent & manifestantur: Mercurius, sulphur & sal, quæ sunt principia radicalia & intima rerum: dum coctionem patiuntur & digestionem in subjectis variis, quæ constituunt, variis qualitatibus exornantur, sola simplici coctione, sulphur, quod est causa interna materialis & efficiens calorum omnium calore suo & igne, seu lumine naturali, quo existit & vivit, ex mercurio & sale ex se ipso educit colores omnes, dum crudè & imperfectè, sed imbecilliter coctionem suam peragit, colorem viridem, & album. & saporem acrem in subjectis suis educit, dũ verò perfectè coquit in principiis perfectè puris & mundis, colorem rubeum & igneum inducit, & saporem dulcem, dum verò imperfectè coquit in principiis puris & mundis luteum, viridem & album & saporem subacidum, subamarum, & insipidum, secundùm gradus varios suæ imperfectæ coctionis educit & manifestat: dum verò valdè imperfectè coquit in principiis impuris & immundis colorem nigrum & alios omnes colores, qui ad nigredinem referri possunt, & sapores omnes ingratos conciliat: Sic sulphur coctione sua & digestione varia, in principiis radicalibus, & intimis rerũ, colores omnes & sapores, imo & odores omnes manifestos & apparentes facit, qui in intimo materiæ primæ sinu occultantur, & latent, & sola coctione & digestione sulphuris interni manifestãtur. & hoc in Prunis clarum est, & in fructibus omnibus,

Principia etsi una & eadem coctione variantur.

Sulphur qua ratione sapores & odores & colores varios producat.

bus, qui in principiis coctionis suæ, & digestionis suæ variis & distinctis ornantur coloribus, saporibus & odoribus, qui deinde peracta coctione & digestione in alios & distinctos terminantur & finiunt.

De Cerasorum omnium generibus, undenam oriantur, & unde inter se differant.

CAP. XIII.

Cerasorum omnium genera unde sint & quid sint.

INfinita sunt Cerasorum ferè genera, & species, quæ tamen ab eodem fonte, ex quo cætera oriuntur vegetantia, ortum duxerunt, scilicet ex aqua, ut enim ex ea nutriuntur & conservantur, sic etiam ex ea fieri & produci necesse est, & mirum hoc est quòd in sola aqua vegetantium omnium virtus, vigor & esse ipsum collocetur, apparet simplex aqua, & tamen in ipsa quicquid in rerum serie enasci potest, reperiri necessum est. Virtus totius cœli, & elementorum omnium in ipsa descendit aqua & radicatur in ipsa, ut hinc tanquam ex communi rerum omnium promptuario, res omnes desumant alimentum, & esse ipsum. Vnde non mirum si Deus rerum Opifex Aquã posuerit ubique locorum, in montibus, in planitie, in vallibus, in intimis terræ cavernis, in aere ipso & cœlo, ubique enim locorum est, & sanguinem videmus esse huiusce mundi, qui per venas & arterias ubique defertur, ad conservationem Universi, sterilesceret enim Mundus & tabesceret undiquaque, si deficeret aqua, non mirum ergo si materiam primam rerum omnium superius multis in locis, Aquam fecerimus, omnia enim aqua facit, producit, nutrit, & conservat, & omnia in aquam redeunt, tanquam in fonté, ex quo ortum duxerunt. Quæ sunt enim ultima in resolutione, sunt prima in compositione. Si ergo aqua reperiatur ultima in resolutione rerum, prima erit in compositione. Quàm ridiculi sunt ergò Philosophi materiam rerum primam invisibilem, & impalpabilem, & ferè intelligibilem facientes, non norunt aquam, quæ cæcis ipsis cognoscitur & distinguitur. Nec est arguendum reliqua elementa, cœlum, aërem & terram esse etiam, ut & aquam primam rerum materiam, cùm res omnes reducantur in aërem, terram, & lucem ut & in aquam. Nam verè dum res putrescunt & reducuntur in materiam primam, si quid est in ipsa re, quod transeat in lucem, terram & aërem, id non est ultimum, quod illud habeat adhuc reduci in aquam, ut verè dicatur ultimum resolutionis, ex quo deinde iterum generationes & motus fieri debeant: Nam generationes non fiunt & incipiunt à luce, ab aëre & ab ipsa terra quin illa priùs reducantur in aquam, ex qua immediatè fiunt semina rerum omnium, & ab his generationes omnes ortum habent: si alibi lucem fecerim⁹ materiam primam,

Materia rerum prima quid sit & qualis.

non tamen hîc aquam excludimus, cum sit luce nostra impregnata, non enim aquam simplicem intelligimus. His ita positis, & ratione firmatis, concludendum est Cerasorum omnium genera ortum habere ex aqua ipsa, cùm aqua sit Cerasorum, ut & reliquorum omnium materia prima ex qua ortum duxerant, & adhuc ducunt & conservantur, non aliundè nutrimentum desumentes, quàm ab ipsa aqua ex qua etiam differentiam & distinctionem desumunt coctione varia, & digestione alimenti sui, quod per coctiones varias & distinctas variatur & distinguitur, & Cerasorum varia genera & species constituit, & qualitatibus variis exornat, unde sapores varii; colores, & odores distincti exoriuntur, qui varias illas Cerasorum species constituunt & componunt.

De Amygdalis, & nucum omnium generibus, undenam oriantur, & differant.

CAP. XIV.

Amygdalarum & Nucum genera unde sint & quid sint.

AMygdalæ omnes, & Nuces, & Coryli, & reliquæ Nucum species, quæ in diversis terræ Provinciis & Regionibus reperiuntur omnes, ex qua ortum habent, cum ex eadem nutriantur & conserventur, & mirum hoc omne, omnes Philosophi & reliqui omnis inferioris notæ & doctrinæ homines conspiciunt & ante oculos habent, & nihilominus non cognoscunt, nec percipere possunt, quid in Nucibus, Amygdalis & Corylis lignum producat Corticem, Medullam, folia, flores producat, quid deinde in fructibus earum arborum Cortices duras & molles, nucleum & germen faciat & constituat; in aqua sunt hæc omnia, coquitur, tantùm aqua & digeritur, & digestione sua convertitur in lignum, in corticem, in medullam, in folia, flores & fructus, & in ea omnia quæ illis insunt. Principia radicalia rerum omnium, quæ in intimis aquæ reperiuntur digestione varia & coctione hæc omnia ex sinu suo promunt & manifestant, & coctione illa varia quæ in diversis locis peragitur: differentia & distinctio etiam exoritur inter has arbores & earum fructus: Sunt enim Nuces & Amygdalæ in quibusdam locis dura cortice, in aliis verò locis, molli, & hoc ex penuria Salis, & eius abundantia, & copia exoritur; sal enim copia sua indurat omnia, penuria verò emollit, cùm mercurius copia sua, tunc vigeat, qui omnia emollit, hinc est quod aquæ, quæ sali suo naturali crudo & incocto abundant, legumina omnia percoquere non possunt, hoc est coctione sua emollire, imò quo plus coquuntur in ipsis aquis, plus indurantur & nullo pacto emolliri possunt. At contra si in aquis multo mercurio turgentibus, & sale cocto decoquantur, sta-

Cortices Amygdalarũ & Nucum unde.

statim emolliuntur & in pultem crassam convertuntur. Quòd si legumina in locis ubi aquæ tales stagnantur, & vel terram & locum imbuunt, ut ex ipsis legumina alimentum capessant & suscipiant tunc temporis legumina sale illo crudo, & duræ digestionis plena & imbuta, in quacumque aqua coquantur non emolliuntur, sed in sua duritie persistunt. Quod sal illud crudum, quòd à loco suæ nativitatis susceperant, emolli non possit & percoqui, à quacumque aqua, nisi sale subtili & igneo valde sit delibuta, cuius beneficio omnia dura corpora emolliuntur., cùm sal illud crudum quod duritiem facit percoquatur & penetretur à sale illo subtili & igneo. Non ergo dubitandum est, quin durities illa, quæ in lignis Amygdalarum Nucum repetitur & in corticibus earum fructuum, exoriatur à sale crudo & incocto atque terrestri, quod in intimis aquæ latitat, quod quidem varia coctione sua, variam suscipit duritiem & firmitatem, quo plus coquitur plus unitur mercurio & sulphuri suo innato, & ita magis emollitur, & fructus molliores facit, unde hæ omnes differentiæ & distinctiones, à sola coctione ortum habent.

Durities corticum Nucum & Amygdalarum unde.



Vndenam sit, quòd Nuces arbores reperiantur, quæ vigilia sancti Ioannis Baptistæ frondescant floreant & germinent.

CAP. XV.

Nuces undenam floreãt & germinẽt vigilia S. Ioannis.

Mirum est, & rarum in natura, quòd Nuces reperiantur multis in locis, quæ vigilia sancti Ioannis Baptistæ frondescunt, florent & germinent eo ipso die, cùm tamen antea., siccæ & quasi emortuæ viderentur, multi hoc naturæ arcanum ad Solstitium æstivale referunt, quòd Sol tunc temporis vigeat, & polleat multa virtute germinandi, hoc est valeat virtutem prolificam & vegetabilem è sinu terræ educere. Sed hoc cùm non fiat in aliis vegetantibus, verum esse non potest. Alii verò ad Sacrum diem sancti Joannis referunt tanquam privilegio quodam naturali à Divina voluntate exoriente, sed cum hoc solùm in Nucibus fieri contingat, non video cur nuces peculiari hoc privilegio dotentur: Divus enim Joannes, neque Deus ipse, pluris facit Nuces, quàm reliqua alia vegetantia, hoc ergo neque ex cœlo, neque ex die sacro, neque ex Deo peculiari voluntate. Sed ex quadam alia causa quæ ortum habet, in seminali virtute, quæ hoc in peculiari die, virtutem suam ostendit & manifestat, quòd in eo ipso die terræ mãdata fuerit & radios egerit, quæque

que deinde virtus seminalis, & vivifica singulis deinde annis proprietatem & potentiam suam eo ipso die ostendit & manifestat, quòd in ipso die terræ concredita fuerit. Nuces virides & recentes, si Vigilia sancti Ioannis Baptistæ terræ concredantur, surculi inde enascuntur, virtus enim seminalis & multipli ativa potentissima est tunc temporis in Nucibus, & quamvis immaturæ sint, non desinunt virtutem seminalem ex putrefactione sua exerere, & arborem producere, quæ deinde si transplantetur eo ipso die quo primo terræ concredita fuit, observat singulis annis, germina sua & frondes, & fructus eo ipso die promere. Et ego existimo in aliis arboribus idem fieri posse, si fructus immaturi terræ concredantur & surculi qui indè exoriuntur, eo ipso simili die transplantentur: non possunt enim citiùs vivificam terræ virtutem ad se attrahere, quàm circa tempus, in quo terræ concrediti fuerunt, propter immaturitatem quam habent, dum terræ mandantur, cuius beneficio surculi, qui inde enascuntur, hyberno tempore & vere adventante, non possunt attrahere virtutem illam vivificam terræ, quæ tũc temporis vegetantibus infunditur, ut pullulent & germinent, sed expectãt tempus æstivum, in quo temporis potentissima est virtus illa vivifica terræ, quæ illis tunc temporis denegari non potest, cùm ipso tempore terræ concrediti, & mandati fuerint: ideo Nuces virides & recentes, quæ terræ concredũtur vigilia Sancti Ioannis, si germinent, & radices agant ut in arbores excrescant, observant deinde toto vitæ suæ tempore, eandem germinationem, nec citiùs germinare possunt, cùm citiùs non plantatæ fuerint.

De Vinea & Racemorum omnium speciebus, undenam sint & differant.

CAP. XVI.

Vinea ubi excrescere soleat.

VInea toto ferè orbe cognoscitur, nisi in Septẽtrionalibus plagis & Australib⁹ Provinciis, ubi propter frigus excrescere non potest amat enim solem & calorẽ eius, cùm spiritus vitalis quibus abundat ac turget, à suo lumine desumat, unde magis effloresciт & potens est in locis calidis, & à sole illustratis, quàm in aliis quibuscumque terræ partibus, non enim postulat umbras & tenebras, sed perpetuo sole gaudet, & calore, frigusque fugit. Vnde hinc magnum debent elicere emolumẽtum, qui vino gaudent, nam ut feraces habeant vineas, in locis semper calidis eas plantare debent, easque magno & copioso stercore, & cineribus omnis generis, & præcipuè sarmentorum eas fovere debent, nam calido illo fotu roboratæ vineæ, copiosis & succulentis se fructibus exonerant, quique deindè calore forti Solis perfectè excoquuntur & digerun-

Vinea gaudet calidis locis & stercore cali.

runtur, unde vinum prodit generosissimum; cùm autem vinea calorem vivificum solis persequatur, qui est cum humiditate quadam elementorum conjunctus, ut his vivat, conservetur & fructum ferat, indè colligi debet calore illo vivifico humiditate elementari debere constitui, & nihil esse aliud vinea, quàm calidum illud vivificum solis, & humidum elementorum, in vineam individuatum, ut reliqua cuncta sublunaria, quæ nihil aliud sunt, quàm calor ille cœlestis, & humiditas elementaris simul permixta, & unita, & in diversa subiecta individuata, ut ita loquar. Ab hoc calido innato & humido primigenio procedit vinea & quicquid ipsa habet, procedunt Racemi, nutritur enim vinea, hoc calido innato, & humido, quod suis radicibus, tanquam sanguisugis è terræ venis exsugit, & in alimentum suum convertit, ex superfluo alimento, flores producuntur & fructus: Vere enim adventante & æstate, Sole vigente, & ad nos progrediente, violentos & efficaces admodum radios effundit, qui elemẽta impregnant & inde fit calidum innatum rerum omnium, ex quo vinea nostra desumit suum tunc tẽporis alimentum, & quia copiosius tunc temporis assumit, ex superfluitate ipsius alimenti, semen inde procreatur, ex quo semine flores & fructus inde germinant & procreantur, cùm autem variè coquatur alimentum & semen ex varia coctione, sulphur vinarium, seu calidum illud cœleste quod in vinea residet, varias acquirit qualitates & conditiones, rubescit & albescit, & ex permixtione rubedinis & albedinis varii exoriuntur, unde Racemi variegati exoriuntur, & omnis qualitatis, & coloris & saporis, secundùm variam coctionem illius calidi innati & humidi primigenii vinearum: hinc distinguitur, & differunt inter se racemi, & varios colores acquirunt & sapores & odores, & hinc enascuntur racemi moscati, quòd sulphur eorum racemorum perfectè decoquatur & perficiatur à calore solis.

Vinea quid sit.

Vinea quid attrahat ex terra poris

Racemi variegati unde enascantur.

Unde sit, quòd quædam detur vineæ species, quæ flore, fructu, & germine semper onusta est.

CAP. XVII.

Vidimus nos pluribus in locis vineæ huius speciem, quæ quocumq; in tempore, floribus, fructibus scatet, & abundat, adeo ut in omni tempore, excepto hyeme, racemos maturos colligere liceat: nam dum maturantur primi, exoriuntur novi, qui antequam maturi sint, alii qui post primos exorti erant, maturantur. Itaque singulis tribus mensibus, maturi racemi, & absoluti omni coctione reperiuntur. Unde autem hoc naturæ mirum soleat exoriri, hoc ex calido innato vineę huius, quod peculiari modo, forte admodum est, ac potens, quodque suo for-

Vinea quædam species flore & fructu semper onusta unde id sit.

forti ac potenti calore, alimentum ex terræ venis copiosum attrahit, unde ex superfluitate alimenti, semen copiosum generatur, ex quo deinde producuntur flores, & fructus omni tempore, quòd omni tẽpore attrahatur superfluum & copiosum alimentum, de quo semen producitur, ubi enim copiosum semen est, necesse inde est ut flores & fructus producantur, ad id enim semen à natura & à Deo ipso Naturæ Opifice destinatur. Unde autem est quod hæc vineæ species poti⁹ quàm alia semine turgeat, & alimenti plus attrahat quàm alia, hoc est ex peculiari temperamento, nam individua omnia unius & ejusdem speciei nequeunt esse ejusdem temperamenti, ut videre est in animalibus: Alia aliis sunt fertiliora, & copiosiorem habent prolem propter majorem quam nacta sunt copiam calidi innati & humidi primigenii, ex fortitudine & robore cujus exoritur & major & potentior prolifica virtus: hinc cùm calidum & humidum primigenium multiplicari queat, prolifica etiam virtus multiplicari potest, ut fimo & stercore in campis cernere licet, quorum fertilitas multiplicatur & augetur fimo & stercore, quòd calidum innatum & humidum primigenium fimi & stercoris transeat in humidum & calidum primigenium seminis terræ stercoratæ concrediti, & augeat illud, unde seminalis virtus & multiplicativa fortius exit, in stercoratis terris quam in aliis.

Virtus seminalis cur fortius agat in stercoratis terris quam in aliis.

De Cupressis, Pinis, Lauris. & Abietibus, undenam sint & vivant.

CAP. XVIII.

HÆ omnes arbores, diutissimè vivunt, & in rerum natura persistunt, potentissimum enim habent calidum innatum, & humidum primigenium, pingue admodum & viscosum, ex quo exoritur vigor & virtus longissimæ vitæ, viscosum enim & unctuosum, humidum difficile consumitur & depascitur à calido innato, undè cùm difficile consumatur, nexus eorum diutissimè durat ac persistit, & hic nexus vita est in rebus omnibus. Vnde autem hæ omnes arbores desumant illud pingue & unctuosum humidum primigenium, non est difficillimæ disquisitionis, cùm unde vivant, indè etiam habeant illud humidum necesse est, vivunt autem ex aqua, quæ intra poros terræ latitat, ad alimentum vegetantium & mineralium, & rerum ferè omnium. In illa aqua latitat humidum illud pingue & unctuosum, ut sciant omnes qui Anatomiam aquæ fecerunt Pyrurgiæ legibus: Vivunt ergo & habent esse omnes hæ arbores, ex humido pingui & unctuoso, & viscoso, quod in intimis aquæ partibus. ac vi-

Humidum unctuosum & viscosum est principium vitæ longæ.

Vivunt arbores & habẽt esse ex humido pingui aqua.

ac visceribus latitat, ex quo alimentum capessunt superfluum istius alimenti in pinis & abjetibus, abit in succum pinguem valdè, qui in Therebentinam exsudat excorticatis arboribus, aut aliquo modo vulneratis, nō tamen eiusmodi succus Therebentinosus & combustibilis in intimis aquæ partibus, quæ cupressis & pinis & abietibus alimento est, eodem modo latitat, cùm in aqua pingue & unctuosum quod latitat, non sit combustibile. At in intimis vegetantium visceribus fit combustibile, alterata eius substantia & attenuata valdè, partoque minerali rejecta, aut in aëream substantiam permutata, ut inde Therebentinosa fiat substantia, & inflammabilis ab hac Therebentinosa substantia, quæ copiosa est in his arboribus. Non timent frigus hæ arbores, nec hyeme denudantur foliis, sed perpetua viriditate vigent, & in mediis Nivibus caput vivum ac florens extollunt, & generantur & producuntur ab eadem materia, ex qua nutriuntur, quæ in intimis aquæ latitat, quæ caloris cœlestis, & terrestris ope & auxilio sublimatur in vapores, qui in concavis montium antris circulantur, & sublimantur tandiu, donec pingue illud & unctuosum appareat, & manifestum fiat, quod deinde in ipsis montibus facili negotio mutatur in pinos & abietes, unde montuosa loca ac deserta abundant, & turgent hisce arboribus, quòd in hisce locis, pinguis, & unctuosa materia hæc facilius reperiatur, quàm in aliis terræ locis: unde virtutes habent insignes, hæ arbores, ad conservandam vitam ex unctuosa illa pinguedine, quâ fulgent.

Cupressi. lauri, pini, abietes cur non timeant frigus.

Cur montuosa abundēt excelsis arboribus.

De Olivis & Castaneis, unde sint, & unde vivant.

CAP XIX.

OLiva in Europeis Regionibus, quæ ad Austrum vergunt copiosa & frequens à pingui & unctuosa aquæ materia ortum habet, ut ab ea nutritur & conservatur: Attrahit enim radicibus suis, quod sibi simile est, ex terræ visceribus, in quibus latitat aqua, ubi pingue & unctuosum omnium elementorum residet: cœlum enim & reliqua elementa, purum sui, in aquam deponunt, tanquam in Menstruum mundi, ubi coquitur tùm calore centrali, tùm calore cœlesti, qui calores, internum calorem illius puri movent & excitant, & sic decoquitur illud purū, & inspissatur in pinguem materiem unctuosam, quæ deinde calore sui ipsius per poros terræ sublimatur, & hinc vegetantium origo, vita & conservatio depēdet. Vnde Oliva desumit suum esse, cùm ipsa, ab ipsa materia desumat alimentum suum, ex quo deinde flores & fructus producit, & exerit, ex quibus maturis & perfectis exprimitur oleum tanquā materię unctuosæ præcipua pars, quę in ipsis o-

Oliva quid sit & unde sit.

Cælum & reliqua elementa in aquam deponunt purum sui.

Oleum quid sit & unde sit.

livis decoquitur & digeritur in oleum perfectum & absolutum.

Castaneæ item, ab eadem ipsa materia desumunt esse & alimentum, & quod in oliva fit oleum per digestionem olivæ, id ipsum in castanea fit massa farinacea optimi saporis: mirũ est quod in ipsa materia, omnia reperiãtur, fit hæc materia frumentum in frumento, triticum in tritico, hordeum in hordeo, vinũ in vinea, caro in animalibus, lapis in lapidibus, & metallum in metallis. Omnes hæc vident & quasi palpant, & tamen pauci admodum sunt, ac rari, qui hanc materiam cognoscant ac sciant, imò sunt multi, qui omninò negant, & pro ea Chymeram fingunt, eamque persistere in rerum natura probare satagunt. O quantùm est in rebus inane, omnes ferè Philosophi in altercationibus, & disputationibus vanis de materia prima (quam dicunt non existere in rerum natura, nisi in ipsis individuis) consumunt Ævum: Nihilominus si alimentum universale perpenderent quod in aqua latet, viderent an materia prima solùm existat in individuis, cùm omnes res nutriantur materia prima & conserventur, ut est, omnia ab ipsa, facta & creata fuerunt: Castaneæ nostræ, & olivæ, ab ea desumpserunt primò originem suam, adhuc ab ipsa nutriuntur, & conservantur, & quicquid habent ipsæ arbores, ab ipsa materia prima, in elementis adhuc persistente, & latitante, dependet, & ortum habet.

Materia prima qualis in rerum natura verè sit.

De Fagis, Quercubus, Mespilis, & Sorbis, unde sint & unde vivant.

CAP. XX.

HÆc omnes arbores, cum suis fructibus, & omnibus aliis quæ ab ipsis arboribus dependent, sunt ab ipsa pinguedine aquę, quam pinguedinem nos aliis in locis huiusce Operis primam materiam diximus, & semen aquæ & elementorum reliquorum, quod à natura paratur in vitam & conservationem rerum omnium: Ab eadem ipsa materia, seu seminali substantia Fagi, Quercus, Mespilli, & Sorbi dependent, vitam habent, & conservantur: non enim est aliud in rerum natura, à quo vitam & conservationem habere possint: Radices enim in terra profundas & altas habẽt, ut his tanquam sanguisugis alimentum terræ commissum attrahere queant: Ut autem alimentum illud attrahi, possit, quid solidum & crassum, ac ponderosum & firmum esse non potest, per poros enim arborum tenuissimas & imperceptibiles devehi non posset, ad vitam per totum & universum arboris corpus deferendam, necesse est ergo, ut alimentum illud sit tenuissimæ substantiæ, & liquidę, & aquæ formam habeat, liquida enim est aqua, & tenuissimæ substantiæ, cum sit aër congelatus & adhuc habeat partes quamplurimas aëris ipsius

Fagus, Quercus, Mespillus & Sorbus quid sint & unde sint.

Aqua est tenuis.

ipſius volatiles, & infixas, ratione quarum, undiquaque penetrare poteſt, & vitalem illam virtutem, quam in intimis ſui visceribus coërcet, communicare valet, hisce omnibus arboribus, quæ quamvis inter ſe diſtinctæ ſint & diverſæ, ab una & eadem fieri, vivere & conſervari materiâ non deſiſtunt. Eſt enim hoc naturæ mirum, quòd in rerum ſerie infinitæ ſint rerum ſpecies & genera, inter ſe toto cœlo diſtantia, nihilominus ab una & eadem re fiunt, vivunt & conſervantur, eſt enim materia rerum univerſalis, ex qua Deus ſua benignitate & miſericordia, omnia quæ jam exſtant produxit, ex qua etiam materia vult ut conſerventur & vivant: Fagi ergo, quercus, Meſpilli & Sorbi ab eadem materia exoriuntur, vitam habent & conſervantur, & fructus producunt ſuos virtute & energia eiusdem materiæ, quæ in ipſis mutatur in ſemen, ex quo deinde fiunt fructus varii, cùm & materia ſeminis in ipſis arboribus diſtinctis & variis varietur ac diſtinguatur coctione & digeſtione ſuæ ſubſtantiæ, in intimis arborum loculis. Datur & quercus parvæ ſpecies quæ non glandifera eſt, ſed grana quædam rubea parva adfert, quæ grana chelmes dicuntur cardiacæ facultatis & virtutis, quæ ex eodem fonte habent originem.

De Gummi, Reſina, & Therebentina quid ſint & unde ſint

CAP. XXI.

Gummi Reſina & Therebentina quid ſint.

GUmmi, Reſinæ, & Therebentinæ, ſudores ſunt arborum quarumdam quæ calido innato, & humido primigenio pingui & craſſo turgent & abundant: dum enim vernante tempore copioso alimento fruuntur, quod ſuperfluum eſt, deſudat in Gummi, Reſinam & Therebentinam. Quæ nihil aliud ſunt quàm ſuperfluitas alimenti pinguis, & unctuoſi, quarundam arborum, quæ per poros arborum exſudat. Et fit omne genus Gummi & Therebentinæ, & Reſinoſæ ſubſtantiæ, ab unctuosa & viscòsa elementorum ſubſtantia, quæ in intimis aquæ reſidet, & latitat, hæc enim ſubſtantia cùm ſit proximum alimentum harum arborum, calidarum valdè, fortiter decoquitur, & decoctione ſpiſſatur in Gummi & Therebentinam, & indè foras detruditur tanquam ſuperfluum alimenti, & obſervat vires & virtutes arboris, ex qua exſudat, cùm jam arbor ſuas impreſſerit virtutes & qualitates decoctione ſua in illud alimentum. Reſina factitia eſt ex decoctione craſſæ & fæculentæ Therebentinę, vel ex partibus minutim inciſis arborum Reſinam exſudantium, quæ fortiter decoquuntur & Reſina & Pix ex tali decoctione paratur:

Virtus Therebentina & picis.

ratur: virtutem observant emplasticam & astringentem, cùm ex pinguedine terræ & aquæ primordialiter hæc omnia exoriantur, & principiorum suorum qualitates & conditiones semper sortiuntur.

Alimentum spirituale resinarum quale. Sunt nonnulli Chymicorum, qui asserunt Gummi, Resinas, & Therebentinas, exoriri ex alimento spirituali, quod hæ arbores desumunt ex aëre, & sic asserunt hasce substantias, fructus esse aëris, sed hæc opinio, nihil interest nostræ opinioni, cùm spirituale illud alimentum, sit eiusdem naturæ & conditionis, ac aqueum nostrum alimentum, quod desumitur ex intimis aquæ, neque ullo pacto substantialiter differunt nisi subtilitate & crassitie, Aëreum alimentum subtile est, & spirituale & volatile, aqueum verò est minus subtile, & materiale, sed unum & idem sunt substantia, & perinde cùm utrumque alimentum faciat ad vitam vegetantium, ex utroque etiam alimento producetur & Gummi omne genus, Resinæ & Therebentinæ, & verissima erit utraq; sententia.

De Flore Cæli, & Manna.

CAP. XXII.

Flos cœli quid sit & unde. FLos cœli est species Mannæ, quæ Mense Majo, usque ad finem ipsius Autumni è cœlo decidit tempore nocturno in prata, & macoris instar narium super herbam reperitur, & summo mane colligi debet ante solis ortum, alioquin levissimo calore solis in vaporem elevatur, & in aërem convertitur, unde ortum habuit; spiritus enim lucis, dum permiscetur aëri frigiditate noctis & influxu tepido Lunæ, aliorumque astrorum nocturnorum frigiditate, & humiditate, condensatur in macorem illum, quem cœli florem dicimus: A manna differt, quòd non dulcescat, sed insipidi sit saporis, & quòd manna granulatim condensetur & super arbores colligatur, hic verò flos acerbatim cumuletur super herbam, veluti magna quantitas muci narium, frigidissimæ est qualitatis, & penetrantis substantiæ, & dolores omnes compescit tùm externos & internos, & aqua eius distillata summum est arthritidis solatium, imò sine dolore nebulas, ungues & Catharactas oculorum tollit, summa cum admiratione, & cancri & fistulorum dolores mitigat, cùm dissolvat & mutet sal eorum ulcerum mordax & corrosivum. *Floris cœli virtus & qualitas.*

Manna quid sit & unde sit. Manna maximam habet cum melle conformitatem, & ab eadem dependet aërea substantia: est enim pinguis & viscosa illa elementorum substantia, quæ omnibus rebus est alimento, & est virtus seminalis naturæ universæ, quæ in vaporé conversa, per aëra circulatur, & tandem calore solis, & astrorum coagulatur & condensatur in Mannam, quam multi mel cœleste dicunt, quòd à cœlo

cœlo fiat, & tempore sereno ante solis ortum super folia arborum, & plantarum, & super terram decidat granulatim at nihil est aliud, quàm pinguis & viscosa elementorũ substantia, quæ à terra per vaporem elevatur, & in aëris ipsius spatio circulatur, & tandem coagulatur in mel illud cœleste, quod Mannam Hebræi dicunt: Et est gratissimus cibus, & benignum medicamentum, serosos enim humores expurgat, qui in primis viis stagnantur, suo sale dulci & penetranti mercurio, qui hos humores dissolvit & mutat, & dum hoc patitur natura vellicata, ab actione medicamenti medicamentum unà cum humoribus dissolutis foras expellit.

DE FLORIBVS.

Sectio Octava.

Flores quid sint in genere, & unde exoriantur.

CAP. I.

Calor cœlestis Zenonis Deus, Vulcanus Naturæ & Archæus per totum mundum diffusus, dum singulas Microcosmi partes agitat, stimulat, & ad actiones obeundas compellit, varia variis in subiectis stupenda, ac miranda, producit, in vegetabilibus folia, flores & fructus, in mineralibus & animalib⁹ aliquid aliud, nec re, nec ratione longè diversum, suos etenim habent flores mineralia, suos animalia, suosque utraque fructus: attamen ut melius hæc percipiantur, & flores videantur omnibus rebus: flores in universum definire licet tenuissimas æthereasq; cuiuscũq; mixti partes, à centro illius calore cœlesti in superficiẽ detrusam. Vnde semen hominis florem illius vocare possum: lanuginẽ illam friabilem aurei coloris, gustatusque dulcissimi, quæ in montibus sulphureis tanquam ros exsudans reperitur, florem sulphuris dicimus: Quæ verò parietibus, locis concavis, montiumque cavernis adnascitur, Nitri florem, quem Spagyricorum multi Saturnum venerabili cãitie senem: alii non abs re τὸν πᾶνα vocant, quòd ex eius vaporibus & halitibus omnia fiant, metalla omnia suos habent flores, florem auri & argenti Azurium, stanni & plumbi, Cærussam, Cupri viride aëris, seu vitriolum, ferri Crocum Martis, Chymici dicunt. *Flores quid sint & unde sint.*

Cùm ergo mixtorum hæc summa genera, flores habeant, aut aliquid floribus plantarum, & arborum analogum: Quidni & elementa horum mixtorum principia, suos proferrent flores, Cœli florem superius vidimus, aëris florem, rorem nuncupamus, aquæ florem, salis florem asserimus. Terræ florem Ambarũ dicimus, sic omnia florent elementa. Et hi omnes flores mirandas habent virtutes & naturæ dona, cùm sint partes tenuissimæ & ethereæ corporum, è quibus calore innato propellente foras prodeunt. *Flores elementorum quales.*

De Ro-

De Rosis & violis quid sint, & unde vivant.

CAP. II.

Rosa quid sit & unde sit.

ROsa, caput & Coryphæus florum omnium, est tenuissima & ætherea materiæ primæ pars, in Rosario individuata, & in eo Rosa facta, inibi siquidem materiæ primæ tenuissima pars coquitur, & digeritur, in alimentum Rosarii, ex alimenti illius superflua parte fit semen Rosarii, quod calore naturali Rosarii, & calore cœlesti, sursum evehitur, ad extremitates Rosarii, ibique protuberat in gemmas Rosaceas, quæ tum demum expanduntur, & dehiscunt, in rosas perpulchras, & fragrantes: his ita constitutis, clare admodum videmus Rosas, nihil aliud esse, quàm spiritum aquæ, quem sumunt ad alimentum suum & digerunt & coquunt, & coctione sua convertunt in sui substantiam, de cuius deinde subtiliori parte, procreatur semen ex quo immediate Rosæ fiunt, & producuntur. Quòd si inter se distinguantur coloribus variis, hoc dependet, quod in spiritu illo aquæ, qui Rosis est alimentum, & prima materia insint colores omnes, quòd sulphuris omne genus, in eo contineatur, & coërceatur, quodque sulphur sua digestione & coctione varia colores varios producit. Si enim sulphur fortiùs coquatur, & purum sit, rubescit, & rubedinem in rosis producit. Si verò debilius coquatur, idque purum sit albedinem facit, & rosas albedine tingit. Si verò impurum sit sulphur, & fortiter coquatur, flavas producit rosas, sine odore grato, sulphur enim impurum, ingratos producit odores.

Rosarum colores unde.

Viola quid sint & unde.

De Violis eadem est doctrina, nam quòd in Rosis si rosa coctione sola, & digestione, idem in Violis fit Viola per eandem digestionem, & id ipsum quod in rosis rubedinem, albedinem, flavedinem aliosque colores, parit, idem in Violis cœlestem illum colorem & albedinem producit, & gratum illum odorem quem Violæ spargunt, etiam emittit, sunt eadem in re vitalia principia, quæ tantùm distinguuntur in ipsis individuis per digestionem & coctionem, dum per illam transeunt & mutantur in individuis. Mirum est quòd centrum naturæ unum sit, lineæ verò quæ ad superficiem naturæ tendunt ubi fiunt generationes & rerum productiones, sint infinitæ, quę omnes in centro conveniunt & fiunt unum centrum, quamvis in superficie longissimè distent. Rosæ & Violæ, ab una, & eadem fiunt substantia, & ab eadem vivunt & nutriuntur, quæ quidem substantia quamvis sit eadem & unica, in rosis tamen & violis, cæterisque rebus quas nutrit & alit, distinctionem suscipit & differentiam, alioquin omnia essent unum & nullam distinctionem susciperent, hinc apertum est il-

Cum mixta sint varia & centrum ex quo fiunt sit unum.

est illud, & manifestum Chymicorum Axioma, omnia ab uno prodeunt, & omnia in unum redeunt.

De Tulipis, Caryophyllis & Coronis Imperialibus.

CAP. III.

Tulipa quid sint & unde sint. IN Tulipis admirabilis est Natura, cùm ex una & eadem materia in uno & eodem subiecto, varias producat & distinctas substantias diversis omninò coloribus, adeo variegatas, ut Pictores ipsi arte sua imitari naturam nequeant: ibi natura omne genus colorum, cum radiante & luminoso splendore expandit, & Serici omne genus, adeo ut sericatos flores dicere queamus, vel soles & stellas terrestres, in quibus producendis cœlum ipsum descendit, & elementorum purius substantiis permiscetur, ut hæc naturæ mira hominibus objiciat. In quibusdam Tulipis aurum relucet, & argentum adeo permixta ut oculis ipsis permixtionem discernere nequeamus, & tamen aureum & argenteum colorem discernimus: In quibusdã Smaragdinis percipitur color guttulis aureis distinctus, cum filamentis purpureis interjectis, adeo ut nonnulli hominum, in tantum amorem horum florum rapiantur ut delirent, circa flores illos enutriendos, in aliis Niveus percipitur color, guttulis sanguineis interjectis, quasi natura ipsos, ad sanguinem usque verberasset, quod tam variis se exornent modis, ut hominibus ingratis, & crudelibus placere queant, qui fieri potest, ut folium adeo tenue, & delicatum, ex eodem aëre & liquore nutritum, ex eadem radice & bulbo ortum intus purpura floreat, & aura, exteriùs verò argenti & Smaragdi habeat colorem, & variis distinguatur coloribus. *Cariophylli flores quid sint.* Cariophyllorum verò Balsamum, Moscum, & Ambarum quis enarrare poterit, & colores varios ac diversos? Nonne lapides pretiosi esse videntur? Balsama rorantes, & Ambarum? *Coronæ Imperiales quid sint.* Coronæ item Imperiales nonne in admirationem nos rapiunt? cum Tiaram Imperatorum Orientalium Turcarum nobis repræsentent, rubeo, albo, viridanti, variegatoq; colore, distinctæ? Quorum omnium materia, apud naturam nihil aliud est, quàm aqua ipsa, aut spiritus ipsius aquæ, qui in ipsis plantis individuatur, & fit planta ipsa, coctione & digestione ipsius spiritus, in ipsam plantam, in qua coctus ille spiritus fit semen plantæ, cuius tenuissima pars, fit flos in extremis plantæ partibus, ubi sulphura omnis generis reperiuntur, *Spiritus aqua qua ratione fiat flos in vegetantibus.* ex quibus colores omnes qui in hisce floribus reperiuntur exoriri solent ut in compendio nostro Secretorum Chymicorum satis admodum declaratum fuit, capite de floribus, ita ut non sit opus eadem repetere.

De Liliis, Narcissis & Anemonibus quid sint & unde vivant.

CAP. IV.

Lilia Narcissi & Anemones quid sint & unde sint.

NEc Deus nec Natura peculiarem habet materiam, ut hosce flores producat, conservet & alat, in aqua sola posuit, quicquid illis est necessarium ad eorum esse & vitam. Ex hac Lilium, candorem assumit suum, & omnes alios colores, quibus insigniri possunt hi omnes flores, nihil est, nec esse potest in ipsis, quin in spiritu ipsius aquæ reperiatur ibi sulphur album purum, cùm mercurio puro, & sale itidem nitido inest, quæ tria simul juncta albedinem illam summam, & odorem gratum in Liliis pariunt. Sulphur verò rubeum, clarum & purum, cum suo mercurio, & sale, purpureum illum colorem, & rubicundissimum in Anemonibus constituit, reliqua verò sulphura impura cum puris permixta mediante coctione reliquos omnes producit colores, sic ex permixtione sulphurum variorum purorum, & impurorum quæ in spiritu aquæ reperiuntur, coctione varia oriuntur omnes colores, quibus flores variegantur, tum Lilia, tum Narcissi, & Anemones, sunt qui omni studio curant habere flores variegatos, & variis coloribus & invisis distinctos, hi possent quidem habere, si spiritum aquæ quo fiunt & nutriuntur, tingere scirent aut saltem colores suos occultos, qui in eo latitant manifestos facere. At difficilis admodum est hæc tinctura quamvis possibilis, & Philosopho facilis, non tingitur externis, ut putant aliqui naturæ ignari, qui putant flores tingere posse irroratis floribus seu eorum bulbis aqua colorata, non sic enim tingitur aquæ spiritus, quia talis tinctura putrescit & alteratur in terra ipsa, antequam transeat in alimentum ipsius floris: at tingendus est aquæ spiritus, adhibitis coloribus inalterabilibus igne ipso, qui sali suo innato imprimuntur vel suscitandi sunt colores occulti ipsius aquæ per coctionem Physicam & naturalem, & porrigendi deinde sunt ipsis bulbis in alimentum quotidianũ, quod fit quotidie irrorando ipsos Bulbos, vel si spiritus ipsius aquæ tingatur & coloretur colore florum naturalium, verè alterantur flores ipso spiritu colorato quòd facili negotio transeat spiritus aquæ, in alimẽtum floris colorandi, unde si coloratus sit ipse aquæ spiritus, communicat & impertit colores suos floribus quos enutrit & alit. Concludamus ergo Lilia, Narcissos & Anemones fieri ex spiritu aquæ, qui propensione sua, & inclinatione, mutatur in ea omnia, in quæ, dispositiones habere potest, in Liliis autem & Narcissis, & Anemonibus, alias dispositiones quam has habere non potest, cùm hi flores sint matrices & loca peculiaria, in quibus spiritus aquæ, disponitur ad formam hanc peculiarem

Flores quaratione tingi possunt omni colore.

Flores omnes ex spiritu aquæ vivũt & fiunt.

susci-

suscipiendam: Sic crescunt, & florent, & vivunt hi flores solo aquæ spiritu, qui omnia secum habet, ut hos flores sustentare possit, enutrire, conservare, & producere.

De Hyacinthis, Calendulis, & Amarantis quid sint & unde vivant.

CAP. V.

Hyacinthi Calĕdula & Amaranthi quid sint & unde sint.

HYacinthi, Calendulæ, & Amaranthi, ut & alii flores omnes, ex spiritu aquæ ortum habent eoq; vivunt & nutriuntur, & conservantur in vigore & robore suo. Duplex autem est spiritus aquæ, unus in aqua ipsa latitat, alius in ipso aëre, ex his duobus spiritibus vivunt plantæ, & arbores & vegetantia cūcta, & quòd vivant præcipuè ex spiritu aëris, ideo in aëre ipso, flores, plantas & arbores, descripsi, quia in tractatu ipsius aquæ, multa & quāplurima mihi supersunt tractanda, & ne volumen excedant, quæ Amphibia sunt & quæ utroque participant spiritu vitali aëreo & aqueo, in hoc tractatu aereo, commentaturus sum.

Flores qua ratione vivunt ex spiritu aeris & aqua.

Itaque vivunt Hyacinthi, Calendulæ & Amaranthi ex spiritu aëris & aquæ: spiritus aeris attrahitur ab ipsis plantis virtute magnetica ipsarum, quæ residet in intimis plantarum, & viget in calido radicali & innato earum: calidum enim innatum plantarum, cùm ab ipso spiritu aeris, & aquæ ortum habuerit, ut conservetur eget perpetuo illo aeris & aquæ spiritu. Itaque data est illis virtus magnetica attrahendi illum spiritum ut conserventur. Et ut facilius attrahant, radices habent infixas ipsi terræ, quæ semper imbuta est spiritu illo, Et solum corpus habent in medio aere semper suspensum, ut ex aere ipso undiquaque attrahant ipsum spiritum, addam & ego quòd cùm aer subtilis & tenuis sit, deferat per poros corporis spiritum illum ad plantarum alimentum, & conservationem: Sic plantæ omnes & arbores quotidiano fruuntur pane, qui ab aqua & aere illis porrigitur, non quòd aer & aqua ipsa, sit ipsis alimentum, sed solùm spiritus eorum elementorum, qui ex semine, & pura elementorum substantia, perpetuò præparatur, ad conservationem Universi, hic est solus spiritus universi quem multis aliis in locis, animam mundi diximus, & naturæ florem verum & unicum, à quo solo flore florent & vigent nostri omnes flores, Hyacinthi, Calendulæ & Amaranthi, & ab ipso, quicquid habent ipsi flores certissime dependet: cardiacam virtutem, & sanguinis purificandi, & ad summum gradum evehēdi potestatem habent, ab ipso sulphure, quod suscipiūt ex pinguedine spiritus aquæ, quæ decocta in intimis horum florum, facili negotio has & alias induit virtutes, quas ex colore & sapore suspicari possumus.

Spiritus universi quid & anima.

De Peoniis, Satyrionibus & Margaritis quid sint & unde oriantur.

CAP. VI.

Peonia Satyriones & Margarita quid & unde vivant.

BOtanici Medici flores & plantas describunt diversa omninò methodo, quam sim ego depicturus, differentias ipsi enarrant, & species diversas, virtutes & proprietates, terras & Clymata, enasci solent, & quibus gaudent locis, non Chymica hæc sunt, nec à me expectanda, cùm in hoc volumine quæ ad Chymiam spectant, tantùm tractaturus sim. Vnde si flores describam, partes eorum essentiales tantùm describo, & qua ratione vivant, & unde vitam habent nam cùm Chymia sit Anatomia rerum prædicta ad exquisitam plantarum anatomiã pertinent, & sufficeret caput unicum, ut plantarum omnium anatomen patefactum haberent Lectores: At plura adhibere volui, ut varietate loquendi gauderet Lector, & varietatem cerneret in unitate, & unitatem in varietate, & rerum multiplicitate quæreret. Itaque Peoniæ, Satyriones, & Margaritæ non aliunde sunt, quàm cæteri flores, spiritus aquæ, & pinguedo ipsius, est tota eorum materia, hinc fit, hinc oritur, hinc vivit, & conservatur: hinc colores suos habent, & virtutes & proprietates, exhauriu nt flores. Si Peonia virtutem illam mirificam & excellentem in Epilepsiam exerceat, hoc habet ex pinguedine aquæ, quam digerit, & coquit in intimis sui, & convertit in sulphur rubeum, unde flos ille rubeus oritur, qui sulphure suo interno puro & immaturo, immaturum & impurum sulphur Epilepticorum corrupta sua memphyte caput infectans corrigit, imò foras detrudit, & expellit Satyriones qui varietate sua, & distinctione mira, prata omnia exornant verno tempore, quique mirificam habent seminis augendi & multiplicandi potentiam: hoc ex eadem pinguedine habent quæ seminis potentiam & virtutem in omnibus rebus adauget, cum sit ipsa semen generale rerum omnium, nihilque crescere queat absque illa aquæ pinguedine. Ex illa sola steriles omnes & impotentes fertilitatem, & fortitudinem habere possunt, & potentiori energia ex ipso fonte, è qua manat omnis fertilitas, quam ex Satyrionibus, qui imperfectè & impurè coquunt & digerunt illam pinguedinem. Et ex illa imperfecta & impura coctione, ultimum perfectionis haberi non potest.

Peonia cur in Epilepsiã valeat.

Satyriones cur semen augeant.

Margarita quales sint & unde vivant.

Margaritæ quæ pulchritudine, & varietate sua inter flores margaritæ dicuntur, ab eadem ipsa pinguedine aquæ, sortiuntur progeniem suam, nutriuntur & conservantur, & quicquid habent, ab ipsa habere necesse est, & cùm corrumpuntur & desinũt, in eam ipsam pinguedinem aquę abeunt, ut à quo sortem & originem acceperint, eidem omne quod

quod illis est reddant, tanquam non suum, sed ab alio concreditum.

Hinc clarum est Peonias, Satyriones & Margaritas, ab ipsa rerum prima materia dependere, & ortum habere, quamque materiam Deus peculiari ratione elementis immisit, & præcipuè aquæ & aëri: ex quibus elementis flores nostri desumunt quicquid habent, dum spiritum illum aquæ & aëris attrahunt in alimentum, qui quidem spiritus & materia nostra prima convertuntur & idem sunt.

De Floribus, Plantis & arboribus exoticis.

CAP. VII.

INfiniti ferè dantur flores, Infinitæ ferè plantæ & arbores, nõ tantùm in hoc Hemispherio sed in altero, de omnibus autem tractare velle inutile esset opus, cum sufficiant nonnulli, ut compositio rerum dignoscatur, & si Hemispherii nostri flores, plantas & arbores non omnes, in hoc volumine tractaverim, sed peculiares tantùm: Sic etiam in Hemispherii alterius flores, & plantas ac arbores tractando, non omnes assumam, sed peculiares, quibus velle quæso Lectores satiari, in his enim etsi paucis, tota plantarum natura & arborum coërcetur. Sunt autem hi flores, plantæ & arbores, à nostris omninò differentes, ratio in promptu est, quòd cœlum sit omnino diversum & distinctum à nostro, unde diversus & distinctus effluit spiritus, qui diversas parit & producit in terra formas, & species unde flores diversi sunt à nostris, & plantæ & arbores variæ, & diversæ à nostris; & diversitas tanta est, ut vobis admirationem pariat, & jure merito, cùm insolita admirationem producere soleant, quæ siquidem non videmus & vix quidem conspicimus, admiramur, ut apud Sabaudos contigit anno 1638. apud Chamerinam urbem in horto Religiosorum Reformatorum divi Augustini, in quo seminatum est aliquod semen exoticum ex India Occidentali exportatum, è quo enata est planta insignis & nobilis valde, quæ poma quasi infinita attulit, adeò viridi, rubicundo, albo & cœlesti colore variegata, ut in admirationem omnes raperentur, nemo nomen sciebat istius plantæ, visâ ego ipsemet plantâ, cum colorem foliorum suorum & formam haberet similem, nostræ Mandragoræ, appellavi Mandragoram Indicam, cùm poma referret, sed varii coloris ad instar mandragoræ nostræ. Admirabilis est certe hæc planta pomis suis, nec ego unquam vidi plantam admirabiliorem, varii autem colores proveniunt ex sulphure vario & multiplici, quod in tali planta, variis modis digeritur & percoquitur.

Flores exotici cur varii ac diversi à nostris.

Mandragora indica descriptio.

De Cinnamomo, Pipere & Nuce Moschata & Maci quid sint & unde vivant.

CAP. VIII.

Cinnamomum quid sit, & unde, & in quibus Regionibus enascatur.

Cinnamomum, quod nos Canellam dicimus, frequens est arbor, & copiosa in silvis Provinciæ Malabar. Et in Insula Zeylana copiosa admodum est, multò præstantior, & nobilior, & fragrantior, quàm in provinciis, Malabar. Arbor est Malo Aureæ similis magnitudine, & foliis, flore candido, odore tamen experto, & totus odor residet in cortice, eius fragmentis stillatur liquor pretiosus admodum, pretiosior est ex viridi & recẽti cortice, extractus, quàm ex sicco. Aperit, incidit, digerit, calefacit & roborat, morbis frigidis perutile medicamentum, hæc arbor fructus habet sylvestris oleæ buccis similes & pares, virescentes initio, tum rubescentes ultimo, dum maturi sunt nigrescentes, cum splendore. Et nihil est aliud hæc arbor quàm spiritus æquæ & aeris in his Provinciis, in has arbores individuatus, & specificatus, ut ita loquar, in quem spiritum aeris & aquæ, cœlum ibi peculiariter influxum particularem infundit, cuius influxus ratione, arbor hæc in terris his, peculiariter adnascitur, & non in aliis locis, cum in his talis influxus, non reperiatur, quamvis idem aeris & aquæ spiritus ubique sit, non tamen simili cœlorum influxu impregnatus, cum astra non ubique similia reperiantur, nutritur ibi, & conservatur eodem spiritu, à quo producitur & generatur, quamvis plantatione & insitione, his in terris multiplicetur, propagetur, nihilominus tamen nulla insitione, & plantatione, his in locis enasci potest, solo ab illo spiritu aeris & aquæ, ut in nostris regionibus Quercus, Abietes, Fagi & multæ aliæ arbores sua sponte enascuntur, in suis propriis natalitiis locis.

Piper quid sit & unde sit & ubi crescat.

Piper arbor vel planta potiùs, cum Sarmentosa sit, & ita debilis ut in altum se se extollere nequeat, nisi arbore aliqua aut pedamentis, aut fulcris fulciatur, volubilis quædam species est hederæ, folia enim habet mucronata, velut hedera, & hilac & nodos habet intervallatos, ad radicem quorum nascuntur folia sua, & ex adversa parte, nascuntur uvæ, veluti racemi oblongi, quorum maximi quinquaginta grana aut circiter continent: minores verò triginta: huius plantæ sunt tres species, una piper nigrum adfert, altera verò album, tertia oblongum, differunt quidem inter se, sed levem habent distinctionem, cognita una, cognoscuntur & aliæ ob quandam similitudinem quam habent in foliis suis, quæ gustu linguam vellicant ob acrem & mordicantem saporem. Datur & aliud piper candatum non inferioris virtutis, & proprietatis, nascuntur in Provinciis Malavar, & Bengala, & in insula Zeila, & in Sumatra & Iava majore,

Piperis differentia tres.

jore & minore, & in Molucis Insulis, & per totum regnum Maletum, ubi copiosum piper, & aromata omnia copiosa reperiuntur, ibiq; spõte sua enascuntur, influxu peculiari cœli istius, quod peculiari radio aquas & aerem impregnat, undè enutriuntur & conservantur hæ plantę,

Nux moscata quid sit & ubi enascatur. Nux verò Moscata, quæ & aliis nux Myristica & Aromatitis dicitur, fructus est, qui ab arbore dependet, pyri magnitudine foliis ejusdem, sed brevioribus, & subrotundis, & Persicæ Malo non absimilis, brevioribus tamen foliis, eius fructus nux est quæ ob odorem fragrantem suum, nux moscata dicitur, denso operimento munita, quod maturitate dehiscit, & nucẽ suam ostendit operimentum illud, quo nux tegitur donec maturescat, macis est, in Banda insula crescit hæc arbor, & etiam in superioribus terræ Oriẽtalis Provinciis, ubi nutritur & alitur eodem aqueo & aereo spiritu, radiis & influxibus cœlestibus delibuto, qui quidem spiritus, coquitur & digeritur in arborem hanc nuciferam, cujus virtutes & proprietates admirandæ sunt in cerebri morbis, & præsertim in paralysi. Et præsertim oleum nucis moscatæ, & macis si rectificetur per spiritum vini optime rectificatum ut attenuetur, & penetrandi vires acquirat, ut nervos in paralysi humorum crassitie & glutine delibutos explicare queat, & ad limpidam eorum naturam reducere valeat. *Nucis moscatæ oleum rectificatũ. paralysis armorum.*

De Caryophillo arbore, & Tamarindo & Cassia, undenam sint & vivant.

CAP. IX.

Caryophillon quid sit & ubi enascatur. Caryophillum arbor nascitur in Molucis insulis, & in hisce partibus Orientalibus, estque arbor lauro similis forma & magnitudine, tùm foliis, sed angustioribus, multis prædita ramis, copioso flore primùm candido, deinde virescente, ultimò rubescente, qui induratus, est Caryophillum ipsum fructus ipsius arboris, qui quòd clavi formã habeat, clavus dicitur ex certis quibusdam denticulis se stellatim decussantibus, in extremo capite: Nascitur in extremis ramulis myrti modo, hic flos odorat' valde, reliquosq; flores odore & suavitate facile vincit, flagellatione maturi flores hi decidunt in terrã, & colliguntur veluti nuces, emundato priùs circa arborem solo: Enascuntur sæpissimè, ex fructibus maturis, qui in terram relinquuntur, arbores & insitione, & plantatione, multiplicantur nativo in solo, alias nullibi, quia cœlum nõ habent par & idem, ex quo spiritum vitæ suæ, exhaurire possint, absque enim illo peculiari spiritu, res enasci non possunt, ut sæpè diximus, nec item Caryophilli, qui quidem enasci non possint ubique, quamvis ubiq; sit spiritus aquæ & aeris, non tamen tali cœlesti spiritu delibuto, ut in *Caryophilli cur ubiq; nõ enascantur*

ut in his peculiaribus locis imbuitur, non enim ubiq; idem est, & par spiritus aeris & aquæ, quia mutatur mutato Clymate & regione, unde diversa enascuntur diversis in Regionibus, alioquin si non mutaretur, omnia eadem & similia essent, & ubique similia producerentur.

Tamarindi quid sint. Tamarindi autem arbores sunt fraxini aut castaneæ amplitudine, ligno firmo, non fungoso, rami foliis quamplurimis ornati sunt, minutim incisis palmi, magnitudine, fructus adferunt in arcus aut digiti incurvi figuram efformatos, hujus immaturi cortex viret, siccatus verò cineritii coloris est, & facilis est evulsionis, nucleos intus continet, lupinorum, sativorum magnitudine, rotundos sed planos & læves, pulpa eorum nucleorum viscida est, & lenta, & acida est, dum viret attamen suavis & grata. Et in his regionibus cœli loco utuntur Incolæ, nihilominus tamen alvũ excitat & expurgat biliosis & pituitosi humorib⁹. Et gratum admodum fit ex hac pulpa medicamentum, si aquæ Saccharatæ infundatur. In multis Indiæ locis enascuntur hæ arbores, & enutriũtur ab eadem materia, ex qua fiunt & enasci solent, nempe ex spiritu aquæ & aeris, qui in his locis peculiariter disponitur ad has arbores in lucem producendas. *Tamarindorum virtutes.*

Cassia quid sit & unde sit & vivat. Cassia est arbor pyri magnitudine, foliis Mali Persicæ, angustoribus tamen, floribus genistæ perquam similibus luteis, Cariophyllorum odorem imitantibus, quibus decidentibus, siliquæ prodeunt oblongæ admodum virentes, & per maturitatem nigrescentes, & planæ sunt, pulpa satis lenta & viscida, nigra, prunorum nostrorum pulpam redolente. Incidit & apperit & purgat hæc pulpa humores biliosos, & hoc à mercurio suo crudo & acri, quo abundat, & quem ab spiritu aquæ & aeris assumpsit, dum nutritur, & producitur ab ipsomet spiritu, qui ejus est vera materia seminalis, à qua fit, nutritur & conservatur, ex suscitata interiori luce quam alii impropriè ignem dicunt, hæc lux interior convocat aerem & terram, & omnes in aquam agunt, digerũt, coquunt, & coagulant in semen peculiare illius arboris, ex quo enascitur cassia: Non enim credendum est ut cassia omnis insitione & plantatione sola enascatur, in his locis, in quibus sponte enascitur, materia enim rerũ prima quæ ubique reperitur in hisce locis, peculiariter disponitur, ad formam semine peculiaris Cassiæ suscipiendam, ex quo deinde semine, ex materia rerum prima immediatè generato, producitur hæc arbor, & omnia quæ illi insunt. *Virtutes cassiæ.* *Cassia ut enascatur.*

De Rhabarbaro & radice China.

CAP. X.

Rhabarbarum quid sit & unde. PAuci sunt qui nobis Rhabarbari plantam describant optimè, describunt quidem, sed non exactè,

ajunt

ajunt enim esse plantam in interiore Sinarum regione pullulantem foliorum magnorum in acumine desinentium, florenti viriditate prę ditorum: An autem floreat hæc plãta, nemo asserit: hujus radix Rhabarbarum est, quod nobis adfertur ex interiore Sinarum Regione, Camelis per Tartariam in Ormux, hinc in Persiam, Arabiam & in Alexandriam, & hinc per ipsam Europam, quod laudabile sit medicamentum, & jam ab omnibus Medicis & usu ipso quotidiano approbatum, purgat humores biliosos & serosos, & cum levi astrictione, quâ præditum est, roborat ventriculum & hepar, & omnia ferè viscera: novum & recens nobis est medicamentum, veteribus incognitum, cum olim Sinenses suas merces alibi non exportarent: nec nos Europæi, illas longinquas ac remotas orbe Provincias, & Regna, invisere, non in votis erat, jam nihil nobis in orbe terrarum incognitum est, totum orbem visitavimus, & susque deque terram omnem vidimus, Suntque multi, qui totam Indiam, & Sinarum regionem omnem perlustrarunt, & Rhabarbarum nostrum viderunt, solo nativo suo hærens, & asserunt Lapathi esse speciem & Ramicis, sed folia ejus non acescunt, imò potius amarescunt, & astringentem habent qualitatem: crescit etiam in America.

Rhabarbari vires & virtutes.

Radix Chinæ quid sit.

Radix verò Chinæ, est Arundinis majoris radicis similis nodosa, intus alba, interdum, rubescens, foris rubra, ponderosa, solida, pinguis, crescit in China, unde nomen, Sed jam in novo orbe, per totam Americam in Hispania nova, & in Peru magna excrescit copia, ibiq; Lusitani & Hispani serunt & colunt, & magnum proventum ex his radicibus faciunt: Apperit & reserat radix Chinæ obstructiones omnes, & in curandis morbis difficilibus maximi est momenti: Et hoc omne quod habet hęc radix & Rhabarbarum, ab spiritu aeris & aquæ, qui eas radices nutrit & alit & componit, & ex sinu suo educit, naturali ordine jam multoties repetito.

De Gayaco & Sassafras.

CAPUT XI.

Gayacum quid sit.

GAyacum sive Guyacam nostris lignum Indicum dictum, quòd ex India Occidentali sive America exportetur, arbor est magna. Ilicis magnitudine, ramosa, matrice magna, nigri caute, ligno duro, cortice crasso, pingui & gummoso, foliis exiguis: & duris hisque rotundis venulis quampluribus, hinc inde sparsis, flore luteo, quem subsequitur fructus rotundus & solidus, semina in se coercens mespilli propemodum, frequens & copiosa est Insula Sancti Dominici, & Sancti Joannis, & per totam Americam ubi copiosæ sunt hæ arbores, & jure merito à natura, his in locis productæ sponte, & naturali virtute, quòd Ameri-

mericani singulis ferè annis luce Venerea aut saltem simili soleant tentari & affligi, peculiari quodam cœlesti influxu, & temporis quadam peculiari hujusce Clymatis, unde benignus admodum Deus, & misericors, ubi malum collocavit, ibi remedium præstò esse voluit, ad medelam tanti mali. Radicitùs enim expellit lucem veneream decoctum hujusce arboris & obstructiones omnes reserat, & putredinem inhibet, & roborat. Sassafras item arbor est magna. Pini mediocris magnitudine & forma, unico trunco nudo, ramis in cacumine expansis, cortice ex gilvo nigricante, acri sapore, aromatico & odorato, lignum trunci, & ramorum album est, ad cinereum colorem tendens, folio ficulneo, in angulos desinente, & decussato, semper virente, recenti verò & novello, pyri folium incitante, sed vestigia angulorum observat, & suavem semper spirat odorem. Invenitur copiosa hæc arbor, in portubus Sanctæ Helenæ, & Sancti Matthei, in Florida, ubi sunt integræ sylvæ, quæ suavissimum spirant odorem, & venientibus gratissimam umbram. In obstructionibus reserandis & roborandis partibus internis omnibus, nihil efficacius eo, & præstantius, estq; hoc lignum nobilius, & radix hujusce arboris, ligno gayaco, & cortice ejusdem in curandis omnibus morbis, in quibus adhibetur ejus decoctum, sudoris gratia quem elicit summa cum facilitate; Et hoc

Gaiaci vires.

Sassafras quid sit.

Sassafras vires.

habet commune cum Guyaco ligno, ex sale suo & suo sulphure fixo, quibus turgent ex alimenti sui copia, in quo sal & sulphur abundant & in his perinde arboribus etiam turgent, cùm & in alimento quo utuntur hæ arbores etiam turgeant: Nam Aqua & terra horum portuum abundat pinguedine elementorum, ex qua fit sal & sulphur tale, ex quo odores illi suaves, & insignes illæ virtutes & proprietates reserandarum obstructionum, & roborandarum partium: calidum enim innatum nostrum, non potest refocillari, nisi simili aut homogeneo calido innato, quod quidem in his arboribus copiosum reperitur, obpinguedinem elementorum, quâ quidem constat nostrum calidum innatum.

Calidum innatum nostrum qua constet.

De Balsamo, Camphora & Succino.

Caput XII.

Balsamum, Camphoram & Succinum hîc describimus; quod sint vegetantium seu arborum exoticarum lachrymæ, & resinæ, nihil enim siquidem est Balsamum, quod antiquitùs magno in prælio fuit apud Ægyptos, quàm liquor cujusdam arboris, quàm magna cura, & industria curabant Ægyptii, & ne innotesceret alienigenis, nunquam arborem ipsam ostendebant, fabulasque narrabant sciscitantibus de

Balsamum quid sit & qua ratione colliguntur & ubi.

de ea, jam verò, ex America, ex nova Hispania, & Arabia felici, aliisq; locis multis in Europam copiosè admodum adfertur, nec est jam in pretio, ex copia & abundantia, cùm tamen itidem omninò, ac antiquum Ægyptiacum. & habeat easdem facultates, & proprietates: Et colligitur ex arboribus incisis Therebentinæ propemodum instar. Sunt etiam hæ arbores ex quibus colligitur, magnæ magnitudinis, & ad radicem usque ramosæ, duplici septæ cortice, primo duro & crasso, secundo tenui & delicato, & quod educitur ex harum arborum incisuris alba limpidissimaque lachryma est suavissimi odoris & mirabilis virtutis, in cicatrisandis vulneribus recentibus, & in aliis multis curandis morbis, tum internis, tum externis. Et sunt quamplurimæ arbores & diversæ speciei in novo hoc orbe, quæ balsamum fundunt: variaque balsama efficiunt plurimarum virtutum; & hæc omnia balsama nihil aliud sunt quàm pinguedo aquæ & aëris, seu elementorum sulphur, decoctum & digestum in visceribus, & in poris harum arborum, quæ dum vernante tempore, & æstivo, copioso fruuntur alimento, copiosum etiam effundunt balsamum, nam illud ex alimento dependet, ex pinguiori ejus parte.

Camphora quid sit & qua ratione colligatur & ubi.

Camphora item est resina cujusdam arboris, & gummi quoddam, quod ex arboris suæ poris exsudat, est autem ejus arbor Nuci Juglandi similis, foliis candicantibus ex una parte. Gummi hoc reperitur tum in intimis arboris ipsius poris, tum aliquando exsudat, & decidit lachrymatim vel hæret arbori suæ donec colligatur. Est plurimarum virtutum adversus pestem, & febres omnes pestilentes, & inflammationes internas, & gonorrheæ virulentæ est arcanum, nec timendum de ejus nimia frigiditate, falsum enim est, quod de ea effertur, castrat per nares solo odore Camphora mares, nam & ego sæpissimè assumpsi Camphoram ad 81. usque, nec perinde frigiditatem illam ad sterilitatem expertus sum, nec in me ipso, nec in aliis sexentis quibus Camphoram dedi in substantia, & in spiritum & essentiam redactam, ad inflammationes internas conspiciendas: frigidæ tamen est qualitatis, & verum sulphur aquæ & aëris, cui mercurius præest, & dominatur, frigidæ complexionis, quod inibi humidum aquæ & aëris prævaleat digestum & percoctum in visceribus, & ventriculis ipsius arboris.

Camphoræ vires.

Camphoræ vires.

Succinum quid sit & qua ratione colligatur & ubi.

Succinum verò quod & Karabe dicitur, resina itidem est, & gummi sulphureum cujusdam arboris, in septentrionali plaga crescentis, pini imaginem & formam habentis, è cujus poris vel vulneribus funditur & exsudat hæc lacryma, & decidit in terram. Quæque arbores cùm sint sæpissimè maxima in copia propè maris littus, & in insulis ipsis Oceani Septentrionalis, advenit ut

ut mare ipsum fluxu & refluxu suo, has lachrymas rapiat, & deinde in littus maris Germanici deferat, quod quidem dedit occasioné nonnullis existimandi, Succinum esse fossile quoddam gummi, in rupibus maris excrescens & vi fluctuum arreptum, à casu in variis littoribus maris Oceani exportatum: fabulæ quamplurimę de eo enarrantur, quę nullam habent veritatis umbrā, circa ejus productionem: verissimum enim est, gummi, resinā, seu lacrymā esse superiorum arborum, quæ quidem & in multis aliis locis possunt reperiri, modo alimentum proprium & innatum & natale solum ibi reperiant. Gummi enim illud nihil aliud est quàm excrementum vel superfluum quid, ex alimento harum arborum pingue admodum & sulphureum, & id omne ex pinguedine elementorum, quæ alimentum illud constituunt provenire necessum est, in quod tamen etsi sit superfluum alimenti, plurimum est virtutis & energiæ, in curandis multis morbis, in suffocatione matricis & vermibus puerorum enecandis, & in febribus summum est remedium & potentiores habet virtutes, si in quintam essentiam & oleum rectificatum, donec albedinem habeat, reducatur, tunc gratissimum habet odorem & potentissimas habet virtutes, & potissimùm si ex albo succino educatur illud oleum: Nam quod ex flavo educitur, minoris est virtutis, in cicatrisandis vulneribus recentibus, efficacissimum est remedium & potentissimum diureticum, & præsertim sal volatile ejus quo initio suæ distillationis prodire solet.

Succini definitio vera.

Succini vires.

Conclusio libri tertii istius operis.

Caput ultimum.

POssunt quamplurima alia particularia adferri, tùm in nostris Regionibus & solo natali enata, tum in exoticis & longinquis terræ partibus exorta, atque producta ut in crassius excresceret volumen hoc opus, non tamen inde majorem coërceret in se doctrinam, cum hæc quæ diximus, & in præsenti tertio libro enarravimus satis abunde sufficiant ad naturam patefaciendam eorum omnium, quæ in medio aere vivunt & fiunt, quamvis non omnia particularia in medium attulerimus, nam ut hæc quæ attulimus fiunt & componuntur. Sic & reliqua quæ non attulimus, etiam fieri & componi necessum est ex legibus ipsius naturæ & Dei, qui ex una sola re cuncta fieri & componi voluit: Et quamvis sint quatuor elementa, tria principia, & duo mas & fœmina ex quibus omnia constant; nihilominus tamen hæc omnia nihil nisi unum sunt, ex quo solo originem habent & dependent, cognito hoc uno, cognoscuntur & alia omnia, quæ ex illo originem habent. Illud unum descripsimus clare admodum

Deus & natura ex una materia, res omnes faciunt & componunt.

modum toto ferè hoc opere, ut omnia quæ ab ipso dependent clarè admodum & distinctè cognoscantur, & adhuc describemus subsequentibus in libris: Naturam aquæ & terræ perquirendo, in quibus elementis, illud unum miranda opera facit, quæ omnia Deo dante & favente perquiremus, non tamen adeò distinctè, ut indoctis & imperitis fiat manifestum: Non sunt hæ margaritæ porcis objiciendæ nec Asinis lecturæ tantæ porrigendæ, cùm ipsis sufficiant cardui. Claudatur ergò hisce dictis, liber iste tertius, & his solis gaudeant Hermeticæ doctrinæ alumni.

Panchymici Libri tertii finis.





PANCHYMICI SEU ANATOMIÆ TOTIUS UNIVERSI.

LIBER QVARTVS.

IN QVO QVICQVID IN INTIMIS AQVÆ VISCERIBUS COERCETUR CHYMICE INDAGATUR, QVID SIT ET QVIBUS CONSTET.

Aqua quid proprie sit ex Chymicorum Doctrina.

CAPUT I.

Aqua quid propriè sit. AQVAM vident omnes, & cognoscunt, at quid sit aqua paucissimi intelligunt: definivimus nos Aquam capite xvij libri primi hujus operis, Elementum tertium rerum omnium, ex crassioribus mercurii partibus, & subtilioribus salis portiunculis, quæ in Chaos primò inerant per divinam potentiam eductum, ad generationes & productiones rerum omnium: Illud autem quod videmus, & palpamus Aqueum, in fontibus, in puteis, in fluminibus & in mari ipso, non est illud Elementum, quod à nobis definitum est, sed quid aliud mixtum, in quo multa sunt heterogenea; Ignis seu luminis scintillulæ, aeris partes, & terræ quamplurimæ portiones Sal & multa alia quæ solutionem passa sunt, in istud aqueum corpus, abeunt & per-

permiscentur. Quòd quidem est verum Mundi hujus Menstruum. Et quasi sanguis, ex quo fiunt omnes partes mundi, ut ex sanguine, fiunt omnes partes animalium & nutriuntur. Sic ex aqua, fiunt & nutriuntur, conservantur omnia, non beneficio ipsius corporis externi, quod videmus, sed beneficio interni sui spiritus, quem continet in intimis sui visceribus, qui verum est elementum aquæ, is enim solus est spiritus, qui unà cùm spiritibus reliquorum Elementorum spiritum generalem mundi, seu Entelechiam constituit, & eatenus ingreditur rerum omnium compositiones & productiones. Et nunquam solus, & separatus per se reperitur hic aquæ spiritus, quamvis nos multis in locis nominaverimus, in compositione plantarum spiritum aquæ & aëris. Nam hic spiritus qui compositionem plantarum & rerum aliarum ingreditur, non est solus aquæ spiritus, sed est spiritus generalis mundi, qui ex spiritibus aliorum reliquorum Elementorum componitur. Et quia maxima in copia in aqua communi & vulgari reperitur, ideò spiritum aquæ nuncupavimus, non quòd sit solus & purus aquæ spiritus, seu semen aquæ, quod nos spiritum aquæ dicimus, propter tenuitatem & subtilitatem suam, sed quòd reperiatur in ipsa aqua, in qua Deus talem spiritum collocavit, ad commoditatem universi, & partium ejus usum & utilitatem. Sine ipso enim spiritu, qui est vera mundi Entelechia, generationes rerum fieri non possunt.

Omnia fiūt ex spiritu invisibili aqua & aeris

Spiritus aqua nunquam solus est.

Aqua spiritus qua ratione res omnes cōponas & faciat.

Quia autem aqua facili negotio defertur hæc Entelechia per omnes mundi partes; aut enim vaporibus aquæ qui sursum feruntur & undiquaque deferri possunt, defertur hæc Entelechia, vel fluxu ipsius aquæ per universos terræ poros, etiam exportatur, ut res omnes suum hinc desumant alimentum & vitam. Non commodiùs & faciliùs deferri potest vitalis hic spiritus, quàm per aquam: Nam aër subtilis nimis est, & coagulationem & fixationem hujusce vitalis spiritus, pati non potest, & perinde in verum, & ultimum rerum alimentum ibi præparari non potest, terra verò propter crassitiem ubique deferri non potest, & coctionem & digestionem illius spiritus commodè pati non potest, cùm levissimo calore accedente excandescat & aduratur, nisi Aqua temperetur: Aqua verò patitur omnem coctionem, & ibi perfectè digeritur & coquitur: hic vitalis spiritus, donec coaguletur & conditiones omnes acquirat alimenti cujuscumque rei.

Per aquam defertur commodius spiritus universi, quā per alia elementa.

Concludamus ergò Aquam, quam videmus & palpamus, non esse elementum ex quo fiunt & nutriuntur & conservantur unà cùm reliquis.

Aqua visibilis quid sit

quis Elementis, res omnes totius universi, sed esse corpus Aqueum, & humidum, in cujus centro, & in intimis ejus visceribus latitat verum illud Elementum rerum omnium, quòd est spiritus ejus & sua quinta essentia, seu semen suum, ex quo cùm reliquis aliorum Elementorum seminibus fit vera entelechia, seu spiritus ille generalis mundi, qui omnia producit & generat, & generata conservat & alit, quiq. in massam solidam & fixam & facilè fluentem igne, conversus & mutatus, arte mirabili & tamen possibili, melior est & præstantior terra universa, & gemmis omnibus. Est enim Thesaurus vitæ terrestris, & perfectio absoluta & ultima totius naturæ, ut capitulis sequentibus fiet clarius.

Intimum aqua quid & quale.

An Aqua Elementaris contineat in se spiritum illum ex quo fiunt omnia.

Caput II.

Aqua necessitas urgens ad res omnes conservandas.

AQuam Elementarem enutrire omnia, & componere certissimum est, & ipsa experientia notum. Irrorato solo vegetantia cuncta excrescunt, in molem suam, & ferunt fructus secundum genus. Si pluvia & ros quotidianus non decidat super terram, terra sterilescit, & cuncta marcescunt. Animantia quæque potu aquæ abstinere nequeunt, ut neque cibo, & ut cibo egent sic & potu. Nã in potu, æquè ac in cibo consistit verum alimentum. Et si quæ sint, quæ manifesto potu non utantur, non tamen propterea potu abstinent, cùm in eorum cibo quo utuntur latitet potus. Et si sint aves, paradisi aves nuncupatæ, quæ perpetuo, ipso in aëre suspendantur, nec unquam cibum assumere videantur, nec potum, in ipso aëre quem habitant & incolunt, latitat cibus eorum & potus. Nam aër est aqua rarefacta, ut aqua aër condensatus. Mineralia item omnia ex aqua generantur, nutriuntur & conservantur, & in aquam redeunt dũ putrescunt, tanquam in materiam, ex qua facta sunt. Reperiuntur in aqua omnia mineralia, ergo ex aqua fieri necesse est. At cùm in compositione rerum omnium debeant concurrere reliqua elementa. Ergo necesse est in ipsa aqua, esse & reperiri omnia elementa, non possunt autem reperiri simplicia, & ut sunt in natura sua quia sunt contraria, & contraria in uno & eodem subjecto reperiri nequeunt nisi alterata & refracta. Ergo necesse est, aliquid reperiri in ipsa aqua, in quo alterata & permixta sint omnia Elementa. Non potest autem esse aliud quàm spiritus ille generalis, & Entelechia mundi, in qua alterata & permixta sunt omnia Elementa. Nam illud ex quo fiunt omnia nutriuntur & conservantur, debet habere omnia in se quatuor Elementa, cùm omnia quatuor ex necessitate Elementa debeant con-

Mineralia aqua fiunt & in aquã redeunt.

In aqua omnia reperiuntur elementa & qua ratione

ant concurrere ad generationem, nutritionem & conservationem rerum omnium. Aqua autem simplex Elementaris non potest habere omnia quatuor Elementa. Et tamen ex aqua fiunt omnia, nutriuntur & conservantur. Restat ergò aliquid esse, & reperiri in ipsa aqua, ex quo solo fiunt omnia, nutriuntur & conservantur, ab ipsa aqua diversum & distinctum, illud autem vocant Chymici Philosophi spiritum mundi & mercurium, spiritum quòd sit tenuissimæ substantiæ, & omnia penetret, & mercurium quod omnium induat naturam & omnibus adhæreat naturis.

Spiritus mundi quare mercurius dicatur.

Concludamus ergo in ipsa sola aqua perfectissimè reperiri spiritum mundi, & mercurium universi, ex quo solo fiunt omnia, nutriuntur, & conservantur, & perinde aquam esse Sperma mundi, in quo concluditur semen verum, & immediatum, ex quo res omnes nascuntur.

Aqua continet spiritum mundi.

Vndenam Aqua impregnetur spiritu mundi.

CAPUT III.

ANtequam impregnationem istam declaremus, repetendum est qua ratione fiat spiritus mundi ex quatuor Elementis. Sciendum est naturam omnino conatu tendere ad generationem & productionem rerum omnium, habet autem quatuor Elementa inter se discordantia & dissidentia tanquam membra principalia, ex quibus generationes & productiones rerum scaturire debent, Qua ratione, ex dissidentibus & dissonis, ac contrariis fieri possunt generationes, in quibus nihil est contrarium, ac dissonum, arcanum summum est, & valdè mirum in natura. Quatuor Elementa projiciunt in terræ centrum, quod habent subtile & purum, & ratione subtilitatis dicitur spiritus, & ratione puritatis dicitur semen, & virtus & energia Elementorum. In centro terræ residet calidum innatum mundi, quod est sol terrestris, qui suo calore, hæc Elementorum semina miscet & miscendo temperat, & in unum quid reducit, habens virtutes & efficacias omnium Elementorum. Illud unum ex quatuor adunatum & compositum dicitur apud Chymicos spiritus mundi, quòd ex spiritibus Elementorum seu ex partibus eorum subtilibus componatur: hic ergo Spiritus, ex quatuor adunatus, in centro terræ residens, à calore centrali terræ, sursum sublimatur & in vaporem convertitur, & in locis frigidis in Aquam convertitur, & hinc fontes exeunt, & scaturiunt, ut clarius Sectione de fontibus in hoc libro dicetur. Reliquum verò poros terræ penetrando in varia mixta naturalia transmutatur, poros autem aquæ penetrando impregnat aquas, ut in ipsis aquis transmutetur in va-

Spiritus mundi qua ratione fiat, & qua ratione aquas impregnet.

Spiritus mundi ubi resideat.

ria rerum mixta, & ut cùm aquis fit alimentum rerum omnium quas ipse componit. Nam ea quæ componit, oportet ut etiam alat, & conservet, simile enim est alimentum partibus componentibus. Ex hisdem enim nutrimur, ex quibus componimur. Sic clarum est & manifestum qua ratione spiritus mundi aquas impregnat, ut in ipsis in varia transeat rerum mixta, & eorum omnium quæ componit sit alimentum. Non ergò ridendus fuit ille Thales Milesius Græcorum Sapientissimus, asserens aquam principium rerum esse omnium, cùm aqua ipsa habeat principium immediatum, ex quo res omnes componuntur.

Vndenam Aqua facta est, & exorta in principio mundi.

Caput IV.

VErbo Dei firmata sunt omnia: hic est verus fons & legitima scaturigo rerum omnium: nihilominus tamen Theologorum ferè omnium communis est opinio, Deum in principio creasse materiam quandam primam, confusam & indigestam rerum omnium molem, ex qua materia Deus eduxit verbo suo & potentia omnia, quæ jam stant. Unde aqua ex hac massa indigesta & confusa educta est per Divinam potentiam: reliqua omnia Elementa pariter ex hac massa educta sunt, & suis sphæris collocata singula, Lumen siquidem quod est primum rerum omnium Elementum, & quòd massæ istius primæ quasi forma erat & ejus ens activum: nam reliquum materiæ istius passivum erat, materiam hanc agitavit, & suo calore qui semper innatus & proprius est lumini, eduxit omnia rerum Elementa sequenti quasi via. Lumen innatum & intrinsecum materiæ primæ, suo calore peculiari & proprio, quod erat in ista materia subtilissimum, in altum sublimare fecit, & huic sublimationi terminum dedit Deus, ne in infinitum extenderetur spatium, neque poterat naturali virtute ex se ipsa hæc materia in infinitum extendi spatium, cùm tota materia terminata & finita esset. Ex hac ergo materia sic sublimata facti sunt cœli, qui sublimiores sunt, eo sunt subtiliores, quòd eorum materia sursum se elevando, quo altiùs ferebatur, eo subtilior & tenuior, fiebat, quo verò depressiùs, eo minùs subtilior. Ex hac minus subtiliori materia quæ altius ferri non poterat propter crassitiem & pondus ejus, factus est aer, & ex adhuc minùs subtiliori materia, quæ non potuit altius deferri, facta est aqua, unde aqua crassior est ipso aere, quod ex crassiori & ponderosiori materiæ primæ parte, ortum habuerit. Et si nos in primo capite hujus quarti libri dixerimus esse elementum tertium, ex crassioribus mercurii partibus, & ex crassioribus salis portiunculis, quæ in Chaos

Aqua unde educta est.

Elementa qua ratione ex materia prima educta sint.

Materia prima sæpè dicitur mercurius.

Chaos inerant per divinam potentiam eductum, hoc nihil interest huic nostræ opinioni, imò ipsam conformat, cum semper aquam eductam ex crassioribus materiæ primæ portiunculis per divinam potentiam asseramus, in qua quidem materia mercurius, Sal & sulphur inerant, & adhuc insunt.

An Aqua ipsa quam videmus in principio rerum esset simili forma prædita in ipsa materia prima.

CAPUT V.

Materia prima forma & figura qualis.

FVtilis & inanis videtur hæc quæstio nihilominus in rebus Chymicis peragendis, magni est momenti. Nam in reductione rerum, usque ad materiam primam, quam summopere intendunt Chymici, sciendum est quam formam & ideam habere debet materia hæc rerum prima, ut ad quid intendunt, Chymici cognoscere queant: Sunt enim qui materiam primam formam aquæ habere debere contendant, cum vapores, qui ex materia prima sursum elati sunt ad compositionem rerum omnium, non possint educi nisi ex materia saltem aquea & humida, nam vapores semper sunt humidi, ergo ex subjecto humido educi debent, Inquiunt nonnulli Chymicorum: at hæc ex necessitate non concludunt, omnia siquidem Elementa erant confusè permixta in massa illa indigesta prima, & perinde ratione aeris & aquæ, in quibus naturalis & innata humiditas reperitur, poterant vapores sursum efferri. Non inficias tamen ire vellem materiam primam Aqueam potius retinere formam & ideam, quàm reliquorum aliorum elementorum imaginem obtinere, quòd forma aquæ sit convenientior & aptior ad res omnes efformandas, quàm forma aliorum elementorum. Non tamen materiam primam dicimus fuisse aquam, cùm omnia in se contineret, æquè enim potest dici cœlum, aer & terra, quàm aqua. Et si quis neget aquam esse, verum dicit. Ita ut de ea asserere valeamus, Aquam esse, & non aquam, aerem esse & non aerem, cœlum esse & non cœlum, terram esse & non terram, & sic his contradictoriis affirmationibus ostendimus materiam primam rerum omnium, non verè & realiter esse aliquod elementorum, sed omnia in se habuisse confusè mixta, ratione cujus permixtionis possumus constituere affirmativas propositiones, & dicere, materiam primam esse res omnes, quæ in ipsa confusæ erant & indistinctæ: his ita præmissis asserere possumus conclusionis loco, Aquam quam jam videmus & palpamus, non eadem & simili forma præditam fuisse, dum confusa & indistincta erat in intimo materiæ primæ si- *Materia prima aqueæ forma potius quàm aliorum elementorum.*

 nus

Materia primæ forma Salis soluti.

nu, sed ipsam quam jam obtinet formam in separatione, & distinctione rerum obtinuisse. Materiam autem primam habuisse formam, & imaginem Salis soluti potius quàm alterius rei. Et verè res omnes asserimus esse reductas in materiam suam primam, dum in salem suum solutum, & per putrefactionem transactum videmus. Res omnes siquidem resolvuntur in salem, & ulteriorem non habent resolutionem, sed hîc quiescunt, & ab eo generationes putrefactionis beneficio exoriuntur, unde cùm Sal, sit ultimus in resolutione, & primus in compositione, materiam veram esse primam, rerum omnium asserere possumus, seu materiam primam habere Salis imaginem & ideam, in quo sunt omnia. Ignis seu cœlum & lumen, aër, aqua & terra. Ex radiante ejus splendore cœlum & lumen in eo conclusum conspicimus. Ex limpiditate & diaphanitate aërem. Ex humiditate aquam, & soliditate terram conspicuam & certam habemus. Ex eo scimus enasci posse animalia vegetantia & mineralia quæque, & in illum ipsum reduci posse, ergò Sal primus est in compositione rerum omnium & ultimus in resolutione. Ergò materia rerum est prima.

Sal quare materia prima formam habeat.

An Aqua contineat in se calidum innatum & humidum rerum omnium.

Caput VI.

Aqua continet rerum omnium calidum.

Diximus superioribus in capitulis, Aquam continere spiritum mundi, & materiam rerum primā. Ex hac autem fit, & producitur calidum innatum, & humidum primigenium rerum omnium. Ergò cum materia rerum prima contineat in se humidum radicale, & calidum innatum rerum omnium, & hæc contineatur in ipsa. Asserere verè possumus Aquam continere in se rerum omnium calidum innatum, & humidum primigenium. Videmus etiam & experimur omnes res ut superiùs probavimus aqua indigere, ut nutriantur, fiant & conserventur, hinc ergò necesse est aquam continere humidum radicale, & calidum innatum rerum omnium, alioquin res omnes aqua nutriri, fieri, & conservari non possent, si in ea non esset aliquid quod refocillaret, & repararet, humidum & calidum naturale earum: reparatio enim & refocillatio humidi & calidi innati fit & debet fieri à simili & eadem substantia illam autem substantiam similem & eandem, verè & propriè nuncupare possumus; calidum innatum, & humidum primigenium, cujuscumque rei, cùm illud reparetur & refocilletur ab ipsa substantia quæ est in intimis aquæ,

quæ. Nux, oliva, vinea, quercus & reliqua ejusmodi vegetantia, aurum, plumbum, argentum, adamas, hyacinthus, Rubinus, & reliqua omnia mineralia: bos, Asinus Equus, Simia, psittacus, piscis, & reliqua cuncta animalia fiunt, nutriuntur, & conservantur aqua. Ergo in intimis aquæ, latitat eorum calidum & humidum primigenium, beneficio cujus tantum possunt fieri, nutriri & conservari. Alioquin non possent ex aqua fieri, nutriri & conservari, uti probavimus multis in locis.

Concludimus ergo, humidum radicale rerum omnium, & calidum innatum earumdem, in intimis aquæ coerceri, & perinde semina rerum omnium, cum semen & calidum innatum, & humidum primigenium convertantur.

Aquarum omnium motus circa terram undenam proveniat.

Caput VII.

Aquarum motus unde sint.

MOventur aquæ circa terram undique; tùm versùs Orientē & Occidentē tùm versùs Septemtrionem & Meridiem, & circa medias alias mundi partes, undenam autem motus hìc exoriatur, pauci sunt, qui noverint. In hydrographo nostro, jam in lucem edito attulimus omnes rationes hujusce motus quas jam confirmamus. Et novam hìc adhuc attulimus, & generalem: verissimum est à centro terræ per Archæum naturæ prodire aquas, quòd ibi fabricetur & conficiatur spiritus mundi, à quo fiunt aquæ, & scaturiunt fontes omnes aquarum. Ut autem ibi redeant unde ortum habuerint, circa terram omnem fluunt, ut ad centrum tendant, ex quo ortum habuerunt, & per poros terræ insensibiliter tendunt ad ejus centrum. Et interim alimentum deferant universæ terræ, aut omnibus quæ egent in ipsa terra alimento: Tandem ad centrum petunt ut ibi digerantur & percoquantur, & in spiritum mundi generalem reducātur à calore centrali terræ. Est enim hic generalis naturæ scopus, & finis, ut ex omnibus Elementis fiat quinta quædam essentia, quam spiritum mundi multi dicunt, alii semen naturæ nuncupant, ex quo res omnes habent nasci. Ut autem omnia Elementa, fiant spiritus ille generalis, seu Quinta illa essentia, & semen illud generale naturæ, concurrant necesse est omnia naturali sponte, ad terræ centrum, ubi digeruntur & percoquuntur in quintam illam essentiam à calore centrali terræ, hinc deinde ab ipso eodem calore sursum pellitur & sublimatur, ad superficiem usq; elementorum omnium, ut elementa omnia hinc vivificentur, & apta fiant ad generationes omnes producendas. Aqua autem cùm sit ultima elementorum circa terram & centrum ejus, & in ea permixta

Scopus & finis naturæ qualis.

ſint reliqua elementa, tendit ſuo motu undique ad centrum terrę, ideo circuit terram omnem, ut tandem per poros terræ deferatur ad centrum. Vel patenti via & manifeſta tendit ad mare, ubi eſt congregatio omnium aquarum, à mari verò patenti via tendit versùs Septentrionem, ubi dantur Eurypi quatuor, & Fluenta, quæ tanta ac rapida violentia, ad polum arcticum tendũt, ibiq; degluriuntur in terram, ut nemo exprimere poſſit hanc violentiam, quâ totus Oceanus hiſce quatuor Eurypis defertur ad polum, ut ibi deglutiatur & voretur ab ipſa terra: Sunt multi qui viderunt hos Eurypos & periculum nonnullarum viderunt navium, quæ ab ipſis raptæ Eurypis nũquam amplius viſę ſunt, & conſpectæ. Rapitur his in locis totus Oceanus, ut Aqua integra univerſæ terræ ad centrum eat, ibique deferat reliquorum Elementorum eſſentias ut coquantur, & digerantur, in veram illam Elementorum omnium quintam eſſentiam, quam nos ſpiritum mundi & naturæ dicimus, & ſemen, ut ab eo ſemine fiant & producantur omnia: Et ſic aqua univerſalis movetur circa omnes terrę partes, ut ad centrum terræ pervenire queat, quod ſequenti capite clariùs adhuc & manifeſtiùs aperiemus.

Aqua omnes ad Septentrionem vergunt & quare.

An Aquæ omnes trahantur à polo arctico ut deferantur ad centrum terræ, & hinc rejiciantur per polum antarcticum.

CAPUT VIII.

CErtiſſimũ eſt omnes aquas, Septentrionem versùs deferri. Nã quamvis motu manifeſto videamus fontes, fluvios & flumina maxima & prægrandia, ad Meridiem, ad Orientem, ad Occidentem fluere, nihil intereſt, fluunt ad has partes, ut ab his tendant & vergant ad Septentrionem. Nam tendunt ad Mare quacunque ratione ferantur circa terram: A mari autem motu inſenſibili ad Septentrionem vergunt donec perveniant ad Circulum Polarem arcticum & ad Zonam frigidam, ibi manifeſto motu, quatuor ex locis, ubi nunquam glaciatur aqua propter rapiditatem motus ipſius, defertur totus Oceanus versùs Axem polarem, ubi voragine ſumã deglutitur & voratur aqua tota ipſius Oceani. Mirũ naturæ arcanum cujus rationes, & cauſas nemo adhuc perveſtigavit, quia hic motus incognitus fuit, donec per navigationes notus factus eſt: Eſt autem hic motus aquarum omnium, versùs Axem Polarem, ut in eo ipſo Axe Polari, deglutiatur aqua, deglutitur autem, ut per Axem patenti via deferatur ad centrum terræ, tanquam ad ſtomachum & ventricu-

Aquæ omnes ad Septentrionem tendunt.

Centrum terræ eſt ventriculus univerſi ut

Aqua ibi digeratur.

triculum mundi, ut ibi coquantur aquæ, & digerantur, & fiant universale mundi & naturæ alimentum. Quod digestum est, & percoctum in illud alimentum terræ universæ concreditur ad res omnes alendas. Quod autem remanet indigestum & incoctum per polum antarcticum mittitur foràs, ut terras iterum circumeet. & sic vagando impregnetur spiritu cœlesti & aëreo, & iterum perveniat ad polum arcticum, ibique devoretur, & ad ventriculum suum deferatur, ut digeratur & coquatur. Et sic perpetuo rotatur circa terram, ut impregnetur spiritu Elementorum omnium & intra terram permeat, ut absolvatur spiritus ejus coctio & digestio. Vt enim omne alimentum, in individuis & particularibus mundis, seu mixtis attrahitur magnetica, & insensibili quadam virtute, ab omnibus naturæ mixtis, ut coquatur & digeratur, in eorum proprium alimentum, facta tali digestione, quod reliquum est indigestum & incoctum foràs rejicitur, tanquam excrementum, ut iterum aliam patiatur coctionem, & tandem redeat in alimentum. Sic Aqua ex eius naturæ, quæ est alimentum suum generale, attrahitur ab ipsa natura, in centrum suum, seu ventriculum, ubi residet calor suus digestivus & pepanticus, ibique coquitur, & coctum per universam terram mittitur in alimentum rerum omnium: Quod

Aqua qua ratione attrahatur ad centrum terræ.

verò incoctum & indigestum remanet, mittitur foràs per patentem locum, nempe per polum antarcticum ut iterum varias subeat alterationes, & novo, uti diximus impregnetur spiritu Elementorum, & iterum redeat in ventriculum naturæ, ibi percoquatur & digeratur in illud generale alimentum. Sic manifestum est, cur aquæ omnes tendant ad polum arcticum. Et à polo antarctico rejiciantur. Qui navigarunt ad polum australem viderunt illum aquarum è polo antarctico effluxum, cum tanta violentia, ut nullo pacto remis nec velis contra ire licitum sit, ut & in polo arctico, tanta feruntur rapacitate versùs polum, ut neque remis, neque velis, ab ipsa aquarum rapacitate ulla extricare se possit Navis, si interdum in ipsas Oceani Euripi casu deveniat.

Aquarum effluxus per polum antarcticum jam notus.

His ita præmissis, certissimum esse asserimus, aquas omnes ad axem polarem arcticum, & Septentrionem tendere, naturali sua sponte, & virtute magnetica poli, qui attrahit aquas, ut eas deferat, & exportet in ventriculum naturæ, seu centrum terræ, ad eas digerendas & percoquendas in alimentum, & semen generale rerum. Quod verò remanet indigestum & incoctum post separationem cocti & puri, rejicitur foràs, per polum antarcticum: Ita ut Polus arcticus attrahat & polus antarcticus rejiciat, ut in rebus omnibus particularibus.

Polus arcticus attrahit aquas & polus antarcticus rejicit illas.

ribus fit attractio alimenti, & rejectio excrementi.

Aqua cur terram universam circundet.

Caput IX.

Aqua cur terram circundat totã rationes multæ.

QVamplures & multiplices sunt rationes, cur Aqua terram universam circundet, aut fontibus, aut rivulis, fluminibus, lacubus, & mari universo. Prima & potissima ratio est, quia aqua tanti est momenti, ratione alimenti universalis, & spiritus, quem secum defert, ut minimam terrę partem deserere nõ debeat, quin illi debeãt deserere spiritum hunc, ad generationem & productionem & conservationem alicujus rei. Lapides, arenulas vermiculos, bestiolas, herbas, & vegetantia, & mineralia nonnulla ubicumque producuntur: Ergò necesse est ut per totam terram deferatur spiritus ille, rerum omnium opifex. Non potest deferri nisi per aquam, ideo necessaria est aqua, ut terram universam circundet.

Secunda ratio.

Secunda ratio est, ut calor innatus terrę, in centro ejus residens velut Sol alius terrenus, continua aquę humiditate, & frigiditate temperetur, ne excandescat, & totam comburat terram unà cum rebus omnibus in ea contentis, ut enim aer tẽperat sua humiditate calorem solis cœlestis ne pereant omnia, quæ in ipso aere vivunt, & in aquis & super terram. Ita aqua data est, ut temperet calorem solis terreni, ne ipsa deficiat terra, & nimis exsiccetur & tabescat.

Tertia ratio

Tertia ratio est, ut generationes & productiones rerum omnium fieri valeant, quia in humido & ab humido incipere debent, & in sicco terminari. Ideo terra, ultimum est Elementorum ut generationes in sicco illo Elemento terminentur & radicentur. Aqua autem circundat terram ut ab ipsa tanquam ab humido Elemento incipiant generationes omnes: non potest enim fieri putrefactio, quæ est principium generationis, nisi in humido: Et quamvis ab spiritu generali fiant immediatè generationes, nihilominus tamen oportet ut spiritus hic putrescat & alteretur antequam ex eo fiant generationes, non potest autem putrefieri nisi in sola aqua, ideo data aqua est, & terram circundare oportet, quia per totam terram generationes fieri habent, ideo deferatur aqua per totam terram oportet.

Putrefactio fieri non potest nisi in humido.

Quarta ratio.

Quarta ratio est, ad ornamentum totius naturæ, & utilitatem rerum productarum, nisi enim aqua ubicumque reperiretur, natura manca esset & imperfecta, cum ubicumque nutrire non posset producta & generata, desineret enim hac in parte, & Matris piæ officio non fungeretur, quæ semper enutriendorum Filiorum curam habet. Adferri possent aliæ multæ rationes, sed allatæ sufficient Hermeticis, ut necessi-

Nihil aqua carere potest cessitatem aquæ cognoscant, cujus necessitas tanta est, ut nihil sit in rerum serie quod ea carere possit.

An Aqua sit Sperma vel menstruum mundi.

CAPUT X.

SVperiori in capite vidimus necessitatem aquæ in rebus omnibus perficiendis & enutriendis, jam verò probandum est, Ex necessitate ipsius aquæ, in natura ipsa, aquam ipsam esse Menstruum naturæ, quo menstruo, putrescit sperma ipsius naturæ, ut semen intra conclusum actuetur, & induat varias rerum formas. Itaque cum sperma sit corpus in quo concluditur semen cujuscumque rei, jure meritò hac ratione Aqua erit sperma mundi, & naturæ, cũ in se concludat semen ipsius naturæ, Menstruũ etiã erit, cum semen nutriatur & augeatur ipsa aqua, Menstruum enim dicitur illud, ex quo semen, & genita, & producta ex semine, augentur & crescunt, nullo autem pacto dubitandum est, quin semen totius naturæ, & producta semine omnia augeantur, & crescant aqua, videmus enim hoc ipsum, & experimur quotidianâ experientiâ. Duplici ergo ratione & via, aqua dici potest, & Sperma Mundi, & Menstruum. Primò Sperma mundi, quòd semen totius naturæ in se contineat, uti probatum est, & menstruum quod producta omnia naturalia & eorum semina crescant, & augeantur ipsa aqua. Secundò quòd omnia materialiter producantur ex aqua tanquam ex spermate & foveantur aqua, tanquam menstruo, ut in eo digeratur & percoquatur semen verum rerum omnium, quod in aliis Elementis rectè & perfectè percoqui non potest, aqua non mediante.

Aqua est Sperma mũdi & menstruum.

Menstruum quid sit.

Concludatur ergo Aquam Elementarem quam videmus, & palpamus, totius naturæ esse verum sperma, atque mundi hujus universi verum menstruum, in quo & ex quo semina rerum omnium excrescunt, & multiplicantur dum actuantur, & in lucem prodeunt.

An ex Aqua tanquam ex Spermate & Menstruo mundi cuncta formata fuerint.

CAPUT XI.

AQua quatenus est Sperma, & Menstruum mundi continet in se spiritum generalem totius naturæ, opificem rerum omnium. Et eatenus omnia ex aqua formata sũt: divisa est à creatore in quatuor partes, in purissimam, in puriorem, in simplicem, puram, & in crassiorem. Ex purissima aquæ parte facti sunt Cœli, & omnia quæ in cœlo sunt, ut probatum est libro Secundo hujusce operis, unde cœli dicti sunt ab Hæbreis aquei, quòd ab aqua facti fuerint. Ex puriori deinde materia subsequenti post compositionem

Aqua omnia fiunt & enascuntur.

cœlorum, factus est aër, unde aer dicitur aqua rarefacta. Ex simplici deinde pura aqua, facta est ipsa aqua, quam videmus, in sphæram suam permanere. Ex crassiori autem ejus parte, facta est terra, quæ ut crassior & ponderosior, centrum occupat mundi. In cujus centro latitat & residet crassior & ponderosior lucis pars, quæ sua condensatione propter crassitiem comburit & ideo ignis dicitur, propriè tamen lux est condensata, quæ in spermate mundi, in crassiori ejus parte relicta est, ad conservandum calorem innatum totius naturæ in centro, æquè in superficie: Si enim omnes mundi partes luce donatæ & prædictæ sint, centrum mundi quod est quasi Cor totius naturæ ea luce privatum esse nequit. Sic formata sunt quatuor Elementa, ex Menstruo & Spermate Mundi, quod nos Aquam superiori in capite nuncupavimus.

Lux creata cur in centro terræ esse debeat.

Quòd autem hæc ita facta sint uti diximus, jam probandum venit, certissimum enim Deum naturæ Opificem sua voluntate, & suo verbo fecisse mundum, ex nihilo nulla præsupposita materia, in instanti voluntatis suæ, & Elementa omnia disposuit, & cuncta quæ in eis sunt, ut jam reperiuntur collocata, nos ut illam creationem momentaneam comprehendere valeamus, & sensibus nostris accommodare queamus, tempus aliquod, ut Moses in sacris fecit literis, ponere volumus in creatione mundi. Primo die fecit materiam quandam confusam, in qua omnia confusa & indigesta permixta aderant. Ex illa materia quam nos Aquam dicimus Sperma mundi continentem, & Moses Abyssum. Subtiliores partes eduxit Deus, & ex his Cœlos fecit, cùm enim jam cœlos puros, lucentes, & radiantes videamus, ex purissima materiæ mundi parte factos esse credendum est, cùm purum & subtile valdè, lucens & radians experiamur. Cùm verò jam aerem conspiciamus subtilem admodum, & penetrantem, & ferè sensus nostros effugientem, propter ejus subtilitatem, arguendum ex necessitate est, factum fuisse ex puriori materiæ parte, non tamen ex purissima, cùm cœli aere sint puriores, ideo ex purioribus partibus factos esse credendum est, quàm fuerint partes ex quibus aer ipse factus est. Et cum etiam experiamur aerem esse subtiliorem & puriorem ipsamet aquâ quam videmus, ideo credendum est, aerem factum fuisse, ex purioribus & subtilioribus partibus, quàm sint ipsæ partes, ex quibus facta est aqua. Et ultimo cum conspiciamus terram esse omnium Elementorum crassiorem, ideo conjectandum est, terram factam fuisse, ex crassiori materiæ primæ parte.

Creatio mundi ut facta fuerit.

Cœli unde facti.

Aer unde factus.

Aqua unde facta.

Terra unde facta.

Unde concludere oportet nulla labyrinthea difficultate, Aquam tanquam Sperma & Menstruum mun-

Ex aqua prodierunt reliqua Elementa.

mundi cuncta formasse Elementa, & perinde omnia quæ in ipsis Elementa vivunt & conservantur: Nam, ut inquiunt Scholæ. Quod est causæ, est etiam causa causati.

Aqua cur partim volatilis, partim fixa & permanens habeatur.

CAPUT VII.

Aqua cur partim volatilis & partim fixa.

VApores perpetui debent sursum efferri ex aqua, ad sustinendam machinam mundi. Nam cùm aer convertatur in aquam, & condensetur in eam, & à luce & calore ejus ita rarefiat ut convertatur in lucem, necesse est, ut deperditio hæc restituatur, ex aqua desumi materiam ad aeris partes restituendas. Sic necessarium est ut præcipua aquæ pars sit volatilis, ut sursum efferatur, & in aerem abeat. Sic etiam spiritus mundi aquæ conclusus dum sursum effertur, unà cum vaporibus ex aqua prodeuntibus, permiscetur Elementis omnibus, circulatione illa & elatione, purificatur depuraturque sublimatione illa, & circulatione, ut ex purioribus ejus partibus puriora fiant, & pulchriora rerum mixta. Sic aqua volubilem expostulat substantiam, ut possit sequi & concomitari volatilem spiritus mundi essentiam & nunquam deserere. Permanentem etiam & fixam expostulat substantiam, ut in ea radicari & fixari possit spiritus mundi essentia, ut hinc res omnes fixæ, & permanentes. fieri & produci queant, ut sunt lapides omnes & metalla, & reliqua cuncta, quæ fixam habent & permanentem substantiam, hæc pars Aquæ fixa, est ejus pinguior portiuncula, quę plus spiritus mundi, seu mercurii, Sulphuris & Salis continet, quàm alia pars volatilis, ex qua quidem parte, nobiliores & præstantiores fiunt res naturales, in genere mineralium, hæcque pars summoperè est consideranda Hermeticæ Doctrinæ Filiis, hæc enim pars, cum parte fixa metallorum perfectorum & imperfectorum, quę incredibilia sunt apud Alchymiam manifestat & ostendit, si quis enim conjungere sciat cùm illa metallica substantia quæ Chymiæ faciendæ est necessaria attamen absque volatili nihil est utilitatis in arte Chymica. Ut & in natura, utraque est pernecessaria, in rebus producendis, & conservandis.

De Aqua Chymicorum, qua ratione differat ab Elementari, quid sit & ubi inveniatur.

CAPUT XIII.

AQuam Chymicorũ multi quærunt, rari suntqui eam inveniãt. InChymia faciẽda nihil boni & utilis obtineri potest, nisi mediãte tali aqua. Et ut sine aqua elemẽtari in Ma- *Aqua Chymica quid sit seu mercurius.*

crocoſmo natura nihil agere poteſt, pari modo in Chymia peragenda, nihil Philoſophi peragere poſſunt ſine Chymica iſta aqua, quam poſſumus definire humidum metallicum, naturis quatuor Elementorum impregnatum. Solis & Lunæ influxu & radiis illuſtratum, ac quaſi maceratum. In centro terræ decoctum & per vaporem à calore centrali terræ ſurſum ſublimatum, ut in matrices diſpergatur ibique coquatur in metalli naturam, & eſſentiam ſecundum puritatem matricis & vaporis ipſius, qui ſurſum dum effertur inficiari poteſt, & ſecundum infectionem varias metallorum producere formas: Ex his longa Chymicæ aquæ deſcriptione, & definitione, eſſentiam ejus & naturam ſatis clarè me manifeſtam feciſſe puto, & qua ratione differat ab Elementari. Non enim hæc eſt aqua Elemẽtaris, quamvis ejus habitaculũ & domus habeatur ab omnibus. Et ubicumq; aqua reperiri poteſt ibi etiam aqua inveniri queat, unde in montibus & in aëre ipſo ſæpiſſimè ſcandit, & in ipſo aëre purior invenitur, & beati ſunt terq; quaterq; beati, qui in aëre capere norunt, radiis Solis vel Lunæ fulti, & ad hanc prædam excitati, quam aſſerimus Cervam eſſe aëripedem aurea habentem cornua, in Menaleo Monte habitantẽ, ſoli Herculi aut ejus ſimili reſervatam. Ne quis exiſtimet facilis eſſe captionis. Per quadraginta ſiquidem annos ego ipſe laboravi, nec adhuc hujus

Nec tamen aërem eſſe putas, eſt quid metallicum quod cum aëreum ſit aër dicitur & puriſſima ſolis vel ſubſtantia fixatur & figitur.

Cervæ cognitionem habui, & poſt cognitionẽ adhuc per tres aut quatuor annos laboravi, antequam rectam & legitimam ſcire poſſem ejus præparationem. Tandem miſertus eſt mihi Deus: Ejus enim pręparatio eſt, Secretum Secretorum Dei. Nam ex ſeptemplici ſcaturigine exſurgit, ſed hęc haberi nequit quin quis prius, ex aqua, vel aëre vel terra ipſa deſumat & hauriat aquam noſtrã primam, cum qua deinde facili negotio illam exhauries, quę planetis noſtris occulta latet, hæc inutilis eſt & infructuoſa abſq; priori. Ambæ putrefieri habent & conjungi, ut ex duabus aquis mortiferis fiat una aqua ſalutis. In operibus meis particularibus unam tantum deſcripſi qui tunc temporis hanc ſolum cognoſcebam. Jam verò ambas vidi & deguſtavi, & propterea cognitionem harũ patefacio in quantum legibus artis, & arcanorum naturæ præceptis mihi licitum eſt. Nunc unam, nunc alteram ſeorſim & nunc ambas ſimul manifeſtãdas præbeo. Quocirca invenietur aliquid in hoc opere, quod cum meis præcedentibus quadrare non poterit, nihilominus Deum teſtor vera omnia eſſe, & neceſſaria ad cognitionem Chymicam & ſine horum omnium cognitione neminem pervenire poſſe ad optatũ obteſtor. Quòd ſi in pręcedentibus meis operibus omnia quæ ad artem conferunt & ſpectant, non dixerim, ſufficit aliqua eaq; maximè neceſſaria, & ſine quibus ars compleri non poſſe, dixiſſe

Aqua Chymica munit lis abſque metallis.

Aqua Chymica cognitio neceſſaria.

dixisse & enarrasse. Scio quamplures Philosophos, qui artem habēt completam & perfectam, me ex praecedentibus operibus non artem habere, olfecisse, quod quidem libenter fateor. Sed jam misertus est mihi Deus. Et aquas mihi patefecit aridas valdè, ex quibus verum paratur Sulphur, cujus solius decoctio cum fermēto perfecto absolvitur opus. Millies erravi super veram & legitimam materiam ut & Pontanus, quia verum ignem naturae, ut ipsemet Pontanus non habeam, nec uti eo sciebam, & ipsum applicare subjectis convenientibus & propriis ignorabam. Sed redeamus ad conclusionem nostram, qua asserere cum veritate possumus Aquam Chymicorum ubiq; reperiri, & sine ea neminem vivere posse, in metallis habitare, in mari residere, in fluviis fluere, in fontibus scaturire, in puteis permanere, aerem, aquam & Elementa omnia vivificare, & mundum integrum replere. Et tamen paucos & raros esse Philosophos, qui eam cognoscant, & rarissimos qui eam praeparare sciant.

Errores authoris.

Ex cognitione Aquae Elementaris, verè dependet totius naturae cognitio.

CAPUT XIV.

Aqua Elementaris cognitio necessaria valde.

TAnti est momenti cognitio aquae Elementaris Philosophis omnibus, ut si aquam ignorent, Philosophos esse nullo modo posse verè dixerim: Est enim materia qua utitur natura in componendis rebus omnibus, ut res noscamus, necessario habemus cognoscere materiam, ex qua fiunt res omnes. At insurget Physiculus, fiunt etiam ex igne, ex aere, fiunt ex terra aequè ex aqua, ergo cognitio aliorum Elementorum aequè est necessaria, ac aquae cognitio. Sed non videt Physiculus naturam non assumere ignē visibilem & materialem, nec aerem, neque terram, sed assumere aquam visibilem. Et ex ea omnia visibiliter componere, nutrire, & conservare. Assumit ergò veram aquam visibilem in qua quidem sunt reliqua naturae Elementa, non tamen ut existimant Scholastici Philosophi, qui putant omnia Elementa in aqua ipsa permisceri aut permixta fuisse, in principio creationis mundi, & ab eo tempore in ipsa aqua permixta mansisse. Permixta quidem veniunt in ipsam aquam. Sed in ipsa non permiscentur, sed in centro terrae ubi conveniunt, & calore centrali Mundi, digeruntur & coquuntur, in semen, & spiritum naturae, uti pluries diximus, ab eo centro per vapores in aquam & reliqua alia Elementa deveniunt sublimato & evaporato eorum semine, in quo verè permiscentur. Et sic impregnantur Elementa Elementis, quòd eorum omnium semen deferatur ad singula. Sic Aqua impregnatur aliis Elementis, dum impregnatur eorum omnium semine, quod quidem est tenuissima pars & subtilissima

Elementa qua ratione impregnentur Elementis.

corporis sui, nam totum corpus non liquatur & effunditur in semen, sed tantum tenuissima ejus pars, quæ habet virtutem & efficaciam totius. Sic semen Elementorum omnium habet & possidet efficaciam & proprietatem Elementorum omnium: Unde cùm aqua possideat & coërceat in intimis suis visceribus, semen Elementorum omnium, possidet & obtinet beneficio illius seminis proprietates & virtutes Elementorum omnium: Si ergò perfectè cognoscamus aquam, cognoscere oportet & ea omnia quæ in ea sunt, cum autem semen omnium Elementorum, substantialiter in ipsa reperiatur, ex semine noto, cognoscitur & corpus, ex quo est semen derivatum. En ergo cognitionem omnium Elementorum ex cognitione aquæ, Animalia supersunt, vegetantia & mineralia cognoscenda, nihil enim aliud est, in tota & universa rerum serie. Vidimus superiori in libro Animalia qua ratione fiant, & vegetantia ex intimis ipsius aquæ, qua ratione nutriantur, & conserventur ex hisdem, ex quibus ortum habuerunt. Et si animalia & vegetantia pernoscamus, cùm partes eorum intimas notas & manifestas habeamus, quidni & mineralia nota habuerimus, cum ex hisdem fiant, nutriantur & conserventur. Idem enim est inferius, quod superiùs, & superius quod inferius. Ex ipso Philosophorum, & Chymicorum Patre Hermete, id est ex hisdem & similibus producuntur inferiore terræ, hoc est mineralia, ac superiora, hoc est animalia & vegetantia, quæ in superioribus terræ partibus procreari solent. Omnia siquidem ex intimis aquę produci solent. Si semen ergo eorum omnium pernoscatur, & quo modo & qua via ex semine illo illa omnia fiant apprimè videamus, certissimum erit ac verissimum nos omnia cognoscere, quæ ex semine fiunt, nota enim causa, noscitur & effectus ejus. Cùm autem ex Aqua omnia fiant mediante suo spiritu, qui in ejus visceribus includitur, & viam & modum quo fiunt pernoscamus, quidni concludemus, nulla difficultate detenti. Ex cognitione Aquæ & eorum omnium, quæ in ea coërceentur, totius naturæ cognitionem dependere. Et nihil mirum est, si ex cognitione aquæ omnia scibilia dependeant. Cùm & Antiqui hoc fassi sunt, per aquam enim, scientiam rerum omnium intellexerunt, cùm olfacerent Aquam fuisse principium rerum omnium, Ex quo Deus Naturæ Opifex, per quod, & in quo omnia fecit & produxit sua infinita potestate & immensa misericordia, quod est, & quod futurum erit, nihil enim sine ipsa Dei misericordia existere potest, nec futurum esse valet; gratias ergò infinitas agamus misericordiæ Dei, quòd nos non fecerit bruta nec vegetantia, nec lapides, nec metalla, sed homines intellectuales & rationales, cum glo-

Ex cognitione aquæ dependet tota naturæ cognitio.

Per Aquam scientiam rerum omnium intelligebant antiqui.

glorificandum, omnia siquidem ex uno, per unum & in uno fiunt, & in illud ipsum redire debent, ex quo ortum habuerunt.

DE HIS OMNIBUS ET SINGVLIS QVÆ IPSIUS AQVÆ SPHÆra continentur.

SECTIO PRIMA,

De Mari & de his quæ in eo sunt, Mare quid sit & unde Ortum

CAPUT I.

Mare quid sit.

ARduum admodum est, Mare definire, cùm in eo multa sint & reperiantur, quæ intellectum fugiunt humanum: Moses tamen sacrorum sacer Interpres Congregationem aquarum omnium *Maria* dixit; Ex his ergo verbis integram possumus construere Maris definitionem: asserendo, Mare nihil aliud esse, quàm congregationem omnium aquarum, quæ à prima rerum materia separatæ sunt ad utilitatem & commoditatem totius universi. Ex hac definitione colligi licet undenam ortum habuit Mare. Nam cùm separatæ fuerunt aquæ ab ipsa rerum materia prima, & in universam terram dispersæ, ad generationem rerum omnium, postquam functæ sunt officio suo, & postquam spiritum, quo replentur generationibus insumpserunt, congregantur in unum & fiunt Mare, ut iterum ad centrum terræ & mundi redeant, ibique iterum coquantur, & impregnentur eodem spiritu, & à centro iterum dispergentur per totam terram, & sic circulatio fit perennis & perpetua aquæ circa terram, ad generationes efficiendas, & in actum perducendas: Sic Mare fit ex aquarum omnium congregatione, & Mare non regurgitat, quia à mari tendunt ad centrum terræ, ut major pars aquarum convertatur in spiritum mundi, per calorem centralem terræ, & quod est superfluum & reliquum, per Polum antarcticum mittitur foràs, ut iterum redeat ad circumferentiam terræ & impregnetur Elementorum seminibus, & sic impregnata aqua redit ad centrum terræ, per polum arcticum, quo magnetica & naturali virtute attrahitur, ut ad centrum deferatur & sic celebratur circulatio illa perpetua aquarum, quam pauci sciunt, quamvis præ oculis omnium fiat. Sic perclarum est, quid sit Mare, & unde ortum habeat, & ad quid naturæ inserviat.

Mare cur non regurgitet.

Mare ad quid inserviat.

Vnde Salsedo Maris ortum habuerit & an Mari sit naturalis & innata.

CAPUT II.

Salsedo maris an sit illi naturalis & innata.

QVamplurimi sunt, qui existimant Salsedinem Maris, non esse Mari connaturalem, & innatam, quia putant à calore Solis ortum habuisse: Dum enim sol perpetuo suo calore agit in Mare, quod

est subtile, sursum fertur ad nubes per vapores, crassum & fœculentum remanet, quod coctum & quasi perpetuis radiis exustum, Salsedinem acquirit & amarorem: At nisi natura ipsa Sal in ipsis aquis deposuisset, nunquam Sol sua coctione posset sal elicere ex ipsa aqua, manifestat tantum quod in ipsa aqua occultum est quamvis tamen satis manifestum sit. Ex omni enim aqua, qualiscumque sit, sive fontis, sive putei, sive fluvialis aut Maris. Ex omni, inquam, aqua educitur Sal, subtiliori parte sursum evocata. Semen enim naturæ quod est elementorum singulorum purum quid, in unum coctum naturæ semen, induit corpus & substantiam Salis, & immergitur singulis Elementis, & præcipuè aquæ, Quæ cum naturali Sponte, vel tantùm à Creatore summe, habeat semen illud naturæ, ad generationem & productionem rerum omnium, necesse est ut habeat naturalem illum salem: tanquam Elementorum omnium semen cùm autem Mare sit Aquarum omnium congregatio, necesse est etiam ut Mare habeat Salem omnium aquarum, quæ cùm ab initio mundi passæ sunt coctionem diuturnam solis, & Æstus terreni, necesse est, ut habeant manifestam Salsedinem in Mari ipso, sed hæc non ex coctione Sola provenit, sed ex innata & connaturali substantiâ Salis quæ est omnibus aquis, quæ tamen coctione, & radiis solis peracta manifestatur.

Semen natura induit corpus salis.

Salsedo maris unde proveniat.

Sunt qui Mare Lotium Naturæ dicunt & Lixivium mundi, Quia ea omnia quæ comburuntur, & putrescunt, abeunt in aquam & in ipsa deponunt Salem suum naturalem; quæ cùm contineat Salem naturalium rerum omnium, necesse est Salsedinem habere apparentem, sed cùm omnia habeant Salem naturalem, quem ab origine sua, nempe ab aqua desumpserant, necesse est ut dum dissolvuntur & corrumpuntur, reddant aquæ, quod ab aqua acceperant. Vnde semper aqua, ab initio mundi habuit Salsedinem, nec à creatis corruptis accepit, sed ipsa dedit aliis omnibus, quæ dum dissolvuntur, reddunt ipsi, quod ab ipsa acceperunt.

Mare cur Lotium naturæ & lixivium dicatur.

Aqua naturaliter est salsa.

Concludamus ergo Salsedinem Maris naturalem esse, & Mari innatam, & ortum habere à reliquis Elementorum seminibus, quæ in ipsam aquam deferuntur, ut hinc in matrices deferuntur, ad productiones & generationes rerum omnium.

De Æstu reciproco Maris, quid sit & unde proveniat.

CAPUT III.

Mirantur omnes Maris æstus reciprocos, ut certè mirabiles sunt, quorum causas inquisiverunt infiniti ferè Philosophi, & tãdem omnes ad Lunam retulerunt, quòd viderint, ad Lunæ quadras quodammodo referri, in plenilunio enim sunt fortiores & violentiores, quàm in

Maris æstus unde.

insilenti Luna, & aliis Lunæ senescentis diebus, in novilunio crescunt, crescente & juvenescente Luna, ipsi etiam æstus crescunt & quasi juvenescunt: Itaque ad Lunam retulerunt Marinos istos æstus: Quâ ratione Luna hos excitet, non quæsiverunt, nisi quòd dixerint id efficere ex proprietate sua & innata virtute. Sed pace eorum dixerim, hoc ex Luna nullo modo dependet, quamvis Lunæ quadras sequatur, id solum dependet ex igne seu sole æstuante centrali terræ, qui in medio Mundi collocatus, ut spiritus vitales, & generationi & productioni rerum dicatos, hinc emittat, per terræ poros, hi spiritus seu tenues & subtiles vapores, quos perpetuò emittit calor ille, seu sol centralis terræ, dum inveniant aquam maris crassam & spissam, quæ eorum spirituum egressionem impedire & retardare conatur sua crassitie & spissitudine, Mare tunc temporis inflatur, ac tumescit, donec tandem exierint spiritus illi, in aerem, tunc temporis detumescit aqua, & ad locum naturalem & statum pristinum redit. Et iterum intumescere incipit, urgente spiritu, qui perpetuo, à centro mundi, tanquam à corde totius naturæ, sursum eructat, donec iterum exierit & sic perennibus reciprocis tentatur æstubus Oceanus, infinitis ferè locis non tamen in omnibus, cujus rei causam inferiùs declaravimus: hic ergò mundi spiritus, à centro exiens, aquas agitat priùs, cùm eas priùs adinveniat. Deinde aerem commovet & ventos in aere facit; Quod enim est causa ventorum, idem ipsum est causa æstuú reciprocorum Oceani. Quòd autem sint reciproci, nec plus temporis impendatur uni quàm alteri, nisi quod in plenilunio fortiores fiant & citiores, quod fortiores, & silenti luna tardiores seu longiores fiant, quod minores nihilominus tamen æqualitatem observant, in singulis Lunæ quadris. Id ortum habet ex perenni spirituum horum effluxu, & impedimento aquæ crassæ, & spissæ Maris, quæ semper æqualem habet obstructionem, & perinde æquales observat aquarum motus, & inflatus. Quantum enim temporis impéditur ad aquas extollendas, & tumefaciendas, tantum etiam impenditur ad aquas extollendas, & tumefaciendas, tantum etiam impenditur ad ipsas deprimendas, dum foras eruptus est spiritus, donec iterum cum impetu adveniat; Quòd si Aquæ non essent crassæ, & spissæ, multoque sale prædictæ, sed dulces & tenues, id non fieret, quia spiritus libenter exiret per poros aquæ.

Sol centralis terræ æstus maris efficit.

Æstus maris qua ratione fiant.

Æstus maris cur reciproci & æquales.

Aqua salsa maris conducit ad æstus maris.

His ita præmissis, licet jam definire Maris Æstum, Motum peculiarem Oceani, ab spiritu mundi causatum, qui dum à centro exit, motu caloris centralis, aquas Oceani crassas & pingues salsedine, eas inflare facit donec exierit in aerem, post ejus egressum deprimuntur aquæ,

æstus maris quid sit.

quæ, & sic reciprocos patiuntur æstus, qui aliunde provenire non possunt quàm ex sola hac causa, ut sequenti capite clarius fiet.

Aestus Oceani, à Luna, nec ab ullo alio Calesti astro dependent.

CAPUT IV.

Aestus maris à Luna nec ab astris aliis, dependēt.

VT clarè admodum doceamus, & manifestem' æstus reciprocos Oceani, non dependere ullo pacto à Luna, nec ab astris, demonstrandum est spiritus terrestres, qui à calore centrali terræ sursum efferuntur, non dependere à Luna nec ab astris; Certissimum enim est calorem & calidum illud innatū terræ, quod est crassior luminis creati pars in centro relicta, quod sursum ascendi non potuit, ob crassitiem, & quòd Dominus Deus Creator omnium voluerit remanere lumen in centro mundi, ut partes à Sole longissimè distantes calefierent tali lumine, tāquā ab alio Sole, & sic calefactæ excitarentur ad productionem: Spiritus ergo hi in centro mundi residentes, in suo fixo lumine, tanquam radii solares, in Sole cœlesti fixo lumine è quo indesinenter & perenniter effluunt in terras, ut tardos & quasi emortuos illos Solis centralis terræ spiritus, seu radios excitent, & ad actiones prorritent, ut unà simul concurrant, ad generationes rerum omnium, hi, inquam, spiritus nullo modo dependent à Luna, nec ab astris cum calido innato mundi innati & naturales sint, & sint virtutes & energiæ materiæ primæ in fundo mundi relictę, hi autem spiritus sunt Sola & unica causa æstus Oceani: Et miror certè, quòd Philosophi quamplurimi ingenio & acuta mente valentes Lunæ attribuerint hos Maris æstus, quòd Lunæ quadras solùm sequantur. Nam hoc tantùm arguit sympathiam, & symbolum causæ istius æstus, cum lumine Lunæ, non quòd Luna efficeret hos æstus, sed quòd spiritus mundi horum æstuum causa, vigente Luna & vigente Sole, in ipsa luna, vigeat etiam lumen in Sole terrestri, & perinde vigere etiam spiritus, qui hinc effluūt, ut vigent in Luna tempore plenilunii: Itaq; magnam conformitatem habet hic spiritus Solis terrestris, cū Luna cœlesti, cùm viget Luna, viget & hic spiritus & vice versa, nō quòd tamen ab invicem dependeant & quòd sint causæ subalternæ. Sed quòd Sol cœlestis habeat maximam conformitatem cum Sole illo terrestri, & sequatur eosdem & similes influxus, & agendi proprietates: Nam ut Sol cœlestis influit in Lunam, suasq; virtutes auget, & multiplicat ratione luminis, in Lunam cœlestem infusi. Sic Sol terrestris in aquam Elementarē influit, eamq; agitat beneficio sui spiritus, qui ejus Luna dicitur, quiq; radiis & influxu solis sui, virtutes auget & multiplicat, & Aquæ manifestat, cui potissimùm dominatur.

Spiritus caloris centra-

Iis terra non dependent à luna nec ab astris.

Dicunt

Dicunt tamen Philosophi Chymici, ex Hermete Philosophorum Patre hujusce spiritus patrem esse solem, & lunam matrem, & ratione hujusce productionis si Sol & Luna cœlestis producant hunc spiritum Oceani agitatorem, poterit aliqua ratione Sol & Luna dici causa istius agitationis, & æstuum Maris, sed verè Sol cœlestis & Luna non conferunt ad generationem istius spiritus, nisi tanquam causę generales, & ut conferunt Elementa simplicia, ad hanc generationem, quòd omnia conjiciant ad terræ centrum suas virtutes & proprietates, ut ibi digerantur & percoquantur à calore centrali terræ, & hac decoctione fiant spiritus. Et ita Sol & Luna cœlestis non sunt propriè causa hujusce spiritus, nisi solus Sol terrestris qui immediatè solus producit hunc spiritum, cujus Solius est solus pater, & perinde sola causa & immediata ęstus maris, & aqua inferior ejus Mater dicitur, quæ apud Chymicos est Luna: his ita declaratis & veritatis lumine irradiatis facilè concluditur æstus Oceani nullo pacto dependere ab ipsa Luna, nec ab ullo alio cœlesti astro, sed solùm ab innato calido mundi, quod in centro terræ residet, à quo eructãt spiritus subtiles rerum omnium opifices, à quibus immediatè agitatur mare & æstus ille reciprocus totius Oceani, aut majoris ejus partis dependet, & ortum habet, quicquid clamet & eructet in me Philosophorum Scholasticorum Turba, quæ semper in hisce rebus enodandis, cęca permanebit, nisi radiis nostri illustretur solis.

Sol & luna quare dicatur pater & mater spiritus terrestris

Aestus Oceani unde propriè.

Vndenam sit, quòd Mare Mediterraneum & multæ aliæ Oceani partes non æstuent.

CAPUT V.

Mare Mediterraneũ cur non æstuet.

QVamplurimi rarum existimant & mirum, quod Mare Mediterraneum non æstuet, ut Oceanus: At si aquas Maris Mediterranei, cum aquis Oceani æquiparare vellent & naturam & qualitates eorum perpenderent, invenirent facilem causam & rationem, cur Mare Mediterraneum non æstuet. Ratio in promptu est, quòd Mare Mediterraneum habeat aquas multò tenuiores ipso Oceano, & ratione tenuitatis spiritus effluens, è centro terræ, ad ejus superficiem, facile penetrat aquas, & exit foràs absq; ulla tumefactione, & inflatione aquarum, est autem hæc aqua tenuior, & subtilior multò ratione fluminum & fontium infinitorum ferè, qui in Mare Mediterraneum confluunt, & quamvis in Oceanum majori etiam & numero defluant aquæ dulces & tenues, quæ ratione sui aquas Oceani alterare possent, nihilominus quòd Oceanus sic Mare universale, & nulla sit proportio magnitudinis, inter Mare Mediterraneum & Oceanum, Mare Mediterraneum siquidem respectu Oceani est veluti fluvius & adhuc satis parvus: Ita-

Maris mediterranei aqua cur tenuiores & subtiliores aquis Oceani.

que ratione minoritatis suæ, & copia fluminum dulcium, quæ in illud aquas suas deponunt. Aquæ suæ tenues sunt comparatione facta ad aquas Oceani, quæ multò sunt crassiores, & pinguiores, ita ut ratione crassitudinis, & pinguedinis exitum impediant spiritus mundi, è centro prodeuntis. Vnde ad exitum dum propellitur, & aquas invenit Oceani pingues, & crassas, eas inflare facit & ad cœlum extollit, & post egressionem illius spiritus impellentis, pondere suo deprimuntur, donec iterum ab eodem spiritu sursum efferantur, & sic celebratus continuus ille Oceani æstus, qui fluxus & refluxus dicitur, quem non percipimus in Mari Mediterraneo, propter aquarum hujusce Maris tenuitatem & subtilitatem.

In pluribus etiam aliis locis ipsius Oceani versùs Septentrionem Oceanus non æstuat, nec reciprocis tentatur hisce motibus propter tenuitatem aquarum dulcium, quæ ex fluminibus in hasce partes defluunt magna copia, & Oceani aquas sua tenuitate diluunt, adeo ut tenuiores & subtiliores fiant, tali in gradu, ut spiritui mundi facilis detur exitus, per medias illas aquas absq; ullo reciproco & æstuanti motu, & quòd Sol terrestris non eructet hisce in terris adeo fortiores spiritus ut in medio mari.

Oceanus multis in locis non æstuat. Concludimus ergo Mare Mediterraneum & multas alias Oceani ipsius partes non æstuare, ratione tenuitatis & subtilitatis quâ pollent ac vigent aquæ, ratione cujus, spiritus mundi qui solus motus hos excitat facili negotio & via penetrat aquas, absque ullo tali motu. *at & ratio cur id fiat.*

Cæruleus color in Mari undenam ortum habet.

CAPUT VI.

APparentem tantùm existimant multi colorem cæruleum Oceani, & ex profunditate & multitudine aquę dependere asserunt: Nam ut aer, qui tamen non est coloratus, cæruleo colore præditus esse videtur, id ex profunditate sua & altitudine ortum haberę persuadere volunt, quia illis nulla alia patet ratio: Sed pace eorum dixerim. Aqua verè cærulea est, & aer etiam cæruleus, quod in se contineant spiritum mundi, qui quamvis subtilis admodum sit, & tenuissimę substantiæ, nihilominus si condensetur & tantillum incrassetur, apparet cæruleo colore condecoratus & exornatus, hic est verè qui colorem hunc operatur in aqua, & in aere, non tamen in minima ipsorum quantitate, sed in maxima, quia in maxima condensationem quandam acquirit ipse spiritus, & ratione condensationis colorem acquirit verum & realem, ratione siquidem profunditatis & altitudinis, Diaphanitatem & transparentiam amittit, & tunc temporis apparet color. Quòd si hujus sen- *Spiritus mundi est cæruleus & aerem & aquam suo colore tingit*

sententiæ veritatis certiores fieri desideramus, imponatur aquæ limpidæ aliquid vitrioli cærulei coloris, si maximæ quantitati aquæ imponatur, non apparebit color ille cæruleus, quamvis verus & realis sit in ipsa aqua, cum impositus fuerit, & ratio est, quòd in maxima quantitate aquæ, vitriolum colore cæruleo præditum ita rarefiat & attenuetur, ut invisibile fiat, quòd si evaporetur aqua, pedetentim crassescit & condensatur vitriolum, & visibile fit, & apparet innatus & legitimus suus color. Sic fieri solet in aqua Oceani. Si abstrahatur aliqua quantitas aquæ ab Oceano, & vasi vitreo cristallino imponatur, ita candida & limpida apparet, ut sine ullo colore videatur, si tamen remittatur Mari, cæruleum colorem acquirit, ex altitudine & profunditate Maris, quia in maxima quantitate aquæ, & profunditate summa, apparet color spiritus ipsius aquæ, in minima verò, non propter rarefactionem & limpiditatem, quæ colores omnes invisibiles facit; ratione autem profunditatis, limpiditatem & transparentiam amittit aqua & aer, & ideò in profunditate & altitudine maris & aeris, apparet color cæruleus.

Color cæruleus in mari realis est & non apparēs.

Concludamus ergò cæruleum colorem in Mari realem esse & non apparentem, & ex spiritu aquæ dependere, qui colore cæruleo est præditus: quique in profunditate & altitudine Maris apparet, cum profunditas & altitudo Diaphanitatem & limpitudinem perturbent & confundant.

An Aqua Maris nutriat & procreet ea omnia quæ in Mari sunt.

Caput VII.

Aqua maris ratione sui spiritus nutrit omnia quæ in se coercet.

Diximus multis in locis, Aquam per se solam, simplicem & Elementarem nutrire non posse, nisi ratione spiritus illius mundi, qui in ipsa latet aqua. Idem asserere possumus de Maris aqua, eam nutrire non posse, nec producere aliquid, nisi beneficio sui spiritus, qui in ea continetur: At cum spiritu suo, verissimum est Aquam maris nutrire & producere omnia, quæ in Mari coercentur, ut inferiùs clarè admodum demonstrabimus, dum de omnibus singularibus rebus, quæ in Mari enascuntur, & conservantur, nobis erit sermo: Jam verò generaliter demonstrabimus aquam Maris producere posse, & nutrire, & conservare ea omnia, quæ in Mari sunt. Quia in Mari copiosus est spiritus mundi, qui productiones facit rerum omnium, & nutrit & conservat omnia, ubi enim datur causa productrix, & altrix rerum omnium, cum requisitis dispositionibus, ibi dari necesse est productiones & nutritiones rerum omnium: Atqui Mari datur talis causa, cum requisitis dispositionibus: Ergo concludendum est, Aquam Maris nutrire & produ-

Salsedo maris an impediat generationes & corruptiones in mari.

cere ea omnia, quæ in Mari reperiuntur. Neque objectandum est Salsedinem Maris impedire productionem, cùm & impediat corruptionem, beneficio cujus generationes fieri solent, cùm Salsedo, si humiditatem exsiccare queat, tunc temporis tantùm corruptionem impedit, si verò non exsiccet, at dissolvatur, & nullo humore uda permaneat, facile corrumpitur, & generationes varias excitat ratione humiditatis, quã vincere non potest, calor enim agẽs in humidum, si humidum vincat, siccitatem caloris facit corruptionem: At in Mari videmus ipsamet experientiâ humidum aquæ vincere & superare siccum Salis, cùm semper sal teneatur dissolutum in aqua Maris: Ergo tunc temporis non potest impedire corruptionem, nec perinde generationem: Videmus etiam experientia ipsa, infinita reperiri animalia in medio Mari, imò vegetantia multa, & mineralia infinita, quæ non possunt alibi producta fuisse quàm in ipso Mari. ergo necesse est fateri Aquam Maris producere posse, & nutrire, & conservare ea omnia, quæ in Mari reperiuntur.

Sal qua via corrumpatur.

Concludendum ergo est nulla labyrinthea difficultate, detenti, & hęsitantes, Aquam Maris producere, nutrire & conservare ea omnia, quę in ipso maris sinu reperiuntur, accoercentur, idq; beneficio spiritus illius mundi, qui copiosus in eo turget ac latitat, & generationes illas omnes operatur.

Vndenam Nausea & vomitus exoriatur his omnibus, qui insueti per mare navigant.

CAPUT III.

VApores qui sursum ex mari elevantur, spirituosi Salis & volatilis copiam in se coërcent, operantur hanc Nauseam & vomitum: Sal enim volatile summæ est subtilitatis, & penetrationis, ventriculum vellicat ac pungit & humorem biliosum attrahit, ad ventriculum sympathiâ quâdam substantiæ. Siccum enim est Sal istud & calidum, non secus ac biliosus humor, qui Salis naturam habet tinctura sulphuris decoratam, hic ergò humor facili via, per colidochum perducitur ad ventriculum, excalefactum & vellicatum vaporibus Marinis salsuginosis, unde magis ac magis vellicatur, & pungitur, & ad vomitum provocatur, ut se spoliet humore pungente & vellicante. Donec tandem purgatis hisce omnibus humoribus, assuescat vaporibus illis Marinis salsuginosis, qui modò non inveniant copiam biliosi humoris in ventriculo, aut circa ventriculum stagnantem, non excitant ventriculum ad hujus modi vomitus, qui facili negotio compescuntur in multis, qui bilioso non turgent humore, spiritu salis assumpto, cum aqua laudati fontis, vel cum syrupo violaceo permixto, ad gratam acetositatem, vel purgato prius corpore ante navigati-

Nausea & vomitus his qui mare navigant unde oriatur.

Nausea & vomitus in Mari qua via impediatur & quiescat.

gationem ab humoribus biliosis, & deinde refrigerato ventriculo, potione illa acetosa, spiritu salis, vel succo limonum: Quòd si hæc omnia, propter refrigerium ventriculi & quòd retundant salis volatilis acrimoniam, vomitum hunc compescant & curent. Necesse est, hunc vomitum dependere à causa prædicta, neque sale volatili, qui sursum effertur unà cum vaporibus, ex Mari sursum sublimatis. A causa enim curatrice, notam habemus causam efficientem ipsius affectus.

Mare cur apud Antiquos Divinitate exornatum fuerit.

Caput IX.

Oceanus cur Divinitate donatus ab antiquis.

Tantam in aquis omnibus potentiam, ac virtutem viderunt Antiqui, & præcipuè in Oceano, ut ipsum Divinitate donarint, imò patrem deorum omnium fecerint. Et Neptunum vocarint, cui pro Sceptro Tridentem donarunt, ut potentiam Aquarum, in triplici Regno ostenderent, Animalia siquidem, vegetantia, ac mineralia cuncta, Neptuno seu Aquæ subjiciuntur. Si ergo id quod producit, nutrit & conservat, quod destruit, & corrumpit, & à ventre corruptionis novum quid educit, apud Antiquos magnum & Divinum habebatur? Nonne meritò Oceano, Divinitatem quandam eamque maximam attribuerunt Antiqui, cùm animalia cuncta, vegetantia & mineralia omnia, ortum habere ex aqua conspicerent, eaque omnia aqua nutriri & conservari, & denique aqua destrui, & corrumpi: Maximam ergò virtutem & potentiam incredibilem, in ipsa aqua manifestam viderunt. Et propterea divinitatem illi attribuerunt Antiqui: nihil enim aqua potentiùs, & efficaciùs in rerum natura reperiri potest, vita & mors ab ipsa dependent, infinitaque secreta, & arcana sunt in intimis aquæ, quæ Regna omnia pretio superant & antecellant: Antiqui Ægyptii fabularum cortice, de Iside & Osiride hæc omnia intricarunt, quæ de humiditate & siccitate, quæ in intimis aquæ reperiuntur, interpretari possunt. Et ea omnia quæ Chymici narrant de Mercurio suo: hæc etiam de aqua ipsa interpretanda sunt: Quæ re vera tanta sunt, ut jure meritò apud Antiquos Divinitatem mereantur. Apud nos autem qui verum Deum colimus, honorem & admirationem ac laudem in Deo ipso; qui hæc aquæ immiserit mereri fatemur.

Tridens cur Neptuno tribuatur.

Aqua laudari non venerari debet, soli Deo honor & gloria.

DE FLUMINIBVS. SECTIO SECUNDA.

Flumina quid sint & unde oriantur.

Caput I.

Ut Sanguis per totum corpus in animalibus per venas distribu-

tribuitur, ut corpus irroretur liquore illo vitali, ac nectareo, quo partes omnes nutriuntur, & conservantur: Sic in magno mundo liquor ille vitalis & nectareus quo partes omnes totius universi nutriuntur, foventur, ac conservantur, per totum & universum terrarum orbem distribuitur, per fluvios & flumina, quæ sunt canales & venæ, quibus irrorantur partes omnes universi, ut inde capescant vitam: Vnde flumina definire possumus canales maximos, & tubos, quibus liquor vitalis & nectareus, qui in centro terræ præparatur ad restaurationem universi defertur, ac deportatur per aquas, quæ ab eodem centro defluunt, ut sint vehiculum illius nectarei liquoris; Ex hac definitione colligitur undenam flumina ortum habeant, cùm Aquę omnes in centrum mundi seu terræ tendant, ut ibi coquantur ac digerantur, ut in spiritum mundi convertantur, & liquorem illum nectareum, quo foventur, & restaurantur partes omnes universi, constituant, quique à centro per calorem centralem terræ sursum elevatur, & sublimatur in vapores, qui in locis frigidis terræ condensantur in aquam, & constituunt fontes, qui in superficie terræ rivulos constituunt, quique pedetentim aggregati in prægrandes & profundos excrescunt fluvios. Sic ex fontibus fiunt flumina, ab eadem tamen dependent scaturigine, à centro putà terræ, ex quo Elementa omnia in principio mundi, per Divinam potentiam educta sunt. Et in quod adhuc Divina etiam ordinãte & præscribente potestate redeunt, ut in fontem redeant, ex quo ortum habuerint. Et ut in fonte ipso vitam recipiant, sine qua inutilia Naturæ essent & infructuosa, ideo in centrũ terræ tendunt, ut vitam, quam generationibus impenderunt iterum suscipiant, & vitalia fiant: Omnia autem naturæ Elementa in centrum terræ tendunt, aquæ beneficio, quæ omnia secum defert Elementa in cẽtrum, ut ibi vitalia fiant, & vitalia fiunt, dum ipsa impregnatur spiritu illo vitæ, quia hæc non potest impregnari vitali illo spiritu, quin & cætera Elementa, quæ in ipsa aqua latent, eodem & simili impregnentur spiritu.

Fluvii sunt quasi venæ mundi per quas distribuitur liquor vitæ.

Flumina quid sint.

Elementa cur in centrum tendant.

Sic flumina per totam decurrunt terram, ut deferant illum vitæ spiritum, quem in centro acceperunt, & denuo redeunt ad idem centrum, ut semper accipiant eundem spiritum, quem in cursu suo mixtis naturalibus distribuerunt.

Flumina cur per totam terram decurrant.

Flumina omnia cur ad Mare tendant.

Caput II.

PAucissimi sciunt, cur omnes aquæ congregantur in unum & fiant Mare, unde flumina, quòd deferant aquas, etiam ad Mare tendunt, ut ibi deponant aquas suas, & sic congregentur in unum. Con-

Flumina cur ad Mare tendant.

Congregantur in unum multiplici ratione: Primò ut fiant Mare, & circumdent terram & decorent universum orbem. Secundò ut congregatæ possint ab uno & eodem calore percoqui & digeri, in alimentum universi. Tertiò ut coctæ ac digestæ possint ab uno & eodem loco, in universum terrarum orbem distribui, in alimẽtum cuiuscumq; rei. Quartò ut meliùs & fortius fœcundentur astralibus ac cœlestibus facultatibus. Non ergo mirum si videamus flumina omnia, & aquas omnes, ad mare currere tanta cum velocitate, ut nullibi cesset eorum fluxus, & cursus, donec Mare intraverint; hisce enim conatibus, & impetibus naturalibus coguntur ad hunc motum, quibus resistere non possunt: Nam à Creatore Summo præscripti, ac ordinati sunt, ad commoditatem universi. Nam si Aquæ in uno & eodem loco semper permanerent, exhaurirentur tandem spiritu, quo fœcundantur, & quasi mortuæ jacerent, nec aliis vitam impertire possent, cùm non haberent: nemo enim dat, quod non habet. Oportet ergo ut moveantur & redeant in locum, ubi vitæ mundi fons est, & scaturigo. Sic exitu & reditu suo vitam illam quam à fonte exhauriunt, communicant, & omnibus naturæ mixtis distribuunt: Necesse est ergò, ut perpetuo fluant aquæ, circa terram universam, & tendant ad Mare, ut ex Mari, redeant in centrum terrę, ex quo ortum habuerunt, & ibi redeunt ut fœcundentur spiritu vitæ, quem in circuitu suo mixtis naturalibus distribuerunt: Et hæc est præcipua ratio cur flumina omnia & aquę omnes ad mare tendant, ex Chymicis nostris principiis.

An flumina virtutibus exornentur eximiis, ut fontes à quibus dependent.

CAP. III.

Flumina cur non tantis ornentur virtutibus ac fontes.

Flumina non possunt virtutibus eximiis, & raris exornari, sicuti fontes sui, à quibus dependẽt. Nam virtutes illæ eximiæ & raræ, dependent ad spiritu tenui, & volatili, qui agitatione aquæ, & calore Solis foras exit, & aquas linquit, unde videmus aquas Thermales in fonte, & scaturigine sua recenti, multis pollere virtutibus, si verò diu exponantur aëri, vel Soli, amittunt virtutes & energias. Ratio in prõptu est, quòd hæc virtus dependeat ab spiritu, qui facili negotio & via, ab aqua evaporatur, & exit; fortiori ratione in fluminibus, qui multum agitantur in cursu suo, qui diu exponuntur Solis ardori & frigoris rigori, qui solet etiam hunc vitæ spiritum ab aqua foràs pellere, frigore suo, ut & Solis ardor attrahere, calore suo: Non possunt ergò flumina virtutibus eximiis vigere, ut & fontes sui, quòd virtus hęc evaporetur ab aquis fluminum, non autem ab aquis fontium in scaturigine sua, nisi diu exponantur

Fontes cur majoribus dotentur viribus quam ipsa flumina.

frigori & calori. Aquæ siquidem fontium, non longè distant à centro à quo originem ducunt, & à quo virtutes suas exhauriunt: unde plus virtutis habent & efficaciæ, quàm flumina, quia fontes recẽtes habent aquas, & virtutis plenas, dum à centro exeunt: flumina verò raro exeunt à terra ipsa, nisi in quantum plures fontes congregantur in unum, & fiunt sic congregati, flumina prægrandia, unde tunc temporis virtus aquæ, quæ in eius spiritu consistit evanescit, agitatione sua & cursu suo. Quòd si aliquando flumen aliquod prægrande exeat ex visceribus ipsius terræ, tunc temporis potest contingere, ut in ipsa scaturigine magnis dotetur virtutibus, si spiritus sit copiosus in ipsa aqua, & spiritibus mineralium volatilibus, & fugitivis impregnetur. Nam hæc aqua non solùm potest impregnari spiritu universali totius naturæ, sed etiam particulari mineralium quorundam, quibus cunctis, magna datur virtus, & energia in ipsis aquis, tùm fluminum, tum fontium. Concludamus ergò his ita præmissis, flumina in exortu suo posse quamplurimis, & eximiis, exornari virtutibus, quibus in natura, quam maxima fieri possunt, tùm in animalibus curandis, tùm in vegetantibus enutriendis & roborandis.

Aqua potest impregnari spiritu mineralium, & universali spiritu.

Fluminum aquæ, cur dulces seu insipidæ & potabiles.

CAP. IV.

Fluminum aquæ cur dulces & potabiles.

Omnis aqua ex terræ visceribus scaturiens, aut salsa, aut amara esse deberet, quòd omnis aqua antequam terram intret, salsa & amara sit, cùm ex mari salsedinem illam & amarorem contraxerit: Nihilominus tamen etsi omnes aquæ congregentur in Mare, ibique salsedinem contrahant & ita salsæ attrahantur centro mundi, ut ibi decoquantur & digerantur, deberent in tali digestione & coctione salsedinem majorem acquirere, nihilominus dum egrediuntur dulcedinem acquirunt, hoc est insipidæ, sunt, gustu saporeque gratæ, adeo ut potabiles fiant, cùm tamen antea non essent: Verissimum est in centro digeri & percoqui omnes aquas, & per talem coctionem non amittere salsedinem, imo accrescere, multiplicari. Sed quia per talem coctionem, maxima pars aquæ mutatur in vaporem, vapores qui inde fiunt salsedinem amittunt & relinquunt in residuo decoctionis, quod quidẽ summopere salsum est & amarum, quodque rejicitur per polum Antarcticum in Mare Antarcticum, quod quidem summoperè amarum est & salsum, ut testantur omnes qui navigationem hanc tentarunt: Itaque flumi-

fluminum aquæ & fontium dulces sunt & potabiles, quòd à vaporibus à centro mundi exeuntibus ortum habeant, & non à residuo decoctionis aquæ marinæ, quæ in centro fit. Hoc enim residuum per Antarcticum Polum, uti superius declaravimus, ejicitur, & foras propellitur: Non tamen quòd perinde negamus non dari posse multa alia emunctoria per poros terræ, ut residuum illud decoctionis aquæ, expelli possit: Nam infiniti dantur fontes amari & salsi, qui inde scaturiginem habere possunt. Et productio salis multis in locis habetur, quæ inde originem etiam habere potest.

Fontes amari & salsi unde scaturiant.

Deponit ergo Aqua in centro terræ salsedinem, nó decoctione quam patitur in centro, sed evaporatione & sublimatione tenuioris partis sui ipsius, quam in decoctione patitur: Tenuior siquidem pars aquæ, sursum elevatur in vapores, qui in locis frigidis terræ condensantur in aquam, quæ inde fluit in fontes, & fontes flumina constituunt: Inde est, quòd fluminum Aquæ sint dulces, seu insipidæ & potabiles, cùm sint aquæ distillatæ calore centrali terræ, & ab omni salsedine separatæ, & per evaporationem illam vindicatæ, spiritu tamen vitali, & nectareo impregnatæ, ut nutrire possint ea omnia, quæ alimentum expostulant.

Aqua salsa qua ratione deponat salsedinem in centro terræ.

Flumina omnia cur matutino tempore crescant.

CAP. V.

Flumina cur excrescunt matutino tempore.

FUTILIS & inanis videbitur hæc quæstio, quibusdam Chymiæ osorib⁹? Quid enim interest scire, cur flumina tempore matutino excrescant. Sciant tamen magni interesse, cùm inde cognoscatur tẽpus in quo humidum radicale rerũ omnium, & virtus, & proprietas excrescat. Nam ex illo humido quod tunc temporis copiosius est & abundantius excrescunt flumina: Vapores enim qui tempore noctis copiosi sursum elati fuerunt, & per totam aëris regionem dispersi, tempore noctis, & frigida Lunæ influentia & virtute, in aquam convertuntur, & in rorem decidunt, qui copiosus est circa flumina, & attrahitur ab aquis fluminum, unde eo tempore excrescunt multiplicatis eorũ aquis, ab ipso rore, pruina, nebula, & aliis humidis Meteoris, quæ facili negotio circa aquas mutantur in aquam. Addam & ego quod fontes eo tempore fortius fluant, quod sole surgente humidum illud radicale mundi, quod fontibus inest, fortius attrahatur sole surgente, quàm alia quovis tempore, unde omnia naturæ mixta fortiora sunt, & robustiora, surgente sole, quàm alio quovis tempore, quod humidum radicale mundi, ex quo robur & virtus, fortius

Sole surgente crescit humidum radicale.

tunc attrahatur, hinc flumina eo tempore excrescunt, quod fontes à quibus dependent flumina, fortius & violentius fluant & copiosiores fundant aquas, hinc magnum elicitur secretum & arcanum in Alchymia peragenda. Quod hinc pernoscatur humidum radicale rerum omnium, fortius esse tempore matutino, quam alio quovis, & virtuté perinde in rebus omnibus fortiorem & robustiorem esse. Et tempus colligendi materiam mercurii Philosophorum, matutinum esse fortius & convenientius, quam alio quovis tempore, hinc non erit inutilis hæc quæstio qua inquiritur, cur flumina omnia matutino excrescant.

Tempus colligendi mercurii Philosophorum quale.

Cur circa flumina ventus & aura semper perflari reperiantur.

CAP. VI.

Ventus & aura cur circa flumina.

CUm ventus, & aura sint exhalationes, ab humido prodeuntes, calore sursum elevante, tenuius & subtilius illius humidi, quod pulsum & agitatum, aërem facile impellit & sic ventus & aura fiunt, nullo pacto dubitandum est, quin circa flumina reperiantur ventus & aura, cum exhalationes & evaporationes humidi fluviatilis, semper fieri contingat, tum à calore terræ, tum à calore Solis, nam ambo calores solent excitare exhalationes & vapores, quibus fiunt venti. Imò motus ipsius aquæ fluentis excitat aërem & compellit, unde aura levis illa exoritur, gratissima deambulantibus circa fluminum ripas, æstivo tempore, dum fervore maximo æstuat aër, aliis in locis, circa vero flumina, venticulis, ac Zephyris dulciter ventilatur. Et hoc non aliunde exoritur, nisi ex copia humidi quæ inibi est, quæ sursum fertur calore solis in vapores, qui aërem compellunt agitant, ventosque excitant, qui aerem suo flatu refrigerant. Id etiam contingere potest ex calore terræ, qui humidum fluviatile pellit sursum in vapores. Et sic semper venti & Zephiri leves, & grati, qui flumina sequuntur, exoriuntur ex calore sursum elevante vapores, qui aerem agitant & agitatione illa ventos leves & gratos excitant.

Vapores circa flumina copiosi, unde venti.

De Garumna flumine, undenam ortum habeat & quibus virtutibus polleat.

CAP. VII.

QUia fluvius hic noster est & in nostris regionibus ortum habet, nos separans ac dividens ab Aquitanis, ideo primùm de eo dicturus sum, cum nostra propinquiora nobis sint, & perinde chariora: Nobilis est hic fluvius & in pyreneis montibus ortum habet, & fonte nobili & præ laro cui nomen Garumna, quòd fluvius observat ac retinet

Garumna descriptio undenam oriatur & quas utilitates adferat.

net per totum cursum, usque ad Oceanum ad quem aquas suas deponit, Tholosam prius, Agennas, Burdigalam aliasque nobiles urbes abluendo multasq; utilitates adferendo, tum piscibus quibus abundat, tū navigatione qua merces infinitæ ultro citroque feruntur: Totum fere vinum quod bibitur in Septentrionali plaga, & per totam Germaniam, Flandriam, Angliam, & Scotiam, hoc flumine aliisque quæ in illud influunt, per Oceanum asportatur. Itaque hi populi omnes, qui tantum vinum amant gratias agere debent flumini nostro, quòd beneficio illius, illo potiantur, fons hic Garumna dictus in Scaturigine sua parvus est, nihilominus non longe ab hinc magnum excrescit in flumen. Quod quamplurimorum aliorum fontium scaturigines, quæ rivulos constituunt, & à montibus pyreneis fluant in illud decidant, ac aquas suas deponant, tāquam quid debitum, quod Garumnæ solvunt, sequuntur enim eius cursum ac concomitantur ipsum. A centro terræ ortum habet, ut omnes aliæ aquæ, quæ per calorem centralem terræ, ubi diguntur & coquuntur in vapores sursum efferuntur, qui frigiditate loci condensati, in fontes excurrunt ut spiritum illum vitæ vaporibus immixtum, & perinde aquæ hinc ex ortæ, deferant per totam terram. Sic Garumna effluit è centro terræ spiritu vitali turgida, unde terras omnes quas alluit fertilitate quam- *Garumna qua ratione fluat à centro terra.* maxima donat. Est præterea aureo & argenteo spiritu plena, unde aurum & argentum magna in copia, circa ripas & arenas suas expiscatur, non quòd ex mineris auri, & argenti seu fodinis terrestribus aquarum fluxu errodatur, sed quòd spiritus ille vitalis naturæ, qui è centro terræ vaporum ope, sursum effertur, percoquatur in ipsis aquis, & inter arenas tum calore solis, tum calore sui ipsius nativi, unde in omnibus aquis arenosis reperitur illud aurum, & argentum, in tenuia folia diductum, quòd spiritus ille aureus, in aquis ipsis, foliorum instar coalescat dum coquitur. *Garumna fluvius cur aureus.* Potus huius fluminis saluberrimus est, modò limum & saburram terræ lutosæ deposuerit, quā in alluvionibus suis, sæpissimè excitatis trahere solet, Montes Pyrenei omnes, qui hyberno tempore Nive turgent, æstate deponunt suas omnes nives in flumen, nec præterea illaudatus huius fluminis potus, quòd Niveas habeat aquas. *Potus Garumna saluberrimus.* Nix siquidem modo soluta illaudatum nō continet potum, nisi his qui debiliori sunt ventriculo. Sunt enim aquæ Nivis subtiliores, & à limo terræ vindicatæ, quòd sursum vaporum ope sublevatæ sint. Et spiritu vitali naturæ turgidæ, unde nix fœcundat terram, & tanquam cinerem terræ spargit Dominus, unde si cinis turgeat spiritu vitæ fixo. *Nix qua ratione vitalis & vita plena.* Nix turget spiritu vitæ volatili, qui non differunt nisi qualitate & conditione, his spiritibus turget, & abundat Garumna flu-

fluvius noster, & perinde virtutibus pollet quamplurimis, tum in nutriendo, tum in visceribus nostris interioribus roborandis, & ab obstructionibus multis liberando multaq; alia occulta sunt in intimis ipsius aquæ, quorum turba conscia esse non potest.

De Rhodano flumine undenam ortum habeat, & qua virtute polleat.

CAP. VIII.

Rhodani fluvii descriptio.

RHodanus fluvius est Galliæ rapidissimus, ex Alpibus ortum ducens, ex Rhoda Rhodiorum oppido, nomen assumpsit, vel ex rapiditate, qua in Mare Mediterraneum defertur, tanto robore, ut maris ipsius aquas, ad duas fere leucas findat, & transeat sine læsione cursus sui, Lacum Lemanum pertransit, nec illi permiscetur, Ararim apud Lugdunum suscipit. Deinde Isaram, & Druentiam involvit antequam Mari Mediterraneo cõjungatur, quamplurimosque alios fluvios, & rivos, & rivulos suscipit magna utilitate & commoditate civitatum, & populorum quos alluit, non solùm piscibus quibus abundat omnis generis, sed potissimùm vectura maxima qua merces deferuntur ex provinciis, quas alluit, usque ad ultimum Europæ & Affricæ, Maris Mediterranei ope & Auxilio, hinc sursum retrocedunt aliæ merces ex Oriente & Meridionalibus partibus, in totam Galliam. Sic terra universa Maris & fluminum ope, merces suas communicat provinciis suis, magno habitantium emolumento, & commodo. Ortum ducit hic fluvius, ut dictum est ex Rhoda, Rhodiorum oppido, in quo fons est, in mediis Alpibus, scaturiens, & magno impetu ex terræ visceribus erumpens; cui statim multi se jungunt fontes, ex Alpibus erumpẽtes, qui rivos & fluvios constituunt & tandem aquas suas in Rhodanum deponunt, & sic tandem in maximum flumen excrescit, antequam Mare Mediterraneum ingrediatur. Et juxta Arelatem Civitatem, coloniam Sextanorum bipartitur in duo flumina. Et hanc divisionem factam fuisse perhibent à Cajo Mario Romano duce, ut Castra sua à Gallis defenderet. Vnde insula quæ ab hac divisione facta est, fertilis admodum Camargo, vulgari nomine dicta est, quòd à Cajo Mario facta fuerit. Sic in Mare Mediterraneum tribus ostiis se immittit, uno & maximo heracleum Mare ingreditur, duobus vero deinde ostiis Mare Thyrrenium. Aquæ etiam lutosæ valde sunt & semper fere turbulentæ, at modo lutum deposuerint optimæ sunt, & facilis cõcoctionis. Lutosæ autem sunt eius aquæ, quòd provincias valde lutosas & pingues alluat, & sic lutum secum rapit & pinguedinem terrarum, unde etiam aqua eius fœcũdat terram, quam irrorat. Sic Druentia & Isara quæ

Rhodani utilitates & commoda.

Rhodani origo & ortus

Rhodani potus salubberrimus.

quæ in Rhodanum influunt, propter lutum & pinguedinem terræ, quam aquis suis invehunt, fertilitatem quammaximam inducunt terris omnibus, quas irrigant, variis hinc inde exactis & dilectis rivulis ut campis & hortis communicetur hæc fertilitas, quæ non solùm ex luto suo ortum habet, sed etiam ex spiritu copioso vitali totius naturæ, quo turget, & abundat. Nam hæc flumina ortum ducunt ex Alpibus, quæ semper nive cooperiuntur, & ratione huius nivis interiora terræ illius valde incalescunt & perinde spiritus copiosus est valde, & potens, unde potentissime communicatur fontibus omnibus, qui ex Alpibus ortum habent, & perinde fluminibus omnibus, quæ ex fontibus fiunt. Sic Isara, Druentia & Rhodanus, copioso & fertili turgent spiritu mundi, quo terras fœcundāt quas alluunt & mirandas habent virtutes alias, ratione huiusce spiritus & ratione salis Hermetici naturalis, qui semper hunc spiritum comitatur, & nunquam deserit ipsum spiritum.

Rhodanus cur fœcundetur spiritu vitali mundi.

De Ligeri flumine undenam ortum habeat & qua virtute pollaat.

CAP IX.

Ligeris fluvii descriptio.

Ligeris nobilis est Galliæ Celticæ fluvius, ex Avernorum finibus ortum ducens, Heduosque à Biturigibus dividens qui magno ac longissimo tractu, postquam aquas multorum aliorum non infimorum fluviorum absorbuerit, non procul à Pictonibus in Oceanum Britannicum maximo ostio se immittit, magnas & prægrandes ac ditissimas alluit civitates & Provincias ditissimas, & vini feraces, unde ab hoc flumine magna copia vini asportatur in Oceanum, Septentrionem versùs ubi vinum magno est in pretio. Ab hoc etiam flumine magna asportatur copia spiritus vini. Distillatur vinum per has omnes Provincias quas alluit Ligeris, & convertitur in spiritum vini, ne putrescat, & in vappām convertatur, & sic tutò vehitur per Mare Oceanum, & ad Septētrionales regiones transfertur, ubi est in pretio. Non solum hanc utilitatem affert Ligeris, sed multas alias quas recensere inutile est, cum omnibus notæ sint: Inundationes tamen patitur quammaximas, & alluviones, absque prævia causa, nisi quod in fontibus & & scaturigine ipsius fluminis, magna est & prægrandis sylva Abietium & Pinorum, quæ dum Therebentinam fundunt, magnam etiam aquæ copiā unà cum Therebentina fundere solent. Nam cū hæ arbores calidæ valde sint, magnā attrahunt humoris copiam pro alimēto, quam tempore veris per librum dimittūt, & Salivæ instar humorisque fluentis transcurrit, unde Ligeris inflatur, & excrescit, & extra limites magno,

Ligeris alluviones incognita.

gno impetu exit. Mirum est quod flumen faciant arbores, & tamen non mirum, si scaturiginem cótemplemur, cùm omnis aqua intra poros terræ contineatur, unde arbores radicibus suis tanquam sanguisugis exsugunt & attrahunt illam aquam, quam si nimis attrahant, ut eam coquere ac digerere in sui substantiam nequeant, eam per cortices dimittunt & lachrymatim fluit per poros arborum, & sic asserere possumus fontes fluere posse, ex mediis visceribus arborum & fluenta constituere posse, ut apparet ex alluvionibus & inundationibus Ligeris, quæ in admirationem quamplurimos rerum naturalium ignaros rapere solet.

De Sequana fluvio undenam Ortum habeat & qua virtute vigeat.

CAP. X.

Sequana fluvii descriptio.

SEquana pacatus placidusque fluvius Galliæ, Celtas à Belgis dividens, ex ignobili pago Burgundiæ, Billi dicto ducens, multas alluit nobiles civitates, & præsertim Lutetiam Parisiorum ubi in multas insulas dissecatur, quæ medium Parysiorum occupant, & inibi præclari, & nobiles structura pontes constructi sunt, hinc ad Rhotomagum versùs tendit magnoque ostio deinde in Oceanum se immittit, infinitos fere pontes habet, sed præcipuus & nobilior est pons Rhotomagi, qui quatuordecim aut tredecim fornicibus lapideis constat, pulchra & admiranda structura; Potus aquæ hujusce fluminis saluberrimus est, & spiritu vitali turget, quo nutrit & alit abunde, unde & terræ omnes qui irrorantur tali aqua, fœcundantur, & copioso spiritu vitali impregnantur, unde Segetes uberrimæ exoriuntur, & arbores fructibus exornantur, magnam adfert commoditatem & utilitatem civitatibus omnibus, quas alluit, tum piscibus quibus turget, tum vectura sua, qua deferuntur omnia, quæ vitæ inserviunt, præsertim Parisiis, beneficio cuius fluminis Parisienses vitam vivere dicere possunt. Nam absque tali flumine vivere nó possent, cum in tanto & copioso sint numero, ut terra non sufficeret ad eos alendos, nisi & aqua fluminis istius & Mare ipsum quod per flumen istud devehit suas merces, contribuerent ad vitam eorum, miranda enim sunt & stupenda, quæ deferuntur Parisiis beneficio istius fluminis singulis diebus, nec concipi & imaginari possunt, nisi ab his qui hæc viderint: Sed hæc ad Historiam referuntur, nos Chymiam tractantes, hæc reticebimus, Chymicos Philosophos Parisienses admonebimus, ne tantis laboribus se discrucient ad quærendam materiam Mercurii Philosophorum, cùm coram ipsis quotidie defluat uberrimus. Plus enim in Sequana invenietis, quàm in mineralibus omnibus, imò ex mineralibus ipsis,

Sequana potus saluberrimus.

Sequanæ utilitates & commoda.

Materia mercurii Philosophorum latitat in visceribus aqua.

ipsis, & metallis educi non potest absque isto qui in visceribus aquæ latitat & occultatur, sed ambo conjuncti faciliori via constituunt verum & legitimum Philosophorum Mercurium, quàm per se separatim sumptæ hæ materiæ quæ una & simplex est, etsi plurali numero efferatur.

De Tago flumine Hispaniæ quid sit, quid prosit & undenam exoriatur.

CAP. XI.

Tagi fluminis descriptio.

FAmosus olim fluit hic fluvius, quòd arenas aureas & argenteas habeat majori quidem copia quam alia flumina, nam ut alibi diximus, commune illud est omnibus aquis ut aurum & argentum producant, quòd spiritus aureus & metallicus in omnibus aquis latitet, & occultetur. Tagus ergo nobilitatur hoc spiritu, qui pedetentim coagulatur & fixatur in aurum & inter arenas reperitur in folia tenuia deductum, quod aquis semper fluentibus ita diducatur. Abundat spiritu illo aureo, ex fonte suo & origine, quæ in Castilia veteri prope oppidum Tarraladictum in plãitie ortum habet, in visceribus terræ siquidem impregnatur spiritu illo aureo & metallico, & ubicumque per totum cursum suum fovetur & multiplicatur hic spiritus, ab influentiis Solis & Lunæ. Multas alluit civitates præcipuè Toletum & Lisbonam Portugalliæ, ubi in Oceanum se immergit magno ostio, versùs Occidentem, piscibus scatet multorum generum, & aquæ suæ potus & saluberrimus, & roborat multum, refrigerat, & emollit, & reserat obstructiones viscerum, propter spiritum illum aureũ, quo turget, beneficio cuius, ejus potus, vino ipso præferendus, nisi his qui debili sunt ventriculo, qui spiritum illum frigidum, & adhuc crudum, percoquere non possunt, & his qui nimis indulgent, quorum consuetudo mutari non potest absque periculo.

Tagus abundat spiritu aureo.

Tagi commoditates.

De Ibero fluvio Hispaniæ quid sit & unde Ortum habeat.

CAP. XII.

Iberi fluminis descriptio.

IBerus Hispaniarum fluvius nobilissimus, navigabili commercio dives. Ortus in Cantabris ex duobus fontibus non procul oppido, Inliobrica, nunc vulgo *Fontibre*, ab hoc fluvio Hispani Iberi dicti sunt, & tota Hispania Iberia, tanta fuit olim nobilitas huiusce fluvii, ut nomẽ dederit toti Regno, varios in se suscipit fontes variaque fluenta, antequam in Mare Mediterraneum se immergat, in quod duobus ostiis se immergit, piscibus omnis generis scatet, ac ejus aquæ potus saluberrimus, roborandis & reserandis visceribus ab omni infractu aptissimus. Nec ab eius potu timendæ sunt scrophulæ, quibus Hispani sæpissime tentantur, sed à pessimo victu quo sæpissime utuntur

Iberi fluminis commoditates.

tur Hispani, propter avaritiam, quam parcimoniam ipsi dicunt.

Fluviorum aliorum descriptio qui in Hispaniis reperiuntur.

Sunt quamplures alii, in Hispania fluvii nobiles admodum, ut est Durius, vulgo Ducro, qui Galleciam à Lusitania separat, cujus potus etiam saluberrimus, ex Castiliæ veteris extremitatibus ortum ducens, ex mõtibus quibusdam, ubi fons ejus scaturit, & ab hoc in Oceanum se immergit versus Occidentem. Est & alius Avas dictus, qui super terram Calattana se condit, deinde post aliquot leucas erumpit, & ortum habet à campo de Montiel potus eius saluberrimus etiam est, scatet piscibus & spiritu vitali turget. Est & alius fluvius vulgo, Gadalguiuir dictus, ex montibus Villæ novæ, de Alcaras ortum ducens. Laudatur ejus potus, de quibus omnibus dicere velle, nimis magnum excresceret volumen, sufficit quod omnes ex centro terræ prodeant per suos fontes, ubi vitali spiritu mundi impregnantur ab Archæo naturæ, ut illum communicent universis terrarum quas alluunt locis.

De Pado Italiæ fluvio quid sit & unde ortum habeat.

CAP. XIII.

Padi fluminis descriptio.

PAdus Italiæ fluvius nobilis admodum, & ita magnus ut magnitudine excedat alios Europæ fluvios, excepta Danubio, ortum habet ex radicibus Vesuli montis, ex loco dicto visendo quod videri mercatur, inter alios fluvios, olim dictus fuit Eridanus de quo multa fabulosa apud Poëtas. Nunc verò vulgo dicitur *Po*, ex claro & perlimpido fonte habet originem, hinc per rupes erumpens, magno murmure erumpit ac diffluit in planos campos, ubi ferè concavis locis & subterraneis canalibus tot⁹ deglutitur, sed tandē versùs Paracolem fortior factus & mitior erumpit, ubi multas fontium aquas degluttiens ex Alpibus & Montibus Apenninis, maior factus & valde tumefactus Lombardiam & Romanulam medio secat hinc in Mare Adriaticum tandem septem maximis Ostiis immergitur: Potus eius aquæ saluberrimus, cùm sit spiritibus mundi turgidus, qui bonitatem aquarum constituunt modo corruptæ & putrefactæ non fuerint. Per hunc fluvium asportatur per totam Italiam, quicquid vitæ Italorum convenit, hinc ad Mare Mediterraneum, & à Mari Mediterraneo per hunc fluvium retrocedendo, omnes merces Orientis. Vnde infinitæ est utilitatis toti Italiæ.

Padi fluminis origo.

Padi potus saluberrimus.

Padi utilitates & commoda.

De Tiberi fluvio quid sit & unde ortum habeat & quid prosit.

CAP. XIV.

Tiberis fluminis descriptio.

TIberis Nobilissimus Italiæ fluvius propter Romam, quam medio secat ubi pontes Nobilissimi cōstructi sunt: Ortum habet ex mon-

tibus

tibus Apēninis ex limitibus Arentinis eodem ferè monte, ex quo fons *d' Irne* dictus exoritur, parvus admodum in principio sui ortus, donec fluvios alios magnos secum deglutierit, & tandem tumescit, excrescit in flumen navigabile, non longè à Tipherno, sed navibus levibus ac parvis donec Romam pervenerit, ubi magnus & tumefactus aquis maximis, navigia perfert quammaxima, hinc ad Ostiam tendit, ubi in Mare Thyrrhenú se immergit postquam quadraginta duo flumina in se absorbuerit, quorum aquas in Mare deducit magno Romæ commodo, quia merces omnis generis ex Oriente in Romam deferuntur, per hunc fluvium, turget piscibus omnis generis. Et potus Aquæ eius saluberrimus est, quicquid dicant nonnulli Germani, qui vinum semper aquæ anteponunt: Romanæ matronæ mecum idem sentient variis olim & pluribus insigniebatur nominibus, nunc Tiberis, nunc Tibris, nunc Janus, Albula, Risnon, Serra, & vulgo Tenere, quorum omnium nominum rationes reddunt nonnulli, ut videre est apud Ovidium, Festum, Pompon, & Eusebium.

Tiberis cō moditates.

Tiberis nomina varia

De Danubii fluvio, quid sit, quid prosit, & undenam prodeat.

CAP. XV.

Danubii fluminis de scriptio & eius origo.

Danubius fluviorum maximus, ac nobilissimus, ex Sylva Hercinia Germaniæ ortum ducit, ex oppido Don Schiu gen vocato, ex colle antiquitùs Ab nolla, non ex monte, ibi enim nullus est mons, nec ab una leuca inveniri potest, sed collis levis, ex quo, ex visceribus terræ prorumpit cum maxima aquæ copia, hinc non longè ab origine, in paludes dispergitur, deinde in se iterum rediens aquarum copia tumefact⁹ multos populos alluit, Suevos, Carinos, Austrios, Transilvanios, & innumeras fere civitates, & tandem postquam sexaginta flumina secum absorbuerit, in pontem Euxinum per Ungariam se immergit, sex autem magnis ostiis, tanto cum impetu & tanta aquarum copia, ut mare ipsum per longissimum tractum dulcescat suis aquis, quia cùm tenues sint, non possunt aquæ marinæ permisceri, nisi diu dilutæ, & agitatæ. Multis & omnis generis scatet piscibus. Et potus eius aquæ saluberrimus, ut pote spiritu vitali plenus, & inter scopulos diutissimè agitatus, ut in se aërem multum contrahat, ex cuius copia bōnitas omnibus aquis conciliatur, quia sic spiritus mundi, qui in ipso aëre latet aquis permiscetur. Commoditates ingentes, & utilitates fere infinitæ, in Germaniam, aliosque omnes populos, quos alluit hic fluvius, resultant: Merces enim omnis generis per húc fluvium, ab Oriente per pontem Euxinum transvehuntur in has omnes provincias, quas alluit Danubius, qui nūc Ister, nunc Mataos, vocari

Danubii cō moditates.

Danubii varia nomina.

cari solebat antiquitus. Nunc verò vulgo dici solet Danaur & Doneà sono & murmure suo, quod ex cursu suo elidi solet.

De Rheno fluvio, quid sit, quid prosit & unde prodeat.

CAP. XVI.

Rheni fluvii descriptio & eius origo.

RHenus fluvius Germaniæ Nobilissimus, ex montibus Helvetiæ Lepontinæ, circa montem Adulam, ex duobus fontibus ortum habet, qui fontes inter se distãt propter montes, septẽ octo leucis, quorum unus Occidentalis est tendens ad Septentrionem, vulgò Anterior Rheni dictus; Alter verò versùs meridiem magis vergit, & Orientem, & vulgo dicitur Posterior Rheni: fontes hi postquam in unum coïerint fluvium, Rhenum constituunt, qui non longè à fontibus suis, lacus duos constituit, Acronius dictus unus, vel Constantiæ lacus ex Constantia urbe: Venetus alter, ex opidulo illo sic dicto, hi lacus piscibus abundant, præsertim Venetus: Deinde versùs Occidentem tendit, & urbem Rhinfeld alluit, Provinciam suam irrorat, hinc ad Septentrionem vergit & ad Argentoratum tendit, vulgo Strasburg, hinc deinde Provincias multas alluit, in quibus tumefactus aquis multis, ex aliis fluviis in eo demersis Nemetem seu Spiram vulgo *Spire* Vormaciam, vulgò *vormace*, & Mogunciam alluit. & deinde Hinch lavat, & retro relinquẽs

Rheno quas alluat urbes & civitates

Confluentiam & Coloniam, Holandiam seu Bataviam ingreditur, & circa Castrum Louber dividitur in duas partes, quarum una tandem Lech nominatur, relicto nomine Rheni, altera verò tandem etiam mutat nomen, & vocatur. Thele, & tandem Mosa vocatur receptis hujusce fluminis aquis, & omnibus aliis, quæ ex se ipso separatæ sunt ad utilitatem & commoditatem Provinciarum, & civitatum quas alluit, tandem in Mare Septentrionalis Oceani immergitur, ubi deponit aquas suas, & mari connectitur. Potus eius aquæ saluberrimus est, ut & reliquorum omnium fluminum, quòd omnes aquæ eorum spiritu vitali turgeant, & tractu suo longo & diuturnâ agitatione, multum aëris in ipsas aquas se insinuat & perinde multum etiam spiritus vitalis, qui in aëre latitat connectitur aquis: multas adfert hic fluvius commoditates, & ferè infinitas ex navigatione sua, per quam merces ubique deferuntur, piscibus etiam abundat omnis generis.

Rheni varia nomina.

Rheni commoditates ingentes.

De Nilo Ægypti fluvio, quid sit, quid prosit, & unde exoriatur.

CAP. XVII.

NIlus fluviorum omnium maximus & nobilissimus, Asiam ab Africa separat, & ortum habet ex lacu Zembre vocato in regno Congo, ex quo

Nili fluminis descriptio.

ex quo lacu flumina quatuor exeunt, quorum tria Mare Æthyopicum desinunt, quartum verò versùs Septentrionem, se extendens, Nilum constituit, & versùs Mare Mediterraneum tendit, quamplurima regna alluit, & Provincias, & præcipuè Ægyptum, sine quo flumine nihil ferè esset Ægyptus, sed cum ipso flumine, quòd ipsam singulis annis inundationibus suis fœcundat & stercoret, nihil est in toto orbe fertilius:

Ægyptus sive Nube ferax imbresq́ue serenos.
Sola tenet secura poli non indigua venti.
Gaudet aquis, quas ipsa vehit, Niloq́ue redundat.

Nilus unde dictus. Dictus est Nilus quasi νέαν ἰλύδα quasi novum limum trahens. ex quo limo putant omnes fœcundari Ægyptum, sed perperam quia non ex limo, sed ex spiritu fixo salis, qui semper limum comitatur fœcunditaté suam recipit. *Fertilitas Ægypti unde.* Et ex spiritu volatili vitæ mundi, quo turget inter omnes fluvios, Nilus: nam ex scaturigine sua, & lacu Zembre Meridionali, tantum recipit huiusce spiritus ut eo turgeat & ratione hujus terras omnes quas alluit fœcundat. Addam ego cum Ægyptus nullis aquis cœlestibus seu pluvialib⁹ unquam madefiat, turget ipsa spiritu ipso terreo, cum nunquam diluatur, nisi à solo Nilo, qui singulis annis nova luna tempore Solstitii Æstivi, circú mensem Julii incipit accrescere, & ita accrescit sensim augmentando, donec *Nilus quo tempore ægyptum inundat.* sol leonem omnem percurrerit, deinde sensim minuitur, & dum sol Libram percurrit, totus in alveum suum se abscondit, inundatâ prius totâ Ægypto, nitroso multo limo campis omnibus relicto, unde dependet eius fertilitas cum in nitro multum sit spiritus vitalis terræ, eius autem inundatio singulis Solstitiis æstivis dependet à Zona Torrida, quæ tunc temporis pluviis quammaximis abundat, nam sol tunc temporis attrahit copiosos vapores, qui mutantur in aquas, ad temperandam Zonam Torridam, eamque refrigerandam. *Nili inundatio unde ortum habeat.* Nilus autem Zonam Torridam medio secat, & omnes fontes & fluvios, qui inibi sunt, secum rapit, unde valde intumescit, cùm & intumescant fontes omnes & fluvii Zonæ Torridæ, qui Nilum constituunt, unde etiam dependet fertilitas Ægypti, cum tota fertilitas, & pinguiora camporum Zonæ Torridæ ad Ægyptum per Nilum adferantur.

Nili fons obscurus & incognitus apud antiquos. Obscura fuit antiquitùs hujusce fluminis Scaturigo, ferè ignota, cùm in tam longissimo tractu ab origine sua, multoties abscondatur subterraneis locis & concavis terræ antris, unde resurgit aliquando mitior, aliquando ferocior & impetuosior, & quod ita abscondatur, & obscura fuerit eius scaturigo, ideo dictus est Astapas Æthiopum idiomate, quod sonat, aquamè tenebris exsurgentem, insinuantes hoc nomine obscuram eius originem, vel sæpius latere, & in cavernis terræ abscondi, nomina-

minatur etiam Astasapes, Astasopes, Siris Triton: nunc montibus includitur, ibi torrentior factus, quàm in cæteris omnibus locis, donec ad Catadupos Æthiopes pervenerit, ubi tanto murmure imò fragore, non fluere, sed ruere inter scopulos creditur: & eius immerso fragore Æthiopes Catadupi surdi creduntur: Præter ingentem & inæstimabilem fertilitatem, quam toti Ægypto sua inundatione adfert suis navigabilibus aquis, aliam huic parem, imò maiorem toti Affricæ conferre solet, imò Asiæ & Europæ: Nam ab hoc flumine, ad Mare Mediterraneum, & à Mari Mediterraneo per totum Europam & Asiam deferuntur merces Affricanæ, piscibus abundat quamplurimis omnis generis, Crocodilis etiam turget, qui plus sunt nocumento quàm utilitati, Nili tamẽ aquas à venenosis qualitatibus expurgant sua attrahendi facultate & energia. Unde potus eius saluberrimus est, & alvum quodammodo laxat, & obstruxiones omnes reserat propter nitrum, quod in se habet, & Halonitrum, cuius vires & facultates maximæ sunt, & Nili aquis communicantur, hisce virtutibus & proprietatibus decoratus tandem, devolvitur ad Maris Mediterranei finem, ubi Mare Mediterraneum, Ægyptiacum nominatur tribus permagnis ostiis, in Deltæ formam divaricatis.

Crocodili quid prosint

Nihil commoditates ingentes.

De Euphrate fluvio, quid sit, quid prosit, & unde scaturiat.

CAP. XVIII.

EVphrates nobilissimus Asiæ fluvius, ex montibus Armeniæ ortum ducens, vel ex horto *Edem* seu Paradiso, Mesopotamiam irrorat, & uberrimè fœcundat, non limo relicto ut Nilus in Ægypto, sed spiritu vitali aquæ suæ, qui copiosus est & abundans ex ortu suo, unde hortus *Edem* seu Paradisus terrestris quem irrorabat Euphrates mira fœcunditate prædicus erat, non solùm Natali solo, quod Deus ipse sua liberalitate fœcundaverat, sed & irroratu fluminum, qui copioso spiritu vitali turgebant, & præcipuè Euphrates, qui inter omnes mundi fluvios spiritu illo vitali mundi uberrimè abundat, unde non immeritò Euphrates dicitur ἀπὸ τοῦ εὐφραίνειν à lætificando, quòd lætificat terras quas irrorat, unde & Mesopotamia tanta fertilitate turget, solo Euphratis irrorata, ut sequenti annos sine ullis novis seminibus terræ commissis, segetes uberrimas exgeret impressis vestigio seminibus. Postquam autem Syriam, Mesopotamiam, Babyloniam, Merodaciam irroraverit in Mare Persicum decidit, & aquas suas deponit duplici canali novo & veteri. Potus huius fluminis saluberrimus est, & scatet pisscibus omnis generis, & præsertim anguillis, quibus-dam

Euphratis fluvii descriptio & eius origo.

Mesopotamia unde infertilis.

Euphratis potus saluberr.

dam in locis, Navigabili sua vectura multum prodest Babyloniæ, & Mesopotamiæ, ex qua Turcico Imperatori vectigalia quammaximamredduntur.

varia & optima.

De Gange fluvio, quid sit, & quid prosit & unde scaturiat.

CAP. XIX.

Ganges fluvii descriptio & origo

GAnges Asiæ fluvius nobilissimus tùm propter utilitatem, quam Indiæ universæ adfert. Nam medio secat Indiam, unde India dicitur extra Gangem, & India intra Gangem. Ortum habet ex montibus Scythiç, in Tartaria prope oppidum *Andege* nuncupatum, quamvis eius origo valdè occulta sit & obscura propter montes, & loca deserta, ex quibus oriri existimatur; rigatq; vicina sua loca quæ alluit, Nili propemodum instar, & fertilitaté quámaximam infert Provinciis quas alluit, & præsertim Indiæ quam miris modis fœcundat, inundationibus suis. Arenas aureas trahit, & multa in copia, unde spiritu metallico turgere signum est. Ex quo spiritu successu téporis inter arenas calore solis exsurgit illud aurum, & non ex ramentis fodinæ aureæ, ut putant nónulli Sicoli, qui existimant aurum in fodinis suis, ita raræ esse texturæ, ut aquis transeuntibus errodi possit in folia tenuia illa, quæ inter arenas fluviorum reperiuntur, spiritus est aquæ, qui successu temporis in aurum transit calore solis, excitante calorem internum sui sulphuris, spiritum hunc semper concomitantis. Sunt qui existimant hunc fluvium Philon esse, at errant toto cœlo, non enim Paradys⁹ terrestris, in quo Philó erat, Indiæ aderat, sed Mesopotamiæ, & Seleuciæ quæ longissimè distant ab India Orientali. Ganges scatet piscibus omnis generis, Delphinis præcipuè, & Crocodilis, qui venenatas eius qualitates, si quæ sint attrahunt, & sic purgant eius aquas ab omni re contra naturam. Ita ut potus eius aquæ sit saluberrimus, & conferat ad morbos curandos, qui ex obstructione ortum habent, nam reserat multum & aperit, & roborat calorem nativum suo illo spiritu, quo turget. Postquam autem Indiam irroraverit, & multam Tartariæ partem, in Oceanum se confert, ac aquas suas deponit omnes, ibique Gangeticum sinum constituit, sive le *Golfo* de *Bengalia*, ex quo retrocendo, ex Oceano Orientali, ex Philipinis Insulis, ex Sumatra ex Jana majori. Et ex universa Chyna, infinitæ asportantur merces magni pretii in Indiam.

Ganges auro turget.
Aurum fricium aqua unde ortum habeat.
Gangis commoditates ingentes.

De Indo fluvio quid sit, quid prosit & unde exoriatur.

CAP. XX.

Indi fluvii descriptio

INdus qui ab incolis Sandus apellatur, maximus fluviorú est, hic est fluvius

& origo.

fluvius à quo India nomen assumpsit, è Caucaso monte ducitur origo eius, & unde viginti recipit amnes, omnes navigabiles ferè, & præsertim Cophem, Acesinem & Hydaspem, ex quibus fluminibus tantam aquarum copiam in se recipit, ut fluviorum maximus fiat, cùm latitudine & profunditate.

Indi fluvii commoditates.

Indiam universam hic fluvius alluit, & per ipsum merces ingentes, & magni pretii huc & illuc asportantur, usque ad Oceanum Meridionalem seu Mare Indicum, in quod tandem demergitur duobus prægrandibus ostiis. Potus ejus valdè salubris, quòd spiritu vitali mundi valdè turgeat, qui salubritatem aquarum omnium efficit & operatur suo vitali & vivifico nectare, quo innumeros alit ac nutrit pisces, variaq; Amphibia animalia, & præsertim Crocodili, & Delphini, etiam quamplurimi ab Oceano in húc fluvium ascendunt, ut Crocodilis bellum inferant, sunt enim Delphini, hostes quasi naturales Crocodilorum, & quamvis solo vẽtre sint vulnerabiles, hanc solùm etiam partem petere solent, suis pinnis sursum erectis, & ita armati Crocodilos debellare solent, in Indo fluvio, & in Gange, aliisque Indiæ fluviis spectari solet quotidiana ferè hæc pugna.

Delphini Crocodilorũ hostes naturales.

CONCLUSIO.

SECTIONIS II.

De Fluminibus.

CAPUT ULTIMUM.

INfinita adhuc ferè restant flumina super terram, de quibus dicere superfluum nobis esset, cùm non Historiam Mundi, sed physicam mundi facere contendamus. Quòd autem ad Physicam pertinet, sufficit id quod in particulari dixim⁹ de fluviis. Nam ex his potest intelligi, & facillimè capi, id quod de aliis dici potest. Omnes enim alii fluvii, & hi omnes de quibus diximus, ortum habent ex centro terræ, per calorem naturalem & insitum mundi, qui in centro residet, ad quem naturaliter tendit omnis aqua, ut digeratur & coquatur, & spiritu vitali mundi impregnetur. Hinc per poros terræ, vaporum modo sursum, & undique elevatur aqua, & in locis frigidis, tanquam in alembicis condensatur in aquam, & sic fiunt fontes, & scaturiunt ex terræ cavernis. Et ex fontibus flumina fiunt, cum flumina nihil aliud sint quàm fontes plurimi, & fluvii in unum fluvium coadunati. Sic Reliqua omnia flumina, quæ in aliis terræ partibus reperiuntur, qualiacumque sint in tota America, nihil aliud sunt, quàm aqua è centro terræ prodiens, per calorem insi-

Flumina omnia ex centro terræ ortum ducunt

Flumina nihil aliud sũt quam fontes multi aggregati.

insitum terræ, sursum elevata in vapores & in cavernis frigidis terræ, in aquam iterum frigiditate loci cōdensata, ex qua fiunt fontes, & ab his flumina: hinc flumina ut fontes impregnantur spiritu vitali mundi, ut deferant ipsum per totum universum orbem, ad generationem & productionem rerum omnium, sic nota nobis est causa efficiens & finalis fluminum omnium.

De Lacubus in genere.

SECTIO. III.

Lacus quid sint, quid prosint & undenam scaturiant.

CAP. I.

LAcus sunt Congregationes aquarum in unum locum, in maxima satis quantitate: Aut enim fontes quamplurimi & Rivuli, aliquando flumina magna in unum concurrunt locum, ibiq; lacum cōstituunt, vel aqua ipsa è centro terræ sursum pellitur vaporum ministerio & ope, in locis particularibus stagnantur in lacum, qui originem ducit ex centro terræ, ut & fontes omnes: Lacus etiam simili ratione impregnantur spiritu vitali mundi, propter eādem rationem, quâ impregnantur fontes & flumina, nam ex lacubus, æquè ac ex fontibus sæpissimè ex casu propter concavitatem locorum, quæ recipit Aquas, in qua sola concavitate stagnantur, & permanent, & lacus constituunt. Aliquando autem in locis concavis nec ex ulla parte declivis exoriuntur fontes, qui sua scatebra concavitatem illam integram replent, & sic fiunt lacus, quorum aqua sola, est ex scatebris suis solis, nulla externa adveniente. Aliquando reperiuntur lacus in summitate montium, qui originem suam ducunt ex fontibus, qui in summitate montium scaturiunt: ex vaporibus, qui à centro ortum ducunt, & in frigidis locis, ubi diximus condensantur in aquam: Potus in genere aquarum Palustrium nō est salubris, cùm Aqua non moveatur, at corrūpatur calore solis, & dum est in motu corruptionis & alterationis perpetuæ, non potest quin corruptionem & alterationem faciat in corporibus animalium quæ talem aquam bibunt.

Lacus impregnantur spiritu vitali.

Lacus casu facti ex concavitate terra.

Lacus in summitate montis unde fine.

Lacuum aqua non salubris.

Lacus cur non refluant uti Oceanus.

CAP. II.

CApite tertio, quarto & quinto, causas diximus fluxus & refluxus Oceani Et ex his possumus colligere, cur lacus non æstuent, multa enim est differentia inter Lacus, & aquas Oceani, Nihilominus objicere quis posset, cùm fluxus & refluxus Oceani fiat ab spiritu mundi, quia à centro terræ prodiens, & per poros terræ & aquæ exiens, dum Aquas Oceani invenit, eas attollit, ac

Lacus cur non æstuent ut oceanus.

in tumorem elevat. Deinde postquam exierit deprimit aut saltem suo pondere deprimuntur aquæ? Quid ni & idem facere potest in lacubus, cùm & lacus reperiantur salsi, & ita salsi, ac Oceanus, undique enim exit spiritus mundi ex centro terræ, in eius superficiem: Et sic aquas lacuum posset attollere & deprimere, ita ut æstuarent. Respondemus verum quidem esse undique exire spiritum mundi, ex centro terræ in eius superficiem. Sed negamus Lacuum aquas adeo salsas, & pinguedine salis esse crassas, ut sunt aquæ Oceani: Quia multa aqua dulci attenuantur lacuum aquę, unde extenuitate facili viâ exit spiritus per poros aquæ stagnantis, & sic permanent lacus sine æstu ullo reciproco, cùm aquas habeant tenues & subtiles respectu, & comparatione facta cum aquis Oceani, cuius tenuitatis & subtilitatis ope, exit facili negotio & via spiritus mundi, unde cùm non inveniat impedimentum, exit sine motu aquarum, ex quibus exit.

Lacuum aqua nunquam ita crassa aqua maris.

In Lacubus cur Naptha & Maltha sæpissimè producantur.

CAP. III.

Naphta & Maltha unde fiant in lacubus.

NAphta & Maltha, apud Plinium & reliquos naturalis Historiæ Scriptores, sunt species bituminis sulphureæ naturæ, & ignem concipientis. Vnde autem hoc bituminis genus, in lacubus præsertim generari possit, quæstio non valdè difficilis est his omnibus qui metallicas naturas & minerales pernorunt, ex aqua oriri, & produci, cùm in aqua semper reperiri soleat spissitudo reliquorum elementorum, cui semper prævalet spissitudo ignea, quæ reliquas spissitudines Elementorum in mediis ipsis aquis, modo in quiete & tranquillitate sint, & permaneant, solet excoquere, hæ autem spissitudines Elementorum ab spiritu igneo coctæ facili negotio transeunt in limum combustibilem, & deflagrantem, qui Maltha & Naphta nuncupatur: non possunt autem in aliis aquis, quæ sunt in perpetuo motu hæc produci, cùm ex motu illo perpetuo nequeat produci lim⁹, in quo solo spiritus ille igneus spissitudinē aliorum elementorum coquit, ac coagulat & fixat in Naphtam & Maltham. nihil enim aliud est Naphta & Maltha, quàm sulphur aquæ, ab spiritu ipsius aquæ coctum, & coagulatum in tale suphuris genus.

Naphta & Maltha quid sit in aquis.

An in Lacubus ac in Mari ipso sponte salsedo produci possit.

CAP. IV.

An lacus sponte salsi fiant.

REperiuntur multi lacus, super terram, qui naturali suo situ, salsedinem habent naturalem, ac Mare

Mare ipsum. Ideo quæstionem hanc fecimus: utrum salsedo illa sit aquis omnibus naturalis & insita, cùm lacus isti salsi sint ex natura advenien- te externa salsedine. Certissimum est omnibus aquis innatam & naturalem esse salsedinem, nam si aqua qualiscumque sit, salsa est, imò ipsa pluvialis aqua, quæ sursum vaporibus sublimata, videtur amisisse omnem suam salsedinem, non est privata sua illa naturali salsedine, nam si coquatur & evaporetur multa quantitas ipsius aquæ in vase aeneo, in fundo evaporatorii reperitur purum putum sal, quod fieri non posset, si Sal non esset naturaliter insitum & implantatum ipsi aquæ, nec posset reperiri rebus omnibus naturalibus, ut re vera ipso facto reperiri solet, nisi esset naturale & innatum principiis naturalibus, quæ rebus omnibus insunt.

Sal omni aquæ insitum est naturaliter.

Concludimus ergo nulla labirinthea difficultate detenti, tanquam quid verissimum, & omnibus manifestum & clarum salsedinem esse naturalem & insitam quibusdam Lacubus, ac ipsi Mari. Quòd si omnibus lacubus non appareat ipso gustu, ratio est, quòd multo phlegmate dulci seu serositate dulci diluatur, quòd si serositas illa, seu phlegma evaporetur calore solis, nec ex fontibus aut rivulis, qui in lacus effluere solent, de novo adveniat, certissimè apparet salsedo illa quæ naturaliter insita est omnibus aquis. Arrigant hîc aures si sapiant Chymiæ Alumni, nam quod ex aquis habendum est, sal illud naturale est, quod Chymiam facit & exornat & nitrosum est.

Concluditur lacus naturalem habere salē.

De Lacu Lemano quid sit, quid prosit & unde scaturiat.

CAP. V.

LAcus Lemanus collocatus est circa limites Ducatus Sabaudiæ & Comitatus Helvetiæ, & ad radicem ipsius lacus versùs Meridiem & Occidentem, qua parte exit Rhodanus fluvius collocatam habet Gebenam nobilem civitatem, ab aliquibus sic dictam, sed falluntur, propriè dicitur Genevas, quam dicimus sui ipsius magistram, & Rempublicam insignem, hæreticam & non Orthodoxam tamē doctrinam profitentem: faxit tamen Deus pietate sua, ut tandem ad pristinam & Orthodoxam reducatur Religionem: sunt enim Cives nobiles, & ingeniosi, & in exteros satis officiosi, & benigni, etsi sint admodum pertinaces in defendenda sua hęretica Religione: Tempus tamen adventat, in quo ni fallor & Religionem, & dominium mutabunt. Nec semper aquæ Lemanos venenum eructabunt, exsurget tandem inde aurum, quod lumine vero decorabitur.

Lemani lacus descriptio & situs.

Lacus istius ortus, & origo est ex aquis & fontibus, qui hinc inde ex di-

Lacus lemani origo.

versis partibus huiusce Provinciæ hoc confluunt, & Lacum constituunt, imò Rhodanus maximus fluvius huc confluit, & per medium eius, secundùm longitudinem transit, & hinc exit, ut per Galliam transeat & Mare Mediterraneum invisat, uti superiùs diximus. Quamplurimi alii fluvii & fontes & torrentes huc etiam confluunt, sed non exeunt ut Rhodanus, at ibi stagnantur, & lacum illum mirum constituunt, qui longitudine sua continet circiter octo leucas, & latitudine duas: Portus habet securos, & locos quibus navigia in tuto sunt, circiter sexdecim, ex quibus omnia quæ vitæ conferunt, Genevæ asportantur. Itaque lacus hic maximæ est utilitatis, non solùm Genevæ, sed & toti Provinciæ. Nam hic per lacum & Rhodanum, qui hîc navigia pati potest, merces asportantur Lugduni & aliis in locis, quos alluit Rhodanus usque ad Mare Mediterraneum: Præterea scatet piscibus multis hic lacus, & præsertim Trutis prægrandibus & ponderosis, ex quibus vectigalia fiunt quammaxima.

Lacus lemani longitudo & latitudo.

Lacus lemani utilitates

De Lacu Divi Bartholomei Monspyrenensi, quid sit & unde ortum habeat.

CAP. VI.

Lacus Bartholomei descriptio.

IN Comitatu Fuxensi, in Montibus Pyreneis datur lacus in cacumine montis, qui dicitur lacus Divi Bartholomei, quod in eo monte Sacrum sit dicatum Divo Bartholomeo, non magnus nec grandis est lacus, sed admirabilis: primò, quòd sit in cacumine montis, secundò quòd sit lapides aut aliquid aliud durum & solidum injiciatur in aquas istius lacus, ad dimovendas eas statim non longo ab hinc tempore, oboriuntur pluviæ & imbres, imò tonitrua & fulgura & grandines sæpè sæpius, & hoc evenire potest, quòd dimotis aquis istius lacus, qui est in cacumine montis istius, in media aëris regione constituti, feruntur hinc vapores sursum, qui statim in Media Regione condensantur in imbres, & grandines. Et quòd unà cum vaporibus, exeant etiam exhalationes calidæ & siccæ ex spiritu igneo sulphureo, qui hisce in aquis includitur; hinc fit fulgur & tonitru & fulmen: scatet hic lac⁹ trutis & piscibus multis ex spiritu vitæ qui turget in hisce aquis, ex quo producuntur & conservantur trutæ & pisces alii. Originem habet ex aquis quæ à centro terræ huc deferuntur per vapores & in tali loco frigidissimo condensantur in aquas, quæ inibi stagnantur & lacum illum constituunt. De hoc lacu quamplurima diximus libro nostro Hydrographo nuncupato, jam in lucem edito, & in Palladio nostro.

Ex dimotu aquis lacus Divi Bartholomei tonitrua fiunt

De Lacu de pilate in Helvetiis montibus, quid & unde ortum habeat.

CAP. VII.

Lacus de pilate descriptio.

LAcus iste dictus *de Pilate*, in Helvetiis montibus, collocatus est in cacumine montis rupti, gallicè *Mont-rompu* non longè à Lucerna civitate Helvetiæ, in mõte solitario, & sylvoso, nam lacus undique sylvâ cinctus, ita ut horridus sit aspectu, profundus valde, & adeo profundus, ut ipsius aquæ, ex profunditate & altitudine nigerrimæ appareant: Si quid in ipso lacu conjiciatur, tempestas æstuosa hinc exoritur, non secus fieri solet in lacu Divi Bartholomei, in Montibus Pyreneis. Et hoc ex hisdem causis exoriri contingit, vapores enim sursum attolluntur & in media regione aëris condensantur in aquas, & imbres tempestuosos; hinc prohibentur omnes exteri, Alienigenæ, montem hunc conscendere, ne consulto lapides, aut aliquid aliud solidum in aquas lacus istius conjiciant, ne tempestas illa æstuosa exoriatur: Non agitantur aquæ suæ ventis; sed valdè quietæ & tranquillæ remanent: Neque inflantur & excrescunt pluviis, nivibus, calore liquatis, ortus & scaturigo huiusce lacus, à centro terræ est, ex vaporibus qui in hoc loco condensantur in aquam, quæ inibi stagnatur, inibiq; producuntur pisces & conservantur pingues & optimi ex spiritu vitali, quo turgent aquæ suæ.

Tempestuosus est hic lacus si eius moveantur aqua.

De Lacu Marchæ Anchonitæ Nursin dicto quid sit & unde exoriatur.

CAP. VIII.

Lacus Marchæ Anconitæ descriptio.

IN Marcha Anconitana, prope montem Victorem datur lac⁹ vulgariter dictus *Nursin*, famosus valde, quòd etiam eius aquæ mirabiles sint, & motu perpetuo agitētur singulis diebus, quasi motu tremebundo, Deinde quiescunt, & statim à quiete sua incipiunt iterum agitari & commoveri. Sicq; perpetuò commoventur postquā aliquando quieverint, vulgus existimat, hinc enatari spiritus, & Dæmones, qui aquas has tali motu agitant: At sic motus non à Dæmonibus, sed ab spiritibus quidem naturalibus aquæ, qui à cētro terræ, unà cum aqua prodeunt, & dum ascendunt movent aquas & agitant motu tremebundo; postquam autem exierint, quiescunt aquæ, donec iterum ascendant, & eructent spiritus; Solis terreni, qui solus, hos & spiritus calore suo eructat, & unà cum vaporibus aquæ sursum pellit: Et sic lacus iste mirabili isto motu agitatur, quod in multis aliis lacubus, imò & fontibus fieri solet, ut tractatu nostro de fontibus fieri posse satis demonstravimus.

Vnde motus tremebundus aquarū lacus Marchæ Anconitanæ.

De Lacu Averno in Campania propè Baias, quid sit & unde oriatur.

CAP. IX.

Lacus Averni descriptio.

Lacus hic Avernus apud Italos, in Campania propè Baias collocatus est, de quo antiquitùs Poëtæ multa fabulosa dixerunt & inferorum esse limen, ac introitum, quòd Incolæ inibi sulphureas & igneas experiantur exhalationes, unde Avernus dictus est lacus, quòd inibi aves supervolando emoriantur, ex vaporibus sulphureis, & exhalationibus, quæ avibus omnibus ita inimicæ & contrariæ sunt, & solo halitu & olfactu emoriantur, quòd hæc exhalatio cùm ignea sit & valdè sicca, cerebrum parvum admodum, & satis siccum adeo exsiccet, ut in ipsa exsiccatione, humidum radicale extinguat, & perinde vitam. Nam non solùm in Averno hoc experiri licet. Sed etiam in arboribus in quibus noctu quiescunt aves, si nidore sulphuris fumigentur cadunt aves illico emortuæ solo odore sulphuris. Sic in Averno contingere licet, sulphuris nidores ex fodina sulphuris, nõ procul adurẽtis exoriri solent. Aquæ verò è centro terræ per vapores, qui nidoribus sulphuris in volatu suo, & cursu permiscentur.

Aves cur emoriantur lacum Avernũ trãseuntes.

CONCLUSIO.

SECTIONIS III.

CAPUT ULTIMUM.

Dantur super terram infiniti alii lacus in diversis terræ Provinciis ac Regnis, in quibus miranda de his lacubus enarrantur. Sed quicquid id esse possit, id vel ex spiritu mundi ortum habet, qui lacus hos actuat & informat, vel ex peculiaribus rebus, in his lacubus productis, vel ex piscibus in his contentis, vel ex quibusdam raris & mirandis quæ in his reperiri solent, veluti in his lacubus in quibus solent reperiri fragmenta navigiorum, quæ in Oceano pereunt, etsi lacus hi longissimè distent ab Oceano. Et hoc est quòd omnis aqua maris tendat ad centrum terræ, & à centro deinde, tum per vapores, tum per canales apertos ducitur ad superficiem, & sic exeunt fontes & fluvii ex visceribus terræ, & lacus etiam hinc fieri possunt, unde non mirum si fragmenta navigiorum reperiantur in hisce lacubus, cùm Mare ipsum à centro terræ, ad quod manifesta porta, ac via ruit per Septentrionem, uti narravimus suo peculiari capite, ad hos lacus tendat. His ita declaratis possumus absque ulla difficultate omnem lacuum naturam comprehendere, & notissimam habere, Jam ad

Quicquid mirabile est in lacubus ab spiritu mundi dependet.

ad fontes aquarum anhelare debemus: ut Aquarum omnium naturam manifestam habeamus, quorum quidem fontium, quamvis tractatum jampridem in lucem dederimus, nihilominus tractatus hic, qui hîc jam inseritur, correctior multo est, & locupletior, in quo quidem multa repetemus, quæ in Hydrographo diximus, sed & multa alia narravimus, quæ in prædicto tractatu nostro nobis excogitare non licitum erat, propter anatomiam Aquarum, quam nondum exquisitè & pyrotegniæ legibus feceramus quocirca brevior erit hic tractatus, sed detersior & nitidior.

De Fontibus.

SECTIO IV.

Fontes quid sint, quid prosint & ortum habeant.

CAP. I.

Fontes definire arduū est.

FOntes definire arduum est, cùm præter aquam quam habent naturalem & insitam, spiritum etiam habeant mundi, ex quo omnia producuntur & conservantur, cuius solius fontes sunt delatores per universam terram, ut hinc omnia desumant & esse suum, & alimentum & conservationem: Dum enim aqua Maris, per Polum Arcticum vi magnetica & naturali attrahitur ad centrum terræ, ut ibi coquatur & impregnetur spiritu mundi, & dum cocta est, & spiritu plena per vapores sursum amandatur, vel per canales apertos sursum fertur condensatione aëris frigidi, ne detur vacuum, aqua ascendit sursum & hinc fiunt fontes in superficie terræ. Unde ex his ita declaratis, fontes definire possumus. Aquæ scaturientes è centro terræ ad diversas terræ partes, ut spiritum vitalem quo turgent distribuant universis terræ partibus. Ex hac ergo definitione videmus, quid sint fontes, quid prosint & undenam scaturiant: non enim ex Mari ortū habent, quamvis ex Mari ad cētrum terræ tendant omnes aquæ, ut ibi alterentur, coquantur ac digerentur, & sic coctæ ac digestæ, & spiritu vitali mundi impregnatæ, mittuntur foras à cētro ad superficiem per vapores, qui citò redeunt, per condensationem in frigidis locis in aquam, ex qua fiunt fontes, & scaturiunt: Ex quibus virtutibus & proprietatibus, insigniūtur vapores, ex quibus resultat aqua fontis, hisdem etiam ꝓprietatibus decorātur fontes, ut videbimus capitibus subsequentibus: Sic fiunt fontes varii, & diversarum virtutum, quòd vapores ex quibus fiunt, variis dotentur facultatibus: prosunt autem mirificè fontes universæ naturæ multis modis. Primò, quòd deferant spiritum vitalem undiq;. Secundò quòd humectent terram, & ratione hujus humectationis, generationes & pro-

Fontes quid sint proprie.

Fontes non ex mari.

Fontes quid prosint.

productiones rerum excitant. Tertiò quòd alant, nutriant & conservent res omnes, alioquin tabescerẽt omnia, & desinerent: videmus enim in locis aridis, in quibus nulla datur aqua, omnia arescere, tabescere, & nihil produci, præter lapides, & reliqua ejusmodi sicca & arida, tanti ergo sunt momenti fontes in rerum natura, ut sine fontibus, natura ipsa persistere non posset, nec genus animalium, vegetantium, & mineralium, conservari posset absque fontibus, sunt enim fontes vita & conservatio trium horum generum, quæ naturam integram inferiorem, suo sinu coërcent. Et conservant fontes hęc tria rerum genera beneficio spiritus mundi, quo turgent fontes, uti multoties diximus & probavimus. Concludamus ergo fontes nihil aliud esse, quàm aquas scaturientes è centro terræ, in eius superficiem & spiritum mundi, quo turgent, deferant omnibus naturæ mixtis, quæ eo indigent, ut vivant & conserventur.

Sine aqua nihil producitur.

Fontes sunt vita rerum omnium.

Concluditur quid sint fontes.

Vndenam dependeant fontium omnium virtutes & energia.

CAP. II.

Fontium virtus unde sit.

CRedunt ferè omnes, ac verissimum existimant fontium virtutes & proprietates dependere ex mixtione quadam rerum mineralium, ut ferri, plumbi, cupri, vitrioli, alumnis, sulphuris & reliquarum rerum, quæ in visceribus terræ repeRiuntur. Et sic existimant fontis aquam, nullam ex se continere virtutem nisi casu & fortuito, per admixtionem rei mineralis, hanc admixtionem non semper admittimus quia omnib' fontibus nõ reperitur, quia cùm fiunt separationes, nulla mineralia reperiuntur, virtus ergo aliundè est quàm ex mixtione mineraliũ, cùm in separatione nihil aliud reperiatur quàm limus quibusdam terrestris multa virtute præditus quod tamen non contingeret, si virtutes aquarum dependerent ex mixtione mineralium, quæ cùm sint fixæ & permanentis consistentiæ, nullo pacto evaporant & sursum efferuntur calore elevante, sed in fundo quiescunt. In fontibus contrarium contingit, virtus tota evaporat, & sursum fertur, cum aqua & vapore eius, nihil virtutis in fundo relicto, Quod signum est evidens virtutem fontium esse tenuem & evaporabilem, & substantia aërea & ignea omninò volatili consistere, & non in substantiâ fixâ & permanenti, qualis est substãtia mineralium, unde cùm hæc virtus sit, volatilis substantiæ, facili negotio per se & sponte evanescit, si diu conserventur aquæ, quod tamen non fieret, si mineralia admixta darent fontibus virtutes & proprietates, cùm sint substantiæ fixæ & permanentis.

Virtus fontium unde evanescat.

Nihilominus tamen in quibusdam fontibus ad mixtionem illã mineralium admittim', cùm manifesta

sit &

sit & evidens, & facillimè separari possit, per simplicem distillationem.

Mineralium virtus quot modis in fontibus reperiri possit.

Contingit etiam sæpè sæpius in fontibus quibusdam virtutem mineralium quorundam reperiri, absq; corpore minerali, quo eluduntur nonnulli Medicorum, qui visa & cõspecta virtute vitrioli, aut sulphuris, aut aluminis in fontibus quibusdã, asserunt statim vitriolum, sulphur aut alumẽ adesse in fonte ipso, & tamen corporaliter non reperiuntur, nisi seminaliter & spiritualiter, hoc est virtus eorum mineralium in tenui substãtia, & spiritu reperitur, tũc quidẽ temporis asserere possumus, virtutes minerales adesse fontibus. Sed cùm fontes mirandas obtinent virtutes, & efficacias nullis suspectis mineralium qualitatibus, undenam virtutes horum fontium expiscabimur. Asseruimus multis in locis ex authoritate & calculo Chymicorum omnium dari spiritum mundi, seu naturæ, qui sua virtute universum replet orbem, naturam agitat & movet universam, & est principium generationum & corruptionũ omnium, quem quidem spiritum, Deus humanus rerum creator, sua infinita potentia ex nihilo fecit, & creavit cui virtutes rerum indidit, ut esset rerum omnium verus Archæus, & opifex, & præsideret generationibus, & compositionibus rerum omniũ; hoc dato in rerum serie spiritu, non possumus aliis rebus virtutes fontium transferre, quàm huic soli spiritui, hic etiam solus est, qui fontes producit, aquam à centro terræ calore suo innato evaporando, ac sublimando, & in locis conveniẽtibus fontes producẽdo, hisq; virtutes varias & insignes secundum locorum varietatem impertit, multis vitrioli, quamplurimis sulphuris, nonnullis salis naturalis, aliis argenti, aliis auri, plumbi, ferri, veneris, & Jovis virtutes & proprietates communicando, & sic variat virtutes & energias, secundùm variam locorum dispositionem, in quibus fõtes producuntur, & in quibus spiritus ipse naturæ varias suscipit dispositiones & alterationes, secundum quas inclinationes, & virtutes ipsius spiritus manifestantur & in actum reducuntur, quod in capitulis subsequentibus clarè admodum manifestabimus.

Fontium virtutes spiritui mundi debentur.

Vndenam in Fontibus virtus mineralis & vegetabilis ortum habeat.

CAPUT III.

Virtus mineralis in fontibus unde sit.

RArum admodum & stupendum est, reperiri fontes, cum virtutibus vegetantium & mineralium, absque ullo admixto corpore minerabili aut vegetabili, ita ut reperiantur fontes qui virtute & proprietate mineralium, & vegetantium ita videntur impregnati, ut quasi extracta, & quinta essentia mineralium, & vegetantium esse videantur, quæ tamen virtus adeo est spiritualis, & aquosa, ut artificiosa communi distillandi ratione, separari

rari non possit, unde occasionem sumimus investigandi, undenam scaturiat hæc virtus, & qua ratione fiat aqua.

Aqua est principium rerum omnium.

Quamplurimi Doctissimi viri Philosophi, ac Medici nobis asseruerunt, principium vegetantium omnium & mineralium aquam esse, unde aqua nutrit, alit & conservat vegetantia cuncta & mineralia, Aquâ deficiente, deficit & genus vegetantium & mineralium: Verissimum autem est, si aquâ nutriantur & conserventur vegetantia & mineralia, eadem fieri & componi, cùm ex Hyppocrate & Aristotele eadem sint, quæ componũt, ac quę nutriũt.

Cùm ergò Aqua componat vegetantia & mineralia, vegetantium & mineralium virtutes, & proprietates habere necesse est cum causa efficiens sui effectus proprietates habere debeat, ut illi communicare valeat, nemo siquidem dat quod nõ habet, habere ergo debet prius, ut dare possit: Verissimum ergò est, Aquam componere vegetantia cuncta & mineralia, beneficio spiritus vitalis mundi, & naturæ, quo turget ipsa, & in qua spiritus ipse fit aqua, ut faciliùs, & commodiùs alat nutriat, & componat cuncta, quæ in rerũ serie reperiuntur: Est enim aqua in natura veluti sanguis in Microcosmo, ut sanguis cũcta custodit, nutrit, & conservat in Microcosmo, eadem in Macrocosmo custodit, nutrit & conservat Aqua.

Spiritus mundi possides eminẽter omnes virtutes rerum omniũ.

Spiritus ergo iste mundi, cùm sit materia, & principium rerum omnium. possidet eminenter virtutes omnes rerum naturaliũ, unde sæpè sæpius in productione fontium virtutes illas è centro suo, ita educit ut mixta peculiaria quorum virtutes esse videntur, producta & innata esse videantur in fonte, in quo virtutes illæ elucescunt: nihilominus tamen nihil aliud sunt hę virtutes, quã semina mixtorum, quorum virtutes in quibusdam fontibus elucescunt: unde successu temporis hæc semina tandem transeunt in vera corpora, unde videmus in fontibus, mineralia tandem produci varia, & vegetantia quæ non aliunde veniũt quã ex semine & spiritu innato mineralium & vegetantium, imò & animalium, quæ in fontibus producuntur ex semine & spiritu generali, qui particularem suscipit dispositionem & alterationẽ in hisce fontibus. Dicendum ergò est Aquam esse principium rerum omniũ, cùm omnia nutriat, & conservet, eaque componat, quod tamen non potest agere, nisi mediante spiritu vitali mundi, qui cùm possideat virtutes rerum omniũ naturalium, est potens producere, imò actu producit mineralia & vegetabilia, quę in fontibus tam varia enascuntur; hæ tamen virtutes nihil aliud esse possunt, quàm semina mixtorum.

Unde in fontibus producantur mineralia & vegetabilia.

Concluditur virtutes fontium dependere ex

Concludamus ergò virtutes minerales, & vegetabiles quæ in quibusdã fontibus reperiuntur, dependere ex spiritu iñato mundi, qui natura-

turali sua sponte mutatur in aquam in qua relucet & emicat magis, quã in mixtis particularibus vegetantiũ, & mineralium, in quibus virtus spiritus mundi elucere non potest, propter eorum crassitiem & terrestreitatem, unde clamant omnes Philosophi Chymici, si mineralium virtutes & vegetantium claras & manifestas habere cupiamus, ita ut præpotentes sint, reducenda esse mineralia & vegetantia in primam materiam, in qua tunc virtutes eorum potentissimè clarescunt, ac vigent: Elucet ergo virtus spiritus mũdi in ipsa aqua, in qua miranda patrat, & efficit, & præsertim in scaturigine fontium. Etsi eluceat in reliquis naturæ Elementis ut in ipso aere, in quo mineralia, vegetantia & animalia producit & efficit, non secus ac in aqua, nõ tamen ita apparenter & copiosè.

spiritu mundi.

Virtus spiritus mundi elucet in aqua.

Vndenam in Fontibus & fluviis quibusdam exoriatur virtus animalis, quâ frondes arborum mutantur in aves.

CAPUT IV.

QVamplurimi Cosmographi testantur dari fontes quidam & Rivuli, in quibus si decidant folia arborum mutari tandem in aves. Apud multos hoc fabulam redolet, nihilominus ego credere vellem, hoc fieri posse: Et asserunt multi hoc factitari singulis diebus in Orcadibus Insulis, in quibus datur Rivulus ex fonte quodam, in quem si decidant folia arborum, quæ ad ripas vivunt & vegetant, statim facta putrefactione foliorum, mutantur in Anates. Et hoc non existimo valde mirum & stupendum, cùm singulis ferè diebusq; statis tempore in nostris Regionibus, similes videamus productiones: Nam ex floribus scabiosæ & reliquarum plantarum similium, quæ in pratis enasci solent, fiunt papiliones foliis florum rore madefactis & putrefactis. Scarabei item enasci solent ex stercore bovũ, quod quidem stercus nihil aliud est quàm fœnum coctum, & digestum in ventriculo bovis, & plus vitæ animalis non possidet, quàm ipsæ plantæ, ex quibus stercus istud separatum est, per digestioné bovis. Non miramur ortum & originem scarabei, cùm sit quotidiana & ordinaria in nostris regionibus, impossibilem tamen credimus Anatum originem, ex foliis arborum in Orcadibus insulis contingentem: Certissimum est menthã hortensem mutari in scorpionem, si putrescat in fimo inter lapides, capilli item fœminarum mutantur in serpentes, & taurus mortuus mactatus & fimo sepultus mutatur in apes, aliaque multa mortua & vitam nullam animalé actu possidentia, facili negotio transeant in animalia pura, ut vinum recens & mustum facili negotio mutatur in culices.

Fontes sunt in quibus folia arborum decĩdentia mutantur in aves.

Papilionum ortus & scarabei origo.

Virtus ergo animalis, quæ reperitur in quibusdam fontibus & ferè in omnibus (nã omnes fõtes produ-

Virtus animalis unde exoriatur,

cunt ranas, bufones, anguillas, serpentes, aliaque insecta animalcula) non valdè miranda, cum hęc ortum habeat ex spiritu mundi, qui cum aquis copiosus innatet, facili negotio quæcumque putrescunt in aquis, actuat in vitam animalem, in quam tendit, tanquam ad finem suum præcipuum & ultimum.

Spiritus mundi tendit ad vitam.

Vndenam exoriatur venenum in fontibus.

CAPUT V.

Venenum in fontibus unde.

PHilosophorum nullus miratur venenum aqueum, quod in fontibus quibusdam reperiri solet, quod tamen admirationi esse deberet omnibus naturam scrutantibus, quod venenum excrescat, & producatur unà cum substantia vitali & spiritu vivifico mũdi. Potest ne mors & vita simul esse, & malum & bonũ in una sede morari: Certissimum enim est vitam, & spiritum vitæ in aquam immitti, quæ quidem vita & spiritus summum naturæ bonum naturaliter est, mors & venenum itidem in eandem aquam immittuntur, & perinde malum rerum omnium in eadem aqua reperitur, sic dolia boni & mali, quæ ad latera Jovis finxerunt Poetæ, sparsa fuerunt & effusa in ipsam aquam: quod omninò mirum, & disquisitionidignum: Nam id certum est, & manifestum. Vidi ego quamplurimos fontes, quorum potus febres intermittentes, & morbos alios varios efficiebat, imò mortem tanquam pręsentissimum venenum inducebat. Undenam autem venenum hoc ortum habet, non enim ex spiritu vitæ & mundi originem habere potest, cùm sint omninò contraria. Sed ex excrementis naturæ, quę sola excrementa mortem inducunt & producunt, & sunt origo morborum omnium, & venenorum quæ omni conatu vitã & spiritum vitæ extinguere in natura conantur: Hæc Ergo venena quæ in quibusdam fontibus reperiũtur, sunt excrementa præter naturã, quæ nobis Arcenica, Auripigmenta Realgaria dicuntur, quæ sæpè sæpius spiritualia sunt, & nondũ in corpus coagulata, & perinde fortissima & potẽtissima venẽna sunt. His ita positis cõcludere possumus venena in fontibus ortũ habere ex excrementis naturæ, quę principia mortis sũt: Vt enim vita ortum habuit ex Deo ipso, qui omnium vita est, sic mors & venenum ortum habuit ex peccato, in Creatorẽ ipsum commisso, quod quidem peccatum maledictionẽ fecit in natura. Et ex hac maledictione exorta sunt excrementa in natura, quæ alioquin pura semper mansisset & nulla excrementa fecisset & perinde nullis venenis, & morbis fuisset contaminata.

Excrementa Naturæ venenum constituunt.

Venenum cur ex peccato ortum duxit.

Vndenam facultas nutriendi in fontibus exoriatur.

CAPUT VI.

Facultas nutriendi

PAuci sunt fontes & rari veneno scaturientes, multi autem & copiosi

in fontibus unde sit. pioſi alimento turgentes, ſignum evidens & certum bonum majus eſſe malo in natura, quæ etſi maledicta fuerit propter peccatum, nihilominus maledictio illa bonum omninò quod in natura inſitum erat, & naturale, non omninò obrutum eſt, & peccato viciatum, quin adhuc ſuperet omne malum. Id certum & manifeſtum videmus in alimentis, quæ copioſiora ſunt & multò majora ipſis venenis, & adhuc venena experimur in natura, ad expurgandam naturam & venenum attrahẽdum, ne permiſceatur alimentis: itaq; bonum etiam habemus ex parte mali. Sic bona naturę ſuperant omni ex parte mala, quæ in ipſa natura reperiuntur. Scaturigo etiam bonorum Infinita eſt, cum à Deo ſit, Mali autem origo ex parte hominis, & creaturæ, quæ ferè nihil eſt, unde non mirum valdè eſt, ſi ex fontibus malis aliquid boni nobis exoriatur, cùm ex ipſis fontibus infinitũ quaſi bonum ſcaturiat, facultas illa alimentoſa, & nutritiva, ſat id teſtatur, cùm ex fontibus omnia tùm animalia tùm vegetantia, cùm mineralia nutriantur, & conſerventur virtute illa nutritiva, quę aquæ plus implantata eſt, fortiori virtute, & potentia quàm in cæteris elementis: Nam reliqua elementa aut nimis tenuia, aut nimis craſſa ſunt: Aqua autem medium occupat inter tenue & craſſum, unde ab Opifice ſummo electa eſt, ad cuncta enutrienda & conſervanda. *Aqua cur electa à creatore ad omnia enutrienda.*

Nihilominus tamen Aqua ex ſe ipſa, non eſt alimentum, quamvis turgeat alimento & vita. Et hæc vita quæ in ipſa aqua turget, ex fonte communi & naturali derivatur in aquam, nempe ex lumine, quod Deus in principio creavit & toti naturæ infudit, ut eam vivificaret: præcipuamq; ſedem hujus luminis in Sole ipſo collocavit, unde radiis perpetuis & indeſinentibus hęc vita defluit in inferiora, elementa, & præſertim in aquam, in qua corpus ſuſcipit & induit, ut nutrire valeat ea omnia, quæ ex ipſamet luce originem ducunt. Unde aqua habet virtutem enutriendi, ex ſolo nempe lumine, quod illi per radios infunditur, & in illa corporis ſubſtantiam induit aquoſam, non tamen madefacientem, ex qua elicitur ſpiritus, qui Alchymiam verè nobilitat, multisque nominibus inſignitur, ut ejus virtutes & proprietates Sapientibus manifeſtentur, & non ad occultandam ejus realem ſubſiſtentiam, ut putarunt nonnulli, quæ potius pluralitate nominum manifeſtatur, quam occultetur. *Vita ex lumine eſt.* *Vita ſeu lux corpus ſuſcipit in ipſa aqua.* *Spiritus luminis Alchymiam nobilitat.*

Concludamus ergò tanquam quid certum & ratum, facultatem & potentiam alimentoſam, quæ in fontibus ferè omnibus reperitur, dependere ex lumine cœleſti, & ex lumine ſolis terreſtris ſeu caloris centralis, qui incorporatur aquæ, eamque ſic vivificat & vitali ſpiritu replet, qui deinde beneficio & miniſterio aquę toti naturæ communicatur. *Vita in fontibus unde dependeat.*

Vndenam virtus medicamentosa quæ in fontibus reperitur, exoriatur.

CAPUT VII.

Virtus medicamentosa in fontibus unde dependeat.

MIrum certè est & amoris Divini symbolum maximum, reperiri fontes in omnibus terræ provinciis, & regionibus, qui virtute insigni & mirabili pollent ad morbos omnes curandos. Deus naturæ conditor ut infinitum suum amorem erga homines manifestaret, non solùm animalia infinita, plantas, & arbores infinitas, ac mineralia cuncta quæ numerari non possunt, ad curationem morborum nobis contulit, sed adhuc fontes scaturire voluit, qui perenni gurgite sanitatem ipsa funderent, illis præcepit:

Infiniti ferè Philosophi ac Medici, virtutem hanc curatricem quæ in fontibus est, indagarunt, & originem ejus inquisiverunt, quammulti mineralibus dederunt, sed pace eorum dixerim longe aberrarunt, & signis quibusdam apparentibus delusi sunt: Nam ex nidore sulphuris & sapore acido vitrioli & aluminis, sulphuris, vitrioli & aluminis, substantias admixtas fontibus asseruerunt: omne enim acidum & nemphytem terrestrem olens, non ex vitriolo & sulphure ortum habet, vitriolum siquidè & sulphur has qualitates naturæ non communicant, imò natura ipsa ex suo sinu, & peculiari fonte, has qualitates vitriolo & sulphuri impertit. Si ergò fontes nidorem sulphuris redoleant & aciditatem vitrioli sapiant, non has qualitates ex vitriolo & sulphure receperunt, sed ex fonte ex quo vitriolum & sulphur acceperunt, nempe ex spiritu lucis aquis copiosissimè infuso, qui aciditatem illam, & nidorem calore suo in aquis producit ex dispositione quadam, quam suscipit aqua coctione variâ: Et si aliquid aliud reperiatur in fontibus, rarum & mirum in curandis morbis, id nō ex mineralibus dependet, quamvis qualitates nonnullæ mineralium reperiantur in ipsis fontibus: non enim hæ qualitates ex mineralibus, sed ex fonte, ex quo ipsa mineralia hauriunt suas proprias & innatas qualitates suscipiunt; Concluderet ne ex ratione, si quis assereret Rheubarbari virtutem purgativam dependere ex Chelidonia, quòd hæc succum luteum habeat ut & Rheubarbarum: ridiculum hoc esset; ambo enim possident suas virtutes ex suis principiis, & non à se invicem: Pari ratione fontes possident suas virtutes & agendi proprietates ex suis principiis, & non ex aliis rebus, quarum qualitates imitantur, aut imitari videntur.

Acidum omne ex vitriolo & sulphure non dependet.

fontes etsi nidorem sulphuris redoleant non ex sulphure id habent.

fontes possidens suas virtutes ex suis principiis.

Non tamen perindè negamus, quin reperiantur fontes quammulti, qui mineralia secum admixta habent, dum enim transeunt per poros terræ, secum rapiunt quicquid in his poris dissolubile reperitur, sive sit vitriolum, sive alumen, aut aliquid aliud simile: Nihilominus sæpè sæ-

pè sæpiùs, fontes quamplurimi possident vitrioli & aluminis, aut alicujus alterius mineralis virtutes, absque admixtione corporum mineralium, quia hæc virtus non ex particulari aliquo mineralium ortum habet, sed ex principio generali ex quo mineralia omnia ortum ducũt.

Sic concludere alacriter possumus, virtutes & proprietates curandorum morborum, quæ in fontibus quibusdam reperiuntur, dependere & originem habere, ex principio illo generali, ex quo fiunt omnia & producuntur, nempe ex spiritu lucis, qui in quibusdam aquis copiosus valde est, & copia sua miranda præstat in fontibus & operatur, quod tamen percipere non possunt Medicorum multi, cùm non credãt mineralia cuncta priùs aquam fuisse, quàm sint id quod sunt: Vnde si prius fuerint aqua, virtutes eorum in aqua ipsa tanquam in causa materiali & efficiente fuerunt: Ergo fontes possident prius virtutes & proprietates curandorum morborum ex principiis suis intrinsecis, quæ fontes produxerunt, quam ex mineralibus quæ suspicantur inesse fontibus, propter quasdam qualitates apparentes in ipsis fõtium aquis

Spiritus lucis qui in aqua elucet est causa virtutum fontium.

De Fontibus ardentibus ac flammam perpetuò evomentibus.

CAPUT VIII.

Fontes ardentes unde sint.

PHilosophiam ferè omnem naturæ hîc redarguere videtur, quod asserat passim duo cõtraria nõ posse in uno & eodem subjecto persistere, in hisce tamen fontibus videntur ignis & aqua simul persistere, quamvis sint formaliter contraria. Nihilominus etsi in uno & eodem sint fonte, non sunt tamen in uno & eodem subjecto, homogeneo & simili, cùm fons diversis omninò partibus constet, scilicet ex parte aquosa, humida & frigida, & ex parte oleoginosa, pingui & sulphurea, in hac flamma viget, in reliqua floret aqua: sulphurea autem illa substantia, pinguis & oleoginosa, flammam & ignem concipit in ipsis fontibus, calore naturali ipsius terræ, qui per antiperistasim, aliquando ita excrescit & vires acquirit, ut adurat omnia pinguia, quæ in visceribus terræ reperiuntur. Cùm autem ignem & flammam conceperunt, unà cum aqua exeunt foràs, excalefaciunt aquas & ebullire faciunt, ut manifestò videtur in montibus pyreneis aliisque multis in locis, in quibus ignis & flamma erumpit ex fontibus, unà cum ipsa aqua fontis.

Ignis ergò subterraneus sulphura terrena & bitumina adurit & inflammat, & unà cum aquis foras exeunt, subtilior enim pars sulphuris, bituminis dum ad aerem liberum pellitur statim flamãm cõcipit, quia ad flammam concipiendam aër est necessari⁹, quòd sit vita flãmæ; flamma enim persistere non potest absq; aëre. Sic sulphurea & bitumina terrena alia cujuscũq; sint generis in visceri-

Ignis Subterraneus sulphura terrena adurit.

ſceribus terræ, etſi igne fortiſſimo agitentur, flammam non concipiũt, ſed ſublimantur partes eorum ſubtiliores in flores, donec ad aerem deveniant liberum & ſerenum, in quo calore perſiſtente flammam concipiunt. Videmus etiam in ipſis fontibus partem pinguiorem & oleoginoſiorem unà defluere cum aqua fontis in oleum verum, quod eſt ſignum in interioribus montis bituminoſam & ſulphuream ſubſtantiam aduri & in oleum converti, tanquam per diſtillationem naturalem.

Fontes ardentes virtutes quamplurimas habent.

Hi fontes quamplurimas habent virtutes ad curandos morbos ferè omnes, qui tamen manent incogniti, quòd nemo reperiatur, qui eorum virtutes propalare ſciat, magno ægrotorum incommodo, qui propè hos fontes habitant, quibus Deus piſcinas has fecit, ſed cùm habeant hominem, qui eos in piſcinam mittat, coguntur lecto jacere ſuo.

Concluditur undenã dependeant fontes ardentes.

Concludamus ergo fontes ardentes & flammam evomentes dependere à pingui, ignea & ſulphurea ſubſtantia, quæ in mediis aquis producitur ab ſpiritu mundi, quæ ſubſtantia pinguis, & ſulphurea igneſcit tandem calore ſubterraneo augeſcente, & unà cum aqua foras exit & fontes illos admirabiles conſtituit.

De Fontibus qui æſtu reciproco afficiuntur ut Oceanus.

CAPUT IX.

Fontes æſtuantes unde ſiant.

QVamplurimi ſunt in Gallia fõtes, qui ſæſtu reciproco afficiuntur. Datur unus in Comitatu. Fuxenſi propè oppidum *Beleſta* dictum, & vocatur hic fons *Storbe*. Apud Pictones etiam datur alius circa oppidum dictum *Gaudiniere*, in territorio *Domini du chaſtelier*. Datur etiam rivulus circa Caſtellum Nobilis Domini Maraſcalli de *Breze* in oppido, *varins* nuncupato, qui fluit ac refluit ſemel in die: Et ferè infiniti alii dantur per univerſam terram qui ſimiliter fluunt ac refluunt ſemel in die diverſis in temporibus. Quamplurimi ſunt Philoſophi ac Medici qui cauſam hujuſce ęſtus inveſtigarunt. Sunt qui Lunæ: Alii qui mari, nonnulli qui cauſæ occultæ, hoc attribuunt, ſed omnes ni fallor ego, falluntur: Quid enim ad lunam hic æſtus, cùm alii fontes in eodem Clymate, & ſitu non æſtuent, cauſa generalis ut luna in paribus, & ſimilibus, paria & ſimilia agit? Quid etiam ad mare hunc referre motum nobis prodeſt, cùm mare ſimilibus & paribus non afficiatur æſtubus, fontium æſtus non ſibi conſtat, unus enim noctu æſtuat, alius meridiè, alius horarius eſt, aliquis ſurgẽte ſole, alius verò ſole occidente, mare verò ſimiles & conſtantes ſibi ſẽper obſervat periodos, majores in

Ple-

Plenilunio, maximos in Solstitio, & Æquinoctio.

Quid in tanta varietate stabiliendum sit, maxima est difficultas & præsertim hac in quæstione, in qua definienda, dicitur Aristotolem Naturæ Genium suum perdidisse.

Quod dat esse fontibus dat etiam & qualitates.

Nihilominus dicam quid sentiam, & liberum relinquam assentiendi omnibus arbitrium: Quod dat esse fontibus dat etiam & qualitates suas, & motus varios: At qui vapores ascendentes è centro terræ per calorem nativum mundi, dant esse fontibus omnibus: Ergò verissimum erit vapores etiam ascendentes dare fontibus qualitates omnes, & motus quibus decorantur. Quod si omnes fontes non similem observant motum, quamvis omnes ex vaporibus dependeant, & ortum habeant. Ratio in promptu est, quòd hi fontes qui æstuant, potentiori & vegetiori polleant spiritu, quàm hi qui non æstuant, sed tantùm perenniter fluant, hi qui æstuant, nunc majori, nunc minori spiritu pollent, unde æstus, qui verò non æstuant, æquali & semper sibi constanti vigent spiritu, unde perpetuus & perennis fluxus: In arboribus idem & plantis ferè contingit, nam omnes non semper & continuo ac perenni onerãtur fructu, sed tantum in tempore illo, in quo, majori & copiosiori turgent spiritu, qui copia sua fructus producit in arboribus & plantis; Sic fontes qui æstuant majori & fortiori pollent spiritu tunc temporis, quã hi qui non æstuant, nam motus ille, est ab inæquali spiritus insuflatione, dum copiosus est, turget & inflat aquas, & majori fluunt cursu, & impetuosiori, dum verò diminuitur spiritus, aquæ etiam minuuntur, & earum motus lentior est: motus enim omnis ab spiritu est, qui in se naturaliter continet calorem & lumen, unde convertuntur hæc in viventibus & rebus naturalibus, spiritus enim est vita, & vita est calor naturalis & lumen occultum in corporibus, unde dum vita persistit, dicimus calorem naturalem vigere & persistere, ac lumen ejus vigere & lucere: dum verò mors subsequitur, vitam extinctam dicimus, quod propriè dici non posset, nisi vita lux esset: Cùm ergò vita sit lumen, & calor vitalis sit ipsa vita, & vita ipsamet sit ipse spiritus. Concludendum inde erit motum omnem dependere ab spiritu: Cùm ergò motus reperiantur in fontibus, asserendum etiam erit motum omnem in fontibus dependere ab spiritibus naturalibus, qui in fontibus innati sunt, qui cùm sint uno tempore fortiores & potentiores alio, uno etiam tempore excitabunt fortiores & potentiores motus, quàm alio, & sic æstus fontium omnium efficiuntur.

Fontes qui æstuant majori turgent spiritu quã hi qui non æstuant.

Vita est lumen & quare.

De Fontibus qui petroleum diu noctuque fundunt.

CAPUT X.

Fontes petroleum fundentes unde.

VT Sagaci omnium perquisitioni satisfacere valeamus, de his fontibus qui petroleum fundunt, Sciendum est, quid sit oleum, & an hæc substantia sub terræ cavernis reperiri liceat, æque ac in vegetantibus, & animalibus. Oleum ergo definiemus substantiam Ætheream, pinguem mercurii mundi seu spiritus aquæ, qui pinguedine scatet, aquæ parum & salis item parum habet, unde ex paucitate salis, liquidum manet & fluidum, nam dum sal turget, coagulatur, unde adeps in animalibus coagulatur propter copiam salis, quam habent, ratione cujùs condensatur, si distilletur adeps, distillatione ascendit pars sulphuris & mercurii & remanet in fundo salis pars, unde adeps post distillationem non coagulatur, cum privetur distillatione sale quo turget ad coagulationem suam, & tunc est oleum adipis, & nunquam amplius adeps dicitur. Idem dicere possumus de resinis, gummis & therebentinis omnibus, quæ ex vegetantibus effunduntur, congelantur & coagulantur frigido, ope salis quo turgent: at si distillentur non amplius coagulantur frigido, quòd sale priventur, per distillationem, & tūc amittunt suum proprium nomen, & olei nomen suscipiunt.

Oleum quid sit.

Adeps quare congelatur.

Si autem hæc substantia oleoginosa copiosa reperiatur in vegetantibus & animalibus, eadem ipsa copiosa reperiri potest in mineralibus. Sulphura enim omnia, bitumina, Naphta, lapidei carbones & reliqua similia, oleoginosam habent substātiam & pinguedinē terrestrem, quæ facili negotio in oleum per distillationem convertitur, manet tamen per se ipsa fixa & solida, ratione sui salis, quo turget, eoque privatur per distillationem, unde liquida manet, & olei consistentiam obtinet.

Evenit ergo sæpè sæpius in concavis terræ visceribus, ut hę pingues & oleosæ reperiātur substantiæ, quę calore naturali terræ nimis adaucto flammam concipiunt & ignem, unde in vastissimis illis terræ cavernis fumus, qui exhalat ex combustione harum substantiarum, dùm includitur hisce cavernis tanquam in alembicis frigiditate loci, mutatur in liquorem, qui cùm oleosæ sit substantiæ, olei imitatur naturam & qualitates, & foràs exit per poros tenues terræ: & hinc fiunt fontes & emergunt scaturigines illæ oleosæ, quæ dicuntur vulgò fontes Petrolei, non quòd oleum sit ex petra, & lapide, sed quòd emergat & exeat per poros lapidum & petrarum, nā nihil aliud est hoc oleum quàm subtilissima pars bituminosæ & sulphureæ substantiæ, quæ intra montes concluditur, & quasi per distillationem naturalem intra terræ cavernas mutatur in oleum. Vnde fontes hi

Fontes olei fundentes ut fiant.

Petroleum unde dictū.

hi qui petroleum fundunt, solùm reperiuntur in montibus, qui perpetuas flammas evomunt & eructant, & in quibus bituminosa substantia comburitur: Nam si sulphurea simplex comburatur substantia, non id evenit, quia sulphur simplex oleum non dat, quod suum sal, sit omninò volatile, & dum comburitur evolat cum reliquis sulphuris partibus, quę beneficio sui salis condensantur in flores & non in liquores oleoginosos, quod experientiâ quotidianâ manifestè declaratur. Sed si carbo lapideus aut bitumen aut lapis Gagatinus comburatur tunc temporis exit oleum ex his terrestribus substantiis sulphureis, quòd hæ substantiæ habeant Salem fixum, & minimè evaporabilem, undè substantiæ quæ exhalant, non condensantur, sed liquidæ permanent & olei imitantur naturam, magnæ virtutis & efficaciæ in curandis Paralyticis affectibus omnibus.

Oleum in terra quid dicitur.

Concludamus ergò fontes omnes, qui petroleum fundunt dependere ex combustione substantiarum bituminosarum intra montium cavernas, quarum partes subtiliores, quæ sursum igne elevantur in concavis terræ antris mutantur in oleum, quod deinde per poros terræ foràs exit, & fontes petrolei producit. Contingere etiam posset, ut spiritus mundi qui cum vaporibus aquæ, sursum è centro terræ elevantur, qui sulphura omnia producit, & bitumina, posset etiam producere loco sulphuris aut bituminis alicujus, verum oleum bituminis, moderando salem, & multiplicando sulphur & mercurium, unde loco fodinæ alicujus horum mineralium, produceret fontem veri petrolei, & liquidæ hujusce bituminosæ substantiæ quod omninò fieri posse existimo, & duplici hac viâ fieri posse censeo fontes petroleum fundẽtes.

Fontes petrolei dupliciter fieri possunt.

De Fontibus qui argentum vivum fundunt.

CAPUT XI.

Fontes argentum vivum fundentes ut fiant.

DIximus sæpè sæpiùs multis in locis, tùm in opere isto, tum in aliis operibus meis, aquam esse matrem, & scaturiginem mineralium & metallorum, & in capitulo suo proprio in compendio Chymico nostro, fecimus mercurium seu argentum vivum scaturiri ex Chaos ipsius aquæ: Non ergo mirum erit si reperiantur fontes, qui argentum vivum fundant & eructent unà cum aqua sua; non enim valdè mirum si mater trahat post se filium suum, & secum ducat deambulatum: spiritus enim aquæ pedetentim congelatur & condensatur cum terra subtili, & uniuntur vera unione, ita ut non plus sit aquæ quam terræ, & sic aqua non madefacit, quia coagulatur à terrâ, nec terra quiescit quia sufficienter ab aqua dissolvitur, & sic terminatur suomet ipso termino mercurius quamvis fluat: Quòd autem spiritus aquæ fons & principium argenti vivi, co-

Argentum vivum qua ratione fiat ex aqua.

aguletur in argentum vivum in medio ipsius aquæ, satis claret, spiritus enim hic per se ex natura sua calidus est, & igneus, etsi in aquis degat, nec unquam frigiditate aquæ debilitatur, imò roboratur, ipsa matris humiditate & frigiditate, quæ cùm frigida sit caliditatem filii augmentat, & sic frigiditate aquæ per accidens coagulantur & fiunt mineralia in ventre & utero aquæ, non ab ipsa frigiditate & humiditate aquæ, sed à calore vivifico ipsius spiritus aquæ, qui in frigiditate ipsa aquæ conservatur, id in nitro clarum est, quod in frigore summo, ignem suum intimè conservat: Itaq; non absonum erit mercurium generari in mediis aquis, cùm locus proprius & naturalis suæ generationis sit ipsa aqua? Quidni mercurius generabitur. Cùm & perfecta metalla, aurum pura & argentum producantur, ut videbitur capite sequenti, in mediis ipsis tùm fluminum, tùm fontium: materia in ipsis aquis disponitur ad metalla producenda melius, & aptiùs, quàm in aere & in terra, quia hæc elementa non propriæ & naturales sunt metallorum matrices, sed solùm aqua, in qua sola, semen metallicum ultimam recipit dispositionem.

Mineralia ut fiunt in centro aquæ

Concludamus ergo argentum vivum, quod ex fontibus quibusdam eructat, generari & produci unà cũ ipso fonte in mediis ipsius aquis, ex spiritu mundi, qui aquas producit, & fontes & mineralia cuncta, quique verum est semen metallicum, quiq; suo calido innato, seu sulphure vitali coagulat & congelat humidum suum radicale, in mercurium vivum & currentem: unde fluit & eructat unà cum aqua fontis, quamvis aqua nihil veneni mercurialis in se coerceat, eò quòd totum attrahitur à mercurio, ut inde prodeat mercurius. Nam venenũ mercurii est semen & proxima materia mercurii, quæ tota impenditur ad compositionem mercurii. Quòd si omnes fontes non eructent mercurium, quamvis omnes fontes habeant semen, & materiam mercurii, ratio in promptu est, quòd hæc materia in omnibus fontibus non æqualiter disponatur ad productionem hujusce metalli, in quibusdam enim disponitur ad aurum, in nonnullis ad argentum, in aliis ad alia mineralia, & sic spiritus ille aquæ, qui semen mineralium est secundùm diversam suam dispositionem, quam suscipit, tùm ab interno suo calore, tùm ab externis aliis agentibus, varia producit mineralium genera, & species in ipsa aqua.

Concluditur argentũ vivum in mediis ipsis aquis generari ab spiritu mundi.

Fontes cur omnes non eructent argentum vivum.

De Fontibus in quibus aurum & argentum in tenuia folia diductum reperitur.

CAPUT XII.

Quamplurimi sunt inter Philosophos & Medicos qui aurum & argentum; quòd in tenuia folia diductum reperitur in multis fontibus,

Fontes qui aurum & argentum habent unde sint.

tibus, & in arenis fluviorum, esse quid derasum ex fodinis auri & argenti, vi aquæ effluentis. At si vidissent duritiem & soliditatem fodinæ ipsius auri & argenti, manibusque tetigissent, mutarent ni fallor hanc futilem & inanem opinionem: fodina ipsius auri & argenti non ita friabilis est, ut aqua effluenti eradi possit, non hinc hæc auri & argenti eructant folia, sed in ipsis aquis producuntur, spiritus siquidem mineralis, qui semen est mineralium copiosus & turgens est in ipsa aqua, ut fusiùs videbimus Sectione particulari de metallis, ubi tractabimus peculiariter qua ratione spiritus mineralis, & metallicus turgeat & abundet in ipsis aquis. Spiritus ergò mineralis, cùm sit copiosus in ipsis aquis, virtute sua producit aurum & argentum. Namque potest producere aurum, ac producit argentum vivum, lapillos, & folia Talci, quæ copiosa reperiuntur in arenis quorundam fontium, spiritus siquidem ita potest depurari in ipsa purissima aqua, ut in puritate sua possit congelari in aurum & argentum: tendit enim ad coagulationem, tanquam ad finem suum: Si ergo tendat calore suo innato ad coagulationem, dum puritatem summam habet, si mercurius & sulphur prævaleant sali, necesse est, ut hæc congelatio aurum promat, si sulphur rubeum sit: si verò album, necesse est ut hæc congelatio, seu fixio promat & ostendat argentum. Nam ex congelatione puri mercurii ex sulphure rubeo fit aurum, ex congelatione verò puri mercurii ex sulphure albo fit argentum. Potest autem depurari spiritus iste mineralis, qui secum continet sulphur, mercurium & salem, & metallica principia, ex quibus summò depuratis, & perfectè coctis ac fixatis, fit aurum & argentum secundùm calorem sulphuris, qui ex varia ejus coctione ortum habet. Sic producitur aurum & argentum in ipsis fontibus ex ipsomet aquæ spiritu; Quod quidem aurum sic productum in tenuia folia diductum est, non in granula, quòd aquę effluxu perenni, dum spiritus congelatur, diducatur in tenuia hæc folia: Sic & lapilli qui congelantur seu producuntur ab eodem spiritu in ipsis fontibus, reperiuntur in varias facies disecti, ab effluxu continuo aquæ. Spiritus ergò mineralis in ventre aquæ depuratur diu noctuq; suis indesinentibus sublimationibus, ascendendo & descendendo per vapores suos, in cavernis terræ: tandem sic depuratur ut magis depurari non possit, tunc temporis post depurationem statim coagulatur, aut incipit coagulari sulphure suo & sale in aurum, vel argentum, secundùm sulphuris sui qualitatem? Ex impura & terrestriori parte, quæ est in ipso spiritu minerali arena & sabulum crassum & opacum producitur: Sabulum autem quod clarum & limpidum est ac lucens, variis distinctum coloribus producitur ex puri-

Spiritus aquæ ut fiat aurum & argentum.

Aurum & argentum quod in aqua reperitur cur in tenuia folia diductum.

Sabulum unde producatur.

puriori parte hujusce spiritus mineralis, cui prævalet sal, mercurio suo, alioquin si mercurius prævalet sali inde metallum producitur, alioquin sabula quæ cum variis distinguantur coloribus, hoc ex varia coctione & digestione sulphuris ortum habet: Sic producuntur sabula in ripis fluminum & fontium, & in profundo maris ipsius ex spiritu minerali ipsius aquæ, qui quidem non potest congelari in massam magnam & prægrandem lapidis, ex motu perpetuo & perenni aquæ, quæ sic motu dividit & secat in minutissimas partes ipsum spiritum seu semen minerale, quod quidem quamvis ita divisum & separatum, nō desinit ad coagulationem pervenire, singula enim pars etsi minutissima habet principium intrinsecum suæ coagulationis, quo coagulatur & fixatur in lapidem, & sic fiunt arenæ & sabula, & metalla ab eodem spiritu minerali, qui si vigeat sale, lapides inde fiunt, si vigeat mercurio metalla hinc exoriuntur.

Concluditur aurum & argentū in aquis repertum fieri ab spiritu minerali.

Concludamus ergo aurum & argentum, quod in tenuia folia in fontibus quibusdam reperitur diductum, & extenuatum, ortum habere ex spiritu metallico & minerali, qui summoperè depuratur inter aquas dum ascendit, ac descendit unà cum vaporibus aquæ, ex quibus fiunt fontes in quibus fixatur in aurum & argentum post suam depurationem.

Vndenam fontes reperiantur limo & luto scatentes.

CAPUT XIII.

Limus & lutum fontium unde & quid prosit.

HÆc Quæstio prima fronte videtur inutilis & inanis, ad quid enim prodesse videtur hæc cognitio, undenam lutum & limus fontium dependeant: Nihilominus tamen magni est momenti & ponderis: Nam ex hac cognitione, bonitatem & præstantiam, virtutem & proprietatem fontium habemus notam & manifestam Nam cùm fontes omnes originem habeant ex spiritu mundi, per vapores qui elevantur à centro terræ calore ipsius spiritus, hic spiritus diversimodè aquas alterans ac disponens, modò limum, & lutum, modò sabulum, modò aliquid aliud in aquis ipsis producit, undè variæ ac diversæ exoriuntur proprietates & virtutes aquarum, variè autem alterat aquas spiritus ex prædominio suorum principiorum, quæ in ipso spiritu insunt: Sūt autem hæc principia numero tria. Sal puta, sulphur & mercurius: Per salem intelligimus substantiam siccam & aridam, vitalem tamen & corporificandi seu coagulandi virtutem in se habentem: Per sulphur intelligimus substantiam luminis plenam & lumen ipsum cœleste, & creatum ipso spiritui immixtum, & implantatum, quòd est principium motus & vitæ, in rebus omnibus. Per mercurium verò intelligimus

Sulphur quid sit.

Mercurius quid. mus substantiam humidam, radicalem tamen & pabulum illius sulphuris, seu luminis, seu calidi innati, ut clariùs videre est capitulis particularibus libri primi hujusce operis. *Fontes sale turgentes quales sint* Spiritus ergò mundi hisce principiis plenus & turgidus, sæpe sæpius in quibusdam fontibus, nunc plus uno turget principio, nunc alio: Sic fontes in quibus turget spiritus sale turgidus, sunt arenosi & sabulosi, vel lapidibus & calculis nitidis & lucentibus scatent, & hi fontes vividi sunt, & clari ac perlimpidi, & optimi saporis & sani: optimi saporis aquas appello, dum sine sapore sunt: *Fontes mercurio turgentes quales.* Quibus verò prædominatur mercurius, hi lutosi sunt & limo pleni, & crudas habent aquas, ponderosas & difficillimæ coctionis, hi pessimi sunt fontes, & obstructiones ingentes pariunt, & febres intermittentes: *Fontes sulphure abundantes.* Qui verò sulphure vitali abundant, hi omnium optimi sunt, & virtuosiores clariores omnium & limpidiores, & motu violentiori feruntur, & semper metalla, aurum, vel argentum, vel mercurium ferunt, & inter lapides & marmora durissima scaturiunt: hinc colligere possumus undenam in fontibus ortum habeat limus & lutum, cùm mercurius seu humidum radicale semper scateat crassis & pinguibus excrementis, ex quibus produci solet limus, & lutum, terra pinguis, & argilosa, hinc semper hi fontes turbidi sunt, & non clari ac limpidi, semper post se trahentes aliquid viscosi & tenacis humoris: Sic videmus aquas paludum omnes viscosas & glutinosas, & piscis omne gen⁹, quod in his enutritur, viscosum & glutinosum esse, ut sunt Anguillæ, tincæ & Cyprini, quibus adhæret glutinosum & viscosum quid, per totam cutem, quod est excrementum sui alimenti, quod per poros cutis emittitur foràs, ex tertia eorum animalium coctione: hoc autem alimentum quo nutriuntur pisces illi, nihil aliud est, quàm spiritus aquæ illius, qui mercurio excrementitio turget, & abundat: Ex quo exoritur humor ille glutinosus & viscosus, qui cutibus piscium illorum paludes degentium adhæret: Si aqua enim turgeat hisce excrementis, pisces qui tali aqua vivunt, necesse est etiam ut similibus scateant excrementis.

Fontes limo turgentes mercurio turgens. Concludamus ergo fontes omnes, qui limo & luto turgent, Mercurio etiam excrementitio abundare, ex quo solo, exoritur limus & lutum, arenas & sabulum excludens sua pingui substantia, & hinc concluditur fontes hos malignos esse, & perversæ qualitatis, & morbos varios & obstructionibus inde ortis, parere & producere in corporibus, quæ his aquis utuntur.

De Fontibus quorum potus febres intermittentes producunt.

CAPUT XIV.

Febres excitantur à QVamplurimi sunt fontes, quorum potus febres intermittentes

à fontibus mercurio turgentibus

tes excitant & producunt, quod eorum aqua turgeat mercurio crudo excrementitio, limonoſo & lutoſo, ex quo obſtructiones variæ producuntur circa Meſenterium ; hinc putreſcunt humores non ventilati, prohibita tranſpiratione: Sic exſurgunt Paroxiſmi febrium intermittentium : Si enim putreſcat pituita, quotidianæ febres exſurgunt Paroxiſmi : Si verò bilis putreſcat febris tertiana exoritur. Si verò melancholia, febris quartanæ periodi exſurgunt : Aqua etiam ipſius fontis ni vincatur calore ventriculi, potens eſt ac ſufficiens cruditate ſua, febres illas intermittentes excitare, nam in hiſce fontibus, qui merenrio crudo abundant, eſt etiam aliquid ſulphuris excrementitii, & ſalis harmoniaci, quod quidem ſimul junctum ſæpè ſæpius humoris melancholici, & atræ bilis naturam imitatur, & morbos eoſdem & ſimiles parit ac producit & ulcera cachoetea multa progignit, ad quorum curationem mutandus eſt potus, aut ſi mutari non poſſit, cùm alii non reperiantur fontes corrigendus eſt vino: Alioquin periclitantur talem aquã bibentes in lepram & Elephantiaſim incidere, quòd aqua horum fontium difficilis ſit coctionis, & cùm coqui & digeri non poſſit, ob cruditatem ſuam, multam inde humorum crudorum ſaburram, & copiam produci aſſerimus, & perinde lepram & Elephantiaſim hinc exoriri.

Fontes limo turgentes lepram producunt.

Concludamus ergo fontes, qui mercurio excrementitio atque crudo abundant, febres intermittentes producere, propter cruditatem & obſtructiones, quas parit mercurius crudus & incoctus, ad quod evitandum conſulo iter facientibus, ne potent tales aquas ex his fontibus ſcaturientes, qui ſemper limum viridem in fundo habent & tardo motu feruntur, hi ſemper obſtructiones pariunt & perinde febres intermittentes, quæ ex obſtructionibus ortum ducunt.

De Fontibus qui Bronchocelem producunt potu ſuo.

CAPUT XV.

Fontes qui Bronchocelem faciunt quales ſint.

MEdici ferè omnes exiſtimant veriſſimum eſſe, Bronchoceles ortum habere ex potu aquæ nivis aut glaciei, quæ in Sabaudia, & in montibus pyreneis majori parte temporis ex fontibus & rivulis ex montibus ſcaturientibus effunduntur: Nix tamen nec glacies eſt vera cauſa hujuſce tumoris, ſed eſt ſpiritus ſalis coagulantis, qui turget in ipſis aquis: veriſſimum tamen eſt, Nivem & glaciem abundare hocce ſpiritu ſatis coagulante : Nam violentia frigoris, aqua dum gelatur privatur ſpiritu ſuo ſulphureo vitali, & perinde copioſus tunc eſt ſpiritus ſalis coagulantis, alioquin frigus non congelaret aquam. Aquæ deinde gelatæ poſtquam liquantur calore ſolis & lumine, iterum impregnantur ſuo ſulphu-

phu-

phureo ſpiritu vitali, & ad ſtatum priſtinum redeunt, ſed ſemper habent copiam ſpiritus ſalis coagulantis, beneficio cuius pituita deſcendens in guttur, & circa illas partes gutturis congelatur, & condenſatur in chyrrhoſum tumorem indolentem, & ſic fiunt & producũtur Bronchoceles, ſeu herniæ gutturis.

Bronchoceles productio quibus attribuenda. Itaq; attribuenda potiùs eſt productio hujusce tumoris, ſpiritui ſalis coagulantis, qui ſemper abundat in locis montuoſis ex natura loci, quæ ſemper lapides ex tali ſpiritu producere ſolet, cùm etiam ex natura frigoris, quæ ſemper exhalare facit vitalem ſpiritum & calorem naturalem, unde ſal remanens in ſubjecto potentiſſimam habet virtutem & energiam ad coagulandam aquam, unde ſæpiſſimè ita firmiſſimè & potentiſſimè congelatur aqua ab ipſo ſpiritu ſalis frigore operante, ut aqua ipſa in Chriſtallos abeat, absq; *Criſtalli qua ratione fiant.* potentia reſolutionis calore ſuperveniente, quia potentiſſima ſiccitas introducta eſt in ipſam aquam ab eodem ſpiritu ſalis coagulãtis: Quod quidem nõ contingit in nive & glacie, quòd ſiccitas tanta, ab ſpiritu ſalis coagulantis non introducta ſit in nive ac in Chryſtallis. Spiritus ergò ſalis coagulantis, qui copioſus & turgens in montibus Sabaudiæ, & Pyreneis reperitur, efficit Bronchocelem ſeu herniam gutturis, his ferè omnibus, qui hos montes incolunt & *Fœmina cur potius Bronchocele tentur quã homines.* præſertim fœminis, quæ in temperamento frigido ſunt, & pituita abundant; quia in partibus laringis & gutturis, pituita viſcoſa, & tenax reperitur copioſa, ex defluxione pituitoſa, in has partes, quæ pituita ſemper ſale abundat, & cum ſale exteriori foveatur ex potu, ſalſior redditur, & perinde ad coagulationem aptior, unde facili negotio ex ſalis copia induratur in hosce tumores gutturales, qui Bronchocelem conſtituunt, nunquam ſuppurabilem, quòd calor naturalis ibi paucus, & quaſi nullus ſit, & quòd ſal copioſus & turgens impediat corruptionem. *Bronchoceles curatio* Ad quos tumores curandos & diſſolvendos nihil efficacius inveniri poteſt balſamo ſulphuris ſpiritu ſalis permixto: Nam ſal curat morbos, quos ipſe producit, modò uti eo ſciamus ut decet, nam ſi ejus acrimonia noceat, ci⁹ dulcedo curat ea omnia, quæ eius acrimonia inducit, Si ſiccitas ejus & vis coagulans tumores ſchyrroſos faciat, eius humiditas ſeu mercurius qui eius ſpiritus eſt, hos curabit tumores.

Vndenam Fontes dulces in medio Mari exoriantur.

CAP. XVI.

Fontes dulces in medio mari unde fiant. VEriſſimum eſt, quicquid clament nonnulli, centrum mundi, terram eſſe, in quam tendunt virtutes omnes totius naturæ, veluti in centrum ſuum: Unde rectè dicitur terra omnium mater & nutrix, & præcipuè fontium, qui producuntur

in ventre eius, Cùm autem fontes ferè omnes dulces sint, dum egrediuntur ex centro terræ per vapores, in medio aliquando mari scaturiant & dulces adhuc sint, quod permisceri subito nequeant marinæ aquæ, marina enim aqua crassa & pinguis valde est tenax & viscosa: Aqua verò fontium à centro terræ scaturientium subtilis valde, & tenuis, & sua subtilitate & tenuitate penetrat maris aquas pingues & crassas, absque permixtione, unde fontes, illæso suo motu perveniunt usq; ad superficiem maris, ibique apparent impermixti, & verè dulces: Sic in medio Maris Mediterranei, & Oceani ipsius, reperiuntur aquæ dulces, quæ miraculo sæpissimè sunt navigantibus, cùm tamen sint fontes aquæ dulcis, è terra scaturientes & tenuitate sua non permiscentur aquis marinis nisi multo tempore agitati. Id ipsum in fluminibus ipsis experiri licet, quæ magno cum impetu in mare intrant, nec aquas suas mari permiscent, nisi diu simul agitentur, & sic tandem permiscentur, nihilominus tamen cursus fluminis semper remanet aquâ dulci plenus in ipso mari.

Aqua fontium dulcium cur penetret mare.

Non ergo mirum est si fontes aquæ dulcis, reperiantur in medio ipso maris, cùm quotidiè scaturiant in superficie terræ, quæ mari non tegitur, ad commoditatem animalium, & ad productionem rerum omnium, neque incongruum erit in superficie terræ exoriri, quæ mari tegitur ipsa superficies terræ, & per medias aquas ipsius maris scaturire, ad superficiem usque, absque ulla mixtione, cùm qualitate differant aquæ maris, & aquæ fontium, unde permisceri non possunt, nisi diu inter se agitentur.

Concluditur fontes dulces qua viâ oriantur in medio mari.

Vndenam Fontes saliti in mediis terris longe à mari reperiantur.

CAP. XVII.

INfiniti ferè fontes reperiuntur sale conditi, tum prope mare, tum longe à mari, in ipsis montibus, & in planitie scaturientes. Quamplurimi ortum habere possunt ex mari ipso, sed hi non sunt veri fontes, sed transcolamenta ipsius aquæ marinæ, per poros & canales apertos terræ. At veni ac legitimi fontes sale turgentes, non mari defluunt sed ex cavernis terræ, ubi producuntur per spiritum mundi qui vapores eo ducit, ibiq; ex frigiditate loci condensantur in aquam ex qua fit fons. Si verò ibi spiritus mundi producat Salem, ut multis in locis, atq; cavernis subterraneis producere solet, ibi sal productum dissolvitur & unà cùm aqua fluit & fontem sale turgentem producit. Quid ni fontem salitum producet, cum & montes ipsos ex sale constituat, quales sunt in montibus pyreneis ex parte Hispaniæ, *Querdonne* dicti, ubi sal lapideus excrescit miro naturæ proventu tanta cum copia, ut montes constituat.

Fontes salsi unde oriantur in medio terra.

Id

Montes salis qua via fiāt

Id non ex mare provenit, longissime enim distant à mari hi montes. At solum ex natura ipsa, quæ facultate sua suoque spiritu salem producit in hisce locis. Ex hac Salis productione in ipsis montibus colligere possumus, eandem virtutem habere debere naturam in cavernis interioribus ipsius terræ ac in ipsa superficie. Quòd si sal magna in copia producatur in superficie terræ, ut experientia videmus. Quidni etiam producetur in intimis terræ cavernis, quæ cum naturaliter udæ sint & humidæ, humiditate earum sal dissolvitur & dissolutum in fontem exit: Scimus etiam ex Chymicorũ omnium doctrina salem produci in omnibus rebus ex calore naturali rerum omnium, qui humidum suum radicale desiccat & expascit, & ita desiccatum Sal apparet manifestũ quod in intimis humidi radicalis occultum erat.

Quod si calor naturalis mundi, seu lumen illud mundi centro mundi detentum producat fontes, uti diximus & probavimus, contingere potest in quibusdam fontibus ut calor ille naturalis seu lumen, adeo sit potens & efficax, ut continuo agendo super suum humidum ita ut eum desiccet & salem internum occultum, coctione continua & perpetua tandem manifestum faciat & apertum. Et sic Sal producitur in fontibus quibusdam actione caloris, qui coquendo aquam continuo, salsedinem tandem occultam manifestam reddit.

Sal qua ratione fiat in fontibus.

Qui sciunt aquam congelare perenni & continua ignis actione, sciunt & intelligunt veritatem huiusce rei, & sciunt vere aquam continua coctione in salem desinere.

Concludamus ergo fontes salitos qui in multis locis reperiuntur, non ex mari, sed ex facultate naturæ quæ suo spiritu vivifico hos fontes sale conditos producere solet, in intimis terræ cavernis, ut & salem producit in mediis montibus.

Vndenam Fontes hyberno tempore amittant suas virtutes, & vere & autumno recuperent.

CAP. XVIII.

Videtur centrum terræ hyberno tempore maiore pollere virtute ac energia, quam alio quovis tempore. Eo quod per antiperistasim frigoris superficiem terræ tunc tẽporis occupantis, calorem naturalem terræ fieri majorẽ, & vegetiorem videamus. Et proinde fontes, qui in centro terræ, aut in intimis eius cavernis producũtur & enascuntur virtuosiores & efficaciores esse debere hyberno tẽpore quã quovis alio. Certissimè hoc verũ esset, si spiritus mũdi, eo tẽpore in cavernis terræ clauderetur & detineretur, At non ex ea parte terræ qua viget hyems occludatur. Ex alia parte qua viget ver & æstas attrahitur magna cùm po-

Centrũ terræ quo tempore fortius.

Spiritus mundi cen[tro] terra[...]

clauditur sed semper ad superficiem tendit.

potentia, à calore solis partem hanc terræ calefacientis & aperientis, frigus etiam partem oppositam occupans compellit spiritum, ut fortius eant, ad partem terræ ad quam vocatur ad productiones & generationes rerum omnium, quæ tunc temporis vigent & florent in alio opposito Hæmispherio. Itaque hisce de causis spiritus mundi, qui pater est & causa fontium omnium, non est copiosior & virtuosior in visceribus terræ tempore hyemis, alio quovis tẽpore, imò minor multò, cùm trahatur à calore solis versùs oppositã partem, ubi ver viget & æstas, ad germinationem rerum omnium. Et pellatur ab hac parte in aliam à frigore vigente tempere hyemis. Addam & ego cùm hyemis tempore, pluviæ turgeant, nix vigeat ac glacies, & humiditates undiquaque terram occupent, fontes inde copiosa aqua pluviali aut nivali perfunduntur, unde eorum virtutes minus efficaces reperiuntur, tùm humiditate abundanti, tum ex defectu spiritus vitalis mundi, qui semper Solem patrem suum sequitur, unde dum Sol redit ad nos veris tempore, vernantur omnia, & fontes etiam pristinas, & antiquas recuperant virtutes, ut & reliqua cuncta virescunt.

Fontes virtutes suas amittunt hyeme, & recuperant æstate.

Fontes ergo virtutes suas & energias amittunt tempore hyemis, & recuperant tempore veris, æstatis & autumni, quòd spiritus mundi, qui harum virtutum causa est, restituatur fontibus, adventante sole tempore veris, æstatis & autumni, & rationi consonum est, fontes eò temporis vigere virtutibus cùm & cætera cuncta vigeant, & deficere tempore hyemis, cùm & cætera cuncta deficiãt deficiente spiritu, quo præsenti omnia vigent & roborantur. Sic & fontes tempore hyemis absentia illius spiritus mortui, & steriles ferè manent, redeunte verò sole, tempore veris redit spiritus ille, qui copiâ suâ omnia ferè mortua vivificat, & præcipuè fontes, qui hunc spiritum distribuunt toti terræ, & universis naturæ mixtis.

Quòd facultas productrix fontium non solùm vigeat centro terræ, sed & in aëre ipso, & in arboribus ipsis.

CAP. XIX.

Virtus productrix ipsorum fontium ubiq; viget & in arboribus ipsis.

Spiritus hic fontium productor non solùm in visceribus terræ, vigorem & virtutem suam ostendit, in producendis fontibus, sed etiam in quibusdam vegetãtibus, super quorum foliis aquam perpetuò producit, ut videre est in rore solis æstate vigente, & sole ipso ardente, Meridie ipso, flos semper eius rore madet & guttulis aquæ semper onèratur. Ardor ipsius solis, qui suo calore fontes ipsos & flumina, imò paludes prægrandes exsiccat, non potest exsiccare folia ipsa istius plantæ, quin semper rore madefiant & guttulis aquæ turgeant. Attrahit virtute

tute magnetica humidum terræ & humidum aëris, ita ut repugnante calore intensissimo solis semper sit rore madida. Fertur etiam apud Indos Occidentales, versùs Regionem Peruanam & Tobinambicam esse arborem miræ pulchritudinis & altitudinis, tùm ramis tùm foliis. Ex cuius foliis semper & continuò decidunt aquæ guttatim, & fontem perennem constituit circa truncum arboris, ex guttulis perenniter in terram decidentibus, ex singulis arboris istius foliis, Unde huius Regionis incolę, huius aquæ potum hauriunt, quo maximè recreantur. Undenam hic fons aquæ dulcis exoriatur, profundissimè hic Philosophandum, non enim ex profundo arboris & intimis eius partibus ortum habet cum saporem arboris non retineat, in superficie foliorum excrescunt & protuberant guttæ: Ex aëre ergo necesse est ut ortum habeant, folia enim istius arboris vim habent attrahendi humidum aëris, quod attractum & condensatum in superficie foliorum, excrescit in aquam veram laudabilem & potabilem: Non secus ac cavernæ interiores ipsius terræ attrahunt vapores & spiritum mundi vaporibus contẽtum, & attractum statim frigiditate sua condensant in aquam: Vnde fiunt fontes: Sic virtus hæc productiva fontium, non solum in cavernis terrę viget, sed etiam in superficie plantarum & arborum. Sic etiam cacumina mõtium pollent eâdem virtute: Nam perpetuis nubibus obnubilantur, quia ipsa cacumina attrahunt vapores, & humidum aëris & terræ, & inibi condensantur frigiditate loci, in aquam ut irrigentur cacumina montium.

Arbor in Tobinambis qui fontem foliis suis emittit.

Cacumina montium semper humida.

Concludimus ergò ratione & experientia; virtutem productivam fontium non solùm vigere in cavernis terræ, sed etiam in superficie plãtarum nonnullarum, & arborum, quæ attrahere solent hunc spiritum mundi, qui attractus facili negotio condensatur in aquam, cùm ad aquam vergat eius natura.

Fontes, qui vigente Sole virtute vigent, noctu verò silent, unde id habeant.

CAP. XX.

QUò magis aquam investigamus, eò magis miracula illius & rara inveniuntur majora: Sunt enim quidam fontes qui virtutes suas, diu solum, & tempore meridiei ostendunt & manifestant: dum verò ad occasum Sol vergit virtutes diminuuntur, adeo ut Sole silente, sileant & eorum virtutes & proprietates. Dum verò sol oritur, & virtutes etiam eorum resurgunt & crescunt ad meridiem usque: Deinde à meridie ipso pedetentim diminuuntur, donec tandem nihil habeant virtutis, sole non lucente. Causa hujusce rari eventus dependet ex Sole ipso, qui cùm pater sit spiritus mundi, fon-

Fontes vigente sole vigentes, noctu verò silentes unde.

Sol pater spiritus mũdi cum sit pater lucis.

di, fontium omnium pater, spiritum illum evocat & in fontibus revocat & excitat ad actionem suâ præsentiâ & suis radiis: dum verò ad aliam terræ partem illuminandã convertitur, secum trahit ac ducit spiritum illum, non fixum & radicatum aquæ ipsius fontis, ideo facili negotio trahit ipsim ad aliam terræ partem. unde virtutes fontium illorum ecclypsim patiuntur donec iterum Sol redeat, & reditu suo, reddat virtutes communes & ordinarias fontibus illis, cùm & reddat & spiritus qui sunt virtutum horum fontium verissima causa. Videmus motum eundem in quamplurimis floribus & plantis, quæ sole præsente pampinos, & botros & gemmas excludunt, sole verò occulto ac silente, easdem gemmas claudunt & occultant, imò & virtutes majores, odores & sapores sole præsente ostendunt, cùm & spiritus vitæ, qui in hisce floribus elucescit, copiosius elucescat & vigeat, tempore præsentiæ solis, quàm sole absente, unde & virtutes maiores & potentiores sunt tunc temporis. Par est ratio in fontibus, spiritus vitæ qui fontes omnes vivificat & actuat, ita à sole gubernatur & regitur, ut ne momento quidem temporis persistere possit in suo vigore & virtute efficaci, absque præsentia solis.

Spiritus vitæ absq; sole persistere nõ potest.

At objiciet quis, cur omnes fontes non id observant cùm & omnes ab spiritu illo luminis cuius Sol pater est, producantur & progignantur, quia filii, inquam, nòn semper naturam patris sequuntur, quamvis ex patre ortum habeant. Vnusquisque fons suum habet spiritum à quo actuatur, hic autem spiritus est filius particularis & individuus ipsius solis; omnes autem hi spiritus quamvis à sole omnes prodeant, & ortum habeant, naturam patris & essentiam non sequuntur, cùm omnes pari semine sint minimè progeniti, sed dispari ex varia alteratione eius seminis in utero materno facto, hinc varietas productionum, & formarum varius ortus, & inclinatio, & propensio varia. Sic fontes nonnulli ita producuntur ut in eorum productione Sol magis contribuet, & spiritus suos fortiores & potentiores ac ita sui similes producat, ut fontes illi ita producti Solis motum imitentur & naturam. Concludamus ergò fontes qui sole præsente virtute vigent, sole verò absente, eadem virtute carent hoc habere ex spiritu suo particulari, qui virtutes solis imitatur & motum tanquam à sole prodiens, & ortum habens, & similitudinem & sympathiam solis observans.

Fontes omnes cur cursum solis non observant.

Concluditur fontes sole vigentes hoc habere ex sole ipso.

De Fontibus qui noctu, vigent, die verò silent.

CAP XXI.

Fontes noctu vigentes unde hoc habeant.

Mirum valde est, Authorem naturæ non voluisse, virtutes omnes & proprietates naturales manife-

nifestas & evidentes fuisse vigente sole, & lucente, multas & ferè infinitas noctu reservavit. & sicut lumina sunt particularia & propria quæ noctu vigent, suasque virtutes noctu exercent & ostendunt. Et cùm nox etiam habeat sua peculiaria animalia, quæ noctu alimentum suum quærunt, ut vitam suam sustentent: Sic & mixta particularia habere debet nox, quæ noctu vigeant & floreant, ut alimento sint animalibus noctis. Sic etiam fontes habere debet, ut illis omnibus præbeant potum. Sunt flores permulti qui noctu florent tantùm, suasque gemmas excludunt, vigente verò sole & lucente, claudunt. Sunt arbores quæ fructus suos noctu pandunt, die verò occultant: Lumen etiam illud vitæ, quod est rerum omnium principium, non incorporant elementis, adeo ut visibile corpus suscipiat nisi tempore noctis: unde Philosophi nonnulli, asserunt humiditatem noctis & humidum lunæ, vestimenta præbere lumini nostro vitali, ûnde sic convestitum vocant ipsum diem humida noctè coopertum: Et hæc est ratio vera, unde sint fontes quorum virtutes noctu vigere solent: Nam cùm Lumen istud cœleste vitæ, & actionis principium, misceatur elementis sublunaribus tempore noctis, vera unione, non valdè mirum est, si reperiantur fontes nonnulli, Plantæ & arbores, quæ ipso eodem tempore virtutes suas ostendant & manifestent cùm eo ipso tempore plus virtutis, hoc est spiritus vitæ, attrahāt quam alio quovis, Primò quod spiritus eo tempore copiosior sit. Secundò quòd hæc naturalia nocturna sint, & vires noctis sequantur, cùm & nox ea producat, & progignat. Nam quamvis Sol cum suis constellationibus diurnis, & quæ eius naturam sequuntur, producat hunc vitalem spiritum, nihilominus & Luna cum suis constellationibus nocturnis, eundem producit spiritum, & est mater illius spiritus, sicut & Sol est eius pater. Quod verò humidum est, & natura frigidum, sequitur naturam & essentiam matris, ut quod est calidum & siccum sequitur naturam patris: Sic multa sunt in natura, quæ sequuntur naturam Solis, & multa alia quæ sequuntur naturam Lunæ: Sic ea quæ sequuntur naturam lunæ, plus virtutis & energiæ ostendunt tempore noctis, cùm & Luna tunc temporis plus habeat virtutis. Sic etiam fontes qui Lunæ sequuntur naturam & essentiam, tempore noctis plus habent virtutis, quam alio quovis tempore, cùm causam efficientem habeant præsentem potentiorem & efficaciorem tunc temporis.

Mixta sunt plura quæ noctu vigēt.

Lumen quo tempore fiat corpus & aqua.

Luna qua ratione mater spiritus mundi.

Quæ sequūtur naturā lunæ plus virtutis habent tempore noctis.

Concludamus ergo fontes quorũ virtutes sunt potentiores & efficaciores tempore noctis, quàm interdiu. Id habere ex proprietate & energia nocturnarum cõstellationũ, & præcipuè lunæ, quæ virtute sua humida spi-

Fontes noctu vigentes id ex luna habent.

spiritum mundi & lucem naturæ corporificat & aquam facit, unde facili negotio colligere est fontes spiritum mundi, copiosiorem tunc temporis habere, unde & plus virtutis, cùm virtus fontium ab illo dependeat spiritu, unde si qui sint fontes qui noctu vigeant & floreant virtutibus & energiis, diu verò sileant & careant omni virtute, hoc habent ex astris nocturnis, quæ spiritum illum excitant & efficaciorem reddunt ac potentiorem, cùm habeant id ex naturâ suâ, ut nocti præsint & maximum tunc temporis habeant dominium, sic ea omnia quibus dominantur potentiora sunt & efficaciora.

Vndenam Fontes caleant hyeme, æstate verò frigeant.

CAP. XXII.

Vndenam fontes hyeme caleant & æstate frigeant.

PHilosophorum omnium turba, communi omnium assensu, asserit fontes omnes hyeme calere, & æstate frigere, ex Antiperistasi caloris & frigoris, quæ tunc temporis fieri solet: At hæc philosophandi ratio, non mihi valde arridet, cùm adhuc supersit quærendum undenam antiperistasis illa fiat. Nam calidum cùm sit agentium omnium potentissimum omni tempore vincere deberet frigus, & frigus omni tempore deberet cogi ad interiora terræ & ibi catenis divinciri: Cœlum siquidem pater luminis & caloris, terræ undique dominatur, eamque ex omni parte eam calefacit tùm lumine suo & calore perenniter in terram defluente, tùm motu perenni & perpetuo, quo circumfertur circa terram, unde terræ superficies deberet semper calefacere, & perinde interiora illius viscera semp[er] etiam frigere deberent, & fontes inde semper frigere deberent tùm ex naturâ suâ, & tamen calere hyeme videmus, & æstate frigere. Id non ex antiperistasi ortum habet. Sed ex calore centrali terræ, qui hyemis tempore viget in cavernis & interioribus terræ, æstat[e] verò, evaporatur & ad superficiem terræ evocatur, ad nutritionem & productionem rerum omnium, & sic interiora terræ æstatis tempore frigent evocato calore naturali terræ, ad superficiem ejus. Vnde dependet antiperistasis illa, quæ falsò attribuitur calori & frigori externis superficiem terræ occupanti: Calor siquidem naturaliter terræ centro implantatus, tanquam cordi totius naturæ, naturali sua sponte, tendit undique ad superficiem ad enutrienda & perficienda ea omnia, quæ in superficie terræ reperiuntur: Et hunc motum adhuc excitant astra omnia & præcipuè sol, qui virtute sua attrahit & radiis hunc calorem naturalem terræ ad superficiem, unde quòd attrahatur tempore æstatis, centrum refrigeratur, abstracto nimis calore naturali ad superficiem: Tempore

Antiperistasis ut fiat.

pore vero hyemis quòd superficies terræ frigore condensetur, & quòd calor non attrahatur, imò retineatur in visceribus obstructa superficie, crescit in die, & multiplicatur, cum semper à centro tanquam à fonte perenni ascendat.

CONCLUSIO.

SECTIO. IV.

Caput Ultimum.

Multa alia de fontibus dici possent, sed quia hæc compendiosè dicta sunt in tractatu nostro de fontibus hydrographo spagyrico, nuncupato, ideo qui plura voluerit de fontibus, illuc lectorem benevolum remittimus, ubi particularia multa de fontibus dicta sunt: hæc verò nobis sufficient, ad aquæ naturam Chymicis alumnis demonstrãdam, qua cognita, Chymiæ secreta cognoscent, sunt enim omnia aquæ visceribus occulta, in quibus latet igneus spiritus purissimo sale conclusus, qui metalla perficit, coquit ac digerit, purum semper ab impuro separando. Quique spiritus cum sit vita rerum omnium tum animalium, tum vegetantium, in eodem etiam spiritu latet secretum vitæ animalium omnium & vegetantium. Proinde beatiterque quaterque beti, qui hunc spiritum ex aquæ visceribus extrahere norunt, huncque fixum facere sciunt suumque corpus acre & mordax principio ortus sui, & amarum, dulce admodum reddere sciunt: latet enim in hac dulcedine vitæ thesaurus, & morborum omnium curatio: Quamobrem laborent chymici alumni in investiganda hac dulcedine fixa & incorruptibili, quæ in visceribus aquæ latitat: hac enim inventâ, secretum totius naturæ possidebunt, & veri Philosophi & Medici habebuntur.

Ex cognitione aquæ secreta Chymiæ referuntur.

In dulcedine spiritus mineralis latet vita thesaurus.

De Piscibus & Conchyliis.

SECT. V.

Pisces quid sint, & qua ratione enascantur.

CAP. I.

Pisces sunt genera animalium ex aquæ semine enata, quod quidem semen, in visceribus piscium individuationem & specificationem suscipit, ad pisces producendos & productos conservandos, etsi aqua ipsa sine piscibus virtute sua & proprietate naturali pisces producat & generet, quia semen inter-

Semen aquæ qua ratione in pisces efformetur.

num ipsius aquæ, ex se ipso naturali sua virtute disponitur ad pisces producendos: si enim attenuetur valdè semen istud, & luminis portione maxima decoretur, actus ille vitalis producit statim in lucem, & actuat attenuatum & subtilizatum illud semen. & pisces producit secundum speciem ad quam magis disponitur: Sic producuntur pisces ex semine aquæ: Semen aquæ calore & lumine suo interno attenuatur, & subtiliatur quammaximè, & dum ita attenuatur magis ac magis lumine maiori & copiosiori turget, adeo ut tandem vita actuetur: lumen siquidem, actum vitæ producit in subiecto tenui & subtili: Omnia autem animalia, ex eo lumine & tenui elementorum omnium produci solent, sed cùm lumen illud & subtile elementorum differentiam suscipiat, omnibus in locis, in quibus solet disponi, & alterari, ad generationem & productionem rerum, ideo ex eo multiplicia produci solent: Pisces in aqua particularem habent luminis istius & subtilis puritatis elementaris dispositionem ideo ex ea particulari dispositione solent enasci, quæ in aliis elementis reperiri non potest, ideo pisces in sola aquâ reperiuntur & conservantur. Quòd si infinita sint piscium genera, infinitæ etiam sunt luminis istius & puritatis aquæ alterationes, & dispositiones, secundum quas infinita illa piscium genera

Pisces cur in sola aqua reperiantur.

producuntur, & generantur: hic ostenditur virtus illa mira huiusce luminis & puritatis elementorum, quæ innata sua virtute & proprietate potest in infinita, specie ac genere diversa disponi animalia, in omnibus elementis, in quibus se insinuat, tanquam semen naturale & innatum in matrice naturali, unde elementa matrices rerum omnium dicuntur.

Vndenam piscium omnium varia genera & species.

CAP. II.

INfinita sunt ferè piscium genera & species, quæ ex alio fonte non scaturiunt & ortum habent, quàm ex varia & multiplici alteratione & dispositione seminis aquæ, quod quidem semen, cùm infinitis ferè modis in ventre ipsius aquæ disponatur & alteretur, à calore centrali sui ipsius, & à calore cœlesti, qui cum varius sit & multiplex ex varietate & multiplici numero stellarum, ex quibus influxu & radio descendit, varias habet introducere dispositiones, & alterationes in ipsum aquæ semen, in quod potissimum agit, quod quidem etiam cùm motu perpetuo dividatur in infinitas ferè partes, in infinitas etiam dividitur species, quæ calore vario cœlesti, & influxu impregnantur, & perinde forma varia ac distincta, quæ deinde suum simile producit in perpetuas

Piscium omnium genera unde fiunt.

tuas æternitates, individuaso in visceribus sui ipsius semine generali, quod ad se attrahit & assumit in alimentum & conservationem sui ipsius: Sic individua conservant in se ipsis species, quæ realiter in individuis subsistunt: Sic varia omnia piscium genera & species, quæ in mari & in aquis reperiuntur, enata fuere, & adhuc quotidiè enascuntur: Etsi Deus in principio creationis dividere potuit semen illud generale aquæ, in infinitas ferè partes, ex quibus sua infinita potentia exsurgere fecit infinitas piscium species, quæ in posterum, suam simile producendi potentiam & virtutem conservarunt, hinc conservatur varia illa & ferè infinita piscium species, quæ in aquis solet reperiri: Sed cùm Deus etiam potentiam & virtutem, in principio creationis, se dividendi dederit materiæ primæ, ut ex illa divisione exorirentur infinita rerum genera, ut quotidie videmus exoriri, sufficit nobis multitudinem & varietatem rerum omnium, & præcipuè piscium in aquis existentium soli attribuere divisioni seminis aquei, quod quidem sic divisum à calore cœlesti & interno variè alteratur & disponitur, donec forma propria & peculiari impregnetur & decoretur.

Individua qua ratione conservent species.

Semen aqua qua ratione dividatur.



Vndenam piscium proceritas & magnitudo exoriatur.

CAP. III.

Nulla animalium & vegetantium ad tantam proceritatem & corporis molem deveniunt, quantam pisces acquirũt, sunt enim quidam piscium corporis mole prægrandi, & tanta ut cætera animalium & vegetantium facilè vincant. Ratio autem in promptu est, quòd eorum semen ex quo fiunt & producuntur, fit tenax & viscosæ substantiæ, quæ facili negotio in omnes partes extenditur ratione tenacitatis suæ, & viscosæ substantiæ: Quod enim crescit, modò non deficiat illi substantia, quâ crescit, & hæc substantia facili negotio extendi possit, in infinitam quasi molem, aut saltem prægrandẽ & maximam extendi solet. Piscibus autem non deficit substantia, quâ in perpetuum excrescunt & nutriuntur, & substantia illa, quâ nutriuntur facilis est extensionis, cùm sit aqua viscosa & tenax: Ergo non mirum est si in prægrandem corporis molem soleant excrescere: habent enim copiosam & abundantem substantiam aliméntosam, quâ copiosâ nutriuntur, tenacem & viscosã quà in omnes corporis dimensiones extendũtur & excrescunt: habent tamen omnia crescendi suos limites ac terminos certos, quos transgredi nó possunt. Etsi

Piscium proceritas & magnitudo unde.

aquea animalia in prægrandem possint extendi corporis molem, non tamen in infinitum excrescere possunt nec supra corporis viventis molem extendi queant, etsi viderimus, & alii multi nobiscum pisces, qui Domunculam æquabant quantitate & mole sua, & narrant multi in Septemtrionali Oceano, repertos fuisse pisces montis æquantes molem, & insulam simulasse, quâ deceptos navigantes periisse, & naufragium fecisse: tantæ & procerossæ sunt molis pisces nonnulli, qua in tali Septentrionali Oceano reperiuntur, & hoc quidem habent ex semine suo tenaci & viscoso, ex quo enasci solent: quod quidem semen ex viscositate sua & tenacitate ac glutine in maximam extendi solet corporis viventis molem, si in eam transgredi soleat, humidum enim viscosum & glutinosum facilè extenditur in omnes corporis dimensiones, ut ex cera & pice, & metallis omnibus cernere licet, quæ propter suam viscosam & glutinosam substantiam facilè extenduntur & dilatantur in omnem corporis dimensionem.

Pisces prægrandes & magni.

Viscosum humidum in omnes corporis dimensiones extendi potest.

Pisces ex quo alimento vivant & nutriantur.

CAP. IV.

Pisces quo vivant cibo. Duplex piscium alimentum materiale & spirituale.

DVplex est piscium omnium alimentum, materiale unum & spirituale alterum, & ferè invisibile propter subtilitatem: materiale piscium alimentum sunt res omnes comestibiles ex alimentorum pinguedine, & spiritu cœlesti conflatæ & adunatæ, ut sunt corpora omnia animalium omnium & vegetantia quamplurima: unde in se ipsos sæviunt pisces, & parvi pisces sunt magnis alimento, & bellum est in mari perpetuum ob nutritionem & alimentum: non inter se pugnāt ob regna & provincias, sed propter vitam quam ex se ipsis in longius protrahunt. Spirituale verò piscium alimentum quod perenniter suscipiunt, est spiritus vitæ elementis omnibus inclusus, & præsertim aëri & aquæ, quem attrahunt pisces duplici via. Magni & prægrandes, ut sunt Balænæ & Delphini & alii plures, pulmonibus attrahunt. Parvi verò qui pulmonibus carent per poros suos virtute magnetica, quam innatam habent ad attrahendum spiritum illum vitæ elementis infusum, ut effluentes spiritus vitales suos restaurent & reparent, & ut materiale alimentum permixtione istius attenuent, ut hinc ex permixtione utriusque alimenti vita eorum foveri & sustentari queat; ut enim vita eorū consistit ex tenui & pingui elementorum materia & cœlesti spiritu, sic & eius fotus & conservatio fieri debet ex tenui & pingui elementorum materia & cœlesti spiritu, quam utramq; materiā desumant ex utroq; eorum alimento, ut & reliqua faciunt animalia: Vnde ut suscipiant spiri-

spiritualem illam alimenti substantiam, è profundo maris, ad superficiem aquæ se extollunt sæpissimè pisces, ut liberiùs & copiosiori tubo exhauriant illud vitæ nectar, quod è cœlo astrorum influxu descendit in hæc inferiora, ut vitam rerum omnium conservet & foveat, alioquin vita inferiorum conservari non potest. Pisces aliquando & sæpe sæpius sentientes illam vim vitæ spiritualem & astralem, ex aquis in aëra exiliunt magno corporis impetu, ut liberiùs exsugant hanc vim vitæ, quam tamen in medio aquarum & in profundo maris exhaurire possunt, est enim penetrabilis ubicumque hic spiritus, ubique terrarum & elementorum omnium penetrat, ut cuncta foveat, & restauret nectareo suo liquore, & tenuissima substantia.

Pisces cur in aëra exiliant.

Concludamus ergò pisces omnes, vivere, & enutriri ex pingui elementorum materia, & spiritu tenui cœlesti, quem ex astris influxu suscipiunt, quique est illis spirituale alimentum, reliquum verò quod ex pinguedine elementorum suscipiunt corpora omnia animalium & cadavera & vegetantia multa, illis materiam illius materialis alimenti, abundè subministrant.



Vndenam aquatilium nonnulla sint squammosa, alia crustacea, alia testacea, pilosa alia.

CAP. V.

EXcrementa varia quæ producuntur ex alimẽto aquatilium, sunt causa vera cur aquatilia variis ac diversis teguntur coriis ac vestimentis. Alimentum quidem materiale eorum cùm sit varium ac diversum, varia progignere excremẽta hinc necesse est, quod quidem excrementum, cùm facultate expultrice ad cutem amandetur, ibi coalescere necessum est, secundùm naturam & proprietatem suam: Si enim sit lapidosum, & salis glutine turgens, testaceas producit cutes secundùm differentiam glutinis, seu & lapidosi excrementi, ex illo excremento testudines, locustæ, conchilia omnia, & Crocodili, suo naturali tegumento vestiuntur lapideo & testaceo: Si verò excrementum illud turgeat mercurio excrementitio & sali, squammæ progignuntur in piscium omnium genere, quod perinde squamnosum est, quòd alimentũ quo utitur sit excrementitio mercurio & sale turgens: unde videmus in mineralibus, quæ excremento illo mercuriali abundant, fieri squammas, ut in Antimonio & Marchasitis ferè omnibus, quæ squammas habent: Cùm verò excrementũ illud sulphure subtili ac tenui abundat, eoq; excremẽ-

Aquatilia cur tegumẽtis variis tegantur.

Squammæ in piscibus unde.

Pili in piscibus unde generentur. titio sali permixto, pili inde generantur: hinc fit quod Vituli Marini: & Hippopotami pilis tegantur, eorum enim alimentum quo utuntur, excremento pollet sulphureo & sale satis tenui, quòd in longum, pellit, excrementa tanquam fila. Secundùm autem puritatem & subtilitatem eorum omnium excrementorum fiunt & producuntur varii colores. quibus variegantur Aquatilia in vestimentis, & tegumentis suis. Nam in illa puritate & subtilitate excrementitia elucet sulphur naturale ex quo fiunt colores illi varii mirandi. *Colores varii in piscibus unde.* Et si quid est in avibus mirum & stupendum, ratione colorum variorum, quibus decorantur in pennis suis. Idem etiam reperiri contingit in piscibus, qui in tegumentis suis variis ac distinctis coloribus variegantur, quibus admirationi sunt hominibus. hoc autem omne ex sepulchris varia digestione, & coctione dependet & ortum habet, uti diximus antea Sectione quarta libri tertii hujus operis.

Concludendum est ergò Aquatilia omnia variis decorari tegumentis ob excrementorum varietatem quæ ex variis alimentis quibus utuntur ortum habet, facultate expultrice ad cutem demandante illa excrementa, ex quibus coria producuntur, ut in vegetantibus quæ cortices producunt suas ex excrementis alimentorum suorum, quibus nutriuntur.

An Pisces genium habeant, quo similes ejusdem speciei agnoscant. & ament.

CAP. VI.

Genium & vis Animæ, quâ vigent pisces ut similes ejusdem speciei cognoscant & ament, est portio luminis creati semini suo vigens ac lucens, quâ cognitionem habent similium ejusdem speciei & quâ eosdem amant, hoc lumen omnibus animalibus inditum est, quo cognoscunt ea, quæ sunt illis amica, & quæ illis inimica, & nisi illud lumen purum esset & clarum, puro & claro mixtum elementorum semini, non essent pisces inimati tali anima, quâ præditi sunt: Inficias tamen ire non recusabo, piscium esse quam plurimos subtiliori & acutiore mentis & animi acumine præditos, quo inter cæteros pisces elucent & eminent: verum enim est Delphinos, Canes marinos, Hyppopotamos & alios multos, acutiori mentis acumine esse præditos, quàm conchylia omnia, locustæ, & anguillæ, quæ stupidiori sunt anima, quòd earum lumen sit obscurius & tenebrosius quàm aliud, quo præditi sunt alii prædicti pisces: Eorum enim omnium & vis, & præstantia animi dependet ex subtiliori lumine, quo delibutum est eorum semen. Et non solùm id in piscibus animadvertimus, sed etiam in animalibus omnibus, quæ quo subti-

Pisces genium habent.

Delphini anima acute præditi.

subtiliori pollent lumine, eò animam subtiliorem & acutiorem possident & obtinent, qua facultates habent subtiliores, & actiones miras exercent.

Concludamus ergo pisces genium habere, & possidere quo cognoscunt ea omnia quæ illis cognitu sunt necessaria, ut sunt alimẽta sua, & potus, & similes eiusdem speciei ut eos ament, & inimicos, ut eos odio habeant & fugiant, sic lumine præditi sunt, quo cognoscunt sua necessaria, & ab illo lumine dependet eorum genium seu vis & energia animæ eorum, & quo clarius est eorum lumen, eò vegetior & præstantior est anima eorum, & facultates etiam eorum sunt nobiliores & subtiliores seu acutiores: quæ omnia genium habere confirmant, quod quidem nihil aliud est, quàm cognitio rerum illis necessariarum.

Genium & anima piscium quid sit.

An Pisces diutissimè vivant & unde.

CAP. VII.

Humidum radicale pingue, & tenax longissimam producit vitam, calor siquidem innatus adhærens tali humido radicali, maxima cum difficultate ipsum humidum consumit, ac depascit propter viscositatem & tenacitatem humoris vitalis, qui resistit calori depascẽti: Itaque cùm vita longa consistat, in firma compagine caloris nativi & humidi primigenii, & firma illa compago consistat in tenacitate & viscositate humoris vitalis: hinc certissimè colligere possumus pisces ferè omnes diutissimè vivere posse, cùm humidum radicale pingue & viscosum habeant. Habent autem ex necessitate naturæ humidum pingue, cùm in aquis perpetuò degant & vivant, & præcipuum alimentum desumant ex ipsis aquis. Quod quidem alimentum pingue est & tenax, ut ex Anatomia ipsius aquæ cernere licet: Internum enim aquæ pingue valdè & viscosum est, & adeò pingue & viscosum ut violentissimis ignibus resistat, neque separari queat actione quacumque externa coloris intensi, ut in metallis cernere licet, quæ quidem ex humido illo pingui & tenaci producuntur in visceribus terræ: Pisces autem etiam ex illo pingui & tenaci humido radicali producuntur. Et differunt à metallis propter subtilitatem & tenuitatem ipsius humidi radicalis, quod in piscibus summè tenue est & subtile lumine copioso delibutum, quod actum vitæ sensitivę in piscibus producit, in metallis verò propter crassitiem, actum simplicem vitæ crescentis facit: Mirũ fortassè videbitur hoc multis Philosophis, quòd metalla & pisces ex eodem genere nasci & produci asseram: Sed meditentur, quæso, metalla & lapides ex eodem nasci semine. Et lapides veros generari in intimis piscium. Quod si lapides fiant in ipsis piscibus, fieri

Vita longa unde sit.

Pisces cur longissimè vivant.

Metalla & pisces fiunt ex eadem materia.

eri necesse est ex eodem semine, ex quo ipsi pisces progignuntur: Ergo si lapides fiant ex eodem semine ex quo pisces, ex eodem etiam fieri metalla necesse est, cùm ea fiant ex eodem ex quo lapides fieri solent, differentiâ tamen adhibitâ præcedenti, ex qua eorum semen omninò distinguitur & separatur. Tamen viscosum est, & tenax valdè in omnibus, quæ ex aquis ortum habent. Concludimus ergò pisces diutissimè vivere, cum ex tenaci & viscoso semine producantur, quod quidem semen humidum radicale producit maxima cum difficultate consumptibile & resolubile.

Concluditur pisces longissime vivere.

An Pisces scintillantes & lumen emittentes progigni possint.

CAP. VIII.

Pisces luminosi unde fiant,

CVm in terra reperiantur vermiculi scintillantes & luminosi, lampyrides & cicindelæ nuncupati. Et cùm quercus corrumpitur acquirit lumen in tenebris & de nocte lucet. Quidni fieri potest? ut eadem materia in piscibus reperiri contingat, cùm potissimum eorum semen, ex quo progignuntur purum sit & nitidum, & ex puro & claro elementorum semine ortum lumen creatum omnibus rebus inest, est enim forma rerum omnium: quòd si splendorem & radium in omnibus non emittat, ratio in promptu est, quòd elementa, quibus immiscetur, crassa sint & opaca, splendorem illū & radium lucis creatæ impedientem, & obtundentem: Quòd si elementa clara sint & limpida, non impediunt ullo pacto splendorem illum, quin eluceat & scintillet: In putrefactione quercus, id elucet, nā dum putrescit, elementa depurantur, & crassum & impurum separatur à puro & limpido in quo elucet & scintillat radius ille luminis creati, quod immixtum erat elementis ipsius quercus: In cicindelis verò & lampyridibus elucet lumen istud, quòd elementa quibus componuntur pura sint & limpida, & valde tenuia & subtilia: In piscibus etiam qui scintillant & lucent elementa item pura & nitida sūt. In eorū enim semine conficiendo depurātur summoperè, unde lucent & scintillant: Aqueum enim cùm sit semē eorum, & liquidum, summoperè potest depurari tùm digestione & coctione, tùm elevatione, & sublimatione in aërem: quodque sit depuratum & in spiritum aëreum conversum, potest iterum in corpus aqueum cogi, & verè cogitur antequam pisces illi scintillantes & lumen emittentes inde fieri possint. Non improbo tamen quin coitu produci possint, nihilominus tamen illud semen quod coitu emittitur foras in matrices piscium fœminarum, vel in superficie ipsius aquæ, ubi perfectè excluduntur à calore solis. Illud, inquam, semen nutritur & augetur in ventre & visceribus piscium, ab alio

Semē pisciū calore so-

lis in actu educi potest. alio ſemine ſpirituali & materiali, quod in aquis & in ipſo aëre reperitur: unde à primo ortum habet, & piſces ab illo generatos eſſe aſſerere poſſumus.

Concludamus ergò piſces ſcintillantes & luminoſos dari & progigni poſſe, ex puro & nitido eorum ſemine, quod multis & variis modis puritatem illam conſequi poteſt, ut forma illa, quæ inde ex tali ſemine eruitur lucis ſuæ ſplendorem & radiationem emittere queat, quod in omnibus piſcibus contingere non poteſt, quòd in omnibus æquè & pariter elementa nequeant depurari, ut hinc conſurgat ſplendor & radius ille lucis, quo nitere queant, ut reliqui in quibus depurantur elementa. *Piſces omnes cur non luceant.*

De Balænis, quid ſint, & unde vivant & enaſcantur.

CAPUT IX.

Balænæ quid ſint. BAlænæ prægrandes, & maximi ſunt piſces, qui in omni Æquore non reperiuntur: Attamen in Mari Mediterraneo brumali tempore reperiuntur, ora habent in frontibus, ideoque ſumma aqua natantes in ſublime nimbos efflant, unde & naves ſæpè periclitantur, cum ſumergi poſſint aquarum nimbis ab ipſis balænis efflatis, unde & *Phyſiles*, dicuntur à Græcis, quod aquam efflent ore ſuo tanquam ſiphone: Balænarum plana & lenis cutis eſt, non aſpera nec ullis ſquamis ſqualida, dura tamen, & craſſitie ſumma ſolida, *Phyſiles balæna cur ita dictæ.* adeò ut ſclopetorum plumbos ſua ſoliditate negligat: fœtificat & catulos gerit, & coitu propagat progeniem ſuam. Et vivit prædâ & rapinâ aliorum piſcium, quos perſequitur, ut ex eorum carne ſumat alimentum. Et hoc eſt materiale ſuum alimentum: habet tamen & aliud ſpirituale & ſubtile, quod expiratione & tranſpitatione ſuſcipit magnetica ſua trahendi facultate, tùm pulmonum vi, quibus decoratur, tùm calore ſuo naturali & primigenio, qui ſpirituale illud alimentum ad ſe trahit, ad ſui ſuſtentationem: Eſt autem illud alimentum humidum pingue aquæ, & aeris, quod inviſibiliter aquis & aeri immixtum eſt, ad omnia ſuſtentanda, omnia ſiquidem egent illo inviſibili alimento, Ex iſto ergo alimento & alio materiali ſuſtentantur balænæ, quæ inter piſces orcas inimicas habent, & bellum crudele admodum inter ſe gerunt: nam de vita agitur inter ipſa Æquoris monſtra. Pingueſcunt maximè & eorum pinguedo decoctione fit oleum, non ſolum ad lampades, ſed ad inflammationes & Eryſipelata perutile, cùm frigidũ ſit balſamum, ſatis vitia cohibens, & obtundens. Si attenuetur & diſtillatione multoties iterata, fœtorem & Empyremma amittat, rerum inflammationibus ſummum eſt arcanum & veſicæ doloribus maximum & tutum eſt remedium & ſolatium. *Balæna coitu propagatur & rapina vivit.* *Spirituale balænæ alimentum quale.* *Oleum balænæ ad quid utile.*

De Tritonibus & Nereidibus, an sint & quid sint.

CAPUT X.

Tritones & Nereides quid sint.

TRitones & Nereides divinitate dotavit antiquitas, cum tamen bruta sint marina, quæ, an sint, multi dubitarunt & multa cum ratione, cùm de his tanta fabulati sint antiqui Poetæ, ut occasionem dubitandi ipsimet dederint nonnullis, an in rerum natura subsisterent, nihilominus verum est dari Tritones & Nereides tali forma & specie qua pinguntur. Nam ego ipse vidi manus & capita Tritonum forma & figura humana, non formosa tamen & pulchra, sed deformi & monstrosa, figuram tamen quandam humanam repræsentabat monstrum illud marinum quod mihi ostensum est: dari hæc monstra non implicat, aquia, cùm & inter bruta terrestria reperiantur aliqua, quæ effigiẽ humanam quadantenus repręsentant, quales sunt simiæ, & in vegetabiliũ genere, nonnulla sint quæ radicibus suis corpus humanum effigiant & efformant, imò natura ipsa adeo deperit & amat figuram & formam humanam, ut in mediis lapidibus & marmoribus in profundissimis terræ antris, ipsã sculpat & cudat. Quid ni etiam & in aquis ipsis ipsam habere & possidere gaudebit, non tamen propterea forma illa externa seu effigies divina illa humana forma quæ soli homini competit donabitur, sed sola sentienti & brutali decorabitur forma, quæ cùm luminis creati portionem maximam habeat in Tritonibus & Nereidib⁹ seu Nymphis aquatilibus, ideo hæc bruta animalia ingenium maximum & industriam habent, qua mira agunt & patrant, & sunt admirationi omnibus, non tamen sunt homines nec ratione uti possunt, quia ipsa omnino carent, quamvis subtiles sint & acuto genio prædıti veluti simiæ, & Elephantes.

Figuram humanam ubique figurare amat natura.

Tritones & nymphæ ratione carent.

Concludamus ergo dari Tritones & Nereides quæ alias Nymphæ dicuntur, & bruta animalia aquatilia, ratione omnino carentia, quamvis acuto sint prædita genio, & mira facultate animæ sentientis, qua mira faciant, non tamen loquuntur nec ratiocinantur, quia carent anima rationali, & brutali tantùm seu sentienti sunt prædita, ut reliqua bruta naturæ animalia, in quibus plurimum est lucis creatæ, ratione cujus, & puri elementorum seminis, stupendam illam habent animæ sentientis facultatem & potentiam, qua illa mira faciunt & cacodæmones & pseudospiritus aliquando ipsa bruta gubernant, ut homines deludant parum cautos, & imprudentes.

Tritones & Nymphæ bruta sunt aquatilia.

De Delphinis, quid sint unde enascantur & vivant.

CAPUT XI.

Delphini quid sint.

PIscium omnium Delphini sunt velocissimi, imò animalium: velocior

locior enim est volucre, velocior telo, & nisi multum infra rostrum os illi foret medio ferè in ventre, nullus piscium velocitatem ejus evaderet, sed adfert moram naturæ providencia, quæ illis os ita fecit, ut nisi resupini prædam capere possunt. Inter se celebrant, ut agunt ferè conjugia & fidem observant conjugii. Pariunt catulos decimo mense, æstivo tempore interim binos, nutriunt uberibus sicut balænæ & magno amore persequuntur catulos suos, eosq; infirmos dorso gestant & adultos diu comitantur magna erga eos parentum charitate. Amant etiam homines, & eos videre cupiunt, unde ante naves semper adnatant ut aspectu hominum fruantur, & sæpissimè si pereāt tuto sunt auxilio: gaudent etiam harmonia, & musica, unde ad musicorū cantus & instrumentorum musicorum sonos & concentus congregantur, ut harmoniâ fruantur. Coitu producuntur ex semine, quod in spermaticis eorum partibus ex universo eorum corpore adgregatur, ex purissima ultimi aliméti portione, quæ plurimum luminis creati habet, & ex illa luminis portione, dependent & ortū habent præclaræ illæ animæ eorum facultates, quibus enitent inter cęteros pisces, nutriuntur & vivunt communi magnorum piscium alimento, aliorum piscium puta captura, & præda, & spirituali vitæ nectare, quod in intimis aquæ & aëris Deus & natura posuerunt ad alimentū cujuscumq; rei.

Delphinorum fides in conjugio.

Delphinorum amor in homines.

Delphini coitu propagantur.

Delphinorum cibus & alimentū

De Vitulis Marinis, quid sint, unde enascantur, & vivant.

CAPUT XII.

Vitulus marinus piscis est, ita dictus quòd mugiat, veluti vitulus terrestris, squamis caret, & pilis contegitur rudis & asperis: Parit catulos vivos, ut mos est piscium qui pilis teguntur, & in terra deponit suos catulos, veluti animalia terrestria. Jungitur fœmellæ suæ canum instar, & modo, nutrit uberibus fœtum, nec ante duodecimum diē deducit in mare: interficiuntur difficili modo, & nisi capite eliso, mori possunt, somno capiuntur gravi, & mugiunt inter dormiendū: Coitu propagant progeniem, & ex semine suo enascuntur, & nutriuntur communi illo & vulgari piscium alimento, tùm materiali, tùm spirituali, quod desumunt ex communi vitæ promptuario.

Vituli marini quid sint.

De Mugili, quid sit, unde enascatur & vivat.

CAPUT XIII.

Mugilum natura videtur, inquit Plinius, quod se capite abscondito toti absconditi se existiment, id etiam in perdicibus contingere certū est, timoris enim est summi indicium, qui perturbat animam eorum, quæ in timore nescit distinguere an totum abscondatur ejus corpus. Præterea mugil optimi est saporis, quòd seroso & sa-

Mugil piscis quid sit & unde fiat & vivat.

Mugiles ut capiantur.

lito abundet humido primigenio. Unde salicos admodum sunt omnes Mugiles & salacitate sua capiuntur, tanquam hamo potentiori, & subtiliori, quâ capi possint: Nam coitus tempore, modò marem raptum & religatum injiciant mari piscatores, eo ad litus retracto, captivo, fœmellæ omnes sequuntur & in retia se conjiciunt, & rursùs fœmina capta, mares sequuntur: sic copiosi capiuntur Mugiles utriusque sexus: Ex ovis enascuntur quæ fœmellæ musculorum frictu concipiunt: Nam tenuis aura subtilisque spiritus in masculorum corporibus tunc temporis exhalat, & corpora fœmellarum penetrat, & in his seminis vices agit, & vere est semen, ex quo ova progignuntur, quæ statuto tempore non fœmellarum fotu, sed calore solis in superficie ipsius aquæ excluduntur & sic fiunt Mugiles & reliqui omnes pisces, quæ ex ovis excludi solent. Et vivunt deinde communi piscium nectare quod in aquis copiosũ reperitur. Et est quid viscosum & tenax lumine creato impregnatum & delibutum, ex quo etiam multi pisces, & aquatilia multa fieri solent absque alio semine præcedente & ovo, sed solo illo semine aqueo, quod omnibus est spirituale alimentum.

Mugiles unde enascantur.

Semen aqueum est spirituale piscium alimentum.

De Anguillis quid sint, unde enascantur & vivant.

CAPUT XIV.

Anguilla quid sit.

ANguilla aquatile est oblongũ, & rotundum ex semine aquæ ortum habens, quod in lutosis aquis in filamenta extenditur, quæ tandem animantur, & fiunt anguillæ, mira aliquando magnitudine & longitudine, squamas non habet quod suum semen, ex quo enascitur, nihil duri, seu paucum habeat salem, ex quo solo squamæ fiunt, in aquatilibus, sola cute tegitur eaque glutinosa, sui primordii ortum testante, optimi est saporis, & pinguescit valde, & hecticis est summum alimentum propter viscosum, tenax humidum primigenium, quo turget, quo calori hectico summoperè resistit, & salem turgentem in hecticis compescit, reprimit & mutat. Vivunt Anguillæ ex eodem, ex quo fiunt semine ex viscoso illo & tenaci elementorum semine, quod in intimis aquæ reperitur. Diu vivunt, quamvis Plinius asserat octonis vivere annis, humidum enim earum primigenium tenax, & viscosum longitudinem vitæ operatur quia difficili modo consumitur.

Anguillarũ humidum primigeniũ hecticis est solatium.

De Trutis, quid sint, unde enascantur & vivant.

CAPUT XV.

Truta quid sint & unde enascuntur.

TRutæ pisces saxatiles sunt sine squamis, simplici cute variegata te-

ta tecti, maculis rubeis & rutilantibus ornati, piscium optimi habentur inter convivia, enascuntur ex ovis, quæ excluduntur in intimis aliquando aquæ, sub rupibus, & aliquando in superficie ipsa aquæ, à calore solis, tùm interno eorum ipsorum calore, qui potentia sua & facultate, actum vitæ educit ex materia illa seminali, quæ quidem inutilis est ad fortificandum, nisi masculorum attritu vivificetur, & attritu illo, qui subito fit, vivificantur ova, & fertilia efficiuntur, quòd vitali masculi spiritu, attritu illo impregnentur. Vivunt deinde ex ovis exclusæ trutæ, in aquis, in quibus saxa quammulta sunt, in lutosis enim vivere non possunt unde tantùm in saxosis fluminibus reperiuntur, quæ colles montium alluunt, ubi saxa & lapides sunt copiosi: Egent enim miro & limpido aquæ viscoso & tenaci semine, quo utuntur alimento, ut vivant: turbido enim & limoso aquę semine vivere non possunt, ut neq; enasci: Sic nec eo vivere possunt, unde in aqua limpida & clara degunt, quod in tali aqua peculiare earum alimentum reperitur.

Truta unde vivant.

Truta cur in saxosis aquis vivant.

De Salmonibus, quid sint, & unde enascantur, & vivant.

CAPUT XVI.

Salmones quid sint.

SAlmones pisces marini sunt, qui & fluvios subeunt & semel degustatâ aquâ dulci, vix in mare regrediuntur: optimi sunt saporis & carne rubea, & præferuntur trutis, in conviviis, quòd sapore gratiori sint donati. Oriuntur, & enascuntur eodem modo, & viâ, quâ Trutæ, ex ovis pura, quæ attritu masculi vitali aura, & spiritu vivificantur, & fortificationi sint idonea: vivunt autem prædâ & parvos pisces persequuntur, ut ipsis sint alimento materiali, spirituali fruuntur alimento, ex communi eorum vitæ promptuario, quod in aquis abunde posuit Deus, ad piscium omnium conservationem.

Salmones unde enascantur.

Salmones unde vivãt.

De Halecibus & sardiniis, quid sint, unde sint & unde vivant.

CAPUT XVII.

TAnta est in mari copia horum piscium, ut major esse non possit, reliquorum omnium; tanta enim copia capiuntur ut ferè totus orbis hisce piscibus nutriatur. Sale condiuntur & fumo siccantur, & sic exsiccati, in omnes Europæ partes, Asiæ & Africæ asportantur, parvuli sunt pisces, & squamosi, & recentes sunt optimi saporis, sicci vero & sale conditi valde decidunt à bonitate sua, & sapore: Ego existimo naturam eos copiosè ideo progignere, quòd sint alimento & hominibus omnibus, & piscibus: Attritu concipiunt ova. Ex ovis enascuntur, quæ calore tùm sui ipsius interno, tum externo calore solis excluduntur, & animantur. Deinde vivi vitam suam conservant alimen-

Halecos & sardinia quid sint & unde fiant.

Halecos & sardinia cur ita copiosa.

limentis ordinariis & communibus, quibus utuntur pisces.

De Piscibus concham habentibus, quales sint, unde sint & unde vivant.

CAPUT XVIII.

Pisces concham habentes unde sunt & vivant.

INfiniti ferè sunt pisces concham habentes, qua includuntur eorum carnes, & singulæ species variam ac diversam concham habent, eamque variegatam, ac variis distinctam coloribus, in quibus magna ludentis naturæ varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis, longis, cócavis lunatis in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, lævibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine, in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato, jam distinctione virgulata, trinita, crispa, canaliculatim, pectinatim, imbricatim, undata, calcellatim reticulata, in obliquum, in rectum expansa, densata, porrecta, sinuata, brevi nodo ligatis, toto latere convexis, ad plausum appertis, ad buccinam recurvis. Sic in multis piscibus mirabilior est varietas, quàm in concharum varietate, enascuntur ex semine invisibili aquæ, ex parte tenuiori caro progignitur, ex parte crassiori, & quæ multum salis habet cócha producitur, utpote lapidea, Sal siquidem dura & firma producit in corporibus effingendis, colores autem varii ortum habent ex vario sulphure albo vel rubeo, quod in semine illo aqueo, copiosum adest, vivunt deinde simili materia, ex qua fieri & enasci solent, sunt tamen quæ prædâ vivunt, & pisciculos, & vermes, & muscas & ranas vænantur. Sed sunt quæ scopulis semper adhærent & saxis, & saxa quasi animata videntur, & hæ conchæ generali vivunt spiritu & eodem conservantur.

Colores concharum unde sint.

De Purpuris & muricibus, quales sint, unde sint & unde vivant.

CAPUT XIV.

Purpura & murices quid sint.

PUrpuræ & murices pisces sunt, concham gerentes, prætiosi admodum, propter humorem quem intus continent inficiendis vestibus idoneum, huic fasces securesq; Romanę viam faciant: tanti est pretii & momenti distinguit ab equite curiam omnemq; vestem illuminat, & in triumphali miscetur auro, diisq; advocatur placandis, cùm consules non nisi purpurati sacrificabant. Pisciculus ergò iste, cóchatum sanguinem habet in faucibus nigricantis rosæ, calore sublucentem, seu humorē & succum: si non vis sanguinē vocari, ex quo purpureus ille color efficitur: qui quidem ortum habet ex purissimo sulphure rubeo, quòd elucet in principiis seminalibus horum piscium, & ut sanguis rubet in animalibus coctione hepatis, ope istius sulphuris quod calorem illum rubicundissimum sanguini communicat,

Humor illi

rubeus purpurarum ut fiat.

nicat, coctione pepantica operante: Sic humor viscosus & pinguis aquæ, qui in hisce piscibus est, alimentum ita coquitur, ut sulphure operante quo turget rubedinem summam, seu purpureum colorem perpulchrum acquirat. Differunt purpura & murex, habent enim diversas conchas, & murex propter excellentiam Cōchylium nuncupatur nomine generis. Vivi hi pisces capi debent ut conservetur ille pretiosus humor, quia cum vita succum illum evomunt. In mari mediterraneo multis in locis, & in Oceano colliguntur hę conchę, ex quibus tinctura & color ille pretiosus desumi solet: fiunt & progignuntur semine generali, & spiritu seminali aqueo, quod pedetentim calore solis, in locis peculiaribus disponitur & animatur in conchas, nō enim ova pariunt nec semen habent particulare, quo progignantur, sed vitam suam habent ex Chaos aquæ, hoc est ex spiritu illo generali, qui aquis incubat. Et ut limaces in terra procreantur & progignuntur ex eodem spiritu nullo ovo præexistenti: Sic & conchylia omnia in aquis procreantur in eodem spiritu generali, quiq; ut & illis vitam dedit, vitam etiam illis conservat alimento & pabulo, quod ipsummet illis est, alimēto tamen utuntur etiam materiali, & pisces & conchas alias comedunt, præsertim purpura, cui lingua prælonga est digitali longitudine & forti admodum acu'eo prædita, quo & cæteras conchas, perforat, & eo modo succum earum & sanguinem exsugit.

Purpura & murices unde enascuntur.

Purpura ut vivat.

De Conchis Margaritarum, quales sint, unde sint, & unde vivant

CAPUT XIX.

Conchæ Margaritarum, unionum variæ sunt & diversæ, tùm figura & forma externa, tùm substantia, & coloribus, omnes autem pisces, sunt concham gerentes, ex spiritu seminali aquæ producti, non enim alio peculiari, & proprio semine peculiari in ventriculis horum piscium præparato, exterius siquidem in cavernis aquæ & lapidibus, qui in fundo maris semper sunt, præparatur illud semen, & disponitur ad harum concharum generationem & productionem, tùm calore solis & astrorum, & interno calore seminis illius generalis, non ex limi corruptione, ut ajunt nonnulli, sed ex semine vero illo generali, quod omnino differt à limo, imò limus ex impuriore illius parte, & crassiori producitur. Productæ ergo ex eo semine Margaritarum conchæ, vivunt ex eodem semine, quod quidem cùm major pars in aëre sit, ipsæ conchæ è profundo barathro in superficiem aquæ, sereno tempore adnatant, idque matutino tempore, dum semen illud seu spiritus aëreus copiosus est in ipso aere, ubique expansis, & apertis conchis suscipiunt illam vitæ auram, ex qua vivant. Deinde ex purissimo illius recremento, tùm

Concha Margaritarum unde.

Margaritarum conchæ unde vivant.

to, tùm ex aliis elementis materialibus, quæ desumunt in ipso mari digestione facta, quod est crassius ex recremento illo digestionis earum abit in conchas, quæ externis crassæ sunt & impuræ, interius verò politæ & nitidæ, quod interior ipsa pars, ex puriori recrementi parte fieri soleat, impurum & crassum exteriùs semper natura facultate expultrice amandante, & purum interiùs retinente: Ex quo puriori parte Margaritæ fiunt & uniones in ipsa politiori & nitidiori conchæ parte. In qua parte veluti grana lepræ ipsius piscis concrescunt. Et vera sunt grana lepræ ipsius conchæ. Nam conchæ omnes leprosę sunt, & qui semper has comedunt, & his pro cibo ordinario utũtur, verè leprosi fiũt: Medici qui lepræ naturam sciunt, hæc omnia mecum fatebuntur.

Margaritæ ex qua fiant materia.

Margaritæ sunt lepra piscium.

De Testudinibus, quales sint, unde oriantur & vivant.

CAPUT XX.

Testudines quid sint & unde orian-tur.

TEstudines quæ mari insunt, & fluviis, pisces sunt, concham quasi domum suam gerẽtes, & hinc adhærentes capite & pedibus foras exertis, quosque intus recondunt, dum volunt, variegatam habent concham, nigro & albo colore permixtis, & quadrangulis inter se junctis & adunatis quasi compositam: Tanta dicuntur esse magnitudine & capacitate in mari Indico, ut domunculam æquent, & ex earum conchis navigia fiant. Vidi ego non tali magnitudine, sed clypeos prægnos ex unica testudinis concha factos: optimi sunt saporis, sed non Euchymi alimenti, melius est abstinere ab his quâm his frequenter uti, propter lepræ dispositionem, quam inferunt. Pariunt ova, ut se multiplicent, quæ attritu vivificant & fœtui propria reddunt, eaque extra aquas deponunt, defossa fovea in ipsa terra, & pulvere cooperta: fovent calore quo possunt sed calor solis pedetentim excludit ipsa, & exclusa deinde alunt, exportatis alimentis variis, tùm ex vegetabili genere, tùm ex conchyliis ipsis. Dentes non habent, sed margines oris sui acutissimi sunt, superna parte inferiorem claudente, pyxidum modo tãta duritie, & firmitate incisoria, ut lapides ipsos comminuant & atterant: Amphibia sunt hæc animalia, in utroque vivunt & degunt elemento, in mari & in terra, diutissimè vivunt, tenacem enim habent humorem vitalem, & paucum calorem nativum, humorem illum difficillimè consumentem. Ad plures dies Jejunæ Testudines conservantur sine ullo alimento, nec tamen propterea moriuntur. Perinde hecticis & tabidis possunt esse alimento, propter tenacem & viscosum humorem vitalem, quo turgent, quem attrahunt ex aere, & inde per multos dies sine alimento alio vivunt.

Testudinũ magnitudo in mari Indico.

Testudinum ortus.

Testudines hecticis alimento optimo.

De Cochleis, quales sint, unde sint & vivant.

CAP. XXI.

Cochlea marina & fluviatiles quid sint.

COchleæ marinæ & aquatiles multiplices sunt, & concha sua mirandæ, interiùs argenteo, aureo & margaritarum colore variegatæ & lustratæ, exteriùs aliquando nigro, aliquando albo, luteo & aliis coloribus distinctæ, adeò ut in pretio sint & deliciis. In Mari Mediterraneo ad litus *Mariæ Virginis, du grau*, prope urbem dictam *Adde* reperiuntur Cochleæ, parvæ admodum & adeo miræ, variis admodum coloribus distinctæ, ut ex his mulierculæ catenas faciant, pretiosas & perpulchras, quas gestant ad pompam & decorem. fiunt omnes & producuntur Cochleæ ex semine generali viscoso & tenaci ipsius aquæ, & vivunt ex eodem, unde sero & mane tendunt ad alimentum, cùm eo tempore copiosius defluat ex cœlo, non habent oculos, sed cornua quædam mucosa, quibus utuntur ad indaganda quæ illis sunt utilia ad vitam, hæc exerunt foras & recondunt ad voluntatem & his pertentant iter, quo tendunt. Exquisitissimo tactu præditæ sunt cochleæ omnes. Et in eo solo sensu vigent præclaræ animæ earum facultates, stupidæ enim cæteris sensibus habentur: Sapore sunt delicato, & quamplurimi his utuntur tanquam delicato alimento,

Cochlea non habent oculos sed cornua quibus pertentant iter.

& frigido sunt glutine præditæ, ex quo aquæ stillari possunt ad inflammationes internas mitigandas.

De Spongiis marinis, quales sint, unde sint & unde vivant.

CAP. XXII.

SPongiarum tria genera constituit Plinius, spissum unum, & asperum, *Tragos* id vocatur, minus spissum & mollius alterum *Manom* dictum. Tenue autem & densum aliud ex quo penicilli fiunt *Achilleum* dictum. Nascuntur omnia hæc genera in petris, & his summoperè adhærent, & producuntur ex viscosa aquæ semine, quod petris pedetetim adhæret, & calore solis & astrorum & interno sui ipsius calore tandem vitam acquirit, & in spongiam transit & mutatur. Ex eodem etiam vivunt semine, ex quo productæ sunt, etsi aliquando conchilia & pisces reperiantur in intimis earum foraminibus & poris, hoc est ex casu & fortuna, quòd fluctibus huc asportentur, non tamen negare velim, quin conchylia huc asportata & pisciculi possint exsugi à virtute earũ exsugente. Nihilominùs proprium & peculiare spongiarum alimẽtum, est humidum viscosum & pingue ipsius aquæ, ex quo fiunt & enascuntur, vivunt itaque plantarum more, & partim concharum istar, quę semper rupibus adhærent, nec multum earum vita inter se distinguitur.

Spogia quid & quot genera.

Spongia unde vivant & fiant.

De Fungis Marinis, quales sint, unde oriantur & vivant.

CAP XXIII.

Fungi marini ut fiant & vivant.

VT in terra fungi varii producuntur ex humido pingui terræ, sic & in mari ex eodem humido pingui aquæ, fungi varii, & multiplices producuntur, non tamen molles & delicati ut in terra, sed duri, asperi & verè lapidei progignuntur in Mari, ex eadem materia ex qua producuntur spongiæ, ea tamen differentia ut tenuior sit materia spongiarum, crassior verô fungorum: unde in spongiis propter tenuitatem vita exsurgit manifesta, motu & sensu aliquo prædita, in fungis verò propter crassitiem nullæ adsunt vitæ manifestæ functiones sed occultæ: vitâ tamen funguntur occultâ & generali, calore insito suo, & naturali lumine creato delibuto, quod est materia vitæ in omnibus: crassities, & tenuitas & copia hujusce luminis differentiam constituit: Et ut humido pingui aquæ fiunt fungi marini, ita eodem nutriuntur & crescunt. Lapidei autem fiunt omnes ex copia salis interni, qui inest humido illi pingui, ex quo fiunt. Durities enim & lapidea substantia in omnibus contingit, ex sale interno seminali, & primordiali rerum omnium, fabæ marinæ & castaneæ item marinæ ex fungorum sunt genere, & fiunt ex eadem materia & crescunt, ex qua fungi solent crescere & fieri.

Durities fungorum marinorum unde:

Fabæ marinæ quid sint.

De Plantis arboribus marinis, quales sint & unde fiant & vivant.

CAP. XXIV.

Arbores & plantæ marinæ ut fiant

VAriæ & multiplices sunt arbores & plantæ marinæ, quæ admirationi sunt hominibus propter raras & extraordinarias earum frondes & truncos, & fructus, quæ quidem partim lapideæ sunt, partim ligneæ, omnesque ex vitali illo semine quod mari inest, ortum habent, & excrescunt: germinandi enim & pullulandi facultate est ubique præditum illud vitale semen, itaque ubique plantas & arbores producere potest, æquè in mari ac in aliis locis. Disponitur itaque suis peculiaribus alterationibus viscosum hoc pingue aquæ & tandem in arborem excrescit, & plantam hanc vel illam secundum formam peculiarẽ quam cœlum & astra peculiaria introduxerunt. Nam in his productionibus, quæ ex semine generali ortum habent, forma peculiaris & propria ab astris introducitur. Disponitur enim hoc semen, ab actione astrorum ad formam particularem & individualem; ex propria enim & innata facultate hoc semen ad omnes formas habet propensionem: particula-

Semen generale ab astris aliquando disponitur.

cularibus autem actuatur formis, ab agentibus externis; astra autem inter externa agentia sunt cæteris omnibus potentiora, unde secundùm astri virtutem & propensionem ad hoc vel illud mixtum naturale semen istud generale disponitur, & actuatur formâ peculiari & individua: Sic arbores & plantæ in Mari variæ ac diversæ enascuntur ex semine generali, quia nunc ad hanc, nunc ad illam arboris speciem disponitur semen illud generale ab astris, quæ secundum motum suum varium non eandem semper possunt introducere formam, hinc formarum tanta diversitas.

Arbores in spiritu generali fiunt.

De Corallio, quale, & quid sit, unde oriatur & vivat.

CAP. XXV.

Corallium quid sit & quotuplex.

Corallium marina arbor est, quæ ex humido, pingui & viscoso aquæ producitur & generatur in profundo maris, inter rupes, undis & aqua semper coopertas enascens, & germinans arborum modo, ipsis undis molle & flexibile ac tenerum extra undas lapidescit & indurescit, triplicisque est speciei: rubram unam, albam alteram, tertiam verò nigram: pretiosius est rubrum: reliqua duo sunt vilis pretii & virtutis minimæ. Rubrum Corallium humido, pingui & viscoso, puro & rubeo sulphure abûdat, & perfectam coctionem habuit ac digestionem. Album verò humido quidem puro abundat, & sulphure albo, sed non similem rubro habuit coctionē, sed paulo indigestam & crudam. Nigrum verò impurum habet humidū pingue, & viscosum aquæ, ac corruptum: & in primo digestionis & coctionis gradu collocatum, ideo nigrum est, quia humidū istud pingue aquæ, incipit decoqui, ut coctione sua depuretur & ad albedinem tandem deveniat. Non quòd corallium jam nigrum factum, album & rubrum fieri possit, nisi primò in humidum illud pingue aquę denuo reduceretur. Sed dico humidum pingue, antequam fiat corallium, decoctione posse depurari, & tandem in rubrum corallium vel album transmutari posse: humidū ergò pingue aquæ dum coctione sua interni sui caloris coquitur & perficitur, arborescit tandem, jactis in terram vel lapides radicibus, quibus exsugit simile humidum pingue aquæ, ut excrescat in corallium, quod quidem rubrum, album & nigrum fieri solet ex diverso ac distincto sulphure, quod in tali humido pingui reperiri solet, ex varia ac distincta eius coctione, ac digestione pepantica, ultima & perfecta eius coctio ad rubedinē tendit, media ad albedinem, prima & incipiens nigra est, unde ex varia sulphuris seu calidi innati aquæ, coctione varia ac diversi coloris producuntur metalla.

Coralli differentia ex sulphure dependent.

De Eschara Coralloide, qualis sit, unde fiat & vivat & nutriatur.

CAP. XXVI.

Eschara coralloides quid sit.

ESchara Coralloïdes, lapidea est plantula, quæ in mari ipso excrescit & producitur ex humido, pingui & viscoso aquæ, in sex aut plures ramulos dividitur, brassicæ, Cypriæ cerebro & medullæ, non dissimilis, tota solida, est & candida, & in varios ramulos creberrimis foraminibus distinctos divisa. Pulcherrima est planta, & Eleganti aspectu, & non aliunde provenit & enascitur quàm in medio mari, inter scopulos, in quibus adhærescit firmiter & tenaci vinculo, nempe radice lapidea, ut truncus ipse totus lapideus est: Sal enim copiosus & turgens in humido pingui aquę marinæ, desiccat humidum illud pingue adeo firmiter ut lapidescat: Sic plantæ fiunt lapideæ, & excrescunt plantarum aliarum modo, nec lapidea earum substantia impedit, quin vita plantali, & vegetanti vivant, ut manifestò videre est & harum plantarum exemplis Peripatheticorum Philosophorum turba, sapere deberet & lapides vivere & metalla asserere contenderet, cùm hæ plantæ veri lapides sint, & vere vivant & vegetent, interius assumendo alimentum, & ipsum percoquendo, & digerendo, & excrementa sua foras amandando, per poros apertos, ut apparet in hac plantula, quæ verè vegetat more aliarum plantarum, & vivit eodem humido pingui aquæ, ex quo producitur.

Planta & arbores lapidea in mari.

De Chamæcyparisso Marina, qualis sit, unde fiat & vivat.

CAP. XXVII.

Chamæcyparissus quid sit.

CHamæ - cyparissus marina arbor est, seu planta, quæ in saxis imò mari jacẽtibus accrescit & producitur, ex humido illo vegetanti aquæ, quod in mediis undis Cyparissos producere tentat & cogitat, sed cùm ingratum inibi reperiat solum & siccitas humidi sui impediat, Chamæ cyparissos producit seu parvos cyparissos: Siccitas enim nimia humidi viscosi ipsius aquæ marinæ propter salem quo turget & abundat impedit extensionem & magnitudinem ac proceritatem istius arboris: Pedalis est tantùm altitudinis, tota lapidea in multos ramos divisa, qui in frequentes alios minores sese spargunt, & in conum desinunt cyparissi modo, adhæret scopulis radice lapidea, quâ humidum, pingue & viscosum aquæ marinæ exsugit, unde excrescit & vivit more arborum terræ adhærentium.

Chamæcyparissus tota lapidea.

De

De Tamarice Marina, qualis sit, unde oriatur & vivat.

CAP. XXVIII.

Tamarix marina unde fiat.

TAmarix marina vera, in mediis excrescit undis, & saxis, imò mari jacentibus adhæret radice lapidea, ut & tota arbor lapidea est, fit & producitur ex eadem materia, ex qua cæteræ arbores marinæ producuntur, ex humido pingui aquæ marinæ sale turgente, quod quidem sal propter sui copiam, duritiem illam lapideam producit in hac arbore, ac in cæteris omnibus. Vivit ex eodem humido & excrescit. Virtutes Tamaricis terrestris aliqua ratione imitatur, sed obscuras propter duritiem & crassitiem substantiæ, in qua virtus elucere non potest, nec eminere, crassities enim obtundit lumen illud creatum, à cuius radio virtutes omnes elucent, nihilominus reserat & apperit, & si eius substantia resolvatur in humidum & in salem beneficio illius humidi acetosi, quod in humido pingui aquæ continetur, miras acquirit reserandi & apperiendi virtutes & facultates, & obstructiones omnes tollit viscerum omnium, imò calculum atterit & dissolvit in renibus & in vesica, illæsis hisce partibus.

Virtutes Tamaricis marinæ.

Arcanum calculi.

De Piscibus & aliis rebus exoticis quæ in mari excrescunt.

CAPUT ULTIMUM.

Monstra marina unde sint.

QVamplurima monstra sunt in mari stupenda, & ferè miraculosa, quæ in mari exotico reperiri solent, de quibus disserere supercedendum censemus, quòd hæc non alio fiant modo & ratione varia, quàm ea ratione quam narravimus præcedentibus in capitulis: Ex humido enim pingui aquæ marinæ producuntur omnia, & fiunt & vivunt eodem plane modo, ac reliqua cuncta, ideo sufficit Chymicæ artis alumnis, quod enarravimus, ut reliquorum naturam perscrutari queant: Quid enim Cetorum tanta & varia species, phocarum multitudo & varietas: Quid pristis, & Serra, quid galei genus, quid histrix, quid orbium spinosorum genera, quid orbium muricatorum miranda varietas, quid unicornium piscium pulchritudo, quid stellarum marinarum radii Chymicis prodesse possunt ad naturam perscrutandam, cùm & hæc & reliqua cuncta, quæ sunt & fieri possunt, fiant & producantur ex eadem materia, ex qua producuntur cætera, quæ enarrata sunt, præcedentibus in capitulis: Sufficiant ergo quæso, hæc quæ dicta sunt, ut piscium naturam, & reliquorum omnium quæ in mari excresce-

crescere solent, virtutes & proprietates notas, & manifestas habere valeamus: Ad lapides jam transeundum, cùm ex aqua etiam fieri soleant.

De Lapidibus.

SECTIO. IV.

Lapides quid sint, & qua ratione producantur.

CAP. I.

Lapides quid sint.

LApides omnis generis, corpora sunt solida & dura, fusione & liquatione carentia, malleo non extensibilia, sed ictu mallei frangibilia, & in fragmenta exilientia, ab humido viscoso aquæ sale turgido & abundanti producti, actione caloris externi & interni hunc humidum desiccantis, vel actione frigoris externi, idem humidum etiam desiccátis, in hac definitione clare admodum naturam & essentiam lapidum omnium notam & manifestam habemus, & ex qua materia in rerum serie fiant & producantur, copiosa & valde turgens est materia lapidum, tota enim terra & aqua plena sunt humido illo viscoso & tenaci, ex quo lapides generantur, unde etiam per totum orbem copiosi sunt lapides, tum in ipsa terra, tùm in ipsa aqua, ubique enim copiosa est eorum materia. Vnde & montes lapidei generantur & marmorei, tùm in mediis aquis, tùm in medio terræ: humidum enim illud viscosum & tenax à calore suo sursum pellitur, & dum elevatur per vapores & exhalationes desiccatur & congelatur, unde montes sursum efferuntur & supra nubes extollunt caput, quod eorum materia à calore sui ipsius sursum semper feratur ut depuretur, & vindicetur ab excrementis, quibus naturaliter jam scatet. Tendit enim semper ad perfectionem sui, non potest autem ad perfectionem perveniri, nisi depuretur, ad depurationem autem deveniri nequit, quin sublimetur & sursum efferatur. Et sic fiunt montes varii ut clariùs videbitur inferius, libro quinto huius operis, ubi de terra tractabitur. Jam verò per trásennam de montibus tractatur, quòd de lapidib⁹ agatur, qui ex aqua enascuntur, quique inter aquas reperiuntur copiosi & frequentes, imò & montes lapidei in mediis aquis & in mari ipso reperiuntur, qui ex eodem humido viscoso & tenaci ipsius aquæ producti & enati sunt: humidum siquidem illud ex calore sui ipsius exsiccatur, dum humidum depascit, calo[r] emet coagulatur, & códensatur in lapides, qui varii inde producuntur ex vario ac distincto humido, quodq; variatur, secundùm varias ac propè infinitas sui ipsius alterationes, unde infiniti & distincti progignuntur lapides, ut claré admodum videbimus capitulis subsequentibus.

Lapides ubique copiosi.

Montes lapidei ut fiãt.

Lapi-

Lapidum varia genera & species, unde fiant & progignantur.

CAP. II.

Lapidum varia genera & species unde.

INfinita sunt ferè genera & species lapidum, quæ quidem cum distinguantur, & inter se differant, investigandum est undenam eorum omnium differentia exoriatur, sic penitus intus & in cute manifestabitur lapidum essentia & natura: Varia ergò progignuntur genera lapidum, ex varia alteratione humidi viscosi & tenacis, dum coquitur & digeritur, ad lapidum productionem: Secundum enim alterationem variam & distinctam, varia & distincta progignuntur lapidum genera, variata siquidem causa materiali, variatur & effectus inde productus. Variatur autem multis modis causa materialis lapidum omnium, tum ratione loci, in quo secundum eius varietatem variè alteratur & disponitur hæc materia, plurimū enim potest ad alterationem locus: Variatur etiam ex internis suis principiis, quæ quidem non semper sibi æqualia esse possunt, nec in dosi, nec in qualitatibus primis & mediis, quæ omnia varietatem inducunt substātiæ, etsi radicaliter & essentialiter una sit: humidum ergo viscosū aquæ & tenax, cum varietur & à se ipso distinguatur omnibus hisce modis, hisce omnibus modis variatum cōstituit omnia varia lapidum genera: Nunc enim mercurius prævalet, in ipso humido viscoso aquæ, nūc sulphur, nunc sal, nunc qualitatibus variis hæc principia inter se distinguuntur, & sic necesse est generari varios lapides, nunc sulphur rubeum satis clarum & purū prævalet, & marmora rubra producuntur. Nūc sulphur albū satis clarum, & purū & marmora alba progignuntur, nunc sulphur nigrum impurum & crudū, & marmora nigra generantur, nunc mercurius purus cum sale puro cōjungitur, & sulphure albo & claro, & hinc exsurgunt Christalli, & adamantes, & lapides albi clari, & scintillantes albedine, nunc mercurius impurus cum sal impuro, & sulphure albo connectuntur & hinc fiunt lapides communes quibus Architecti utuntur ad ædificādum. Sic quot conjunctiones fieri possunt horum principiorum diversis qualitatibus ornatorum, tot etiam diversæ lapidum generationes fieri possunt.

Marmora rubea alba & nigra unde producuntur.

His ita constitutis facile concludimus. Lapidum varia genera & species omnes, quotquot reperiri possunt in rerum serie fieri & produci ex varia ac multiplici alteratione & dispositione humidi pinguis & viscosi aquæ, quæ quidem alteratio dependet & ortum habet, ex varia & distincta dispositione principiorum naturalium, quæ in eodem humido pingui, & viscoso aquæ continentur.

Ex varia alteratione humidi viscosi aquæ fiunt varia lapidum genera.

An lapides vivant & qua vita vivant.

CAP. III.

Lux in lapidibus qua ratione reperiatur.

CVm in lapidibus omnibus reperiatur portio quædam Lucis cœlestis, ex qua actus vitæ producitur omni in rerum serie, posset quis arguere lapides vivere posse vita saltem vegetanti, quia crescunt & nutriuntur uti vegetantia, attrahendo alimentum suum & digerendo in internis suis partibus. Nihilominus ne mutemus sententiam communẽ gravissimorum Philosophorũ, qui opinantur, lapides vivere non posse, ne quartam vitæ speciem in rerũ natura introducamus & sic multiplicemus entitates sine necessitate, explicavimus qua ratione vivere possint lapides & qua etiam ratione non vivant. Vivere ergo dici possũt lapides aliqua ratione, ex portione lucis creatæ quam habent, beneficio cuius attrahunt suum alimentum & coquunt, & in sui substantiã convertunt ut se conservent & durent in ævum & sic excrescunt vera accretione & corporis extensione. Sed quia portio illius luminis creati, quo pollent, est minima, & tanto elementorum terræ & aquæ pondere oppressa, ut ratione illius minimæ quantitatis non possit actum vitæ veræ vegetantis producere, ut in vegetantibus fit, in quibus omnibus maior est portio lucis creatæ, quam in lapidibus veris, ideo plantas, & arbores verè vivere dicere possumus, lapides verò minimè: cum non tantùm habeant lucis creatæ ac arbores & plantæ, ratione cuius lucis educitur actus veræ vitæ vegetantis, ut capite XXVI. Sectionis VI. huius libri asseruimus, & lapides ea ratione vivere dici posse. Cum tamen hic, hoc in capite ex professo agitetur hæc quæstio, explicandum venit, qua ratione dicantur vivere, & qua ratione non vivant, vivunt quidem ratione illius lucis creatæ, seu caloris interni quo subsistunt & habent esse, & ratione cuius nutriuntur, ubicumque enim est calor ille innatus & cœlestis, implantatus, opus est alimento ut conservetur, ut manifesto patet in plantis lapideis & saxosis superius enarratis, quas vere vivere asseruimus ratione alimenti quod attrahunt ut conserventur & sic vivant, non vivunt autem quod perfectus & manifestus vitæ vegetantis actus, non manifestè & clare educatur, ut in plantis & arboribus, sed occulte & invisibili quadam ratione, & occulto modo, sicque potentialiter vivunt, cum habeant actu lucẽ illam creatã seu calorem innatum cœlestẽ, ex quo potentialiter educuntur actus omnes vitæ tùm sensitivæ tùm vegetantis.

Lapides qua ratione vivant & qua ratione non vivant.

Lapides qua ratione nõ vivant.

Concludamus ergo lapides omnes verè vivere dici non posse, cùm non habeant æqualem lucis portionem cum vegetantibus, in quibus ultimus vitæ grad' educitur ratione illius lu-

us lucis creatæ, quę majori in quantitate est in vegetantibus quam in lapidibus, & ratione hujus quantitatis actum illum vitæ vegetantis producit in arboribus, quemque vitæ actum in lapidibus reperire non potest, cum multo minor sit lux creata in lapidibus quàm in arboribus & ratione hujus minoris & majoris quantitatis illius lucis creatæ, distinguuntur arbores & lapides ut capite sequenti fiet clarius.

Qua ratione essentiali lapides distinguantur ab arboribus.

CAPUT IV.

Lapides qua ratione essentiali distinguantur ab arboribus & plantis.

LApides distinguuntur essentiâ suâ, & naturâ ab arboribus, & plantis, quòd habeant elementa sua primordialia toto cœlo inter se distincta, & differentia, in lapidibus enim elementa omnia crassa sunt & spissa, in arboribus verò & plantis tenuia & subtilia, comparatione facta ad lapides. Lux præterea creata quæ formam, & veram essentiam in omnibus constituit, tum in arboribus, tùm in lapidibus differt quantitate, illa enim alia ratione differre non potest, cum sit una in rerum serie, Paucitas ergo luminis creati in lapidibus, non potest attenuare & subtiliare elementa, ideò remanent in tali gradu crassitudinis, & spissitudinis quali indigent lapides ut persistant, in arboribus ergò & plantis major adest copia lucis creatæ, ideò magis ac multò subtilius attenuantur elementa, quàm in lapidibus, ideo etiam obtinent gradum vitæ vegetantis qui non est in lapidibus, eoque gradu vitali differùnt essentialiter arbores & plantæ à lapidibus: humidum siquidem viscosum aquæ, quo componuntur lapides, terreum & aqueum est, pauco lumine delibutum. Idem autem humidum viscosum quo componuntur, & fiunt arbores & plantæ, est æthereum & aqueum, & subtilius multò perinde, portione ætheris majori, quæ inest arboribus, unde ejus materia subtiliatur & attenuatur magis in arboribus quam in lapidibus.

Concluditur lapides differre ab arboribus elementorum crassitie & luminis paucitate.

Concludamus ergo Lapides differre ab arboribus & plantis tùm ratione lucis creatæ minoris, tùm elementorum componentium crassitie & spissitudine & quantitate minori elementorum subtilium, nam elementa subtilia majori in quantitate, & portione reperiuntur in arboribus, quam in lapidibus, eaque minori in quantitate sunt in lapidibus, ut clarè sciunt qui anatomiam lapidum fecerunt, nihil enim ferè ætheris educi potest ex lapidibus, ex arboribus verò multùm educitur, ut ex substantia oleoginosa quæ ex illis elicitur per distillationem manifestum fieri solet.

Lapides cur non sint malleabiles & fluxibiles ut metalla.

Caput V.

Lapides cur igne non liquefiant nec malleo extendantur.

Lapides non fluunt igne; nec malleo extēdi possunt cùm multum salis habeant cum humido viscoso, ex quo fiunt, permixtum, sal enim copiâ suâ duritatem & firmitatem operatur, & præterea friabilem substantiam facit propter siccitatem summam quam in rebus inducit, siccitas illa desiccat summoperè humidum illum viscosum, quo extensio sub malleo, & fluxio in igne fiunt, unde desiccato humido & copia salis in eo introducta, necesse est ut hinc exoriatur friabilis substantia qua præditi & compositi sunt lapides omnes.

Objectio probans lapides igne liquefieri debere & malleabiles esse.

Objiciet quærulus quidam salem in omnibus operari fusionem facilem, unde aurifabri ut calces metallorum & metalla ipsa igne liquent addunt aliquid salis boracis, ut facilius igne liquentur. Et vitrarii ut lapides fiant, vitrum quod est liquabile quiddam, & verè lapis fluxibilis, & transparens, addunt Salem Alchali, ut lapides qui per se non liquantur, addito sale liquentur & in vitrum convertantur, ergo lapides non sunt malleabiles & igne liquabiles, quòd sale turgeant, sal enim potiùs liquationem & fluxioné inducit quàm impediat. Respōdemus

Solutio.

aurifabros & vitrarios Salem addere metallis & lapidibus, ut metalla & lapides faciliùs fluant in igne.

Quòd addito sale illo fixo comburatur & in auras convertatur sal copiosum volatile excrementitium, quod in metallis nonnullis & in lapidibus omnibus difficilem fusionem operatur, sal illud volatile copiosum evanescit addito illo sale fixo Alchali & boraci, quæ duo propter fixionem & in igne permanentiam comburunt omnia, & evaporare faciunt quæ impediunt facilem fusionem, unde evaporatis his omnibus remanet purum & nitidum humidum viscosum aquæ, in lapidibus & metallis, quod fusionem præstat unde tunc temporis facilè fluunt exhalato & evaporato sale volatili quodam excrementitio quod fusionem facilem impediebat, sal enim volatile fusionem impedit, & malleationem. Sal verò fixum & in igne permanens eandem malleationem & fusionem facilem operatur modo humido viscoso connectetur modo inseparabili, alioquin malleationem non operatur.

Concluditur lapides non esse malleabiles.

Ideò concludimus Lapides non esse malleabiles & in igne fluxibiles quod sale volatili impuro turgeant, quod semper in omnibus siccitatem friabilem inducit & difficilem omninò fusionem donec omnino ab eo sale volatili spolientur, ut purum remaneat viscosum humidum cum puro sale fixo, quæ facilem constituunt in omnibus fusionem, unde antiquitus arcanum erat separandi illud volatile salcū omnibus suis partibus impuris & sulphuribus adurétibus,

Lapidea columnæ antiquitus fusibiles igni.

tibus, ut partes remanerent puriores quæ fusionem præstant, unde deinde lapides liquabantur igne, & fiebant inde columnæ lapideæ admirandæ, & reliqua multa, quæ nunc temporis non solent fieri propter arcani hujus ignorantiam.

Lapidum perspicuitas & opacitas unde sit, & eorum colores.

CAPUT VI.

Lapidum perspicuitas unde & opacitas.

LApidum omnium perspicuitas dependet, ac ortum habet ex puritate & nitidate humidi viscosi aquæ, ex quo fiũt lapides & cõponuntur. Si enim illud humidum viscosũ aquæ sit purum & nitidum, lumen creatum, quod in illo humido viscoso innatum est, radios suos statim emittet, unde fiet perspicuitas, lumẽ enim illud formale rerum omnium, si elementa quæ illi adnata sunt pura habeat & nitida, non potest persistere quin eluceat & radiet, unde perspicuitas ortum habet. Vt è contrario, si lumen illud creatum rebus omnibus infusum elemẽtis impuris & crassis permisceatur & multis excrementis terrestribus turgentibus, obtenebratur ista crassitie & impuritate elementorum suorum unde opacitas est exorienda, cùm radiatio luminis creati fieri non possit in subjecto & in elementis crassis, spissis & impuris, unde sequitur opacitas, cũ & radiatio & perspicuitas sequi non possit elementorum crassitiẽ & impuritatem. Colores autem omnes qui solent percipi in lapidibus, ab eodem lumine ortum habent, nam perspicuitas & radiatio & opacitas est species coloris. Et si hæc oriantur ex lumine, pari ratione & colores omnes alios exoriri necessum est, & inde oriri patet quod lumen istud creatum, quod & alii sulphur dicunt & calorem innatum, omnia elementa in mixtione & productione rerũ permisceat & alteret secundum mixtionis necessitatem & legem, unde si alteret, & colores inde introduci necesse est, cum & colorũ introductio, sit alteratio vera. Præterea lumen istud dat formam & essentiam rei, si ergò det formam, & omnia quæ formæ conveniunt dari necesse est.

Colores in lapidibus unde sint.

His ita positis concludamus Lapidum perspicuitatem, opacitatem & colores omnes dependere, ex puritate & tenuitate & crassitie humidi viscosi aquæ, ex quo fiunt lapides: secundùm variam alterationem istius humidi viscosi, fiunt lapides perspicui, opaci, & colorati.

Lapidum durities, mollities, levitas & pondus unde proveniant.

CAPUT VII.

Lapidum durities mollities, levitas & pondus unde fiant.

DUrities lapidum, & firmitas dependet, ex eorum humido perquam optimè resiccato, tùm à sale suo innato, tùm à calore desiccante & fixante illud humidum, & quo magis desiccatur & coagulatur illud humidum, eo magis duri & firmi fiunt lapides, hinc exsurgit adamantum durities, & firmitas marmorum & reliquorum durorum lapidum:

Mollities verò è contra ex abundantia & copia humidi viscosi non perfectè desiccati & coagulati à suo sale & sulphure, ortum habet, unde in principio ortus sui, lapides omnes molles sunt, quod copia humidi sui viscosi turgeant in principio ortus sui, quod tunc temporis, non adhuc est perfectè desiccatum & coagulatum: unde exsurgit mollities lapidum, quo verò longiùs distant à principio suo, eo firmiores sunt & duriores, quia in dies desiccatur humidum, & firmiùs coagulatur & fixatur. Levitas autem etiam hinc exsurgit, quia desiccato humido & perfectissimè coagulato, pondus quod inest ex cruditate humidi, tunc temporis abit & evanescit, humidum enim dum ex coquitur evanescit & remanent reliqua principia quæ non tantum ponderis habent, ac ipse mercurius, qui pondus & gravitatem in omnibus efficit. Levitas ergo ex pauco mercurio: Pondus verò ex copia mercurii, quo enim plus est mercurii cocti vel crudi eo majus pondus inest rebus omnibus, unde aurum cæteris omnibus rebus præponderat, quod mercurio cocto, cæteris omnibus præpolleat, hinc etiam & lapides omnes, qui mercurio crudo vel cocto. (semper enim mercurius pondus agit) abundant, ponderosi sunt omnes, leves autem si non tanto mercurio turgeant & abundent.

Concludamus ergo lapidum duritiem dependere ex resiccato eorum humido, quo constant, mollitiem verò ex copia illius humidi non perfectè resiccati & coagulati. Levitatem autem ex eodem resiccato humido, & inopia ipsius, ut & pondus ex copia & abundantia ipsiusmet humidi, quo fiunt lapides, unde ex varia alteratione ipsius humidi, dependent omnes qualitates, quę solent reperiri in lapidibus, cognito eorum humido & manifestata ejus alteratione, & quot modis fiat & fieri possit, habemus notam & perfectè manifestam lapidum omnium naturam & essentiam cum qualitatibus omnibus quæ ex tali natura exsurgere possunt, cùm intus & in cute nota causa, intus & in cute manifestet effectus suos.

Ex variis alteratione humidi viscosi dependent omnes lapidum qualitates.

Lapidum virtutes & proprietates unde dependeant.

CAPUT VIII.

SUnt multi qui lapidum virtutes, & proprietates negant, quod manifestè non appareant, nihilominus insignes sunt & admirandæ, & si qui sint qui eas negent quòd eas manifestas non videant, verè cæci sunt: Solem negant habere lucem, nam nonnulli lapides manifestiores habent virtutes & energias quàm ipsa vegetantia, ut videre est in magnete, qui mira præstat, non solum in attrahendo ferro, sed & in alvi fluxu cohibendo, & menstruis retinendis, & in multis aliis, in smaragdo item

Lapidum virtutes & proprietates unde.

est

est manifesta virtus venena extinguendi & pestilentes omnes affectus fugandi, & in hyacinthis est mira virtus roborandi calidum innatum nostrum, & sic de cæteris asserendum, in omnibus enim inest manifesta virtus. Sed omnibus satisfacere non possumus, cum & Deus & natura non possint, cum non velint vecordiæ omnium grata dare, sufficit virtutes lapidum esse. Unde autem hæ dependeant & originem habeant, altiùs est disquirendum.

Asserunt omnes Philosophi, actiones omnes rerum omnium dependere à forma rerum omnium, cum ea sit principium agendi cujuscumque rei, virtutes autem & proprietates sunt actiones rerum, ergò etiam dependent ab eodem agendi principio, formam autem esse principium actionis cujuscumque rei patet, eo quòd portio luminis creati in materia prima cujuscumque rei, quę cum quidem portio luminis est sola agens, cum & materia prima sit patiens & nullius activitatis, in subjecto autem nihil reperitur quàm lumen illud, & materia illa quæ ex elementis ortum habet, materia illa non est principium actionis, ergo restat ut portio luminis creatā sit principium actionis, in lumine enim illo est calor innatus & insitus rerum omnium, non potest enim esse lumen sine calore. Calor autem ille ex sentētia omnium Philosophorum est principium motus, & perinde actionis, cùm & actio motus sit, cùm autem Lumen rebus omnibus infusum sit principium caloris innati, erit & verum & immediatum principium motus, & actionis in rebus omnibus. Erit etiam ergò in lapidibus: Cùm ergo lapides quamplurimi manifestent lumen illud, in illos infusum, cum & in ipsis radiet, & lumen emittat, non absonum erit virtutes & proprietates lapidum omnium dependere & ortum habere ex lumine illo creato illis infuso, quod illis est vera forma, quæ materiam elementorum in lapidibus existentium verè actuat & informat.

Calor sequitur lumen.

Proprietates lapidum sunt ab eorum lumine

An sint aliqui lapides qui sympathiam habeant cum planetis & astris aliis cœlestibus.

CAPUT IX.

QVis est hominum inter vulgares, qui symmetriam & convenientiam inveniret inter lapides & planetas & astra cœli, distant enim summoperè invicem, ut cœlum & terra, nihilominus tanta est symmetria & sympathia inter ipsos, ut nullo pacto dubitandum sit, an sit & reperiatur, videmus enim magnetem ipsam cum astro polari arctico, tantam habere sympathiam, ut ipsum semper sequatur, & ad illud vergat & tendat. Turchesia Saturni virtutes imitatur & sequitur, Saphirus solis naturam videtur imitari, Smaragdus martis redolere virtutes :

Lapides an habeant sympathiam cum astris & planetis.

Corneolus Jovis sapere vires, Ametistus veneris olere proprietates, & Cristallum lunæ habere energias nemo negare potest, ut clarius videbitur cum de his particularis habebitur inferius sermo. Sympathia ergo lapidum cum astris & planetis cœli non neganda, sed undenam deveniat investiganda.

Vndenam sympathia lapidum cum astris.

Diximus capite superiori formã lapidum omnium portionem esse lucis creatæ, elementorum materiis infusam. Quòd si hoc verum sit, ut multis in locis probatum est, adeò clarè ut nemo dubitare queat, aliunde non est quęrenda hæc sympathia. Lumen enim cum lumine habet sympathiam: Et si sol sit causa generalis lumine suo, rerum omnium. Quid ni etiam & astra reliqua & planetæ, cùm eodem lumine vigeant erunt etiam causa generalis rerum omnium, & perinde lapidum, si ergo causa generalis habeat sympathiam cum effectu suo. Quidni & astra, & Planetæ omnes habebunt sympathiam cum effectibus suis? & perinde cum lapidibus? Id enim habet sympathiam, quod & eandẽ naturam, & proprietatem & energiam obtinet. Lapides autem & astra & planetæ habent & eandem naturam & eandem proprietatem, cùm & eandem genere habeant materiam & formam etsi habeant diversis qualitatibus præditam, ut inter se distinguantur, sed hæc distinctio sympathiam non impedit, quin in utrisque vigeat lapidibus & astris, cùm sympathia ex natura dependeat, quæ cũ sit genere eadem in astris & lapidibus nullo pacto erit hæc deneganda.

Sympathia lapidum cum astris ex luce est.

His ita declaratis facili via concludemus sympathiam dari inter lapides quosdam, & astra cœlestia, eamque dependere ex lumine naturali, quod in lapidibus & astris reperitur infusum, & in his omnibus forma vera & essentialis habetur, à qua verè eorum sympathia originem habet.

An sigilla lapidibus insculpta lapidum virtutes augeant.

CAPUT X.

Sigilla lapidibus insculpta an virtutes lapidum augeant.

Solebant antiquitùs & adhuc solent sculpi lapidibus pretiosis sigilla varia, ad varios usus. Sed quia multi antiquorum Philosophorum asserunt ea sigilla tempore idoneo convenienti sculpta, multiplicare & augere lapidum virtutes, jam inquirendum est, an sculptura illa multiplicaret illas virtutes & energias an tempus solum esset (in quo fiebat sculptura) quod virtutes illas augeret, & quid in tempore esset quod multiplicandi & augendi virtutem haberet. Sunt qui virtutes & proprietates rerum infernarũ è cœlo perenniter descendere asserant, & rebus inferioribus imprimi & infundi, cum radiis ipsis lucis creatæ, ut ipsis sit alimento, quod quidem alimentum non potest augere corpus, quin & virtutes corporis augeantur. Ille enim lucis radius, auget & corpus, &

pro-

proprietates corporis. Retinetur autem in corporibus, quæ figuram aliquam externam habent astro superiori convenientem, alioquin si dissimilem habeant tanquam internæ formæ repugnantem non retinetur: forma enim externa, internam coindicat, tanquam ab ipsa dependens. Ideo astrorum virtutes retinentur ab inferioribus, si inferiora sympathiam habeant cum superioribus influentibus: Sympathia autem illa coindicatur à figura externa. Cùm ergò lapides lumine & splendore correspondeant astris superioribus, dum astra influunt peculiares proprietates & virtutes lapidibus correspondentes, ipsi lapides magis ac magis retinent virtutes illas, si figuris quibusdam particularibus astris convenientibus lapides insculpentur. Ratio in promptu est, quod astris singulis figuræ & formæ externæ debeantur, quas ipsa astra rebus inferioribus insculpunt: Et ratio hujus rei patet, quod videmus figuras externas rebus impressas, quæ non debentur formæ internæ hujus rei, ut clarum est in marmoribus in quibus figuras plantarum, animalium, brutorum, & aliquando hominum videmus impressas. Quid hoc egit, quis has insculpsit figuras in marmoribus, quæ marmori non debentur: spiritus naturæ esse debent qui harum figurarum pictores veri sunt, spiritus autē illi, non aliud sunt quā radii cœlestes & influxus astrorum, qui figuram externam aliquā- do imprimunt rebus, & virtutem peculiarem huic figuræ correspondētem, etsi forma interior repugnet figuræ externæ cœlitus impressæ. Itaque non mirum si antiquitus figuræ quædam lapidibus sculpebantur, figuræ enim illæ secum trahebant virtutes cœlestes, cum & ab astris soleant aliquando naturaliter cælari. Quòd si & arte fiant vigente illo astro quod figuras illas cupit & amat, easque imprimere rebus gaudet, túc temporis idem quidem est ac si ab astro naturali via imprimerētur. Rarum tamen id est, & valdè occultum naturæ arcanum, rationes adinvenire, qua vi naturali id fiat, si præcedentes non arrideant omnibus, sit liberum cuiq; arbitrium credere. Sigilla illa lapidibus antiquit⁹ insculpta astro aliquo vigente lapidū virtutes augere ac multiplicare: Quod si falsum id esset, frustra ergo scripsissent de sigillis Hæbrei quamplurimi, ut Salamō Ragiel, Chael & Thetel, qui omnes multa & miranda scripserunt de sigillis, metallis & lapidibus insculptis, nosterq; Hermes Trismegistus qui verissimus inter omnes authores reputatur librum integrum de sigillis composuit: Non ergo mirum, si tantorum virorum authoritate devictus concludere audeam, sigilla lapidibus insculpta astro peculiari, & proprio vigente, & sigilla hæc postulante, lapidum virtutes & proprietates multiplicare & ultra naturæ modum & terminum extendere.

Forma externa internam indicat.

Figuras externas in rebus quis facit.

Figuræ externa trahunt virtutes ex astris, beneficio lucis.

De

De Carbunculo, quid sit & ex qua materia fiat.

Caput XI.

Carbunculus quid sit. CArbunculus lapis est pretiosissimus & ardentes undique vibrans radios cæruleos & violaceos, ex humido viscoso aquæ, puro & nitido & sulphure rubeo, purissimo delibuto, à natura compactus in locis lapideis, & saxosis purissimis, & ab omni elementorum fæce vindicatis, in mineris & fodinis auri puri, reperiuntur sæpissimè carbunculi, & plurimarum sunt specierum. In quarū numero reponuntur Rubini & Granati, qui prælucent cæteris & nitent ac radios foràs erumpunt, hi Carbunculi dicuntur, quòd quasi carbones ardere videantur, unde carbunculi solent nuncupari. Et hic lucis radius qui elucet in hisce lapidibus, ortum habet ex puritate & claritate humidi viscosi aquæ, ex quo naturaliter fiunt: toties enim sublimatur, ac sursum elevatur humidum istud viscosum, tùm à calore centrali terræ, tùm à calore interno sui ipsius, ut tandem ad summam puritatem & supremum purificationis gradum deveniat, tunc tandem fixatur & coagulatur, à calore sui sulphuris (quod tandem coctione continua rubeum & puritate clarum factum fuit,) in materiam rubeam lapideam & duram, quæ carbunculus dicitur ratione sui fulgoris. Plurimas habet insignes hic lapis virtutes & proprietates, aërem venosum ac pestiferum fugat, luxuriam reprimit, malas cogitationes aufert, amicorum lites conciliat & prospera omnia reddit, unde sanitatem conservat, quæ omnes virtutes & proprietates, multiplicantur & augentur, si sole vigente in domo sua sculpatur. phœbi ipsius imago in carbunculo, quia carbunculus lapis solaris est, unde si figura solis insculpatur in carbunculo, virtutes ejus cum ipsa cælatura crescunt, crescentibus his, quæ ex sole sunt in ipso lapide.

Carbunculi in fodinis auri reperiuntur.

Carbunculi virtutes.

Carbunculus lapis solaris est & solis figura augentur ejus vires.

De Rubinis, & granatis, quid sint & ex qua materia fiant.

Caput XII.

Rubini & granati quid sint. RVbini & granati lapides ejusdem speciei habentur, rubei & rutilantis coloris, & fiunt ex eadem materia, ex humido scilicet pingui aquæ, puro & nitido, & sulphure puro rubeo delibuto, & differunt inter se ratione puritatis, quo nitidior fit materia & clarior, inde fiunt rubini, quo obscurior exinde prodeunt & exsurgunt granati, inde Rubini carbunculi ignobiliores habētur & differunt tantùm ratione puritatis, & ignis elucentis, quod eorum humidum seu mercurius qui lapides hos fecit & composuit, non ita purus purus factus fuerit, ac in carbunculis, unde eorum ignis & sulphur,

sulphur, cùm non ita purum & nitidum sit, ideò similes non emittit radios ac scintillas ac emittunt carbunculi.

Granati adhuc obscuriorem seu impuriorem habent materiam ex qua facti sunt, & ideo minus lucent ac rubini, & sic non ita habentur pretiosi ac rubini: De virtutibus eorum nullo pacto dubitandum, quin sint insignes & prægrandes in roborandis cordis viribus, & calido innato restaurando, propter eorum sulphur purum & nitidum, quo constant: quod quidem sulphur in supremo puritatis gradu constitutum, semper roborat & refocillat, cum sit naturæ basis, & fundamentum: non apparent tamen hæ virtutes hisce in lapidibus, quod firmissimis repagulis & muris natura obvallaverit has omnes virtutes. Sunt qui sigillis & astrorum figuris eas manifestas facere tentant. Sed optimum sigillum esse credo, eos lapides ad materiam primam reducere, cum materia eorum prima, humido scilicet eorum pingui & viscoso, ex quo facti fuére, tunc enim temporis manifestæ fiunt eorum lapidum virtutes.

Rubinorum & granatorum virtutes.

Virtutes lapidum qua ratione augeantur.

De adamantibus, quid sint & ex qua materia producantur.

CAP. XIII.

Adamantes quid sunt & unde fiant.

ADamantes etsi sint lapidum omnium durissimi & firmissimi, ex eadem molli & tenui fiunt materia, ac cæteri lapides omnes, ex humido viscoso nempe aquæ, coctione illius humidi viscosi perenni & continua, & sublimatione ejusdem donec ad supremum puritatis & coctionis gradum devenerit, tunc temporis hæc materia condensatur & firmatur in adamantes, idque in saxosis & lapideis cavernis & antris firmissimè clausis, ubi illud humidum viscosum aquæ detinetur clausum ne inter sublimationes varias, quas patitur in depuratione sua, exeat & evaporet. Reperiuntur sæpissimè in fodinis auri & argenti adamantes, quod cùm dum fiunt hæc metalla, materia eadem quæ plus salis habet fit adamas, reliquum materiæ, quod plus mercurii retinet fit metallum cum sulphure suo, quæ est materia unctuosior & glutinosior ea ipsa materia ex qua fiunt adamantes.

Adamantes ubi reperiantur.

Si distinguantur inter se adamantes pretio, & puritate, seu claritate luminis, hoc dependet & ortum habet ex ipsa puritate, & nitore materiæ, quæ magis in quibusdam locis depuratur quam in aliis. Loca enim puriora una aliis. Et in purissimis locis fiunt purissimi adamantes & clare nitẽtes quòd ipsa materia summopere depuretur in his locis. In aliis verò locis minus puris cum non possit ita depurari materia ratione Impuritatis loci fiunt adamãtes obscuriores, & perinde non ita pretiosi, Qui apud Indos reperiuntur adamantes, & apud Arabes, & Æthio-

Adamantes pretiosiores

unde exportentur. pes cęteris omnibus pretiosiores habentur, quia in hisce provinciis fodinæ auri purissimæ reperiuntur, unde & seminalis materia adamantum purior & nitidior hisce in locis habetur, & cœlum & astra vegetiora sunt in hisdem provinciis, quæ coquunt & digerunt hanc materiam fortius, quàm in reliquis omnibus locis, nam quamvis frigus externum, agat in coagulatione adamantum nihilominus & calor naturalis ipsius materiæ cum calore astrorú, plus est considerationis in productione rerum omnium, & præcipue lapidum quàm frigus externum, quod per accidens est causa congelationis ipsorum lapidum, dum frigiditate sua & actione compellit calorem internum & fortiorem efficit ad exsiccandum suum humidum & congelandum.

Adamantum virtutes. Virtutes insignes reperiuntur in adamantibus sed quia firmissimis & præduris obvallantur muris, ideo interclusæ manent, ut in auro in quo & plures sunt virtutes, sed occlusæ ut in adamantibus, & ex hisce materiis elici non possunt quin muri illi duri diruantur, hoc autem fieri potest, si in materiam primam suam ex qua fiunt reducantur, tunc temporis habebimus virtutes adamantum quæ & adamantivæ verè erunt in omnes morbos.

De Cristallis quid sint, & unde progignantur.

CAP. XIV.

Cristalla, ex eadem materia fiunt, ex qua adamantes, ex humido scilicet viscoso, quod in intimis aquæ latet. *Cristallum quid sit & unde fiat.* Includitur illud humidum, in concavis terræ antris lapideis & saxosis, & non lutosis, ibique firmissime reclusum calore sui ipsius & centrali ipsius terræ sublimatur & elevatur multoties, & in elevatione sua summoperè depuratur, & interim coquitur, & tandem fixatur in Christallum, quod quidem distinguetur ab ipso adamante tùm materiæ ipsius seminalis crassitie, & impuritate, tùm salis copiâ & virtute eius fixante & coagulante, hoc est adamantes sunt ex puriori materia quàm ipsa Cristalla, & adhuc sunt firmiores & multò duriores, & Cristalla sunt adamantibus obscuriora & molliora, quòd ex materia obscuriori, hoc est impuriori & aquosiori constent. *Adamantes & Christalla ut differant.* Nam in Cristallis conficiendis natura, non ita sublimavit ac depuravit humidum viscosú aquæ, quin humidi excrementosi & aquosi aliquid remanserit, unde in Crystallis non est purus mercurius, ut in adamantibus, sed est aliquid humidi elementaris unà cum viscoso humido & mercuriali cójunctum, unde illud elementare humidum ad tantam puritatem, & nitorem devehi non

hi non potest, unde Cristalla sunt semper obscuriora adamantibus & molliora, propter illud humidum elementare, quod habent admixtum; hinc Cristalla sunt facilioris solutionis in materiam primam, suam quam sint adamantes, ut per solutioné illam, virtutes insignes quæ latent in ipsis Cristallis, habere valeamus, quæ mirum in modum in calculis alterandis, & in obstructionibus omnibus reserandis commendantur.

Chrystallorum virtutes.

De Smaragdis, quid sint, & unde producantur.

CAP. XV.

Smaragdus quid sit & unde.

SMaragdi lapides sunt præclari, viridis coloris, & micantis lucis, qui in cupri fodinis reperiri solent & produci. Ex humido viscoso aquę quod in his fodinis reperiri solet interclusum, quodque illius humidi reperitur mercurio & sulphure impuro turgens, mutatur in cuprum, quod verò ejusdem humidi est sale abundans mutatur in Smaragdos, qui radio viridāti sunt præditi, quod humidum illud viscosum sale turgens ex quo fiunt viridi, cupreo sulphure tingatur & imbuatur, unde ex cupro & viridi æris sciunt nonnulli vitrum & Crystallum tingere viridi illo cupreo sulphure, adeò ut Smaragdos imitetur, non ergò dubitandum Smaragdos fieri ex humido illo viscoso aquæ, sale turgente & sulphure viridi cupreo immaturo & non perfectè cocto, delibuto, fixatur enim & coagulatur illud humidum coctione perenni postquam depuratum est, in Smaragdos qui summo sunt in pretio, tum propter gratum & nitentem colorem quo præditi sunt, tùm propter insignes virtutes quibus donantur à natura: Venenum enim fugant omne & pestilentes morbos, & maligna qualitate præditos & comitiali morbo sunt exitio, si assidue gestentur, vel quod potius est, si in primam materiam reducti potentur, tunc enim temporis certissimo sunt auxilio, morbis ferè omnibus & præsertim mulieribus, sunt enim tūc temporis verum veneris astrum, quod morbos omnes muliebres devincere potest.

Smaragdorum virtutes.

Smaragdi soluti morbos muliebres curant omnes.

De hyacinthis quid sint, & ex qua materia fiant.

CAP. XVI.

Hyacinthi quid sint & unde fiant.

HYacinthi ex eadem fiunt materia, ex qua Smaragdi, sed differunt inter se quod sulphure diverso tinguatur eorum materia, sulphur quo tingitur materia hyacinthorū est magis coctū quàm sulphur quo tingitur materia Smaragdorum, unde hyacinthi lutei sunt coloris ad rubeum tendentis, quod sulphur eorū sit rubeum non tamen perfectissime coctum, & perfectè purum, unde remanet lutei coloris & aurei,

quòd si magis coqueretur coctione tandem perẽni, & depuratione majori converterentur in rubinos. Sic fiunt hyacinthi in visceribus terræ, ubi deponitur eorum semen, seu materia ex qua fiunt ex intimis aquæ, quæ sua semina deponit in terræ visceribus, ubi decoquitur & perfectè depuratur, & secundùm decoctionem & depurationem fiunt inde metalla & lapides & reliqua omnia mineralia.

Ex his omnibus clarum admodũ est, quid sint hyacinthi & definitionem eorum sic construere possumus, hyacinthi sunt lapides duri ac firmi, clari & lucentes, aurei coloris rutilantis, ex humido viscoso aquæ, perfecto depurato, & sulphure aureo seu rubeo delibuto, confecti, & compositi, in terræ antris & lapideis cavernis ubi detinetur reclusum illud humidum viscosum aquæ, ut figatur & congeletur in Hyacinthos, quibus plurimæ raræ & mirandæ sunt virtutis; sed non apparent ex firma eorum coagulatione quæ impedit ne exeant inde spiritus, virtutum delatores, nisi resolvatur eorum compago, spiritus hi non possunt suas virtutes manifestare, quod ibi firmiter reclusi sint, at si resolvantur tunc liberi agunt & mirandas ostendunt virtutes.

Hyacinthorũ virtutes.



De Topaziis quid sint & unde fiant & progignentur.

CAP. XVII.

Topazius lapis est ardens ac lucem emittens cum glaucedine, splendidissimus lapidũ est & duæ ejus species habentur: una est lutei & aurei coloris rutilantis admodum, & adeo firma duritie ut limum contemnat. Orientalis est, & cæteris præstat. Altera verò est, Occidentalis alterâ viridior, habens remissum colorem auri, & vilior existit & limum patitur, fit autem ex humido viscoso aquæ, utraque species, dum in ipsis cavernis lapideis recluditur ut distillatione continua & sublimatione depuretur & vindicetur ab impuritatibus suis, & tandem figatur & coaguletur in Topazum, quod tandem fit summam post illius humidi purificationem, nam quo purius est, eo firmius principium coagulationis agit in ipsum humidum, & firmius ipsum coagulat & figit introductis in ipsum humidum coloribus, secundum naturam & qualitatem sulphuris prędominãtis ipsi humido: in Topazio autem prævalet sulphur rubeum purum & mediocriter coctum unde aureus ille color exsurgit, & rutilans, quòd si adhuc magis coqueretur eius sulphur, à coctione sola deveniret ad ultimum colorem, qui est rubeus & clarus, & nitens, unde fieret ex Topazio carbun-

Topazij quid sint & unde fiant.

Topazius fi-

eripuisset carbunculus. bunculus, non differunt enim Topazius & carbunculus nisi coctione fortiori. carbunculi siquidem maiorem & fortiorem passi sunt coctionem, unde & rubei sunt & rutilantis lucis.

Topaziorū virtutes. Insignes habent virtutes Topazii, & carbunculorum virtutes imitantur, lascivos motus temperant frenecticos sanant & lunaticos & melancholiam omnem facilius curant, sanguinem à vulneribus & quacumque ratione fluentem cohibet, si humido radicali suo solvatur, & mollis potabilisq; efficiatur.

De Turquesis quid sint & unde fiant & quid prosint.

CAP. XVIII.

Turquesia quid sit & unde fiat: TUrquesia lapis est cæruleus in flavum vergens, opacus, & nullam lucem emittens, sed præclari & grati est coloris cærulei pallidi. Et sunt duæ ejus species una Orientalis & veteris fodinæ, flavescens & viridans, altera vero cærulei omnino coloris, & novæ fodinæ, & satis copiosæ reperiuntur in Pyreneis montibus nostris, ubi lapides dentiformes reperiuntur albi coloris qui levi calore ignis acquirunt cæruleum illum mirum colorem qui turquesiis debetur, & veræ sunt turquesiæ & cæteris sunt pretiosiores, nec amittunt unquam colorem suum, quem acquisierunt, ut & aliæ coloratæ ab ipsa natura quæ Orientales dicuntur, quæ levissimo calore mutant innatum suum colorem, & facile rumpuntur, fiunt autem omnes ex humido viscoso aquæ salis turbido & impuro cui prævalet sulphur cæruleum, ex imperfecta coctione sua, & impuritate.

Sunt autem Turquesiæ plurimarum virtutum & astringentis facultatis & perinde lienteriicis, dysentericis, & aliis omnibus alvi fluxibus summopere prosunt, sanguinem cohibent è quacumq; parte fluentem, & saturni planetæ imitantur naturam & essentiam, at oportet ut solvantur, & in principia sua reducantur: & alioquin vires illas quæ in occulto eorum lapidum centro latent habere non possumus propter firmam eorum compaginem. *Turquesiarū virtutes.*

De Iaspidibus quid sint, unde sint & quid valeant.

CAP. XIX.

IAspides, sunt lapides viridantis coloris, guttulis sanguineis vel venis rubeis conspersi, vel aliis variis coloribus variegati, præduri & firmi, ex eodem humido viscoso aquæ ortum ducentem, variis sulphuribus delibuto, quæquidem dum coquūtur ac digeruntur in ipso humido varios & multiplices producunt colores in ipsis Jaspidibus, alterant enim & variant humidum sulphura omnia coctione & digestione sua & sic ex illo humido quamvis uno coctione & dige- *Iaspides quid sint & unde fiant.*

digestione variato, multa & varia progignuntur lapidum genera & Jaspidum species quammultæ, quæ inter se non differunt nisi colore, nam substantia sunt similes, similiaque habent sui ortus principia. Itaque si differant inter se Iaspides hoc est ex coctione varia quam recipit innatum eorum sulphur, quod colores omnes facit in Iaspidibus & in cæteris rebus omnibus coctione sua varia, indurãtur autem Iaspides fortiter ac firmiter, quod sal eorum innatum & primordiale copiosum valdè sit, & potens sua desiccandi innata virtute, quo enim siccius induratur humidum illud viscosum eo firmius compingitur subiectum in quo hæc fiunt, unde firmitas & durities in rebus.

Iaspides quare durissimi.

Insignes autem insunt Iaspidibus virtutes & proprietates, sanguinis fluxum cohibent omnem, febres curant quòd serositates impediant, & sanguinem depurent, unde hepati roborando conveniunt & hydropis sunt solatio. Et multæ aliæ adhuc adsunt virtutes sed in Iaspidum firma compagine reclusæ manent, nec hinc eliciuntur quin Iaspides resolvantur in principia sua, dum principiis suis, tunc temporis admirandas promunt virtutes.

Iaspidum vires omnes insignes.



De marmoribus, quid sint, unde sint & quid prosint.

CAP. XX.

Marmorum quamplurimę sunt species, & porphyrithes comprehendunt lapides, imò & Iaspides sub marmoribus comprehenduntur, quæ quidem nihil aliud sunt quam humidum viscosum aquæ, non summopere depuratum sed turbidum, induratum & coctum à suo sale virtute sua fixativa & coagulativa prædito, variisque sulphuribus delibuto, ex quibus oriuntur varii omnes illi colores qui in marmoribus solent reperiri, humidum enim istud viscosum aquæ turbidum & lutosum dum includitur terræ cavernis, virtute sua coagulante, qua turget virtute sui salis induratur pedetentim & tandem figitur & firmatur in marmor album, nigrum vel rubeum vel variegatum variis coloribus, si sulphur quo delibutum est, si album, nigrum, rubeum, vel variegatum, multis inter se mixtis sulphuribus, quæ varios illos ac distinctos faciunt colores uti multoties diximus & probavimus, ita ut non sit opus toties diximus & probavimus, ita ut non sit opus toties repetere ea quæ antea diximus. Marmora ergo varia sic producuntur, quæ & multis sunt prædita virtutibus, fieri hisdem ac Iaspides præsertim rubea marmora, & quæ viridi ornan-

Marmora quid sint & unde fiant.

Marmorum virtutes.

ornantur colore. Solutioni sunt facillima, multum præbent solis quo turgent, ex quo eliciuntur spiritus acidi, plurimarum virtutum in conterendis lapidibus & calculis renum & vesicæ, & in contemperando biliosi humoris fervore undè febres ardentes temperantur, & sitis ardens in his evanescit epotâ aquâ spiritu illo acido, delibuta.

Vnde effigies variæ quæ in marmoribus reperiuntur exoriantur.

CAP. XXI.

Figuræ & effigies variæ quæ in marmoribus reperiuntur unde sint.

VAriæ & multiplices effigies & figuræ, tùm animalium brutorum tùm hominum, tùm florum & arborum, reperiri solét in ipsis marmoribus, adeo perfectè & exactè elaboratæ, ut ab Apelle quodam videantur depictæ: Mirum hoc & naturæ rarum, mirantur omnes, pauci quærunt, nulli ferè sciunt undè exoriatur. Ad occultas enim recurrunt causas vel ad casum & fortunã quam multi, quòd esse non potest, quòd enim ex se ipsa agit natura, casus & fortuna non agit. Natura ergo ipsa est, quę in interioribus sui ipsius prędita est, & delibuta omni arte, & scientia: Creator enim suus dotabit ipsam omnibus donis, artibus & scientiis, quibus debuit & potuit, quibus mediantibus, format & figurat ea omnia, quæ in rerum serie reperiuntur. Et si artes hæ, & scientiæ non essent innatæ & propriæ ipsi naturæ, homines ipsi nunquam has artes & scientias excogitare scivissent, nec unquam pictores, arbores flores, animalia & reliqua cuncta depingere potuissent, si prius natura verè arbores, flores, animalia & reliqua cũcta non fecisset, & tamen in admirationem rapimur, si in marmoribus lapidibusq; aliis sculptos & effigiatos videamus homines, Angelos, bruta animalia, flores & arbores palatia, domos, vineas & prata omnibus floribus variegata depicta conspiciamus, neque considerare possumus naturam ipsam esse, quæ ipsas figuras ubiq; depingere & effigiare potest, cum & ipsas veras & reales quotidie efficiat.

Si natura, ipsas rerum figuras in marmoribus & lapidibus animaret & informaret eadem anima & forma, quâ solet ipsas animare & informare in subjectis propriis & idoneis, rarũ quidem hoc esset, & admirationi dignum, sed cum tantùm figuram & effigiem exprimat, non habent de quo stupescant Sapientes, cùm id commune & naturale sit, & innatum naturæ ipsi, figuras rerum omnium efformare, & si ars pictoria hoc idem efficiat, id ipsum ex natura desumpsit. Nec perinde adeo exactè & perfectè id potest ars, ac natura, quæ semper vincit artem, unde etiam videmus picturas has naturales pretiosiores multo esse, & coloribus vividioribus, luce potentiori plenis, quàm sint picturæ ab arte factæ.

Natura figuras omnes effingere solet.

Si na-

Si naturam videamus pictoria arte potentem, eandem cernere licet sculptura excellentem & præpotentem, vidi ego & multi alii mecum viderunt in multis terræ cavernis & præsertim in Gallia Narbonensi, antrum terræ prope oppidum dictum *Soreze*, lingua vulgari, dictum, *le trauc del caleil*, in quo antro cernere licet sculptas marmore figuras exacte admodum & perfectè, adeo ut spectatores in admirationem rapiantur his visis, Sculptor ibi nullus unquam fuit, & nihilominus sculpturæ admirabiles ibi reperiuntur rupibus affixæ & monti. Vnde credendum est, naturam habere artes naturales, & scientias quibus hæc effingere solet, spiritus siquidem naturales sunt illi pictores sculptores, & Architecti quibus hæc efficit & patrat, sunt enim in arte magistri excellentes & peritissimi quibus datum & figuras has omnes & effigies efformare. Et si spiritus non sunt Dæmones vel Angeli ut excogitarunt nõnulli, qui has miras effigies & sculpturas, in terræ cavernis operantur, creditu enim hoc ridiculum est. At sunt substantiæ subtiles igneæ, & cœlestes influxus ac radii qui in semine generali mundi coërcentur, quique potentiam habent & facultatem, semen hoc seu materiam primam rerũ, ad omnes formas quas ipsa expetere potest, disponere, & cõducere, & sæpe sæpius extra genus & speciem ubi reperiuntur, ut ad figuram bovis aut equi aut alicuius plãtæ, marmor aliquando disponitur. & conducitur. Et hoc ab spiritus naturæ architectonicis qui omnes figuras & effigies ex materia educere sciunt & norunt. Ut manifestè apparet in radicibus filicis plantæ, in quibus si incidantur ex transverso effigies Aquilæ Romanæ perfectè & exacte depicta perient. Quod Aquilis & Romano Imperio portendit universale Dominium.

Caverna dicta vulgo le trauc del caleil, mira.

Spiritus naturæ figuras rerũ efformantes quales sunt.

Aquila Romana effigies efformata in radice filicis quid portendat.

His ita positis concludendum est varias omnes illas figuras & effigies quę in marmoribus sculptæ & effigiatæ reperiuntur, dependere ab spiritibus subtilibus naturæ ipsius, quibus utitur ipsa natura ad efformandas res omnes naturales, his enim solis datum est, figuras illas & effigies ubicumque efformare ac depingere.

De Lapidibus aliis communibus & vulgaribus, quid sint unde sint & quid prosint.

CAP. XXII.

LApides omnes alii communes, & vulgares qui passim reperiuntur tum in fluminibus tùm in visceribus terræ, & extra terram nihil aliud sunt quàm ipsum humidum viscosum aquæ turbidum & lutulentum multo aquæ & terræ limo permixtum, congelatum & induratum in lapidem: viscosum enim illud humidum ubique sit congelatur tùm calori sui ipsius, tùm calore externo, habet

Lapides cõmunes & ordinarii quid sint & unde fiant.

habet enim innatam & naturalem se congelandi potestatem & energiam propter suum salem naturalem & innatum quem habet, qui est congelationis suæ causa vera, non differũt ergo hi lapides ab ipsis lapidibus pretiosis substantiâ & naturâ rei, sed tantum qualitatibus, pretiosi enim lapides habent materiam nitidiorem, & puriorẽ, reliqui verò impuriorem & lutulentiorem, & propter hanc impuritatem non tantis etiam donantur virtutibus, quia in impuritate & lutulentia radicari non possunt insignes virtutes, & energiæ, quæ purum, & nitidum naturæ sequuntur, unde & lapides omnes clari & nitentes majori virtute præditi sunt, quàm reliqui omnes, qui opaci, tenebrosi & lutulenti habentur, nihilominus & hi habent aliquid virtutis, non tamen id apparet & manifestum est, nisi ut antea dixi, resolvantur hi lapides in humidum illud viscosum aquæ, quod ipsos composuit, tunc insignes promit de se virtutes, & mirabiles effectus edit, illud humidum ex lapidibus eductum.

Lapides virtuosiores quales.

De Sabulo quid sit, unde fiat, & quid prosit.

CAP XXIII.

Sabulum quid sit & unde fiat.

SAbulum multiplex est, & varium & distinctum coloribus suis, datur enim omnis coloris. Et quòd in coagulatione sui ipsius varia reperiuntur sulphura, quæ colores varios efficiunt in ipso sabulo. Est itaque sabulum lapidis genus minutulum, ex humido viscoso aquæ coadunatum, & ita minutum coagulatur, quia dum movetur aqua perenni motu, humidum istud viscosum aquæ, etiam movetur, & in motu, in plures ac minutissimas dividitur partes, & sic minutæ istæ partes coagulantur intimo & naturali calore sui ipsius, & convertuntur in sabulum & hoc in fontibus, in fluminibus & in mari ipso. Evenit etiam ut in medio terræ sabulum producatur, & dantur fodinæ sabuli, ibiq; non movetur aqua per eius humidum viscosum, sed à vaporibus qui terram penetrant omnem à centro sursum tendentibus, disgregatur illud humidum viscosum & in plures partes dividitur, unde in minima corpuscula coagulatur æque in aqua fluenti, ubi etiam à motu disgregatur & in ea corpuscula sabulosa convertitur, cùm disgregetur & separetur, nec uniformiter congelari possit: Sic fodinæ sabulosæ fiunt in medio terræ cùm humidum viscosum aquæ uniformiter congelari nequeat, cùm dividatur in minutas partes, à vaporibus & exhalationibus à terræ centro ascendentibus, inter hæc sabula reperiuntur multæ partes claræ & lucentes, & lapidum pretiosiorum fragmenta imitantur, quod dum humidum illud viscosum congelatur sæpe sæ-

Fodina sabulosa unde fiant.

pius depurantur illius quædam partes, quæ inter sabula nitent & clarent veluti lapides pretiosi, & veri sunt, & eorum imitantur & sequuntur virtutes & proprietates. Sabuli autem omne genus siccum & aridum est, & præter usum communem & vulgarem in Architectura, si in principia sua dissolvatur dat salem copiosum fixum & permanentem, aperiendi facultatem possidentem.

De Talcho quid sit, unde sit, & ad quid valeat.

CAP. XXIV.

Talchus quid sit & unde fiat.

TAlchus sive Talch lapis est, & potius inter lapides adnumeratur quam inter media mineralia, quem natura componit ex humido viscoso aquæ, ut reliqui lapides, & potentissimè fixat & coagulat ipsum suo sale, sulphure albo admixto, in fodinis gypsi, ubi invenitur congelatus & factus, in folia tenuia, sibi invicem apposita, lucentia & nitentia Cristalli instar, dantur eius duæ species: una est nitida & lucens veluti Cristallus, & in folia tenuissima tabulatim finditur, adeo ut ex eo tabulæ fieri possint transparentes, & limpidæ, & hæc species sicca valde est & arida. Altera verò est pinguior & glutinosior multo & subviridis est coloris, & talchus ventus vulgò dicitur. Ex quo oleum elicere tentant quammulti Chymicorum eum improbo & herculeo labore, sed frustra quærunt in re sicca & arida fontes. Si quid est olei in lapide isto, adeo desiccatum est, & aridum factum, ut arte simplici hinc cogi nequeat, oportet ut sine ulla calcinatione prævia, dissolvatur in sua principia cum humido viscoso aquæ acido, & dissolventi, tunc temporis circulatione transit in oleum astergentis & desiccantis facultatis: non tamen in illud oleum tam decantatum, & celebre, fœminis & puellis adeo expectatum, ad decorem & pulchritudinem faciei. Illud oleum non ex talcho communi, & vulgari elicitur sed ex talcho Philosophorum qui est terra eorum foliata, & sulphur naturæ, ex quo immediate coctione sola, fit eorum elixir, & in visceribus terræ fit aurum & argentum. Si plura de talcho desideras, vide compendium nostrum Secretorum Chymicorum capite XXI. libri tertii in quo multa de hoc oleo diximus.

Talchi species duplex.

Oleum talchi impossibile nisi dissolvatur in principia sua.

Oleũ talchi verum & legitimum.

De Gypso quid sit, ex quo sit & quid prosit.

CAP. XXV.

Gypsum quid sit & unde fiat.

DAntur ubique terrarum quam plurimæ Gypsi fodinæ, in quibus ex humido pingui aquæ & viscoso (cuius multum terræ albæ adest) producitur gypsum: ita ut Gypsum nihil aliud sit, quàm humidum viscosum aquæ, in visceribus terræ conge-

congelatum sulphure suo albo terreo multum, cui virtus inest fixativa virtute sui salis innati, huic virtus inest astringens multum & dosi minima, summopere prodest lientericis, dysentericis & alui fluxibus omnibus, sanguinem etiam cohibet ex vulneribus effluentem, calcinatur & in pulverem albissimum redigitur, & tunc temporis dissolvitur in aqua plantaginis & rosaceæ, & postquam coagulatum est iterum dissolvitur & propinatur, alioquin congelaretur in gypsum in ipso ventriculo, & plus noceret, quàm prodesset: Virtus sua astringens & desiccans, ex suo sulphure albo multum terreo & lutulento ortum habet. Præter has virtutes, prodest Architectis ad incrustandos parietes, & Sculptoribus, ad efformandas varias rerum imagines, quia calcinatum facilè diluitur, & dilutum iterum induratur, & quascumque suscipit rerum figuras & imagines, & facilè scinditur, ut hinc Sculptores ad quodcumq; volunt diducere queant. Apud Parisienses magnus & frequens est usus huiusce materiæ, ad domus ipsas construendas & ædificandas, ex eo & plumbo usto & calcinato, cum therebentina spiritu vini diluta fit bitumen quod pluviis perennibus resistit veluti esset marmor quoddam, adeo indurescit & exsiccatur ut marmoris & lapidis naturam acquirat.

Gypsi virtutes.

De Magnete quid sit, unde sit & quid possit.

CAP. XXVI.

DE Magnete multa, multi scripserunt volumina, & præclara de eo dixerunt, sed nullos eorum authorum vidi & reperi, qui essentiam & naturam magnetis investigarint, ex ea enim natura & essentia dependet id omne quod admirabile est in magnete, magnes ergo nihil aliud est quam humidum viscosum aquæ lutosum & terreum ferreo sulphure delibutum virtute sui salis congelatum & condensatum in hoc lapidis genus, quod magnes dicitur ob mirandas eius virtutes & proprietates, ferreo sulphure commixtum & delibutum, esse suum humidum viscosum quo componitur ex eo patet, quòd magnes facili negotio cõvertatur in ferrum & ferrum in magnetem; ita ut ferrum & magnes non differant nisi ratione puritatis suæ substantiæ, ferrum enim purius est & plus habet mercurii seu humidi viscosi aquæ purioris, quàm magnes, qui multo est ferro lutulentior, & plus habet terræ lutulentæ quam ferrum hinc originem habet sympathia illa mira, quæ est inter magneté & ferrum: hinc magnes trahit ferrum, & ferrũ magnetem, quòd habeât invicem eandẽ & similem substantiam primordialé & seminalé, ex qua fiunt & componũtur

Marmor artificiale.

Magnes cõvertitur in ferrum.

Sympathia ferri & magnetis unde sit.

tur in visceribus terræ, quæ substantia similis, & eadem similes & eosdem de se mittit & ejicit spiritus subtiles & tenues, qui ab attrahente substantia, in se ipsam convertuntur, tanquam in alimentum sui ipsius, hinc fit ut attractis hisce spiritibus, attrahatur & ipsa substantia, ex qua oriuntur hi spiritus, ut fonte potiatur ipsorum spirituum. A fortiori fit attractio, si ferrum sit fortius, & maioribus turgeat spiritibus, ac sicciori & ardentiori sit materia, ferrum tunc temporis attrahit magnetem: Si è contra verò magnes sit fortior ferro, & maioribus scateat & turgeat spiritibus & siccior sit, magnes tunc temporis attrahit ferrum, unde magnes armatus ferro, & munitus potentior est multo cæteris magnetibus, quòd potentiores habeat spiritus. Nam suos habet peculiares & innatos, & habet spiritus ferri, quod circundat & armat magnetem, unde potentiori facultate attrahit ferrum armatus ferro magnes, quàm non armatus, ferrũ, siquidem illi auget facultatem attrahendi, quòd illi multiplicet spiritus, à quibus fit attractio, multiplicat autem ferrum magnetis spiritus, quod ferri spiritus jungantur magneti, in conjunctione magnetis & ferri, habent enim invicem uti diximus eandem naturam & essentiam, & cum junguntur fiunt unum potentius & efficacius ad attrahendum, virtus siquidem multiplicatur addita simili virtute. Vnde autem

Magnes armatus ferro unde potentior.

datur quòd magnes detur, qui ex una parte attrahit ferrum. Et ex opposita parte respuat & rejiciat, hoc naturę mirum dependet ex partibus cœli, in quibus respondet magnes, sciendum enim magnetem polarem esse lapidem, hoc est à polis utrisque recipere suam attrahendi & rejiciendi facultatem. Polus enim Arcticus attrahit humidum illud innatum aquæ, ex quo fiunt omnia. Et Polus Antarcticus rejicit illud, & foras à centro mittit ut terram circumdet, uti probavimus. cap. viij. huius libri. Itaque cum Polus Arcticus attrahat humidum illud viscosum, ex quo componitur magnes & ferrum, Polus Arcticus dedit magneti peculiarem illam vim attrahendi, quod illi simile in propinquo est, unde pars magnetis quæ Septentrioni respondet tanquam Polo Arctico, illa pars attrahit ferrum Pars vero quæ respondet polo antarctico, cùm à polo illo receperit virtutem suam, habet virtutem rejiciendi, cùm & polus antarcticus illam rejiciendi habeat, facultatem.

Magnes unde ferrũ attrahat idemque respuat.

In medio terræ in Zona torrida, ubi polorum utrorumque virtutes simul junguntur reperitur, ni fallor productio illius magnetis, ex parte una ferrum attrahentis, ex opposita verò rejicientis.

Vbinam reperiatur magnes ille ferrum ex una pretrahens ex alia verò respuens.

Datur & tertia species magnetis albi, ut ajunt qui carnem humanam attrahit, ego illam speciem non adhuc vidi, nihilominus si sit, hoc ex similitudine substantiæ ortum habet,

Magnetis species trahens carnẽ humanam.

bet, & pares de ipso magnete ac de aliis tradi possunt rationes. Plura de isto magnete fabulantur multi ad amorem conciliandum, sed vana sunt ista: philtrum fortius amoris est aurum, & pulchritudo. & insignes animi dotes, hæc sunt quæ magnetis albi superant virtutem omnem.

De Vitro quid sit, unde fiat & quid prosit.

CAP. XXVII.

Vitrū quid sit & ut fiat.

VItrum est lapis artificialis & ab arte ortum habet, & ut lapides omnes naturales fiunt ab humido pingui & viscoso aquæ per coctionem naturalem, sic & vitrum ab eodem humido pingui & viscoso, qui in centro lapidum est, & rerum omnium calcinatarum arte operante ortum habet. Sal enim istud Alkali, quod ex Kalid herba per calcinationem & combustionem educitur, calcinat lapides contritos albos, & sabulum purius & nitidius, & igne violento liquat & educit in humidum illud aquæ pingue & viscosum, quod igne fusum & liquatum vitrum constituit, nihil enim aliud est vitrum quàm humidum illud viscosum aquæ, quod in sabulo & lapidibus reperitur congelatum naturali coctione, igne fusum & liquatum, & virtute salis alchali depuratum, & ab omni turbulenta elementorum fæce igne violento operante, vindicatum. Ita ut non differant lapides clari & limpidi ab ipso vitro ratione substantiæ nisi ratione qualitatum: Nam dum natura coquit, depurat & fixat istud humidum pingue & viscosum aquæ, infundit ipsi humido insignes virtutes secundum varios astrorum radios & influxus, qui tunc temporis de cœlo descendunt & materiæ coctionem naturalem & fixationem patienti facili via radicantur & implantantur. Vitro autem hæ virtutes & influxus cœlestes implantari non possunt, cùm ab igne violento coquatur & depuretur, qui virtutes omnes & influxus cœlestes cùm sint volatiles, & non permanentes fugat, & à materia ignita procul eliminat, in coctione autem naturali, id non fit, cùm fiat levi ac dulci calore, ita ut irretiantur influxus cœlestes in lapidum coagulatione & fixatione naturali, non autem in vitro, quòd igne violento fiat, imò si quę sint virtutes ipsis sabulis & lapidibus ex quibus liquatur vitrum, evanescunt omnes & evaporant si non sint omnino fixæ & radicatæ cum materia illa fusibili. Itaque vitrum nullas ex se ipso effundere potest virtutes, cùm virtus sit quid emanens & effluens ex substantia radicali & fixa, quæ volatiles ex se ipsa emittit spiritus, qui sunt virtutes ipsius substantiæ, at si substantia passa sit ignem violentum, & in eo remanserit fusa & liquata, tunc temporis omnes exeunt spiritus, qui ex substantia tali effluere possunt, & remanet substan-

Vitrum an habeat virtutes.

Virtutes in vitro cur nulla sint.

stantia privata hisce spiritibus qui sunt ejus virtutes. Unde dicuntur metalla dum igne liquantur emori & privari virtutibus suis, quòd ab spiritibus suis tunc temporis denudentur, sic in vitro evenit cui nullæ sunt virtutes propter ignem fusionis quem in compositione sua patitur, qui evaporare facit omnes virtutes quæ in coagulatio humido viscoso aquæ, à natura implantatæ sunt. Quamvis tamen nullas habeat vitrum virtutes & proprietates, usui tamen est perquam necessario hominibus omnibus, ob præclara illa opera quæ ex vitro conficiuntur, quæ cum omnibus nota sint, non est opus ea recensere, malleabile tamen fieri potest, adaucto suo humido radicali, vel potius addito humido unctuoso metallico, summoperè depurato.

Vitrũ malleabile fieri potest.

CONCLUSIO. SECTIONIS SEXTÆ.

De Lapidibus.

CAPUT ULTIMUM.

QUi Lapidum naturam & essentiam in particulari vellet persequi magnum & prægrande excresceret volumen, cùm singulares & particulares lapides sint ferè infiniti. Ex his quæ dicta sunt, reliquorum omnium lapidum qui supersunt, natura & essentia potest intelligi. Ita ut non sit opus Chymiæ artis alumnis, alios plures lapides particulares illis describere ut eorum centrum & interior natura nota illis fiat: satis enim habent manifestum & clarum humidum istud pingue & viscosum aquæ, quod est lapidum omnium vera materia, quæ Chymicis est necessaria, tùm ad naturam particularem lapidum indagandam, tùm ad naturam universalem investigandam, qua sola opus habent, ut arcana perficiant præsertim in metallis trãsmutandis, quibus inhiant ferè omnes, reliqua quasi vana existimantes, nisi istud, in natura reperiatur verum & certum. Quòdsi ipsi æquè veri essent istius naturæ investigatores, ut ipsum arcanum transmutationis verissimum est nullo pacto dubitarent, & crederent historiis, quæ passim adferuntur in gratiam veritatis artis transmutatoriæ. At firmissimè credo, ut crederent omnes hanc artem veram esse, omnes debere possidere & secum habere arcanum artis, quod tamen non est necessarium, neque justum: ut neque divites & præpotentes omnes esse debere, confusio enim summa esset, hæc æqualis hominum omnium congregatio, nemo enim alteri servire vellet, propter æqualem fortunæ gradum. Itaque si quammulti sint

Quid est necessarium Chymicis.

Metallorũ transmutatio vera est.

Non est justũ nec necessarium omnes credere alchimiã esse veram.

sint qui arcana hæc non credant, summe necessarium est, & adeo ordinatum, ut his erroribus eorum mentis imbuantur, ne tanto operi operam navent, & intactum relinquant, ut Sapientioribus, quibus servire nati sunt, obsequantur. Illud enim opus, Diis geniti possunt perficere, & non insulti & fatui, quibus aurum Deus est, & summum bonum, nihilque aliud exoptant præter divitias & has propter voluptatem, cui serviunt: hos omnes quo possumus ingenii nostri acumine, procul ab arcanis Chymicis eliminamus, ne tanti naturæ secretis fiant participes: odi enim profanum vulgus & arceo: nihil enim habet Chymia vulgare ut sequenti sectione septima de metallis fiet satis manifestum & apertum, ubi occultam naturam metallorum & eorum virtutes & energias Deo dante pervestigabimus.

Fatui omnes ab alchymia arceantur.

De Metallis & Mineralibus.

SECT. VII.

Metalla quid sint, unde fiant & quâ virtute & energiâ valeant.

CAP. I.

Metalla quid sint & unde fiant.

METalla corpora sunt dura, firma & solida, sub malleo extensibilia & igne liquabilia ab humido unctuoso aquæ & pingui producta in visceribus ipsius terræ calore naturali operante, & fixante, & aliquando in mediis aquis producta reperiuntur. Aqua enim sola continet eorum semen & materiam primam ex qua fiunt & componuntur metalla, & si in terra producta inveniuntur, hoc est quod aqua terræ permixta deponat semen istud metallicum in ipsis terræ cavernis, ubi fixatur & coagulatur in metallum calore sui ipsius & externo qui suscitat internum. Metalla pretiosa sunt & ipsis lapidibus pretiosis præstant nobilitate, & virtute, & usu. Plus enim conferunt hominibus, quam lapides & majori sunt utilitati. Unde & natura cum cariora & pretiosiora sint illi, ipsa occultat in intimis sui ipsius scriniis. Lapides autem sæpe sæpius in superficie producit, & palàm objicit tanquam quid futile & innane, metalla verò semper occultat, & caligine summa obruit tanquam quid carum & pretiosum. Multum etiam temporis impendit in productione metallorum natura, quod indicat nobilitatem eorum. Natura, quæ potentissima est in animabus producendis, & vegetabilibus progignendis, quæ omnia brevissimo temporis spatio in lucem edit, metalla autem præsertim pretiosiora & nobiliora, non nisi sæculis multis consumptis, tantû enim est naturæ metallicum opus. Quòd si tantum temporis impendat, nó ergo vilia esse & futi-

Metalla lapidibus pretiosis pretiosiora.

futilia, est arguendum: Natura enim non solet futilibus rebus multum temporis impēdere: Insignibus prædita sunt virtutibus, & usui tanto sunt mortalibus, ut his carere nequeant, absque maximo vitæ detrimento ædificare non possunt nec terram colere, & perinde segetes percipere nequeunt nisi metallis adjuvantibus, hinc etiam vita frui non posse arguendum, cùm ergo tanto sint pretio metalla, inquirendum penitus nobis est, qua ratione fiant & producantur ab humido illo unctuoso aquæ & pingui, nam ab illo etiam omnia producuntur & est materia prima rerum omnium. Sed natura ex illa sola res omnes producit, modus tamen quo utitur est diversus & sic variato modo, variantur & res, quod capite sequenti clarum fiet.

Metalla summe necessaria utilitati hominum.

Metalla qua ratione & via, ab humido unctuoso aqua producantur.

CAP. II.

Metalla qua via fiant ab humido unctuoso aqua.

SVmmopere laborat natura in producendis metallis, imprimis unctuosum istud humidum aquæ componit ex omnibus elementis & purissima luce, quàm elementis immiscet sequenti methodo quam in legibus suis rigide observat: Omnia & singula elementa ex ordine & lege Supremi Creatoris purissimum sui ipsius in alterum elementum sibi infernis projicit. Semina enim rerum quæ superioribus elementis insunt non ascendunt sed descendunt: Cœli ergo ut supremi, suum purum influunt in elementa. Elementa autem in terræ centrum, quod purum est illis, projiciunt, ibique miscentur omnia illa pura, & ex inde fit vapor, qui in liquorem permutatur, hic liquor ascendendo & descendendo, per poros terræ & per alia elementa usque ad cœlum circulatur continuo, donec tandem ascensu & descēsu multoties iterato, unctuositatem acquirat & viscositatem, tunc temporis dicitur humidum unctuosum & viscosum aquæ, quod tandem coctione continua & perenni, in terram convertitur salsuginosam, quæ continua irroratione liquoris eiusdem solvitur & depuratur multis modis, tùm sublimatione, tùm per poros terræ transeundo, quasi filtrando, & ita depuratur summopere ob omnibus terreis & lutosis recrementis ita ut perveniat ad sulphuris quoddam genus albissimum, & incombustibile, quod quidem sulphur ita purum & lotum, in concavis terræ antris lapideis concluditur, ibique reclusum calore terræ & sui ipsius coquitur ad huc, & tandem coctione longa figitur in argentum. Quod si idem sulphur album & incōbustibile, adhuc fortius coquitur donec rubedinē acquirat, & apprime claudatur in lapideis antris puris coctione lōgissima tandem

Sal metalliū qua ratione fiat.

Sulphur metallinum qua ratione fiat.

dem transit in aurum purum. Quod si humidum unctuosum & viscosum aquæ antequam figatur coctionibus suis in sulphur album, vel rubeum contaminetur lutosis & terreis excrementis & ita impurum recludatur & coquatur figitur coctione sua, in imperfectum metallum secundum gradum impuritatis suę, & sic fit plumbum, stannum, ferrum & cuprum ut in capitulis particularibus de generatione horum metallorum videre licet.

Humidum unctuosum metallicum ut fiat.

Sic natura componit humidum unctuosum viscosum aquæ, ex omnibus partibus universi, hocq; humidum sublimando depurat & perficit, & tandem recludit & coquit & coquendo fixat & perficit in metalla varia secundum variam puritatem istius humidi unctuosi & viscosi, & non datur alia metallorum productio naturalis, quicquid garriant multi rerum metallicarum penitus ignari.

In Metallis sulphur quid sit & quale.

Caput III.

Sulphur in metallis quid sit.

Vidimus pręcedenti capite compositionem metallorum, ex humido unctuoso & viscoso aquæ. Sed quia Philosophi omnes Chymici, asserunt metalla cuncta generari ex sulphure & mercurio, quærendum jam est in humido illo unctuoso & viscoso aquæ, quid sit sulphur, & cur Chymici antiqui ac recentiores hujus humidi unctuosi nullam faciunt mentionem, sed tantùm sulphuris & mercurii: Diximus superiori capite, quâ viâ cœlum & elementa conferant ad compositionem istius humidi radicalis metallorum, & qua via misceatur cœlum elementis. Pars ergo cœlestis quæ sursum descendit ut misceatur elementis ad compositionem istius humidi unctuosi dicitur à Chymicis sulphur propter igneam qualitatem & calidam virtutem quam in se recondit: radius enim cœlestis & influxus astrorum calidum innatum cujuscumque rei inferioris constituit: Calidum autem istud innatum verum est rerum omnium sulphur innatum, uti narravimus multis in locis operum nostrorum: Calidum ergo istud in metallis, seu sulphur innatum, quod pars cœlestis est, & lucis creatæ portiuncula elementis immixta. Duplex est, incombustibile unum, alterum verò combustibile, incombustibile in metallis perfectis & puris, puta in auro & argento reperitur & est pura illa lucis creatæ portiuncula purissimis elementorum seminibus permixta. Combustibile verò in metallis imperfectis, & impuris, puta in plumbo, stanno, cupro, ferro & argento vivo reperitur, & est eadem lucis creatæ portiuncula minima in quantitate, elementorum impuris & putrescentibus seminibus & recrementis immixta, impuritas enim elemento-

Calidum innatum est sulphur rerum.

Sulphur incombustibile quid sit.

rum & corruptio combustibilitatem inducit, sulphur quidem ex se ipso, semper est incombustibile sed propter admixtionem rei corruptibilis, & combustibilis combustionem patitur & corruptionem, non quòd comburatur & corrumpatur ipsum sulphur, sed partes quibus immiscetur, hinc subolfacere possunt Sapientes, ex quibus metallis sulphur incombustibile educi debet ad perfectionem inducendam rebus, in metallis quidem imperfectis est, sed tãtæ corruptioni & impuritati elemẽtorum permixtum ut summum improbumque laborem expostulet, ad ipsum educendum. In Metallis perfectis tutior & securior & brevior multo est via, cùm hæc tantùm debeant resolvi & in principia sua deduci. Alia verò debẽt ut hæc in principia sua deduci, & deducta summoperè depurari ut vindicentur ab impura corrupta & combustibili elementorum fece, & amurca, quod longum expostulat tempus, summumque laborem: hinc Gebri labores, & operationes ortum habuerũt.

Metalla imperfecta depurari debent antequam ad opus adhibeantur.

In Metallis Mercurius quid sit & qualis.

CAPUT IV.

Mercurius quid sit in metallis.

CHymici Philosophi Mercurium admittunt in compositione metallorum & non tantum humidum unctuosum & viscosum aquæ admittimus. Quid ergò est in humido unctuoso, & viscoso aquæ, quod mercurio Chymicorum respondeat. Diximus secundo capite hujusce sectionis elementorum omnium semina, seu partes eorum purissimas, descendere in terræ centrum, ibi invicem permisceri cum cœlestibus influxibus & radiis: Ex hac permixtione exoriri humidum nostrum unctuosum & viscosum, ex quo componuntur metalla semen ergo seu pars purissima aëris & aquæ, quæ compositionem nostri humidi unctuosi ingreditur, est illud ipsum quod Chymici mercurium dicunt, humidum enim radicale rerum & metallorum omnium, quo in igne liquantur, constituit & componit hæc pars purissima aëris & aquæ, unde Mercurium Philosophorum ubique reperiri certissimum est, cùm hanc partem aëris & aquæ ubique reperiri, sit summoperè necessarium ad constituendum humidum radicale rerum, quod hinc ortum habet.

Pars purissima aëris & aquæ in cõpositione humidi viscosi aqua, est mercurius ex quo metalla fiunt.

Mercurius hic in metallis duplex habetur ut & sulphur, clarus & purus ac nitidus unus, qui in metallis perfectis & puris reperitur: Impurus alter & corruptus fecibus multis scatens in metallis impuris, & imperfectis stabulans, qui eorum imperfectionem unà cùm sulphure corruptibili constituit. Qui tamen potest depurari, & ad perfectionem deduci, modo in principia sua deducatur & solvatur: Solutus enim lotionibus quamplurimis & calcinationibus, tandem ad summum perfectionis pervenire potest, adeo ut non

Mercurius duplex in compositione metallorum

non solùm perficiatur ipse, sed & reliqua impura perficiat projectione sua.

In Metallis sal quid sit, & quid operetur.

Caput V.

Sal in metallis quid sit.

SAl item in humido unctuoso, & viscoso aquæ reperiri necesse est, ut veri reperiantur Chymici, qui asserunt metalla ex tribus componi principiis. Sulphure puta, Mercurio & Sale, & quod siccum & aridum est in illo humido unctuoso metallico, humiditate aeris & aquæ resolubile, & calido congelabile, est illud ipsum quod Sal Chymici dicunt: Et salis veri naturam & essentiam imò & qualitates obtinet, non in metallis ipsis productis, sed in ipso humido unctuoso & viscoso, ex quo immediatè fiunt metalla. Hocq; sal quod in humido nostro metallico reperitur, duplex item est in ipso humido. Purum unum & ab omni fece elementari vindicatum, rubei vel albi coloris, ex quo metalla perfecta fiunt & componuntur, & in quibus solis reperitur & adhuc aliqua macula & infectione contaminatum ut patet ex resolutione metallorũ perfectorum, quæ non ita pura adinveniuntur ut in purissimum sal rubeum vel album convertantur, sed eget multis lotionibus & calcinationibus ut vindicetur à suis quibus scatet excrementis, unde dicunt Chymici, Ignis & Azot Latonem abluũt.

Sal duplex in metallis.

Per Latonem, salem illum metallicũ intelligunt & per Azot, aquam seu spiritum ab ipso sale extractum qui Mercurius dicitur, cujus ope & ministerio salem istum seu Latonem lavamus & pacificamus & ad perfectionem deducimus tantam, ut tandem fusionem acquirat facilem & virtutem tingentem penetrantem & permanentem.

Quod verò sal in imperfectis reperitur metallis, alterius est speciei & impurum valdè est, & omnis coloris propter impuritatem, unde eget purgatione summa antequam fiat album vel rubeum purum ut aliquid nobis conferat utilitatis. Potest autem depurari & perfici. Quod antiquitus Augiæ stabulo ab Hercule repurgato indicatum est, ut capite XVIII. Herculis nostri demonstravimus.

Sal in imperfectis metallis eget multa purgatione, ut tandem ad sulphur album vel rubeum conducatur.

Postquam autem depuratum est, ab omnibus suis recrementis vindicatum æquivalet huic quod ab ipsis perfectis metallis extractum est, & summam tincturam habet, penetrationem & permanentiam, ita ut Elixir verum habeatur, & de hoc sale intellexerunt Antiqui, cum de eo tanta & miranda dixerunt, sed ut ad hanc perfectionem deveniat sublimatione eget & ultima fixatione & congelatione.

An Metalla cum planetis habeant sympathiam.

CAPUT VI.

Metalla habent cum planetis sympathiam

DEmonstravimus capite secundo hujusce sectionis, qua via & qua ratione planetarum influxus, & astrorum omnium radii concurrant ad generationem metallorum, producendo humidum viscosum aquæ, quod est metallorum semen immediatum, ex quo producuntur.

Sol cum auro habet sympathiam

In eo ergò humido viscoso aquæ si influxus solis prædominentur cæteris planetarum influxibus modò sit purum& putum inde generatur aurum: aurum ergò inde generatum cum habeat influxus solis & radios in suo primordiali semine compactos, quis non dicet habere sympathiam cum sole, cùm substantiam solis habeat in se conclusam & radicatam.

Saturnus cũ plumbo habet sympathiam.

Si verò Saturni influxus & radii descendant in humidum istud metallicum crudum adhuc &impurum, & lutulentum & inde generetur plumbum, quis non asseret plũbum Saturni possidere virtutes & essentias, & sympathiam perinde cum Saturno habere debere, cum Saturni ipsius planetę habeat essentiam.

Luna cum argento habet sympathiam.

Si verò Lunæ descendant influxus, in ipsum metallorum seminale principium ibique radicentur & figentur, & inde exsurgat ut solet exsurgi argentum. Quis non arguet cum certitudine argẽtum inde productum sympathiam habere cum Luna: cùm Lunæ habeat influxus & radios(qui sunt essentia ipsius lunæ,)radicatim infixos & compactos cum primordiali argenti semine & principio.

Iupiter cum stanno habet sympathiam.

Si verò Jovis descendant spiritus & influxus, & radicentur cum seminali principio metallico, & inde exsurgat stannum, cur non stannum sympathiam habebit cùm Jove, cùm ejus possideat spiritus & influxus.

Mars cum ferro habet sympathiam

Si verò Martis descendant spiritus & uniantur cum eodem seminali metallico principio, & inde exsurgat & producatur ferrum, quis ferrum habere sympathiam cum ipso marte negabit.

Mercurius cum argento vivo habet sympathiam

Si verò Mercurii descendant virtutes & uniantur cum eodem metallico principio, & exinde producatur argentum vivum,quis non argentum vivum habere sympathiam cum Mercurio asseverabit has autem planetarum virtutes,&influxus descendere in ipsum humidum metallicum & informare ipsum secundùm variam ejus alterationem & dispositionem satis admodum probavimus multis in locis, cum elementa inferiora per se ipsa sola absque cœlorum influxu nequeãt productiones rerum efficere. Superest ergò cùm planetarum influxus, in inferiora descendant, & uniantur cum humido radicali metallico, & ipsum informent & actuent secundùm

dùm variam ejus dispositionem & alterationem, ut alacri fronte concludamus metalla omnia & singula habere cũ planetis cœlestibus sympathiam & conformitatem summã, quà planetarum sequuntur virtutes & proprietates.

An Metalla naturaliter invicem transmutentur in visceribus terræ.

CAPUT VII.

Metalla naturaliter inter se transmutantur.

NUllo pacto dubitandum, quin natura semper ad perfectionem & puritatis culmen anhelet, & eatenus quin metalla imperfecta & impura ad perfectionem & puritatem conducat, separata imperfectione & impuritate. Id autem illi facillimum est. Cùm humidum viscosum aquæ, metallorum unicum principium, si in principio suæ compositionis impurum sit & lutulentum, potest natura facili via depurare ipsum solvendo filtrando per poros terræ, & sublimando in aëra, ibi enim summoperè depuratur, cùm purum semper ascendat, impurum verò relinquatur. Sic principii lutulenti & imperfecti fit transmutatio in principium purum & perfectum, ex quo nasci non potest nisi perfectum metallum & purum: Cùm tamen antea ex principio impuro natum fuisset impurum metallum. Ergò ea ratione, ni radice primordiali naturaliter transmutantur metalla impura, in perfecta & pura metalla, sed cum principium metallicum, non adhuc sit metallum completum & absolutum, hæc transmutatio satisfacere non videtur quæstioni præpositæ. Videamus an metalla ipsa perfecta & absoluta, veluti plumbum in stannum transmutetur, ferrum in cuprum, argentum vivum in plumbum vel in stannum, vel hęc imperfecta & impura metalla, in aurum & argentum: hoc viso & probato, quæstionis nostræ est nodus & cardo, plumbi transmutatio in stannum multis in locis naturalibus reperitur & plumbi fodina si relinquatur facili via & brevi tempore ex se ipsa in stanni fodinam mutatur, qua autem ratione id fiat, id non occultum est, sed valde manifestum & clarum, dum enim humidum viscosum aquæ coagulatum est, & induratum in plumbum, mollis hæc plumbi substantia ab spiritibus hujusce humidi viscosi (qui semper volitant per poros fodinę) facillimè penetratur, unde alterari necesse est, cum hi spiritus alterationis & mutationis suæ substantiæ sint principium: itaque si spiritus hi impregnentur spiritibus planetæ Jovis ita ut prævaleant cæteris planetarum spiritibus, facilì negotio vincunt spiritus Saturni, & alterant ipsam plumbi substantiam, & introductis qualitatibus stanni, tunc temporis plũbum mutatur in stannum, & fodina plumbi, fit fodina stanni.

Metallorum principia qua ratione depurentur.

Plumbum qua ratione fiat stannũ.

Quod si eadem via, ferri fodina alte-

aheretur ab spiritibus metallicis & Veneris planetæ introducantur spiritus & virtutes, tunc introducuntur Veneris virtutes in ferri fodinam & mutatur ferri fodina, in cuprum, introductis qualitatibus cupri, in ferri fodinam.

Ferrum qua ratione fiat cuprum.

Cuprum ut fiat aurum.

Quod si denique in eandem fodinam cupri incidant spiritus metallici qui semper in omnibus fodinis metallorum copiosi sunt, hique impregnentur spiritibus solis & prævaleant, adaucto calore nativo ipsius fodinæ, depuratur materia cupri, & impurum separatur & introducuntur auri qualitates & sic in fodina cupri reperitur aurum.

Argentum ut fiat aurũ.

Argenti autem fodina sæpe sæpius habet aurum admixtum quod in fodinam ipsius incidant spiritus solares & prævaleant lunæ spiritibus, & alterant ipsam argenti substantiam adaucto calore nativo, quo coquitur hæc substantia magis ac magis donec ad auri perfectionem deveniat, sic in fodina argenti reperitur aurum perfectum & absolutum, quod in visceribus ipsius argenti occultatur & latet.

Argentum vivum ut fiat plumbum & stannum.

Argentum autem vivum quod in ipsa aqua producitur ab eodem ipso humido viscoso aquæ, facili negotio mutatur in plumbum & stannum, si concludatur lapideis cavernis, ibique coquatur calore centrali terræ, & in ipsum introducantur spiritus Saturni vel Jovis, tunc temporis mutatur in plumbum vel in stannum, secundum planetarum horum virtutes & energias, qui suos spiritus in hanc materiam introducunt: hæc autem fieri in fodinis ipsorum metallorum certissimum est, cùm experientia constet, in singulis metallis imperfectis aliquid auri & argenti semper reperiri.

Vnde Concludere possumus metalla naturaliter invicem transmutari in ipsis visceribus terræ, alioquin simul conjuncta in eodem frustulo fodinæ non reperirentur, ut sæpe sæpius ipse vidi & multi alii mecum viderunt.

An Metallorum invicem transmutatio arte fieri posßit.

CAPUT VIII.

Ars imitando naturam potest transmutare metalla

ARs imitando & sequendo naturam, facili via potest agere id ipsum quod natura facit, vidimus superiori in capite qua ratione & via, natura transmutet metalla, artem autem idem agere posse non dubitandum, quamvis multi sint qui artem asserant sequi non posse naturam, cùm non possit uti cœlo & astris ad libitum suum. At vana est hæc opinio, cœlum enim ubique est influxu suo, & sequitur materiæ dispositiones, ubicumque reperiuntur, æquè in visceribus, ac in vasis ipsis Chymicis, non enim differunt vasa artis, ab ipsis naturæ vasis, sunt enim lapidea omnia. Imò & ars potest assumere virtutes cœlestes ad libitum contra opinionem eorum, cùm virtutes hæ sint in metal-

lis coagulatæ & radicatæ, uti vidimus capite superiori. Ergo si assumas plumbum, vel stannum, assumis Saturni & Jovis virtutes quas infūdere potes in argentum vivum, & sic trāsmutare argentum vivum, & in plūbum & in stannum: quod experientia quotidiana certū fit, dum in plūbum vel stannum liquatum projicitur argentum vivum, hoc mutatur illicò in hæc metalla nam plūbi spiritus, & stanni transeunt in argentum vivum, eamq; substantiā figūt, & coagulant in eandem substantiā, cujus sunt spiritus, sunt autem plūbi vel stanni, quę Jovis virtutes habent & Saturni secum coagulatas. Vnde in hac transmutatione cœlo utūtur & astris ad libitum Chymici, cùm ad libitum sumant plumbum vel stannum, & quo tempore velint, fiunt & aliæ multæ transmutationes metallorum ad invicem, ut argenti vivi in cuprum. Cupri in argētum vivum, & ferri ipsius in cuprum, quę omnes notæ sunt lippis omnibus, & tonsoribus, in quibus omnibus cœlum operatur non solùm externe, sed etiam interne, assumptis ipsis metallis quæ virtutes cœlestes secum reclusas habent, & coërcent cum quibus fit hæc transmutatio.

Metalla qua ratione mutentur in aurum vel argentū arte operante.

At datur alia insignis & præstans metallorum transmutatio quæ verè arte fit, nec sine arte fieri possit, hæc est illa de qua est controversia, & quæstio, quam negant ferè omnes nec credere possunt, tantam esse vim & energiam arti, hæc fit ex principiis metallicis. Sumuntur principia metallica in radice sua depurantur summoperè, omnibus artis operationibus, & tandem summoperè depurata hæc principia, cum metallis perfectis, & puris conjunguntur & sic metalla perfecta, in principia sua reducuntur, cùm principia hæc sic præparata, summè sint agentia, metalla verò perfecta his principiis vincuntur, & transeunt in ipsa, quæ tūc temporis magis cocta & indurata, in substantiam fusibilem & parmanētem, & valdè penetrantem propter substantiæ tenuitatem, quam præparationibus acquirunt, facilè nutritur. Hæc tunc substantia metallica cum sit valdè tenuis, & penetrās, in igne permanens, & tingens tinctura aurea, cùm habeat aurum in se solutum, & summoperè attenuatum, nonne alia reliqua metalla impura & imperfecta, penetrabit? coquet, & perfectè tinget, & perinde in aurum convertet?

Dari autem hanc substantiā metallicam metallorum omnium principium, negari non potest, cum metalla sint in rerum serie quæ fieri habent, & produci ex aliqua substantia, metallica in radice sua, si ergo detur hæc substantia, eandem etiam depurari & attenuari posse fatendum. Si attenuari, & ad supremum puritatis & tenuitatis gradum conduci posset, fatendum etiam est hujusce substantiæ virtutes & proprietates communicari posse simul ibus substantiis impuris tamen & imper-

perfectis. Si communicentur metallis imperfectis, ergò & metalla imperfecta, & impura, fieri posse perfecta & pura, ab eadem ipsa substantia purissima & perfectissima credendum est. Si quis his rationibus non vincatur ut artem nostram credat cogitet se hominem non esse, sed potius brutum aliquod animal, cui rationes non sapiunt. Viderunt hâc transmutationem quàmmulti, supremæ & infimæ sortis homines. Et Egomet ipse sæpè vidi, de qua assero non esse ullo pacto dubitandum: Vnde concludam metallorum transmutationem, arte fieri posse, summo tamen cum labore. & artis summa cum industria, ne quis putet facilem esse, & cuique laboranti obnoxiam, & trivialem etsi facilem fecerim ego, scienti puta & experto magistro.

Artem metallorum viderunt multi etsi rara sit.

Metalla unde malleo extensibilia & igne liquabilia sint.

CAPUT IX.

Metalla unde malleo extensibilia & igne liquabilia sunt.

Metalla malleo extensibilia & igne liquabilia sunt ex copia Mercurii quâ turgent & abundant, humidum enim aëris & aquæ quæ mercurium constituunt facilis sunt extensionis in omnem corporis dimensionem, partes enim sulphuris & salis quas in se coercent viscositate & glutine suo semper unitas retinent, nec inter se separare & disjungere sinunt, unde fit extensio sub malleo, & igne liquatio, humidum enim istud levi calore condensatum & induratum forti igne liquatur, cum evaporari non possit, nec in auras extolli, sufficit ut in se ipso extendatur & liquetur. Et metalla quo majori & copiosiori abundant Mercurio seu humido isto aëris & aquæ, eo facilius liquantur & malleo extenduntur, unde ferrum quod minimum habeat istius humidi, ideo difficillimè funditur, & malleis non cedit nisi calefactum. Plumbum autem, stannum, argentum & aurum quod abundent & turgeant isto humido, ideo facillimè liquantur & in omnes corporis dimensiones facili via malleis extenduntur. Cuprum verò quòd minus auro & argento habeat istius humidi, ideò etiam minus extenditur sub malleo, difficiliori via liquatur ad ignem. Mineralia verò reliqua ut Marchasitæ omnes & lapides omnis generis, quòd minimum habeant istius humidi, & plurimum terræ fœtidæ & lutulentæ, ideò etiam minimè malleis extenduntur, sed in frustula desiliunt & franguntur, nec igne liquantur, unitas enim partium unitarum se ipsam tueri non potest cùm non habeant sufficientem humiditatem glutinosam quâ semper unita reperiatur, ut fit in metallis, in quibus omnibus humiditas illa glutinosa est copiosa, quâ partes unitæ, unione firma & tuta devinciuntur, his ita declaratis concludere possumus. Metalla omnia ideo malleo esse exten-

Ferrum cur malleo non extendatur nisi calefactum.

Marchasitæ & reliqua similia mineralia cur malleo non extendũtur.

tensibilia, & igne liquabilia, quòd humiditate aëris & aquæ glutinosa & viscosa turgeant & abundent, quę humiditas est eorum Mercurius, à quo antiqui Chymici malleabilitatis & fusionis metallorum fecerunt originem.

Metalla Philosophorum Chymicorum qualia fuêre & quid eorum aurum intelligatur.

CAPUT X.

Metalla philosophorum qualia.

CHymici Antiqui ut suam artem caligine obruerent, principio metallorum seu humido pingui metallico, multa nomina, eaque metallorum & mineralium quamplurimorum dederunt: Dum enim humidum illud pingue metallicum, coctione prima coagulatur in materiam nigram picis similem. Plumbum dixerunt: Accipite plumbum & dissolvite ipsum ac iterum coagulate donec mutetur ejus color, dixerunt multi Antiquorum. Per illud plumbum commune & vulgare intelligere voluerunt, sed principium illud metallicum pingue & viscosum in sua prima coctione, qua nigredine obruitur. Cùm verò idem principium incipit coctione sua dealbescere, dicunt ipsum stannum: Coquite, inquiunt, plumbum donec stannum fiat per liquefactionem. Dum verò idem principium incipit virescere vel cæruleo indui colore per eandem coctionem perennem & continuam, tunc dicunt ipsum æs vel ferrum. Ecce hoc plumbum quod rubeum nuncupamus, nostri operis est initium, sine quo nihil fit. De ipso namq; dicitur, de plūbo fac ferrum aut crocum de croco fac album, de albo tincturam inquit Aurora consurgens capite XVII. Idem ipsum principium mercurium & argentum vivum nuncuparunt. Accipite, inquiunt, argentum vivū & ipsum coagulate secundum consuetudinem: Cum verò est ad albedinem perfectam & absolutam coctione sua conductum, tunc temporis argentum & luna vocatur. Cum verò ad rubedinem perfectam & absolutam est redactum tunc aurum vocatur, ut videre est passim in turba, & aliis in locis Antiquorum Philosophorum, in quibus aurum suū est vera tinctura physica, perfecta & absoluta, unde dicitur aurum, vivū, quia istud aurum quod est eorum vera tinctura, imperfecta omnia metalla perficit, & perficiendo dicitur illis vitam tribuere. Dicitur etiam aurum vivum, quod vitam cōservet & morbos procul eliminet. Sic uni & eadem rei metallorum omnium nomina imposuerunt Philosophi Antiqui ut artem Chymicā obscurā & impetrabilem redderent. Concludamus nos ergò metalla Philosophorum Chymicorum non communia & vulgaria fuisse, sed humidum pingue & viscosum aquæ, quod est metallorum omnium principium, & semen eorum, ex quo progignuntur, cujus variæ alterationes & varii colores quos recipit in coctione sua,

Argentum Philosophorum quale & aurum. Aurum Philosophorū cur dicatur aurum vivum.

Metalla Philosophorum non sunt vulgaria metalla.

occasionem dederunt philosophis, ut hæc nomina illi darent quod in visceribus terræ, ex tali alteratione, tale metallum producatur, cujus nomen ij si Philosophi tali alterationi dederunt.

De Auro quid sit, unde fiat & quid valeat.

CAPUT XI.

Aurum quid sit & unde fiat.

AVro tantum mali tribuerunt nonnulli, ut quid sit aurum scire non esset opus, si auro hæc mala essent tribuenda, sunt enim potius hominibus improbis hæc attribuenda, qui auro utuntur ut malè operentur, quàm auro, quod ex sua natura bonum est, & non frustra hominibus datum ad multa naturæ miracula quæ sine auro dari non possent, elicienda, hinc ergò ut his naturæ miraculis frui valeamus scire oportet quid sit aurum.

Aurum est corpus metallicum purum & perfectum ab humido pingui aquæ puro & perfecto in puris terræ locis productum, & spiritibus solis seu virtutibus & influxibus delibutum, ratione suæ perfectionis, & puritatis nitet & claret, & luteo radianti colore est præditum, ob sulphuris rubei portiunculam quam habet suo humido admixtam. Est autem hæc portiuncula sulphuris, portiuncula lucis creatæ quæ humido claro & nitido colorem hunc luteum radiantem producit: Dum enim humidum hoc perfectum & purum factum, puris terræ locis conclusum coquitur & digeritur à calore centrali terræ, & calore sui ipsius, figitur tandem in terram albam fusibilem, quę sulphur metallicum nuncupatur, & ultra persequendo coctionem suam continuam, tandem introducitur huic terræ albæ fusibili, color rubeus & nitens à perennitate coctionis, exurgit hinc aurum metallicum purum aliquando in fodinis repertum, & sæpè sæpiùs reliquis metallis admixtum, ut cupro & argento. Sed ubicumque reperiatur semper eadem via, & ex eadem materia producitur, tùm in terra, tùm in ipsis aquis, in quibus multum auri reperitur in folia tenuia diductum.

Sulphur auri quid sit.

Aurum qua ratione fiat à materia.

Quamplurimas auro inesse virtutes existimarunt multi quòd verum esset si spiritus qui in eo fixi sunt & permanentes volatiles essent & communicabiles, sed adeò sunt cùm materia sua incarcerati, ut nullo pacto hinc exire queant ut quid valeant ostendere. Itaq; carceres eorum spirituum sunt rumpendi ac frangendi, ut liberi adpareant & aurâ fruantur, tunc solem habemus præ manibus lucentem & infinitis virtutibus eminentem, qui verus nobis est Phœbus & Apollo vitam nobis distribuens, conservans, prolongans & morbos omnes procul à nobis eliminans, hic est verus vitæ Thesaurus. Antiquorum Elixir & Balsamum, aurum vivum & vegetabile, cujus tinctura infinita ferè est, in tingendis cæteris metallis imperfectis, & supremum artis & natu-

Auro multa insunt vires.

Aurum cur Phœbus & Apollo dicantur.

naturæ opus, mortalibus consecratum.

Aurum cur non multiplicetur in visceribus terræ postquam factum est.

CAPUT XII.

Aurum in visceribus terræ cur se nō multiplicet.

ANimalia & vegetantia cuncta crescunt & multiplicant se invicem in semine suo. Sola metalla videntur interdici ab ipsa multiplicatione. Aurum metallorum omnium omnium perfectissimum postquam factum est, nullum ex se generat & producit semen in quo se multiplicet. Cur autem id fiat cum singulis naturæ productis multiplicatio & productio ex centro sui ipsius concedatur Philosophi summi inquisierunt. Et hæc inquisitio Chymiam fecit, cujus beneficio antra ipsa & cavernas terræ invisimus, ibique causas indagavimus cur aurum reliquaq; metalla semen non producant in quo se multiplicent, ibique vidimus metalla postquam facta sūt nunquam maturescere posse, defectu caloris sufficientis & materiæ nimis crassæ & viscosæ, copia. Vnde in metallis producendis natura semper coacta est producere principium metallorum, quod semē eorum impropriè diximus. Semen enim propriè loquendo est quod productum ab ipsis rebus productis, ex puriori rerum materia, productricem habens facultatem rerum sibi similiū. Id autem non reperitur in metallis nec in auro ipso, etsi metallorum perfectissimo & perfectè ut videtur cocto. Ratio in promptu est, qui aurū etsi videatur absolute perfectū, nō tamen est, cùm non habeat in se semen in quo se multiplicare possit, nō habet autem semen cum adhuc immaturum sit, & nō absolutè coctū, & ad ultimos suæ coctionis gradus cōductum, & eatenus imperfectū. Et hujus rei causa est quòd virtus germinativa in se cōclusa potentialiter, quæ in calido innato suo sedem habet, materiæ nimis crassæ & viscosæ immergatur, ita ut nō possit germinandi suā facultatem in lucem producere. Itaq; si cupiamus in metallis & præcipuè in auro germinandi facultatem attenuanda est & subtiliāda eorū crassa materia, ut in tenuitate materię elucescat ignis ille germinādi principiū, qui virtute sua & facultate aurū perfectè & absolutè coquet & maturū efficiet, & semen inde producet, in quo se multiplicabit.

Semen in auro qua ratione in actum reducendum.

Virtutē autē multiplicandi in tenuitate consistere videmus, in ipsis animalibus quæ virtute ipsa vigent, eorū enim semina aquea & ætherea sūt summoperè tenuia ac subtilia, ita ut ignis vegetādi principiū nullo pacto impediatur, suos promere actus, & virtutes. In vegetantibus verò quòd crassiùs habeant semen ipsis animalibus, semen illud ut actuetur projiciendū est, in terrā unā & convenietē, ut ibi dissolvatur subtili aquę spiritu, & in ea dissolutione attenuetur & subtiliatur, ita ut in spiritū vertatur, in quo solo se multiplicā: res o-

omnes naturali via productæ. Sic & metalla attenuari debent ut se multiplicent, alioquin nisi attenuentur & subtilientur, semen non producunt nec se multiplicãt, sed sola manent. Unde cum in visceribus terræ producta sunt, non habent unde dissolvantur cum ita dura & firma sint, ut non inveniatur humor adeo subtilis & fortis ut eorum compaginem dissolvere queat, & sic ut facta sũt, in visceribus ipsis remanent, ut fusius diximus & probavimus in compendio secretorum Chymicorum capite II. de productione auri, ubi si plura ea de re cupias, te convertere oportet, ac ipsum librum consulere.

Aurum & metalla ut se multiplicent quid agendum.

His ita positis concludimus, aurum reliquaque metalla, in visceribus terræ producta multiplicari non posse, ratione materiæ crassæ quâ turgent & defectu ejusdem humoris quo producta sunt ut in eo dissolvi possint, & ea dissolutione attenuari & subtiliari, ut semen producant quo se multiplicent.

An Aurum Chymicum sit Auro naturali perfectius.

CAPUT XIII.

Aurum Chymicum auro naturali perfectius.

AUrum Chymicum duplex est, unum perfectissimum & omnibus numeris absolutum, vivum, & semine plenum ac spiritibus perficientibus turgidum, & est verum Philosophorum Elixir & tinctura eorum. Alterum verò simplex aurum ex corporibus imperfectis metallicis superioris auri beneficio & projectione productum, de isto potest fieri, & agitari nostra quæstio. De superiori verò auro minimè, cũ nemo sit qui negare possit aurum hoc, quod & lapis Philosophorum est, auro comuni & naturali sit perfectius, cùm istud tãtam habeat perfectionem, ut multiplicandi virtutem habeat & alia imperfecta metalla perficiendi obtineat facultatẽ, quæ auro naturali denegatur, unde aurum naturale dicitur mortuum, quòd nullas habeat virtutes, nullas communicet, nullasq; ostendat. Aurum verò Chymicum nostrum vivum sit & infinitas habeat virtutes & communicet, & ostendat. Itaq; de isto auro nullo pacto dubitandum quin auro communi & naturali sit perfectius. De alio verò ab imperfectis metallis ope istius projectione producto, neq; etiam dubitandum est. Cùm aurũ istud ea ratione productum, ad ultimum suæ perfectionis gradum, & tincturam conducetur nullis relictis excrementis, nec metallicis scoriis, impuris & heterogeneis, quæ perfectionem auri retardant & gradus varios perfectionis, seu caracta constituunt, unde aurum unum naturale auro altero naturali perfectius reperitur, quòd unum sit altero purius & magis coctum. Aurum verò nostrum projectione lapidis physici productum, ab imperfectis metallis, ita perficitur ab igne lapidis, ita coquitur, ita depuratur, ut ultimum perfectionis, coctionis & depurationis gradũ obtine-

Aurum Chymicè factum cur auro naturali perfectius sit.

tineat, & perinde sit auro naturali perfectius necesse est. Depurari autem, coqui & perfici perfectius auro ipso naturali hoc indicium est, quod aurum istud, artefactum, cæmento regali purgatum nullo pacto diminuatur, rutilantius fulgeat in igne fusum & colore saturato & maturo extra ignem vigeat, adeò ut mixtionem majorem metalli impuri patiatur, ac toleret, ad moneta Principum cudenda quàm aurum naturale, quòd cum non habeat tantum colorem & perfectionem, non potest tolerare tantùm mixtionis metalli impuri, quin alteretur & à caracto deficiat perfectionis suæ. Ignis Lapidis adeo penetrans est, & fortis, ut nullas imperfectiones in metallis imperfectis relinquat, aloquin non verè perficeret. Ignis autem naturę, quo aurum naturale perficitur, debilis admodum est, & debilitatem testatur: quòd ad aurum suum perficiendum sæcula multa consumat, ignis autem lapidis, robur & fortitudinem testatur suam quod in hora quadrante perficiat, quod natura perficere non potest, absque sæculorum perfecta consumptione.

Ignis lapidis quam fortis sit ad depurandametalla.

His ita positis & probatis nullo pacto dubitandum erit quin aurum Chymicum utroq; modo sumptum, sit auro naturali perfectius, majoresque inde habeat virtutes, & proprietates, auro ipso naturali, tùm in monetis Principum cudendis, tùm ad medicamenta inde præparanda, ut saluti humanæ consulatur.

An Aurum commune & vulgare potabile fieri possit.

CAPUT XIV.

AUrum commune & vulgare, adeò firmum & durum, & ab ipsa natura ita compactum, adinvenerunt quamplurimi, ut potabile fieri posse pernegarunt, cùm tamen aqueum sit ejus principium. In id ipsum ex quo fuit redigi posse nõ est ambigendum: Omnia siquidem in principia sua reduci possunt, omnia corrumpi possunt & per corruptionem ad principia usq; sua reduci. At aurum, inquiunt, est incorruptibile nullo igne quamvis fortissimo deperit, sed in eo purum putum quiescit: hoc ipsum verum fatemur, & nihilominus aurum corrumpi posse, & in principia sua resolvi posse, cũ viderimus aurum in aqua liquescere, veluti fuisset sal aliquod commune & vulgare & aquam tingere colori suo, & igne positam ipsam aquam nigrescere vidimus, unde aurũ alteratum & corruptum fuisse certissimum est, nigrescere enim non potest & in aquam solvi quin alteretur ejus substantia & omnino corrumpatur, cũ alia fiat & videatur, & verè inveniatur, nam evaporata aqua non aurũ rutilans in fundo reperitur, sed quid nigrum salis habens naturam in omni liquore resolubile. Id ipsum tũc temporis non est aurum, cùm aurũ id non patiatur. Ergò aurum est alterabile & corruptibile. In vitrum etiam sciunt convertere vitrum &

Aurum commune potabile fieri potest.

Aurum in vitrum reduci potest.

pulcherrimum Encaustum inde facere solent. Quod si extra naturam suam converti possit in Encaustum, & in pulverem ignibilem & deflagrantem, ut aurum tonans & fulminans inde fiat, quidni & in aquam verè potabilem, cujus naturam ante compositionem suam verè sapiebat, convertere ipsum poterimus, facilius enim est in naturam suam reducere aliquid, quàm id ipsum in naturam alienam traducere: hanc enim respuit, aliam verò appetit & ad ipsum naturali via tendit, habemus nos humidum aëris & aquæ ex quo fit aurum, ergo cum ipso facili via poterimus aurum dissolvere & in humidum convertere. Sed humidū istud aëre valde est & mordax, & propter mordacitatem & acredinem potari non potest, ergò perinde aurum inde resolutum, non erit potabile. Respondeo illam mordacitatē & acredinem principii aurifici, igne continuo & perenni edomari posse, & in dulcedinem converti. In principio siquidem cum acris & mordax sit, cum cruda sit, & incocta, per coctionem maturescit, & cruditatem illam pedetentim dimittit, & eâ amissâ dulcedinem acquirit, & tunc temporis fit aurum verum potabile mirandarum virtutum.

Aurum eô ovo dissolvatur.

Acritudo & mordacitas aqua dissolventis coctione dulcescit.

Vnde concludere possum, aurum commune & vulgare potabile verè fieri posse, cùm in principia sua aquea & humida resolvi possit, quæ deinde cocta igne perenni & continuo in salis dulcis naturam convertuntur, quod sal aurificum cùm resolvatur omni liquore, verum aurum potabile censetur & credi debet quicquid clamitent Chymiæ osores.

An Aurum & reliqua metalla communia & vulgaria aurum vivum fieri possint.

CAPUT XV.

Aurum commune & reliqua metalla, aurū vivum fieri possunt.

MOrtuum resurgere & vitam recipere posse, summum est naturæ arcanum. Aurum commune reliquaque metalla mortua esse verissimum cùm spiritibus volatilibus metallicis privata sint & denudata, cùm igne liquantur, qui hos spiritus evaporare facit, in quibus vita metallica, hoc est virtus & energia consistit, hos autem spiritus metallicos posse denuo reduci in materiam suam, non supra naturam est quamvis enim evaporentur in liquatione & fusione metallica, possunt ex fonte ipso metallico, ex quo originem habent facili via expiscari, & deduci, & cum ipso fonte ex quo metalla ipsa originem ducunt, possunt ipsa metalla etsi liquata & igne fusa, dissolvi, & in aquam primordialem reduci, & sic spiritibus metallicis iterum impregnari & perinde viva fieri, cùm spiritibus tunc tēporis turgeant & virtutibus quāplurimis insigniantur, hoc enim vivere est metallis & auro.

Vivere metallis quid sit.

Imperfecta metalla cum multis turgeant excrementis & cruditate multa cùm soluta sunt depurari

possunt

possunt ab omnibus excrementis suis igne desiccante & calcinante & aqua solvente. Ignis enim & aqua summoperè depurant & perfectionem inducunt, cum ergò ad hanc perfectionem conducta sunt, solutione illa & calcinatione, quis dubitare potest quin sola cruditas quæ in tali materia, sola remanet, possit percoqui & maturitatem consequi & inde vivos obtniere actus, multiplicare puta & perficere ad ultimum perfectionis gradum. Ergo aurum reliquaque metalla vulgaria aurum vivum facere posse verè credendum est, cùm in principia sua resolvi possint & ibi depurari ab excrementis omnibus quibus scatent, & spiritibus metallicis valatilibus impregnari, & tandem perduci in salem dulcem natura sua fusibilem, tingenté, penetrantem & permanentem, qui verum aurum vivum Philosophorum dici meretur, cùm obtineat virtutes istius auri, quæ verè vitales sunt, cum vitam omnibus in rebus conservent, multiplicent & augeāt, imò propagent in longius.

Aurum vivum quid sit & quale.

De Argento vulgari, quid sit, unde fiat & quid possit.

CAPUT XVI.

ARgentum commune & vulgare corpus metallicum est, fusibile & malleo extensibile albi & rutilantis coloris ab humido viscoso aquę summoperè puro & nitido productum calore centrali terræ & calore ipsiusmet humidi viscosi aquæ, qui semper agit in se ipsum & suum humidum coquit & indurat in argétū in ipsis terrę cavernis, & aliquando in mediis ipsis aquis inter arenas, ubi sæpe sæpiùs reperitur argentum perfectū & absolutū, ita ut argentū nihil aliud sit quàm ipsum humidū aquæ, viscosum & unctuosum sulphure albo puro & nitido deliburū in puris & nitidis terræ antris purè & nitidè congelatum & fixatum. Ita autem fixatur & congelatur coctione perenni, & sublimatione frequēti, inter coquendum, donec ad ultimum sueperfectionis gradum devaniat & argentum inde producatur. Quod cùm ita productum est, & ab ipsa natura elaboratum, adeò fixum & compactū corpus est ut quod in ipso virtuosum & efficax esse potest, adeò firmis obvalletur & duris claudatur vinculis ut virtus ejus hinc exire nequeat; spirituale enim quicquid est in ipso argenti puri corpusculo virtuosū & efficax, corporale omninò fit, & materiale, unde nullius est virtutis, cùm perfectè figatur, & spiritus exuat naturā: Sic argentū à natura productum nullas secū possidet virtutes, ob fixā & compactā ejus materiam, quæ nullos ex se ipsa finit exire spiritus, in quibus virtus cōsistit, quoniam omnes fixi sunt, & cōgelati in materiæ ipsius sinu. Itaque Argentū nullas habet ex se virtutes nisi illas quas usus hominum illi donabit, quæ maximæ sūt, argēto enim omnia cedūt, ut auro, argēti enim sacra fames quid nō mortalia pectora cogis?

Argentum commune quid sit & quomodo fiat.

Argentum commune cur nullius sit virtutis

Argentum quid possit,

cogis? Nihilominus tamen etsi nullas insignes possideat in se virtutes, ut est à natura factum, insignes tamen secum reclusas obtinet proprietates, quæ illi occultæ sunt, quæq; manifestæ fieri possunt, ut capite sequenti fiet clarum & manifestum.

An Argentum commune Argentum Philosophorum fieri possit, & virtutes habere mirandas.

CAPUT XVII.

Argentum commune argentum vivum philosophorum fieri potest.

ARgentum commune & Philosophorum habent unam & eandem materiam, differunt tamen quòd argentum commune mortuum sit, nullasque habeat manifestas & apertas virtutes. Argentum verò Philosophorum, vivum sit & infinitas habeat propemodum virtutes apertas & manifestas: mortuum autem est argentum commune, quod nullos habeat volatiles spiritus, qui è sua substantia exeant & virtutem suam deferant, non potest enim virtus deferri quin ab spiritibus volatilibus deferatur. Etsi autem in argēto Philosophorum spiritus metallici sint omninò fixi, non tamen adeò fixi sunt quin nonnulli exeant à substantia, ut deferant virtutem ejus & proprietatem. Dicuntur tamen fixi, quòd ignitionem patiantur & fusionem substantiæ suæ, absq; ulla manifesta diminutione, ut & in auro Philosophorum cernere licet, ubi etjam fixi sunt ea ratione qua sunt in argento eorundem: imò aurum & argentum Philosophorum totum spirituale est, hoc est subtile supra modum & tamen fixum, hoc est in igne permanens & non evaporans.

Virtus à quibus deferatur.

Argentum ergo commune & vulgare, cùm ita mortuum sit ut nullos habeat spiritus communicabiles ratione quorum & virtus ejus communicari possit, potest ne impregnari spiritibus metallicis, & inde apertas fieri suas quas occultas habet virtutes. Potest quidem cum & aurum vulgare mortuum, cum sit vivum, fieri possit, non major est difficultas in auro vulgari resuscitando quàm in argento, potest aurum resuscitari, potest & argentum, & eadem & simili via ac methodo. Dissolvendum est argētum cum humido viscoso suo, & in humidū viscosū reducendum, tunc temporis summoperè purificandum & percoquēdum donec ad ultimam perfectionis metā deveniat. Sic spiritibus metallicis puris & candidis impregnatur argentum vulgare & transit in argentum Philosophorum, quod est salis cujusdam argenti species argēti producendi facultatem habens, ex cæteris metallis imperfectis. & insignes alias multas virtutes obtinens in curandis deploratis cerebri morbis. Ita præparari potest argentum & nihil impedit quin ita possit præparari. Unde ex hac præparatione possibili concludere possumus argētū vulgare, argentū Philosophorū fieri posse & virtutes habere mirādas.

Argentum commune qua ratione & via resuscitandū à morte sua.

Argenti Physici vires.

Ar-

Argentum Philosophorum cur variis nominibus insigniatur.

CAP. XVIII.

Argentum Philosophorum quibus nominibus insigniatur.

ARgentum Philosophorum adeo occultarunt ipsimet Philosophi Antiqui, ut ne notum esset, infinitis ferè nominibus ipsum insignierunt, Nunc æs, nunc plumbum, stannum, ferrum, argentum vivum, Luna, calx, pars cæcanda inferius, terra, corpus draco, Mars sulphur, carbo, frater uterinus, calidum, suum, nigrum nigrius nigro, album dictum est & vocatum, & sexcentis aliis nominibus, in quibus imponendis quã justam habuerunt rationem, sciunt ipsi qui norunt artem. Nam æs dixerunt quòd æris sequatur naturam in gradu illius coctionis quo tũc temporis æs dicitur. Plumbum autem dicitur, quòd plumbi naturam sequatur, stannum, ferrum & argentum vivum, quòd eorum metallorum imitetur essentiam & reliquarum omnium rerum nominibus insignitur, quòd verè earum rerũ naturam sequatur, in quodam suæ coctionis gradu, hoc autem obcæcat levis armaturæ homines. Et existimant hoc ad risum excogitatum esse, cùm tamen sit ad sapientiam eorum manifestandam scientibus & filiis artis, & ad occultandam artem ignorantibus, & stultis quos hinc procul eliminant ut Moseus asserit in turba. Scitote, inquit, quod Philosophi modum plumbi faciendi multis modis narraverunt, causa decipiendi posteros, varia fingendo nomina & instrumenta. Et Theophilus in eadem turba, Scitote artis investigatores, quod ars nummi & auri arcanum, est tenebrosa vestis quam nemo novit, nisi qui libros Philosophiæ diligẽti & assidua lectione perlegerit: Nam quod occultatur maius est, quàm id quod perdisci potest. Sic clarum est, & manifestum qua ratione Philosophi Chymici, argentum Philosophorum, pluribus nominibus insignierunt, & artem ipsam argentum illud faciendi pluribus modis enarrarunt.

Argentum Philosophorum cur æs dictũ & aliis multis nominibus.

Quod occultatur in Chymia majus est quam quod perdisci potest.

An Argentum commune, & Philosophorum habeant cum luna Cœlesti sympathiam.

CAP. XIX.

An Argentũ commune & Philosophorum habeant cum luna sympathiam.

ARgentum commune & Philosophorum, ab omnibus, lunæ nomine decorantur & id non factũ esse nisi summa cum ratione arbitrandum est, nam argentum commune & Philosophorum produci nequeunt quin luna cœlestis vim suam & energiam per influxum suum, communicet & tribuat materiæ ex qua producitur argentum commune & Philosophorum. Radii siquidem Lunares & influxus radicãtur, & figuntur in ipsa materia. ita ut Luna fiat hæc materia, cùm radii

sui & influxus cum ea materiales fiant. De luna seu Argento communi, vidimus capite VI. superiori huius sectionis qua ratione habeat sympathiam cum Luna Cœlesti. Jam de Argento Philosophorum inquirendum est, Argentum Philosophorum fieri non potest, sine argento vulgi & communi, ergo quicquid habet argentum commune, cùm compositionem ingrediatur argenti Philosophorum, habet & argentum Philosophorum, præterea argentum Philosophorum habet humidum radicale metallicum, copiosum & turgēs in se ipso reclusum quod quidem humidum cùm ex humido viscoso aëris & aquæ componatur, lunares omnes habet influxus, & Luna perinde nuncupatur. Ergo duplici nomine Argentum Philosophorum dicetur luna, & cum ipsa habebit sympathiam quammaximam, & ratione argenti vulgaris, & ratione humidi radicalis metallici, quod secum copiosum habet, quodque vera Luna dicitur & nuncupatur. Denique humidum istud radicale metallicum, & humidum viscosum aëris & aquæ, & humidum radicale ipsius lunæ, quæ sunt ejusdem generis, & unum homogeneum constituunt humidum radicale metallicum, non possūt percoqui in unam radicalē & fixam substantiam, quin in ipsam descendant, & in ea radicentur & figantur lunares influxus, cum jam autem habeant radicatos & implantatos hosce lunares influxus, qui semper alios & novos attrahunt similitudine substantiæ ut virtus eorum multiplicetur & augeatur. Sic necessarium est ut Argentum Philosophorum sympathiam habeat quammaximā cum ipsa luna Cœlesti, unde quicquid potest & Luna cœlestis in corpus humanum, potest etiam idem & hæc Luna terrestris in idem corpus humanum. Unde concluditur Argentum commune & Philosophorū habere sympathiam cum Luna cœlesti, cùm habeant secum lunares influxus, & virtutes implantatas & radicatas in intimis suæ substantiæ, quarum virtutum ope, & Lunæ cœlestis imitantur virtutes.

Argentum Philosophorum & commune cur dicatur luna.

Quicquid luna potest id potest & argētum tū commune tū Philosophorum.

De Cupro quid sit, unde fiat & quid valeat.

CAP. XX.

CVprum est corpus metallicum, durum ac solidum igne fusibile & sub malleo extensibile, ab humido viscoso aëris, & aquæ lutulento & impuro, sulphure rubeo impuro delibuto productum, cui inter coquendum descendunt veneris influxus, & radicantur in ipsa materia, & illi virtutes veneris infundunt, & communicant, unde exsurgit metallum cuprum vulgo nuncupatū, cuius materia si fuisset in principio ortus sui magis pura & nitida, aurū dedisset purissimum. Est enim in ipso cupro sulphur rubeum potentissimū, sed infixum, & impurum valde,

Cuprū quid sit & unde fiat.

de, natura non potuit ipsum figere, nec depurare propter temporis angustias, quas habuit in ipso depurãdo & figendo, opus enim inceptum jam rapiunt avari & aurum inde fieri expectare nolunt, malunt cupro uti quàm posteris aurum futurum relinquere. Dixi sulphur habere infixum & impurum itemque humidam, unde igne forti & continuo, perit & dissolvitur, humidum enim suum viscosum aëris & aquæ ex quo cõponitur cùm sulphure rubeo claro quidem sed impuro & infixo, dum est lapideis cavernis cõclusum ibiq; coquitur calore centrali terræ, & astrorum & calore sui ipsius sulphuris interni, non potest se multoties sublimare & sic metallum inde impurum & imperfectũ producit. Cujus tamẽ plures & insignes sunt virtutes, propter volatiles & infixos spiritus metallicos secũ conclusos, mercurium enim habet infixum & volatile, & sulphur item aureum suum quo turget infixum est & volatile, quorum omnium virtutes insignes sunt in curandis morbis mulierum. Aqua enim sola in qua extinguitur cuprum sæpius ignitum miranda præstat in curandis febribus omnibus intermittentibus & obstructionibus omnibus reserandis. Vinum autem tenue & album præstantius est ipsa aqua, si in eo extinguatur septies cuprum ignitum. Ex eo parantur multa medicamenta ad omnes mulierum morbos devincẽdos, pręsertim vitriolum ex quo sal album & rubeum paratur stupendarum virtutum, in curandis ferè omnibus morbis. Oleum acidum ex inde paratur mirum in obstructionibus reserandis, & ulceribus malignis curandis. Possunt & inde tincturæ parari ad metalla transmutanda, quod capite sequenti declarabitur: sufficit hìc declarasse quid sit cuprum, & & ex qua materia ortum habeat, & quibus polleat virtutibus.

Cuprũ cur igne forti pereat.

Cupri virtutes in curandis febribus.

Vitriolum ex cupro paratum.

An ex cupro communi & vulgari possint fieri tinctura vera ad metalla perfecte tingenda.

CAP. XXI.

IMperfectum perficere non potest, nec impurum depurare, hinc veritatem huiusce quęstionis desumere possumus, cuprum vidimus, imperfectum & impurũ in ipsa sua origine, non ergo potest ex eo tinctura elici perfecta ad impura metalla perficiẽda quin prius depuretur & perficiatur. Tunc autem temporis, non erit impurum & imperfectum, cùm omnem impuritatem & imperfectionem deposuerit sua purificatione. An autem Cuprum vulgare & commune possit depurari jam nobis est inquirendum.

An ex cupro tinctura vera parari possit.

In Cupro est substantia duplex, corruptibilis una, incorruptibilis altera, quæ corruptibilis est, non est ex principiis sui ipsius, sed est quid excremẽtitium & heterogeneũ primordiali substantiæ metallicæ, ergo illud tanquam quid heterogeneũ &

accidens potest separari ab illa primordiali substantia, quam natura ipsa fecisset aurum, si plus temporis concessissent illi, qui opus inceptũ naturæ surripuerunt & perinde non ansam naturæ dederunt hæc excrementa separandi. Quod autem natura non fecit, ars sequendo naturam idem ipsum potest. Solvendo cuprum & quod coagulatum est, & corpus factum, in primordiale corporis istius principium reducendo, quod quidem principium cùm humidum sit & aqueum facili via & methodo potest depurari, tum distillatione, tum sublimatione, tum filtro, & calcinatione illius partis quæ distillari nequit sed fixa manet in fundo vasis: Nullo pacto est dubitandum quin tunc temporis cupri substantia primordialis & vere metallica, ab omnibus vindicetur impuris excrementis, & corruptibilibus, & quin remaneat pura & candida, ac perfecta. Si sit ergo pura & perfecta, & purificare poterit & perficere, cùm perfectum perficere queat, & mundum mundare valeat, sunt multi Chymicorum qui ita de Venere & cupro loquuntur. Venus circundatur sulphure spirituali rubeó, quòd ipsius Solis splendorem superat, unde color altior in Venere quàm in Sole reperitur. Istud autem sulphur cùm sit volatile, spiritus est igneus & æthereus, omnia penetrans ac dissolvens, quod ignari credere nequeunt. Cum autem istud sulphur propter volatilitatem

Cuprũ qua ratione depurari potest ut ex eo fiat tinctura.

suam, corpori suo corruptibili adhærere & unà persistere nequeat, ideo dum corpus suum destruitur, eius habetur spiritus in vasis nostris defluens, quibus in aquam mutatus corpus solis seu auri penetrat & dissolvit, ac in eo figitur & radicaliter permanet ita ut hinc exire nequeat, sed corpus auri sua tenuitate, attenuat, & tincturam suam communicabilem efficit, unde cum spiritus veneris seu cupri, incorruptibilis sit, cum sit cœlestis originis, si jungatur corpori incorruptibili, ut est corpus auri, ambo juncta constituunt medicinam mirandam, & stupendam ob insignes ejus virtutes. His ita positis & declaratis nullo pacto dubitandum, quin ex cupro communi & vulgari perfectum quid elici possit quod perficere poterit reliqua imperfecta metalla.

Unde Concludemus. Ex cupro communi & vulgari tincturam veram fieri posse, ad metalla imperfecta perfecte tingenda, cùm cuprum depurari possit & sulphur quod est in eo rubeum & tingens figi & perfici possit, ut tingatur & perficiat.

Cur Cuprum vulgare dicatur Venus.

CAP. XXII.

Multiplices sunt rationes cur Cuprum vulgare, Venus dicatur. Primò quòd Venus planeta præsideat ac dominetur productioni cu-

Cuprũ vulgare cur venus dicatur.

ni cupri vulgaris. Secundò quòd virtutes habeat & proprietates easdem, ac Venus planeta. Tertiò quòd rutilet in terris colore viridanti, ac Venus planeta fulget in cœlis, unde vera Venus dicitur in terris propter venustatem & decorem quem habet ac auri sequatur colorem: Perinde etiam Poëtæ Antiqui finxerunt Venerem voluptatis Deam enatam fuisse ex spuma maris & sanguine cœli, qua fabula tacite indicarunt sapientibus productionem & generationẽ cupri seu veneris terrestris, in visceribus terræ. Cuprum siquidem generatur ex Mercurio crudo metallico, & impuro, qui veram spumam maris interpretari potest. Nam mercurius purus & putus, mare dicitur apud antiquos, quod sua humiditate omnia circumdet, foveat & alat, mercurius autem impurus & crudus & fœculentus spuma est istius mercurii. Sulphur autem adustum & rubeum, ex quo etiam cum mercurio illo impuro componitur, sanguinem cœli potest interpretari, cum & sulphur apud Chymicos sanguis dicatur, unde vere & tacite productionem cupri indicarũt Philosophi Antiqui. Dum venerem Deam voluptatis ex spuma maris ex sanguine cœli, enatam dixerunt. Sic multiplici ratione cuprum venerem dixerunt.

Mercurius cur Mare dicatur.

Sulphur impurus cur sanguis cœli dicatur.

De Ferro quid sit, unde sit & quid prosit.

CAP XXIII.

FErrum nihil aliud est quàm humidum viscosum aëris & aquæ in visceribus terræ congelatum, impurum, & lutulentum ac sulphure adusto rubeo delibutum, virtutibus natalis planetę impregnatum. Dum enim ipsum humidum lutulentum & impurum, locis impuris & lutulentis ad congelationem, & coctionem suam clauditur, nihil impuro detracto & separato, martis influxus superveniunt hancq; materiam impregnant & virtutes martis imprimunt & sic calore centrali terræ, & ipsius cœli, & sui ipsius congelatur & induratur in ferrum: Non enim aliam materiam assumit natura, ad productionem ferri, quàm hanc, quamque assumit ad productionem reliquorum omnium metallorum, neque differunt invicem nisi purificatione, & coctione longa aut brevi, nam citiùs desinit coquere natura in plumbo, & stanno, & in ferro, & cupro, quàm in auro & argento, in quibus longiùs coquit & depuratiùs agit circa eorum materiam, unde etiam puriora sunt & perinde perfectiora, perfectio enim à puritate dependet. Vnde ferrum vulgare imperfectum est, quòd sit impurum, nam natura eius materiam primordialem non depurat nec ab excre-

Venus cur ex spuma maris & sanguine cœli enata censeatur.

Citiùs desinit natura in metallis imperfectis quàm in perfectis.

mentis heterogeneis multis quibus scatet ipsum vindicat, sed totum quantum quantum est congelat, & indurat in ferrum, unde valde corruptibile, & adustibile, totum enim in scorias abit, propter excrementa sua, quibus turget: Nihilominus tamen propter firmitatem & duritiem qua viget, multis est usibus humano generi, nec vitam commode agere posset genus humanum ferro absente, unde propter ingentem utilitatem, quam generi humano adfert, auro præferri debet, habet etiã præter usus illos vitæ nostræ necessarios quammaximas virtutes, & ex eo parantur varia & multiplicia ad salutem medicamenta, ad dysenterias omnes, & alvi fluxus compescendos, & vulnera salvanda, & ulcera, de quibus virtutibus capite sequenti fusius dicetur.

Ferri virtutes.

An ex ferro communi & vulgari fieri possint tincturæ veræ ad reliqua metalla imperfecta tingenda & perficienda.

CAP. XXIV.

In ferro & cupro eadem est tinctura virtus.

QUòd de cupro superius enarratum est, idem de ferro dicere possum, cùm in cupro & ferro eadem sit tinctura rubea, & sulphur idem rubeum, sed adustum & corruptibile, propter excrementa quammulta quibus turget, quæ adustionem pariunt, quibus demptis & cõsumptis, perit & adustio, & remanet purum & perfectum sulphur rubeum, seu tinctura rubea perfectissima, sed minima in quantitate, hæc ergo parva quantitas sulphuris puri, etsi sit incombustibilis & incorruptibilis evanescit & perit inter maximam quantitatem, & copiam prægrandem sulphuris corruptibilis & adustibilis: Vnde præcautio summa est adhibenda in præparatione martis seu ferri, ne inter præparandum paucum istud sulphur incorruptibile & incombustibile abeat & pereat unà cum corruptibili sulphure. Prægrandis quantitas & copia habẽda est humidi viscosi aëris & ei⁹ phlegmatis, ad dissolvendũ sæpe sæpiùs ferrum, & calcinandum & abluendum, non enim una vice perficitur opus, ut fatui nõnulli putant quibus gratum esset aurũ pluere in officinis suis Chymicis, & absq; labore ipsum colligere: Ferri præparandi via & methodus valdè laboriosa est, & tædiosa multum, ut ex eo habeatur tinctura perfecta, ad reliqua tingenda & perficienda, nihilominus tamen fieri potest. Et ego vidi salem ferri & cupri perfectum & rubeum tingendi & perficiendi virtutem habentem. Et præparandi modum verissimum enarravi, & verissimum experientur artis alumni & veri Chymici, neq; rationes ullas adferre possunt Chymiæ osores adversus hanc præparationem, ferrum enim continet ipsum sulphur rubeũ & tingens & ejusdem essentiæ cùm ipso auro, cum ergo contineat, cùm sit

Ferri præparandi via tædiosa multum.

fit metallum, ex eo in quo est potest educi, & perfici, hoc omnes Chymici Antiqui asseverant, & verum prædicant multisq; virtutibus & proprietatibus ipsum exornant præter eas quas summas habet in tingendis metallis. Vulnera enim curat omnia, & ulcera maligna, & cachoethea, & obstructiones reserat omnes, imò schyrrhos hepatis & lienis & pedetentim dissolvit & curat.

Ex ferro potest preparari tinctura vera ad tingenda metalla.

Vnde his ita positis concludere possumus ferrum commune & vulgare dare posse tincturam veram, ad reliqua metalla imperfecta tingenda & perficienda, cùm in sulphur fixum & tingens reduci possit quòd in visceribus suis cõtinet, quod hæc naturali via efficere potest, cum proprium & naturale sit sulphuris fixi, & tingentis, perfectè tingere, & inde perficere ea omnia in quæ incidit hæc tinctura.

Ferrum Commune & vulgare cur Mars dicatur.

CAP. XXV.

Ferrum cur mars dicatur.

FErrum cõmune & vulgare Mars dicitur, quòd mars planeta in productione sua influxus suos & radios immittat & radicitus implantet, unde martis planetæ habet virtutes & proprietates in terris. Etsi planeta bellum influat, ferrum perinde bellũ facit, & sine ferro bellum gratum & dulce ferè esset, sed quicquid est ingrati & crudelis in ipso bello, mors est quæ omniũ terribilissima cum sit quæq; ferro paretur, ferrũ, ut & bellum crudele admodum erit, & res perniciosissima. Mirum admodum est ferrum fieri martem & martem producere filios ejusdem naturæ in terris, beneficio istius humidi viscosi aëris & aquæ, quòd cùm suscipit spiritus & influxus ipsius planetæ martis, ipsi spiritus fiunt mars qui dicitur ferrum & nihil in ipso marte reperiri potest, quin id ipsum reperiatur in ipso ferro. Iras excitat, aërem inflammat, febres producit, alvi fluxus concitat, ob acrem aëris qualitatem, quám in ipsum inducit, ferrum item ob sulphuris adulti copiam quam secum habet humidum nostrum inflammat & ad febres excitat, & dysenterias, & alvi fluxus. Eosdem autem compescit & curat si sal suum internum, dulce & penetrans ac tingens fiat, unde id ipsum quod inducit id ipsum etiam eo ipso evanescit, si ferro bellum inducatur, ferro etiam pellitur, & pax advocatur. Vnde jure merito ferrum Martem dixerunt antiqui, non solùm quòd Mars planeta generationi & productioni ferri dominium habeat, & suas inducat tunc temporis in ferrum virtutes & proprietates, sed quòd etiam martis naturam & essentiam sequatur & imitetur. Vnde Magi & Sophi ex ferro elicere sciunt quicquid ex Marte in humanum genus educere possunt, robur & animi magnitudinem puta, adversus hostiles impetus.

Martis & ferri vires eadem & similes.

Qualis & quæ lateat in ferro virtus.

Con-

Concludamus ergo ferrum Martem dici & nuncupari, quòd verum Martem imitetur in terris, & quòd eandem naturam & qualitates habeat easque infundat, si ipsum præparare sciamus.

An in Ferri præparatione expectandi sint Martis planetæ influxus.

CAP. XXVI.

In præparatione ferri non sunt expectandi Martis influxus.

QVocumque tempore licet præparare ferrum, aliaque quæcunque metalla, ut hinc exsurgat id quod eorum ex præparatione expectamus: Planetæ enim omnes simul influunt & quovis tempore & quamvis in uno tempore magis vigeant uni quam alteri, nihilominus simul influunt omnes, & quòd Martis est, Martis attrahit influxus. Si verò aliquo tempore magis influat Mars, magis etiam tunc temporis attrahit Martis influxus, id ipsum quod Martis naturam sequitur. Vnde cum ferrum præparamus in præparatione illius descendunt Martis influxus, quòd semper Diu & noctu Mars influat, ferrum autem cùm sit Martis naturæ & essentiæ, attrahit semper & in quovis tempore quod suæ naturæ est. Etsi aliquando vigeat Mars & plus influat, tunc temporis magis attrahit ferrum; Addam quòd tanta sit & longa præparatio ferri, ut anni fere spatium perduret, in cujus consumptione, semper Martis reperitur Dominium, & excellens influxus. Vnde præparatio nostra suscipiet idoneos Martis influxus quocumq; tempore præparetur: Cum præparatio absolvi nequeat, quin tandem mars exoriatur benignus & fortis, & potentissimè influat: Non improbo tamen si qui sint qui præparatione ferri, Martis benignos & potentes expectant aspectus & influxus, fortior enim & potentior eorum præparatio habetur.

His ita declaratis alacriter concludam in ferri præparatione non expectandos esse Martis influxus & aspectus benignos, & fortes quia cùm semper influat Mars, ferrum indedum præparatur suscipit sufficientes & idoneos Martis influxus, ad effectus miros edendos, qui ex tali præparatione expectantur.

De Stanno quid sit, unde sit, & quid valeat.

CAP. XXVII.

STannum corpus est metallicum, durum & firmum facillimæ fusionis, & sub malleo facilis extẽsionis, ab humido viscoso aëris & aquę satis puro & claro, sed crudo & simili sulphure delibuto, ꝓductũ. Copia istius humidi viscosi aëris & aquæ facilis est fusionis, & sub malleo extensionis, nam copia & abundantia illius humidi, efficit fusionem facilem & extẽsionem, cùm autem crudum sit *Stannum quid sit & unde fiat.*

& non

& non perfectè coctum, ideò non est fixum & permanens in igne, sed perenni igne & forti evaporat, & in auras convertitur propter cruditatem & volatilitatem imperfectum dicitur, verè quidem, cùm crudum & incoctum ratione cruditatis imperfectum dici mereatur. Satis autem depuratum est suum primordiale principium, & si satis coctum esset, argentum verum esset, quia in coctione, ultimum depurationis gradum suscipere potuisset, unde propter illam cruditatem stannum remansit imperfectum quidem metallum sed satis purum: Sulphur enim mercurium suum satis perfecit, & ab excrementis metallicis vindicavit natura, sed cruda fecit & incocta, propter debilitatem caloris, qui in ipsis visceribus terræ reperitur, & propter angustias temporis quibus decoquendis usa est natura. Nihilominus tamen, etsi cruditate illa & impuritate scateat, multis & insignibus ornatur viribus, cum spiritus ille metallicus volatilis qui in ipso includitur multas & insignes habeat virtutes ad omnes fere morbos evincendos, quia modo in salem fusibilem penetrantem & tingentem convertatur, quod nequit nisi ab omnibus vindicetur excrementis, & coctione multa & longa coquatur & figatur, in medicamentum mirabile evadit, quibuscumq; morbis curandis aptum & idoneum.

Stanni cruditas esse ejus imperfectio.

Stanni vires insignes.

An ex stanno communi tinctura eliciatur ad reliqua metalla perficienda.

CAPUT XXVIII.

MUlti Chymicorum existimarunt ex stanno communi, mercurium Philosophorum educi posse, quod verum est, si pro mercurio Philosophorum intelligatur lapis ad album, seu sal fusibile tingens & permanens, si eo pro humiditate radicali metallica cujus solius ope & beneficio illud sal, seu tinctura elicitur, falsum & erroneum, nam talis mercurius ex metallis nullis educi potest cum fixus sit & coagulatus in ipsis metallis. Et cum talis mercurius Philosophorum volatilis sit & non coagulatus nisi in purum spiritum qui in ipsa distillatione in aquam mutatur. Ideò clarum est, ex ipso stanno communi educi non posse hunc spiritum aquosum, potest quidem converti in hunc spiritum, sed cum ipso spiritu, qui ex alio fonte educitur, & tunc temporis potest affirmari, ex stanno mercurium Philosophorum educi posse. Vnde cum in Philosophorum libris inveniatur mercurium Philosophorum educi posse ex stanno, & aliquando non educi sic interpretandi sunt, nec est ulla inter ipsos contradictio, quamvis apparens videatur. Multa secreta ego ipse enarravi de stanno in Hercule meo, quæ verissima

Ex stanno elici potest tinctura physica.

Contradictionum authoris reconciliatio.

ma sunt & tamen in aliis locis Palladii mei, & Alchymistæ Christiani, & passim alibi, nullam mentionem de stanno feci, sed de aliis rebus, ex quibus educi potest hæc nostra humiditas. Et tamen nulla est inibi cótradictio, ut putant nonnulli. Quia ex omnibus metallis & mineralibus potest educi hic mercurius cùm in omnibus insit, beneficio tamen & minesterio mercurii, priùs extracti ex fonte suo, qui quidem fons unus est & generalis, de quo in hydrographo nostro peculiariter dictum est, & capite XIII. Hujus libri quarti. Beneficio ergò istius fontis, stannum in fontis naturam reducetur, & tunc temporis poterit purificari, & ab omnibus suis excrementis primordialibus vindicari, tandem coqui, & coctione sua continua & lóga in salem fusibilem, tingentem, penetrantem & igne permanentem permutari, quod idem est ac tincturam fieri posse, ad reliqua metalla imperfecta perficienda. Raymũdus Lullius & Geber, & Isacus Gollandus multis in locis idem asserunt & modum & viam ostendunt veram, nec ullo modo fallacem, ut existimant quammulti, quia dum vident id non fieri uno die vel intra mensem falsũ existimant: O increduli, artis hæc opera, brevi non perficiuntur, festinantia & præcipitatio est totius operis annihilatio & perditio. Mora & patientia sapientis est, festinatio verò Diaboli. Patienter ergo moram sustine. Solve, putrefac, calcina, solve, sublima, distilla, filtra, evapora, & calcina iterum, & iterum solve, distilla, sublima, calcina, solve, filtra & evapora, & hoc toties donec puritatẽ summam, & nitorem habeas, quam coques in summum, & ultimum coctionis gradum, qui est fixio & permanentia in igne, sive fumo & evaporatione, & sic habebis optatum, & claram videbis ex stanno communi tincturam, metalla reliqua imperfecta perficientem, & omnes ferè humanos morbos evincentem.

Stanni præparatio vera & legitima.

Stanni præparatio.

Stannum commune & vulgare Iupiter cur dicatur.

CAPUT XXIX.

STannum commune & vulgare, cum distinctionem & differentiam à reliquis metallis suscipiat, ab influxu & radio Planetæ Jovis, qui in humidum suum, & primordiale principium descendit radiis suis & influxibus, & impregnat ipsum virtute sua, ita ut determinet ipsum humidum metallicum in stanni corpus & substantiam. Jure merito stannũ dicitur & nuncupatur Jupiter, & verus in terris habetur Jupiter ob quã rem charactere Jovis planetæ notarunt ipsum stannum Antiqui, ut ipso Charactere judicarent, & Jovis planetæ naturam & essentiam, & generationis ipsius & productionis modum, & viã transmutationis etiam indicarent. Nam Character ejus est luna cum cruce, Luna scilicet crescens & bicornis hoc modo.

Stannum cur Iupiter dicatur.

Characteris stanni explicatio.

Luna

Luna indicat humidum viscosũ aquç & aëris, quòd ab omnibus Chymicis dicitur Luna, tùm quòd producatur à Luna, tùm quod Luna sequatur vires & proprietates, hocq; humidum est primordiale principium stanni, uti diximus capite suo peculiari. Unde Luna illa quæ est in Charactere stanni indicat materiale principium ipsius stanni. Crux autem indicat qua ratione humidum istud fiat stannum, alteratione puta & passione ipsius humidi quæ cruce indicatur, fieri debet. Non enim transit humidum istud aeris & aquç, in metallum quin multum patiatur, unde crucem habet sibi adjunctam in suo charactere, ut passionem illam & alterationem indicet sapientibus. Indicat etiam & transmutationis modum. Stannum enim in Lunam transmutari non potest quin multũ patiatur in humido suo viscoso, in quo alterationes quam multæ fieri habent, ut in veram Lunam transmutetur. Nam ut stannum in lunam transeat nihil aliud agendum est, quàm crucem in Charactere suo adhærentem auferre, tunc remanebit Lunæ solius Character, unde si crucem tollas ex Charactere stanni hoc est, si stannum reddas inalterabile & incorruptibile, tunc vera luna erit, nam si quod est corruptibile & alterabile ab stanno tollas, tollis & aufers ejus crucem, & perinde remanet coctum & perfectum & purum ejus quod est inalterabile, & vera Luna, Sic crux aufertur ab ipso Charactere stanni, hoc est quod est ejus alterabile & corruptibile, & perinde remanet quod est incorruptibile, & quod naturam lunæ verè sapit & olet, sic jure merito stannum commune & vulgare Jupiter vocatur ab Antiquis Chymicis quòd Jovis sequatur naturam & essentiam, & quòd in ipso nomine & ejus charactere lateat ejus productio, & ejus transmutatio. Idem de aliis metallorum imperfectorum Characteribus dicendum est.

Stannum ut fiat argẽtum.

De Plumbo communi, quid sit, unde sit & quid valeat.

CAPUT XXX.

Plumbum quid sit & unde fiat.

PLumbum commune & vulgare nihil aliud est quàm corpus metallicum durum satis & firmũ, molle tamen, si duritiem ferri & cupri aliorumque metallorum respicias, igne est fusibile & facilis fusionis, & sub malleo extensibile, ex humido viscoso aeris & aquç lutulento, & feculento admodum cum eodem sulphure excrementoso & perinde cõbustibili ortum habens, in cujus humidi viscosi aëris & aquæ coctione, in ipsis terræ visceribus intervenit influxus Saturni qui se immiscet huic humido & determinat ipsum humidum ad sui naturam & proprietatem, unde exsurgit in terris, ex ipso humido sic præparato & alterato, ab influxibus & virtutibus saturni, aliquid simile & homogeneum Saturno, quod nobis plũbũ dicitur, sic producitur, & generatur plum-

bum ex humido viscoso aëris & aquæ, & quinta essentia ipsius Saturni quæ in ipsum humidum descendit radiorum & influxuum saturni ope, & coctione irretitur in ipso humido sic Vulcanus retibus suis hoc est coctionibus levibus & continuis quintas essentias cœlestes maritat & nectit cum materiis terrestribus & elementaribus, sic dicuntur mulciberis capti marsque venusque dolis, & quod de Marte dicitur & venere, idem de Saturno, & aliis planetis dici potest. Vulcanus enim solus est, qui coctione sua levi & continua tanquam recte subtili & invisibili essentias planetarum & influxus retinet & capit, in hisce materiis inferioribus. Vnde plumbum Saturni virtutes omnes & proprietates habet ex eo educitur sal dulce, quod Saturni dicitur Saccharum, aceti stillatitii ministerio gomorrheæ viri lentiæ arcanum, & disenteriæ desperatæ remedium sed caute propinandum & cum oleo amygdalarum dulcium ad quantitatem guttularum decem aut octo, singulis victibus. Idque per vices iterandum. Enemata etiam inde parata, si dragma aliqua hujusce sacchari perfundatur, mirum in modum operantur in dysenteriis desperatis, sua enim frigiditate saturnina, acres & mordaces dysenteriæ humores compescit & alterat. Aliasque multas habet virtutes & energias si sal istud dulce omnibus suis excrementis vindicetur, & perfecte figatur coctione perenni & continua donec rubedinem summam acquirat, tunc enim temporis Solis imitatur virtutes nec ampliùs Saturnus est, sed verus sol ut capite sequenti fiet manifestum.

Retis Vulcani explicatio.

Plumbi virtutes.

An plumbum commune, aurum Philosophorum fieri possit.

CAPUT XXXI.

MVltum distat plumbum ab auro communi & vulgari, multo magis ab auro Philosophorū, quod quidem vivum cùm sit, & infinitas habeat virtutes, quibus præminet auro communi, quod quidem mortuum est, quòd nullas habeat virtutes, & nullas communicet. Aurum autem Philosophorum vivum est, & omnes habet energias, communicat & distribuit his omnibus, quibus immergitur. Cum ergo aurum commune inferiùs admodū sit auro Philosophorum. Inde colligere possumus quantum distet plumbum commune, (quòd ab ipso auro communi multum distat) distet inquam ab auro Philosophorum, quod multis parasangis perfectius est, ipso auro communi & vulgari. Qua ratione ergo fieri potest plumbum commune, aurum Philosophorum, ut perfectionem tantam acquirat ut aurum commune vincat perfectione & virtute. Id quidem fieri potest, modo reducatur in principia sua primordialia, quæ quidem summopere sunt depuranda ut ab omnibus suis excrementis vindicentur, & Saturni

Plumbum aurum vivum Philosophorum fieri potest.

turni exuant naturam crudam & frigidam. Et solis introducantur virtutes & energiæ, quæ sola coctione vulcanica post purificationem introducuntur. Vnde autem hæc substantia, Saturni exuat naturam, & Solis induat essentiam, hoc ex perfectione ortum habet, nam dum coquitur perficitur & cruditatis linquit qualitates, hine quod perfectũ est in metallis, naturam solis sequi necesse est quòd sol séper in metallica substantia perfectionem sequatur, ipsamque introducat. Et dum ipsa perfectio introducitur, ipsa imperfectio evanescat oportet, & sic exuere essentiam Saturni & induere naturam solis manifestè videmus, sola coctione vulcanica excrementis prius rejectis. Sic plumbum commune & vulgare transit à natura sua, in naturam solis, & acquirit stupendas virtutes & energias, quibus, & metallis ipsis & summa medicina & aliis corporibus naturalibus perficiendis, & summum arcanum.

Quod perfectum est in metallis naturam solis habet.

Qua ratione plumbum transeat in naturam solis.

Plumbum commune quare Saturnus nuncupetur.

Caput XXXII.

Plumbum cur dicatur Saturnus.

PLumbum commune Saturni nomine insignitur quòd Saturnus planeta in productione sua determinet suam materiam, spiritibus suis & influxibus, ad plumbi naturam, illique infundat suas qualitates & virtutes, unde plumbum verus Saturnus est in terris, & quod agit Saturnus in cœlo, plumbum agit idem in terra, frigidus & siccus est Saturnus, frigidum & siccum est plumbum sterilitatem inducit sua frigiditate & siccitate Saturnus idem agit, plumbum, & veneris æstus omnes cohibet & temperat. Ideo non immeritò fertur apud Poëtas Antiquos Saturnum eviratum fuisse à filio Jove, in qua fabula latet secretũ summum Chymiæ artis. Nam in arte Chymica Saturni virtus effœta est omninò & inutilis nisi Saturni virtus transeat in Jovem, hoc est nisi principia metallica transeant à corruptione sua, in qua viget Saturnus eorum, in rem incorruptibilem, & inalterabilem, non potest ex his exsurgi, id quod inde spectamus: metallica principia oportet ut corrumpantur & fiant Saturnus, qui nigredine sua, Jovem futurum seu albedinem futuram ostendit, quæ virtutem omnem ipsius nigredinis ad se rapit, & multiplicandi virtutem evirato Saturno ad se transfert. Et est prima lapidis nostri virtus & energia. Ideo Antiqui Philosophi Chymici nomine Saturni insignierunt & plumbum commune & plumbũ Philosophorum, quòd sympathiam habeant summam inter se, & quod uni tribuitur, alteri etiam donari potest, analogia quadam reciproca etsi inter se differant plumbum commune, & plumbum Philosophorum, hoc enim est subjectum proximum, ex quo fit argentum & aurum eorum.

Evirationi Saturni à Iove explicatio.

Plumbi communis & Philosophorum distinctio.

De Argento vivo, quid sit, unde sit, & quid valeat.

CAPUT XXXIII.

Argentum vivum cur perpetuò mobile.

ARgentum vivum commune & vulgare, metallũ censetur quãvis malleabile non sit, nec igne liquabile, sed quod molle sit, & perpetuò liquabile, & primum gradum coagulationis metallicæ substantiæ obtineat, humidum enim viscosum aëris & aquæ dum coquitur & coagulatur, & spiritibus planetæ Mercurii impregnatur transit in primo isto gradu coagulationis & condensationis, in argentum vivum. Ita ut argentum vivum nihil aliud sit, quàm humidum viscosum aeris & aquæ leviter coctum, & digestum & spiritibus mercurii planetæ impregnatum, quibus determinatur ad argẽtum vivum. Multi existimant omnia metalla ex eo originem ducere, sed errant analogia nominis, fiunt quidem ex mercurio at non ex isto, sed ex humido viscoso aeris & aquæ, quod verus est mercurius, ex quo & noster hic mercurius seu argentum vivum commune & vulgare, originem habet, & reliqua metalla. Manet hoc argentum vivum perpetuò fusibile & currit in superficie plana absque adhærentia suæ substantiæ, ob copiam ignis naturalis seu luminis creati, quod in visceribus suis clauditur ob cujus copiam in perpetuò est motu & non adhæret, cum humidum perquam optimè mixtum sicco suo, ita ut humidum sicco suo cohibeatur, ne madefiat: Calidum inde ita est anatizatum cum humido & sicco, ut non faveat nec humido nec sicco, sed ambo æqualiter amet, unde humidum pellitur ad motum, cùm à calido nec sicco cohibeatur, sed liberum remaneat, frigidum & humidum est manifestè, sed occultè summè calidum est. Ex eo quãplurima parantur medicamenta ad salutem humanam, cùm caliditate & siccitate sua interna, qua pollet, corruptionem impediat, & factam pellat, unde morbi ex corruptis humoribus curantur omnes. Et quia humidum habet subtile admodum & æthereum, inde curantur omnes obstructiones hepatis & lienis & viscerum omnium. Unde omnes ferè morbi, tùm interni tùm externi, & cutanei, mercurio nostro ritè præparato, curari & persanari possunt, præparationes autem varias habes, & optimas in myrothecio nostro, & Chyrurgia & in libro de peste, quas invisere potes, sequentẽ autem existima cæteris omnibus excellentiorem quæ capite sequenti inseritur.

Argentum vivum cur perpetuò mobile.

Argenti vivi qualitates.

An ex argento vivo communi fieri poßit argentum vivum Philosophorum.

CAPUT XXXIV.

ARgentum vivum Philosophorum fit tantum ex elementis, & ex influxu astrorum, uti probavimus multis in locis, unde ex argen-

Argentum vivum tinctura fieri potest.

to vivo communi & vulgari fieri non posse censendum est, & cum idem argentum vivum Philosophorum sit causa efficiens & materialis ipsius argenti vivi communis & vulgaris, effectus nunquam potest esse causa suæ causæ. At nihilominus tamen cùm illud fieri possit interpretari, extrahi, & e[illegible]ci, fieri inde potest, cum mercurius Philosophorum ex Mercurio communi & vulgari, elici & extrahi queat, in eo enim est, & non valdè alteratum & elongatum ab ipso fonte ex quo sumpsit originem, ergò ex ipso elici potest, cum in eo insit. Et quod de metallis reliquis diximus, de eo pariter dici potest, habet enim Mercurius communis & vulgaris quicquid & reliqua metalla habent, & cum ex reliquis metallis elici posset Mercurius Philosophorum. Ex Mercurio etiam communi & vulgari, Mercuriũ Philosophorum elicere poterimus eadem methodo & via, & cum mercurio Philosophorum, sine enim ipso, nullum metallum nec noster mercurius vulgaris reduci potest in mercurium Philosophorum, nihil enim potest humidum illud viscosum aëris & aquæ, metallis inclusum secum attrahere, quàm ipsummet humidũ, unde clamatur à Philosophicis: fac mercurium per mercurium & habebis artem sola coctione illius mercurii sic præparati, ab ipsomet suo mercurio: unde illud, natura natura gaudet, natura naturam continet, & natura naturam sequitur, ter repetitum, ut in omnibus naturæ regnis extractionem illam mercurii debere fieri denotent, per eundem & similem mercurium, ut natura perficiatur. Mercurius ergo vulgaris ut perficiatur dissolvendus est, cũ humido viscoso aeris & aquæ, & sic solutus putrefaciendus, & distillandus & sublimandus ut ab omnibus vindicetur excrementis, quibus scatet, deinde coquendus & coctione illa perenni figendus, sic transit in aurũ Philosophorum & Mercurium fixũ eorum, cujus innumerabiles sunt virtutes, ad naturam omnem tùm metallicam, tùm vegetabilem, & animalem perficiendam: hic enim mercurius, trinas hasce naturas in se continet eminenter perfectas, unde in aliis perficere solet.

Mercurius ut præparari debeat ut fiat mercurius Philosophorum.

Ex his facilè colligere possumus, an ex argento vivo communi & vulgari, extrahi possit mercurius Philosophorum, & qua via & methodo id fieri soleat. Nam mercurius vulgaris ex se ipso, mercurius Philosophorum fieri non potest, nisi operante ipso Philosophorum mercurio, cui datũ est ab ipsa natura, omnes animas ad orcum deducere, & ab ipso orco, in lucem reducere posse, unde Caduceo ornatur, quo reductor & conductor animarum existimatur: Animam autem humidum radicale cujuscumq; rei existimarunt Antiqui, unde cùm mercurius Philosophorũ humidum illud radicale adse trahat, corrumpat, & iterum à corruptione vindicet, & educat, dicitur animas edu-

Mercurius cur dicatur eductor animarum.

educere ex orco, & in orcum reducere.

Vnde concludimus, ex argento vivo communi & vulgari, argentum vivum Philosophorum educi posse, via & methodo spagyrica, quæ in dissolutione ejus & putrefactione, & sublimatione consistit, operante humido viscoso aëris & aquæ, quod solum hanc dissolutionem & putrefactionem & sublimationem perficere potest.

Mercurius Philosophorum cur dicatur servus fugitivus eorum.

CAPUT XXXV.

Mercurius Philosophorum cur dicatur servus fugitivus.

MErcurius Philosophorum servus fugitivus dici solet, quòd volatilis sit naturæ, & non permanentis, nisi figatur coctione perenni, servus verò Philosophorum dicitur, quod illis omnibus præparandis arcanis inserviat, sine enim hoc servo, nihil Philosophi consequi possunt nihilque præparare possunt quod virtutibus donetur & insigniatur summis cùm ab excremẽtis nihil possit vindicari & expoliari nisi beneficio istius servi fugitivi, hic enim est qui solutionem facit, putrefactionem, & purificationem omnẽ rebus autem purificatis elucet forma præclara, donis suis illustrata ac condecorata, quæ summa agendi potestate viget, cum non impediatur ab excrementis quæ actionem semper retardant & impediunt. Vnde cum Mercurius hæc efficiat & sine ipso fieri nequeant, servus Philosophorum meritò dicitur cùm ad hæc patranda, & arcana perficienda eo utantur Philosophi, & ut Reges & principes & rerum Domini sine servis esse non possunt, sic & Philosophi qui naturam scrutantur, ac ipsam intus cognoscere contendunt, alioquin Philosophi esse nequeunt, Mercurio egent, sine enim ipso Naturam cognoscere nequeunt, nec ipsam scrutari, & perinde Philosophi esse non possunt sine Mercurio, unde verus Philosophorum servus est Mercurius, cùm illis inserviat ad arcana naturalia perscrutanda, & indaganda.

Concludamus ergo Mercurium Philosophorum, servum fugitivum eorundem nuncupari, quòd Philosophis inserviat ad arcana naturæ paranda & ad ipsam naturam penitus cognoscendam. Servus enim verus illis est, & fidelis, cùm sine ipso hæc fieri nequeant. Si plura de Mercurio desideras loge Hydrographum nostrum, in quo quammulta diximus Chymicis necessaria, quæ hic non repetenda sunt ne tædio sint lectoribus.

De Antimonio quid sit, unde sit & quid valeat.

CAPUT XXXVI.

Antimonii quid sit & unde sit.

ANtimonium est species plumbi, & differt à plumbo, quòd salis

lis & terræ plus habeat ipso plumbo, ũde Antimoniũ friabile est nec malleabile quod siccitate salis sui quo turget, humidum suum nimis sicce coaguler, & impediat sua siccitate, ne partes humidi viscosi inter se simul cohæreant, & sic extendantur sub malleo, sed unà desiliant in quãplurima frustula. Itaq; Antimoniũ nihil aliud est quàm humidum viscosum aquæ & aëris lutulentum & crassum in visceribus terræ coagulatum sulphure albo impuro & fœtido, & sale etiam impuro impregnatum, & virtutibus saturni delibutum: qui quidem Saturnus suo naturali igne, & influxu, ipsum humidũ determinat ad antimonium propter lutulentiam & terrestreitatem nimiam, qua viget super humidum viscosum aëris & aquæ, ex quo fit plumbum cùm simili & eodem Saturni influxu, qui quidem influxus etsi sit isdem & similis, non tamen eadem operatur in ipsa materia cùm sit dissimilis. Vnde Plumbum, & Antimonium differunt, & habẽt diversas omninò proprietates, & energias, cùm distinguantur materia, in qua cœlum varias implantat virtutes. Et præsertim Antimonio quòd quidem insignes habet virtutes in curandis variis hominum morbis, unde ex Antimonio quamplurima parantur medicamenta ad salutem hominum, quæ jam pluribus in locis declarata fuère. Sed possunt adhuc multo maiora & efficaciora parari, si in principia sua resolvatur, & coquatur post purificationem, ad perfectam & absolutam coagulationem & fixationem ut in reliquis supradictis mineralium corporibus factitatum est.

Antimoniũ cur nõ malleabile.

Antimonii vires insignes.

Antimonium Philosophorum quid sit & qua ratione differat à vulgari antimonio.

CAP. XXXVII.

EX Antimonio Philosophorum parari sola coctione lapidem eorum, multis reperitur in locis, unde colligendum est, materiam esse lapidis in se omnia habentem necessaria ad compositionẽ ipsius lapidis. Qualis autem hæc sit materia, & in quo gradu coctionis suæ nomine Antimonii insigniatur. Plurimi ignorãt & putant Antimonium esse vulgare, imò aliquando est ipsum aurum, quod dum corrumpitur & putrescit in sua dissolutione, à Philosophis nuncupatur Antimonium. Est ergo Antimonium Philosophorum materia metallica dissoluta suo humido viscoso, in quo putrescit dum coquitur & nigrescit, & hæc materia nigra in illo gradu coctionis suæ, dũ putrescit dicitur Antimoniũ. Quantum autem istud Antimonium distinguatur ab Antimonio vulgari jam vident omnes: Antimonium enim vulgare est, quid terminatum, impurum in quo natura cessavit opus suum, & coctionem: Antimonium verò Philosophorum est prin-

Antimoniũ philosophorũ quid sit.

Antimoniũ vulgare & Philosophorum ut differunt.

Cccc cipium

cipium metallicum purum & perfectum ab omnibus excrementis vindicatum, in qua natura agit potentissimè, ad ipsum perficiendum ultimo gradu perfectionis, quo perfici potest. Antimonium vulgare ex se ipso perfici non potest etsi adhibeatur ignis ad ipsum coquendum, Antimonium Philosophorum sola coctione perficitur, & tantam acquirit perfectionem ut reliqua imperfecta, sua perfectione perficere queat differunt ergo Antimonium Philosophorum & Antimonium vulgare non materia, quia unam & eandem habent materiam, sed qualitate, nam varia & multiplici alteratione, est alterata materia antimonii Philosophorum, quæ quidem alteratio & dispositio non reperitur in antimonio communi & vulgari, cùm ab humido suo ex quo componitur non iterum dissolutum sit, & per hanc dissolutionem ab excrementis suis lutulentis quibus scatet vindicatum, quòd si fieret, eandem pati posse alterationem existimo, & antimonium Philosophorum fieri posse credo, non minùs ac ferrum, & plumbum, & reliqua metalla, quæ vera sua dissolutione in metalla Philosophorum permutari possunt.

Antimoniū commune, Philosophorum fieri potest.



De Marchasitis quid sint & unde sint & quid valeant.

CAP. XXXVIII.

Marchasitæ quid sint & unde fiant.

MArchasitarum omnes species, nihil aliud sunt quàm corpora mineralia ab humido viscoso aëris & aquæ lutulento & impuro producta, sulphur impurum, sive album sit, sive rubeum cum peculiaribus astrorum influxibus determinationem & specificationem Marchasitarum omnium constituunt: Dum enim humidum illud lutulentum sulphure albo delibutum, Lunæ influxibus impregnatur, Marchasitam argēteam constituit. Dum verò idem humidum sulphure rubeo adusto & combustibili impregnatur & Martis influxibus, hinc exsurgit Marchasita ferrea Dum verò idem humidum sulphure rubeo salis puro & claro quamvis adustibili, & solis influxibus impregnatur, tunc exsurgit Marchasita aurea, quæ successu temporis & longa coctione naturali & purificatione, tandem fit aurum; purificatis metallicis principiis, quæ in ea reperiuntur: Summa est in ea tinctura, sed imperfecta, & impura valdè, perfici tamen potest arte & summo labore & arcanum inde summum parari potest, ad perficienda reliqua metalla, modò auri sulphure perfecto fermentetur. Reliquæ Marchasitarum

tarum species, ab influxibus veneris & Saturni, cum eadem materia metallica impura & lutulenta determinantur ad suam speciem: sunt enim omnes ex humido viscoso aëris & aquæ crudo, & impuro quod particularibus astrorum influxibus determinatur ad hanc vel illam Marchasitæ speciem, secundùm peculiarem planetarum influxum. Ex quibus omnibus possunt elici & extrahi tincturæ mirè efficaces modò in principia sua resolvantur, & purificentur resolutæ, & purificatæ coquantur ad perfectionem absolutam. Sic enim miranda præstant ad salutem mineralium, vegetabilium & animalium. Sic de magnesia est Philosophandum, idē enim est magnesia a- marchasita in compositione sua naturali, differunt tamen in puritate majori vel minori sulphuris, & mercurii, quibus componuntur. Et propter sulphur impurum & mercurium metallicum etiam impurum quem continent, Chymici Antiqui occultarunt sub eorum nomine materiam arcani physici, quam nomine horum mineralium insignierunt, ut ipsam occultarent Chymiæ osoribus, eamque manifestarent Chymiæ alumnis, manifestata marchasitæ & magnesiæ vulgaris essentiâ & tincturâ internâ.

De Attramentis seu vitriolis, quid sint, unde sint & quid valeant.

CAP. XXXIX.

Attramentorum omniū seu vitriolorum naturam & essentiam unam & eandem comperimus, unam tamen puriorem alterâ. Salium enim sapiunt naturam spiritib⁹ metallicis delibutam, cupri putà, vel ferri. In quibus omnibus producendis natura sic agit, humidum viscosum aëris & aquæ visceribus terræ cōclusum coquit ac digerit, & quod serosius est & humidius in vaporem convertitur, reliquum quòd remanet coquitur, & induratur in salem qui impregnatur ab spiritibus martis vel veneris planetarum, & sic ab his spiritibus determinatur in vitriolum, ferri vel cupri sapiens ac redolens naturam, si Martis vel Veneris vincant in ipso spiritus. Itaq; Attramentum qualecumq; sit nihil aliud est quam ipsum humidum viscosum aeris & aquæ coctum & induratum in salem spiritibus Martis vel veneris planetarum delibutum, quibus Martis vel Veneris sapit naturam, & ferri vel cupri sequitur essentiā. Vnde facili negotio mutatur in cuprū, vel ferrum si copia salis quo turget auferatur & humidum viscosum cū suo sulphure cogatur in cuprum, vel ferrum. Quamplurima sunt in ipso secreta modò depuretur &

Attramenta quid sint & unde fiāt.

vindicetur ab excrementis quibus turget, & summè depuratum uniatur sali metallico puro fixo à quo tingendi virtutem summam recipit, & quæ de ipso diximus in Palladio nostro verissima sunt modò impregnetur aureo vel argenteo sale fusibili & tingēti, habet ex se ipso quamplurimas virtutes & insignes contra omnes humani corporis morbos, & præsertim muliebres, modò Veneris habeat spiritus, nam quod martis turget spiritibus, hominum spectat temperamentum.

Vitriolum ferri ad homines spectat, vitriolum cupri, ad mulieres.

Humidum ipsius valde viscosum & glutinosum & potius unctuosum dici meretur quàm viscosum & difficillimæ est distillationis propter illam unctuositatem, sed si jungatur humido quod est quasi eius fœmina & uxor, ambo facili negotio linquūt spiritus suos exhalare, qui in aquam coacti mira præstant in arte, si præparationem eius scias, & ejus coagulationem in salem fixum, cui si tincturam metallicam adjūgere scias, artis nostræ verus & magister, & coriphæus, sic brevi hoc capitulo habes quicquid toto volumine hoc contineri potest, ad artem perficiendam: copiosum habes in attramentis omnibus humidum viscosum aëris & aquæ, & ipsum volatile & fixū quo indiges, si operari scias, in fonte tamen suo copiosius quidem est, nō tamen facilioris eductionis, quia in fonte ipso aqueo multa sunt quæ separanda veniunt antequam salem ex fonte educas, ex quo spiritus aridus educitur nobis necessarius. Ideo ex vitriolo solo habere potes, quicquid tibi necessarium est, quia fons ipsius naturæ in eo solo posuit, quod arti debetur, modò fixum volatile facias, & volatile fixum.

De aluminibus & aliis eiusmodi salsuginosis rebus, quid sint, unde sint & quid prosint.

CAP. XXXIX.

Vapores & exhalationes, quæ ex centro terræ ex sole terrestri sursum efferuntur, & per poros terræ universos disperguntur, alumina omnia producunt in locis & fodinis convenientibus, in quibus exsiccantur vapores calore iñato & proprio, qui in ventre exhalationum coërcetur, quicque sulphuris nomine apud Chymicos efferri solet. Quod enim calidum est & igneum in hisce vaporibus & exhalationibus id ipsum sulphuris est, quod vero humidum & æthereum habetur, id ipsum mercurium, & argentum vivum vocitant Spagyrici Philosophi, quòd verò frigidum & siccum, id Salis nomine insigniunt, hæc autem tria unum sunt in ventre vaporum & exhalationum, & calorem innatum naturæ constituunt, qui in centro terræ sedem peculiarem & propriam habet, unde eructant vapores & exhalationes, veluti radii & influxus ex sole cœlesti, quique invicem permiscentur, cœlestes scilicet descendendo,

Alumina unde fiant.

Sulphur Chymicum quid sit, mercurius & sal.

dendo, terrestres autem ascendendo, & ita ex irriguo superiori & inferiori omnia pullulant ac germinant. Sic flumina nostra fiunt ac componuntur. Ex irriguo superiori & inferiori, in visceribus terræ propriis & convenientibus condensata, nihil enim aliud sunt Alumina & reliqua terræ salsuginosa, quàm vapores & exhalationes terrestres, influxibus cœlestibus ac radiis lucis superioris impregnatæ, ac calore naturali condensatæ, & coagulatæ in alumina: Vnde alumina omnia, ut & reliqua cũcta, tria Chymicorũ principia in se coërcent, & quicquid ex aliis terræ mineralibus educi potest, ad perfectionem Alchymiæ, id ipsũ etiam ex alumine scaturiri posse, nó imus inficias, solem enim internum habet, & lunam, ex tinctura maxima educi potest, unde Alumen non immeritò nuncupatum est, quasi lumen habens, ratione luminis interni quo turget, & cuius ope sol & luna Chymicorum dici & nuncupari potest, non quod ut est, & ut eruitur ex fodinis sit sol & luna Chymicorum, sed quod in centro sui. Solem hunc, & lunam contineat, & quòd præparatione prudenti & sagaci, ex intimo sui educi queat, ad perfectionem Alchymiæ, igneus iste vigor. Et quamvis Salis naturam habeat ex nativitate sua, nihilominus tamen & sulphuris & mercurii essentiam & naturam redolere videmus cum igneum vigorem & cœleste lumẽ, cùm humiditate æthera continere manifestum sit & si in sale communi, & nitro, ac vitriolo, mira sunt naturæ arcana, non minora sunt in alumine, cum aciditas mercurii sui, jam ad dulcorem quendam sponte sua deducta sit, cujus beneficio, calor omnis præter naturam in corde humano accensus facili negotio, extingui potest, unde febrilis hecticus ardor, evanescere potest, si aciditate aluminis in dulcedinem conversa, inebrientur hectici ac sæpe madefiant. In ea enim sola dulcedine aluminosa verè latet salis corrodentis mors & sepulchrum, unde tutissima hecticorum cura consurgit, cùm sal ille corrodens, ac valde desiccans, sit hecticæ febris causa vera, ut tractatu nostro de febribus, in secundo volumine huiusce Panchymici, clarum & manifestum faciemus, hoc autem in loco nobis sufficit declarare, qua ratione & via aciditas ille naturalis ipsius Aluminis dulcescere possit: Sciãt Chymiæ artis alumni aciditatem hãc inesse alumini propter cruditatem mercurii seu humoris radicalis ipsius aluminis, quòd si arte nostra aciditas illa pura & à corpore suo vindicata, & ab excrementis omnibus quibus scatet depurata, igne continuo & levi coquatur in vase optime clauso, successu temporis longi, mensium putà septem aut novem tandem dulcescit, & figitur In salem fusibilem & dulcem miræ & stupendæ virtutis, morborum ferè omnium curandorum tutissimum arcanum, & præsertim febris hecticæ,

Alumen quid sit.

Sol internus natura est in alumine

Hectica febris arcanũ in alumine.

Aciditas aluminis qua via dulcescat.

In nitro tota virtus naturæ latet.

dictum est, passim in operibus meis, ut intelligatur, necesse est ut spiritus nitri comprehendatur, in eo siquidem tota vis & virtus naturæ facile detegitur. Quòd si in compendio secretorum Chymicorum capite suo peculiari asseruerim, nihil esse in nitro quod conferre possit ad artem nostram, id cum invidia tanti secreti asserui, pietate tamen & misericordia motus, nunc veritatem assero, & dico cùm ipsa veritate acidum spiritum nitri vitriolatum multum conferre ad dissolutionem metallorum, ipse enim spiritus unitur cum substantia metallica, & fixatur unà cum ipsa, & tunc temporis fit id quod antea dixi. Ignis naturæ coagulatur cum substantia metallica, & tincturam acquirit quam facillimè communicat, reliquis imperfectis, cùm ignis ille naturæ sit vehiculum perfectionis, si quam habeat. Per se solus non est lapis noster, nec ex se solo lapis fieri potest, sed cum metallis conjunctus, putrefactus, depuratus, & ad ultimum perfectionis gradum conductus, cum spiritu vitrioli lapis est noster. Id ex Lullio confirmari potest, & omnibus aliis Chymicis, qui artem noverunt infinita de eo scribi possint, sufficiunt hæc pauca, quæ multis majora sunt. Et quicquid est in Alchymia secreti & arcani, eo ipso aut eius spiritu, parari potest, ubique reperitur, in aëre habitat, in aquis imperium habet, & in terra quiescit, quicquid est in his elementis, eo ipso producitur, nutritur & conservatur, & si ab spiritu mundi aliqua ratione distinguitur hæc est, quòd hic vagus & indeterminatus adhuc sit, hoc verò concretum & corpus factum sit, copioso tamen spiritu turgidum. Præparatio ejus est indaganda, hæc enim laboriosa est, & penitus occulta & facilis cùm spiritu solo vitrioli, quem si fixare scias, & iterum volatilem facere, & volatilem fixum, habes artem integram.

Nitrum per se solum nihil præstat sed metallis conjunctũ, est totum opus.

Nitri præparatio occulta.

De Sale communi, quid sit, unde sit, & quid prosit.

CAP. XLI.

Sal commune quid sit & unde fiat.

SAl commune & vulgare quod natura producit ex humido viscoso aëris & aquæ, nihil aliud est, quam terreum illi⁹ viscosi quod calore induratur & siccatur in salem, sulphureum siquidem quod est in illo humido viscoso aeris & aquæ mutatur in nitrum, quod verò terreum & aqueum est mutatur in sal commune & vulgare, quo utimur ad condiendos cibos nostros, nõ enim differũt, Sal nitrum & Sal cõmune, nisi quod nitrum plus aeris & ignis habeat in sua compositione, quam sal cõmune, in quo ignis & aer occulta sunt, terra verò & aqua quę manifesta sũt in sale communi, vigent ac florent & multò maiora sunt quam ignis & aer, unde sal cõmune nõ inflammatur & ignescit ut nitrum, quòd terra &

ra & aquæ quæ vigent in ipso ignitionem impediant. Plurimum est acetosi humidi in ipso sale communi, quod enim igneum est in ipso, cum ipso aqueo acescit ut in nitro, unde ejusdem sunt substantiæ & actionis acetum nitri, & acetum salis communis: ambo penetrant & dissolvunt omnia corpora dura, & resolvunt ea in suam materiam primam modò putrescant: Vnde metalla in his resoluta facilè putrescũt & transeunt in humidum viscosum suum ex quo primũ ortum habuerant, ex quo mira patrantur in Chymia, modò humidum illud purum putum perfectè & absolutè figatur. Infinitas habet virtutes & proprietates Sal commune, propter ignem quem continet, qui nostro naturali assimilatur, ipsum multiplicat, unde à corruptione præservat: ignem naturalem siquidẽ multiplicando, serositates & res omnes corrumpentes consumit. Vnde in ipso sale latet arcanum vitæ prorogandæ, si præparationem ejus notam habeamus, habet enim fixum humidum quòd igne dulcificari potest, & auro uniri, ut virtutes solis induat, & vitam nostram multiplicet, & ultra terminos communes extendat, quod fieri non posse existimant multi, unde vitam ortum, habeat ignorantes.

Metalla soluta ab spiritibus saliũ cur facilè putrescant.

Vita proroganda arcanum in sale latet quòd humido incorruptibili turgeat.

Sal commune & Sal Philosophorum qua ratione inter se differant.

CAP. XLII.

SAl Philosophorum est Sal metallicum ex metallis extractũ quòd si attenuetur & summoperè depuretur fit lapis Philosophorum, hinc quantum differat Sal commune ab isto Sale, satis clarum est & manifestum. Existimant quamplurimi ex sale communi fieri posse Sal Philosophorum, hi ex parte verum dicunt, ex parte falsum, quod enim est acetosum & humidum in sale communi, si conjungatur cum humido radicali metallico & ambo putrescant & fiant sal, tunc temporis pars salis communis fit sal Philosophorum quòd fiat sal metallicum fusibile tingens & in igne fortissimo permanens ac penetrans. Illud dicitur sal Philosophorum quòd à solis Philosophis fiat, neq; in rerum natura existat sine eorum artificio, quamvis existentiam habeat ex parte naturæ in ipsis metallis, tamen in metallis ipsis non habet proprietates & energias, quas habet dum ita à Philosophis præparatur. Ideo verè dicitur sal Philosophorum, neq; in metallis ipsis sal est cùm neq; in humido dissolvatur, nec calido congeletur, ut innatæ postulant salis conditiones, postquam autem præparatum est ab ipsis Philosophis, tunc

omnes

Sal commune & sal Philosophorum qua ratione differant.

Sal Philosophorum cur ita dicatur.

omnes conditiones salis & qualitates veras induit ita ut verum sal dicatur: Et de isto sale multa præclara dixerunt & enarrarunt Philosophi, sed non est sal commune & vulgare, sed quid aliud distinctum & omninò diversum ab ipso sale communi quod nullas habet huiusce salis qualitates, nisi quod solvatur humido & congeletur sicco, & non tingit, non penetrat corpora metallica, eaque transmutat in solem vel lunam, ut Philosophorum sal facere solet, sic clara & manifesta est eorum inter se differentia.

Sal commune nullas habet qualitates salis Philosophorum.

De Sulphure communi quid sit, unde sit & quid valeat.

CAP. XLV.

Sulphur commune quid sit & unde sit.

SVlphur commune & vulgare resina est, & pinguedo aquæ in terra producta ab ipso humido viscoso & pingui aeris & aquæ, quod calore suo interno desiccatur & congelatur in locis calidis & siccis in sulphur, humidum enim istud in terram pedetentim pinguem & limo plenam convertitur coctione sua, dum ab impuritatibus suis & excrementis non expurgatur, quæ quidẽ terra impregnata humido illo impuro pingui & viscoso, dat verum nostrum vulgare sulphur, quod quidem aliquando in locis subterraneis, caliditate & siccitate terræ, in qua producitur, inflammatur & ignescit, hinc flammæ æternæ, ex terra erumpunt cùm & perpetuum illis enutriendis substituatur alimentum sulphure de novo producto, & semper adaucto: hoc autem sulphur, ita à natura productum tantis & tot excrementis scatet, ut quod illo latet boni evanescat, & pereat unà cum illis excrementis. Est tamen in illo tinctura rubea, sed volatilis & corruptibilis, quam quidẽ perficere posse nullum est dubium, si excrementa illa separentur per solutionem veram & physicam quæ corruptionem sequitur partium excrementitiarum, quæ tunc temporis facili negotio possunt separari, & tinctura illa vera rubea perfecte coqui & figi potest, ut perfectionem acquirat, & virtutes & proprietates naturales & innatas habeat, quæ quidem magnæ & insignes, modo subiectum quo clauduntur perficiatur & ab excrementis terreis suis vindicetur, tunc enim ex ignibili corpore & inflammabili, exsurget corpus incombustibile purum & perfectum, & aurum commune superabit, & cum auro Philosophorum æquales habebit virtutes & energias.

Flamma eructantes ex terra.

Ex communi sulphure aurum Philosophorum fieri potest.

Sulphur commune & Sulphur Philosophorum, qua ratione inter se differant.

CAP. XLIV.

SVlphur commune jam declaravimus quid sit, nunc Sulphur Philosophorum declarandum est, ut

Sulphur commune & Philosophorum qua ra-

 hinc

tione inter se differant. hinc eorum differentia innotescat. Sulphur propriè Philosophorum est ignis naturæ rebus omnibus inclusus, & præcipue ignis ille naturalis qui sali eorum & lapidi includitur, cuius beneficio lapis ille seu sal, sua miracula facit, ne credatis, quæso benevoli lectores sulphur Philosophorum esse quid palpabile & visibile, nisi pro subjecto in quo clauditur sumatur. Nam sæpissime ita accipitur à Philosophis. Lapis siquidem eorum, sulphur eorum dicitur, quòd in eo lapide includatur. Proprietas tamen est ignis naturæ, in ipso lapide inclusus, seu lumen creatum & astrorum omnium vis & potestas; quæ in ipso lapide viget quæque dicitur sulphur Philosophorum, quòd à Philosophis præparetur & per præparationem hanc ad hanc actionis virtutem & energiam deveniat, unde cum ope & ministerio Philosophorum ad hunc perfectionis gradum deveniat, jure merito dicitur sulphur Philosophorum. Vnde cùm hoc sulphur tantam perfectionem habeat, ut majorem habere non possit, & sulphur commune summa scateat imperfectione & corruptione, differentia est inter ipsa quammaxima, & his declaratis satis nota & manifesta est.

Sulphur Philosophorum quid sit



De Arcenico & Auripigmento communi quid sint, unde sint & quid possint.

CAP. XLV.

ARcenicum & auripigmentum, principiis radicalib⁹ suis omnibus non differunt, habent enim unum & eundem Mercurium, & eundem salem, sed non uno & eodem sulphure constant: Arcenicum siquidem sulphure albo constat, auripigmentum verò sulphure rubeo. Et nihil aliud sunt, quàm humidum viscosum aquæ & aeris luculentum salis, & terreum coctum & induratum, & sulphure albo & rubeo delibutum, aliquo peculiari astro eiusque influxu determinatum, in Arcenicum vel auripigmétum, à quo peculiari astro suscipit qualitates illas malignas & venenatas, adurentes & causticas, quibus operatur ve'ut ignis contra naturam: ut enim in naturæ puro latet ignis naturæ, sic & in impuris & excrementis naturæ, latet & viget ignis contra naturam, qui multiplicatur & crescit influxu maligno Saturni qui præsidet secundùm malignitatem suam productioni & generationi Arcenicali: & omnes aliæ stellæ, quæ Saturni imitantur naturam: malignam suam etiam dant operam, ut Arcenicalia hæc venena in terra producantur, in quibus turgent Sulphur & sal causticum & adurens, Mercurius verò

Arcenicum & auripigmentũ quid sint.

Arcenicũ & auripigmẽtum unde habeãt qualitates venenatas.

verò infimum tenet locum, & malo reliqua principia unit & nectit, De his plura diximus in compēdio nostro secretorum Chymicorum capite XI. libri tertii, Ubi si maiora cupiat lector, eundem relegamus, Virtutes eorum venenatæ sunt nec possunt corrigi, nisi in principia sua redigantur & putrescant & putrefactæ, ab impuritatibus vindicentur, & puræ factæ coquantur in salem purissimum, album vel rubeum, qui infinitarum est virtutum & proprietatum.

De Arcenico & auripigmento Philosophorum.

CAP. XLVI.

Arcenicū & auripigmentum Philosophorum quid sit & unde sit.

MIra & rara in pluribus locis reperiuntur de Arcenico & auripigmento Philosophorum, quid autem illud sit, pauci sciunt, est tamen summe necessarium Chymicis omnibus, scire quid sit Arcenicum & auripigmentum Philosophorum, Arcenicum ergo Philosophorum est sublimatum album eorum, & auripigmentum eorum est sublimatum rubeum eorundem, pars figenda sola coctione. Dum enim sal metallicum solutione sua & purificatione, in altum sublimatur, ut in siccitate sua melius vindicetur ab excrementis, albedine præcellit, & tinctura volatili ita ut arcenicum commune & vulgare imitetur, ideò nuncupatur Arcenicum: nihilominus tamen differt ab ipso arcenico communi & vulgari, idem de auripigmento Philosophorum dicendum censemus, cùm pars ad rubeam tincturam destinata, & ex auro communi extracta, dum aqua nostra volatili, volatilis fit, & auripigmenti colorem acquirit auripigmentum dicitur, cùm aliqua ratione auripigmenti sequatur naturam: humido enim pingui aeris & aquæ constat, & venenatam habet qualitatem, quæ à cruditate sua ortū habet hæc enim materia cruditate sua & imperfecta coctione venenum summum est, & perinde à Philosophis omnibus venenum nuncupatū. Nec est dubitandum quin in ipsius coctione, dum adhuc cruda est & imperfecta, descendant spiritus maligni saturnini, ut in pductione auripigmenti, & arcenici vulgaris descendunt: spiritus enim hi cœlestes, imperfectionem & cruditatem semper sequuntur & in ea radicantur. Ita ut hæc venena imitentur omnino naturam Arcenici & Auripigmenti vulgaris.

Auripigmentum Philosophorum quare venenum sit.

De Bitumine & Naphta quid sint, unde sint & quid prosint.

CAP. XLVII.

Bitūmen & Naphta quid sint & unde sint.

BItumen & Naphta sunt eiusdem naturæ & essentiæ, & sunt ambo resinæ & pinguedines aquæ, quæ ex humido viscoso aeris & aquæ ortum habent, & nihil aliud sunt quàm pinguior pars ipsius hu-

midi viscosi aeris & aquæ, cocta in Bitumen & Naphtam. Ut enim in vegetabilibus pars pinguior mutatur in resinam, therebentinam & alia gummi genera, quæ ignem concipiunt & flammam, propter partem illam pinguiorem quam habent illius humidi viscosi aeris & aquæ, quæ ex se ipsa ignibilis est, & facile flammam concipit, quòd multum ignis contra naturam in materia cōsumptibili in se contineat. Sic etiam in mineralibus pars illa pinguior humidi viscosi, mutatur in Bitumen & Naphtā, quæ sunt species sulphuris seu resinæ terrestris, ab aqua in ipsis visceribus terræ productæ. Differunt Naphta & Bitumen tenuitate & subtilitate substantiæ, Naphta subtilior multo est bitumine & censetur flos bituminis, & adeò subtilis est, tantamq; cognationē cum igne habet, ut viso igne, ipsum concipiat & ignescat, ut apud Babylonienses expertus est Alexander Magnus. Ex his terrestribus & aquatilibus resinis parantur ignes & flammæ inextinguibiles. Possunt ex his parari olea stillatitia plurimarum virtutum, ad humores frigidos discutiendos, & tumores hinc ortos.

Naphta & bitumē qua ratione differant.

Essentia ex naphta & bitumine

De Carbone lapideo quid sit, unde sit & quid possit.

CAP. XLVIII.

Carbo lapideus quid sit & unde fiat.

Ex eadem materia ex qua producitur Bitumen & Naphta, ex eadem & simul producitur carbo lapideus, non enim est aliud carbo lapideus, quàm Bitumen congelatum & induratum à copioso sale quo turget carbo lapideus & quo differt ab ipso bitumine humidū enim viscosum aëris & aquæ, dum coquitur ab interno calore terræ & astrorū pars aquosior sublimatur in vaporē pars pinguior & crassior remanet in visceribus terræ, ubi à calore terræ & copia sui salis interni congelatur in lapidem nigrū qui cùm habeat terrestrem pinguedinem multam, ideo sulphuris instar ignescit, & flammā cōcipit, & veræ partes ejus sulphureæ sunt, & sulphur olēt fœtidum & putrefactum, sunt enim partes sulphuris lutulentiores & crassiores & perinde fœtidiores, dum comburuntur, nemphytem enim putridam & fœtidam valde olent: Carbonum horum usus est plurimus & frequens in locis ubi copiosus est, ut in Germania & in locis aliis quāplurimis ubi adest pinguedo illa aquæ, in lapidem condensata qua utuntur omnes ad ignem enutriendū, tanquam ligno, quo carent, & loco illius natura & cœlum substituit carbones illos lapideos, ex quibus etiam præter hos communes & valde utiles usus, possent elici olea stillatitia, quæ à fœtore vindicata multis distillationibus sæpius iteratis, essent multum commoda ad tumores frigidos discutiendos, & dolores arthriticos sedandos ex causa frigida ortos, cùm salacre & mordax sua unctuositate temperarent.

Carbonum lapideorū usus.

Ex Carbonibus lapideis possunt elici olea virtuosissima.

De Ambaro quid sit, unde sit & quid valeat.

CAP. XLIX.

POst fœtidas & male olentes humidi viscosi aëris & aquæ productiones, justum & æquum est, ut bene olentes, & optime flagrantes productiones enarremus, inter quas sunt omnes species ambari grisei, lutei & nigri. Quid essent ambarum Antiquitus dubitatum est, jam non est in dubium revocandum, cum sit pinguedo aquæ marinæ ex humido eius pingui & resinoso, in rupibus ipsius maris enata fungorum instar, imbibuntur enim Saxa & Rupes marinæ & intra poros horum lapidū digeritur & coquitur aqua, subtilius evanescit in vapores, mittit ubiq; terra vapores, in ipsismet mediis undis, quòd crassius est & sale turget fit lapis, & sic crescunt rupes in medio mari, ex crassiori aquę parte, quod verò pinguius est, ex illa crassiori parte exsudat per poros lapidum & excrescit in ambarum griseum, si sulphure albo turgeat, in ambarum luteum, si sulphure luteo abūdet, in nigrum verò si nigro sulphure turgeat hęc materia, bene autem olent omnes hæ materiæ præsertim ambarum griseum. Cum sulphur aliquo modo fixum aquæ marinæ, propter puritatem bene oleat, ut patet ex sale marino qui pur⁹ putus bene olet, & violam sapit, & hoc habet ex sulphure puro quod in eo latet. Patet autem ambarum esse resinam, & pinguedinem aquæ marinæ, quòd liquescat igne & velut Cera liquescat & frigido cōgeletur, invenitur autem ad ripam maris inter arenas & Sabula, quòd ibi asportetur à fluctibus & averrūcetur ex rupibus, in quibus enasci solet. Potest etiam in ripis ipsis inter arenas produci, data causa productionis, humidum enim pingue illud humidi viscosi aquæ marinæ potest ibi excoqui & congelari tùm calore sui ipsi⁹, tùm calore solis in ambarū. Quod ego facilè crediderim, cùm nemo navigantium vidit unquā fluctuantē, & natantem aquis hanc materiam, quam ambarum dicimus. Sunt autē eius tres species, grisea, lutea & nigra, grisea præstat cæteris, tùm olore, tùm virtute. Cordis enim robur summoperè reparat, & vitæ nostræ vires & facultates, sulphur enim vitæ ejusdemque balsamum possidet summum, cum pinguedo illa quâ constat, sit vitæ nostræ pabulū summum: Redigitur in quintam essentiam, spiritu vini summoperè rectificato, & cum spiritu salis ab omni phlegmate vindicato, acuato & roborato, tunc enim cum illo spiritu facilè redigitur in oleum summoperè fragrans & olens, plurimarum virtutum, præsertim ad vitam refocillandam & senectutem retardandam, & venerem languentem excitandam.

Ambarum ignorarunt antiqui quid esset.

Ambari omnes species quid sint.

Ambarum cur bene oleat.

Ambarū cur inter arenas maris reperiatur.

Ambari virtutes insignes.

CONCLVSIO.

LIBRI QVARTI.

CAPVT ULTIMVM.

Omnia ex una fiant nõ tamen uno modo.

QUamplurima alia dici possent & enarrari de his quæ ex aqua producuntur, at ea quæ dicta sunt sufficiunt ad naturam reliquorum omnium quæ supersunt intelligendam: Cùm enim ab uno & eodem producantur, noto illo uno, satis nota sunt ea quæ ab illo fiunt, & dependent, modo via nota sit qua incedit natura ad illa omnia ex illo uno producenda, non enim una & eadem est via, sed varia ac omninò diversa, ut ex his quæ diximus satis patet, in his enim varietatem & distinctionem notavimus. Animalia, vegetabilia, & mineralia quamvis ab uno & eodem producantur, nihilominus tamen ab ipso uno varium observant producendi modum, qui quidem modus ipsa distinguit ut satis manifestum fecimus in his quæ diximus de cœlo, de aere & aqua. Jam verò superest ut libri huius colophonem absolvamus, quæ terræ insunt perquirenda: Singulis enim elementis mira insunt: quæ tribus superioribus insunt Elementis perquisivimus. Jam nobis quæ quarto & infimo insunt elemento perquirenda videntur: & sic anatomiam totius universi, Deo dante absolvemus & perficiemus in gratiam Chymiæ candidatorum: hoc enim volumine clarum erit, quid Chymia possit in indagandis naturæ secretis, ne in posterum nauci fiat ab his qui naturam indagare & cognoscere cupiunt, faxit Deus ut lecto hoc volumine palinodiam canent & Chymiam tanto amore persequantur quanto odio ipsam persecuti sunt.

Chymia potentissima ad naturam indagandam.

PANCHYMICI LIBRI QVARTI
FINIS.

PAN-



PANCHYMICI SEU ANATOMIÆ TOTIUS UNIVERSI.

LIBER QVINTVS ET VLTIMVS.

In quo de his omnibus quæ super terram reperiuntur Chymice tractatur, & ipsa terræ natura indagatur.

Terra quid sit & ad quid enata & producta ab ipso Deo.

CAPVT I.

Terra quid sit & ad quid enata.

TErra infimum & ultimum naturæ elementum, est crassior pars & pinguior materiæ primæ, quæ in centro & in medio mundi tanquam in infimo loco remansit ex creatione rerum cæterarum quæ per Divinam potentiam, ab ipsa materia prima separatæ fuerunt, remansit autem terra tanquam crassamentum & fæx, seu magma creationis. Postquam enim summus Deus naturæ huius Archytectus cœlos & omnia quæ in eis sunt ex materia illa prima separavit, & aërem & aquam & quæ his insunt

sunt distinxit, remansit supersititq; aliquid quod non cœlum fuit, nec aer, nec aqua. Et illud ipsum, terra dictum est, in qua, etsi in fæce mũdi, remansit aliquid cœli, aeris & a, quæ. Nam quicquid est in aliis naturæ elementis tenue & subtile, in terra est crassum & pingue. Unumquodque enim elementum ex materia prima à Deo ex nihilo creata ortum habuit, & nihil est aliud quàm materia prima, itaque terra æque est materia prima, ac cœlum, aer & aqua. In terra tamen materia prima est crassa, & pinguis & fœculenta, in cœlo verò & reliquis elementis est tenuis, & subtilis, & pura, in cœlo tamen magis quam in reliquis aliis naturæ elementis: Terra autẽ debuit esse crassa & pinguis, ut reliquorum aliorum omnium influxus, & proprietates incrassare & pinguescere, ut ita loquar valere posset, ad generationem rerum omnium, nisi enim terra esset talis qualis est semina reliquorum elementorum, quæ tenuissima sunt, & quasi invisibilia, corpus suscipere non possent, & ita res quæ in occulto sunt in seminibus elementorum visibiles fieri non possent, nec perinde generationes fieri possent. Terra siquidem digerit, & coquit reliquorum elementorum semina, & palpabilia reddit, ut hinc corpora rerum exsurgant, quæ quidem sine terra exsurgere non possent. Ad hoc ergo enata, & producta est terra à Summo Creatore, ut reliquorum elementorum virtutes, & proprietates, in ea coquerentur, ac digestione facta, & permixtione, res omnes enascerentur.

Terra cur crassa & pinguis.

Terra an sit Centrum mundi.

CAP. II.

Centrum dicitur illud, à quo ductæ omnes lineæ ad superficiem sunt æquales: Certissimum autem est, à terra ductas lineas ad Firmamentũ omnes esse æquales, cùm ex quacumq; parte terræ firmamentum dividatur in medias duas æquales partes quod fieri non posset, si à terra ad firmamentum ductæ lineæ non essent æquales, firmamentum autem dividi in duas æquales partes ex quacumq; parte terræ, patet experiẽtia, cum videamus ex quacumque parte terræ, sex Zodiaci signa, ex duodecim quæ in toto Zodiaco reperiuntur, quæ firmamenti ambitũ omnem constituunt. Cùm ergo firmamentum ita dividatur, quod censetur superficies istius mundi; lineæ ductæ fieri à terra ad firmamentum erunt æquales & perinde terra erit centrum mundi. Est etiam centrum mundi, cum ad id omnes mũdi seu totius naturæ virtutes & proprietates tendant, & conferantur: Cœli enim omnes confluunt, & projiciunt suas virtutes & energias, & omnia reliqua elementa, ergo quòd in terram confluant omnia, terra erit centrum eorum, cùm in ipsum naturaliter tẽdant, & id in quòd tendunt sit centrum; unum

Centrum quid dicatur.

Terra est centrum mundi.

unum quodq; enim in centrum suum tendit tanquam in fontem, à quo ortum & originē duxit: omnia autem à terra, non ut est elementum simplex, sed ut est corpus ex materia prima in centro naturæ relictum post creationem rerum omnium: Terra autem continet corpus illud materiæ primæ, ex creatione relictum, & perinde omnia ad terram tendunt, ut materiæ suæ primæ, ex qua ortum suum habuerunt uniantur & conjungantur: his ita positis, ac declaratis facile concludimus terram quam videmus, quamque calcamus esse mundi centrum, ad quod omnia tendunt, ut materiæ eorum primæ uniantur ut iterum hinc resurgant nova, & recentia.

Cur omnia ad terram tendant.

Terra an moveatur & reliqua elementa quiescant.

CAPUT III.

Terra non movetur sed omnino quiescit.

INsignis & summus datur hujus opinionis author ac defensor, Copernicus nuncupatus, qui suis subtilibus argumentis defendit terram moveri motu circulari, circa alia elementa, quæ circa terram etiam mota moventur. Sunt autem argumenta sua, subtilitates animi sui, nec existimo, id ipsum in corde suo verum reputasse sed proposuisse tanquam animi sui acumen: In rei enim veritate terra quiescit tanquam mūdi centrum, & omnium elementorum fæx & amurca, quæ propter crassitiem inepta est ad motum, videmus enim subtilia elementa moveri, & quo subtiliora sunt eo citiùs moveri Cœlum elementorum omnium subtilissimum citius omnibus elementis moveri, & id propter tenuitatem & raritatem materiæ suæ, quæ formam subtilem admodū in se coercet motus omnis principium & causam: Ubi fiunt mixtiones & rerum omnium productiones & generationes, quies summa necessaria est, cùm rerum putrefactiones in motu perenni & perpetuo fieri commodè non possint, motus enim ipse impedit corruptionem, ex qua generationem & productionem fieri credimus: Legi naturali repugnat ut quod motui aptum est, quiescat, & quod motui repugnat moveatur. Terra autem motui repugnat cum sit naturæ veluti corpus & reliqua elementa sint veluti naturæ formæ, forma siquidem est subtile & tenue totius naturæ, & corpus est crassior ejus pars, forma verò per ipsummet Authorem Nicolaum Copernicum, est principium motus, neque terram unquam formam asserere naturæ posset, cùm neque conditiones & qualitates formæ habere possit. Et nos ex principiis Chymicis asseruimus, & probavimus multis in locis, principium motus esse Lucem creatam, quæ naturæ vera forma est. Terram autem quis lucē dicet, cùm ex ea sola tenebræ exoriantur & verè in ea habitent. Cùm ergo Lux sit principium

Rationes quibus terrā quiescere probatur.

motus, in quo erit habitatio lucis, ibi & erit habitatio motus. Et cùm tenebræ sint principium quietis, ubi aderant tenebræ ibi & aderit quies. In terra autem sunt tenebræ, in terra ergo erit quies. Id autem ipsum patet experientia quotidiana, ubi enim mors lucem, seu vitam fugat, ibi statim introducuntur & tenebræ, & cessat motus, si quis sit, ex vita & luce. Quòd si hæ rationes, non sufficiant his, qui contrariam tuentur opinionem spiritui sancto fidem saltem habere debent, qui in sacris literis multis in locis voce magna clamat: Reducam eos de terra Ægypti dixit Dominus extendens cœlum & fundans terram, & Psalmo 101. Initio tu Domine terram fundasti, & Psalmo 136. qui firmavit terram super aquas. Et in Proverbiis 4. Dominus sapientia fundavit terram. Et Ecclesiast. 1. terra autem in æternum stat.

Zacch. 12.

Terram nō moveri sacra testantur pagina.

His ita ergo positis & declaratis facilè concludimus terram non moveri sed sumopere quiescere, & stare in loco suo, & reliqua ipsa elementa circa ipsam moveri, ut quod est in ipsis elementis principium motus, figatur in terra, & quiescat: cum fixatio & coagulatio est principium quietis, ut ipsamet testatur experientia.

Terra an Vitali Spiritu totius naturæ impregnetur.

CAPUT IV.

Reliqua naturæ elementa spiritu vitali illius impregnata vidimus, & probavimus. Quidni ergo terra etiam erit eodem spiritu vitali impregnata? cùm in ipsa fiant generationes & productiones rerum multarum, quæ fieri non possent absque spiritu vitali naturæ, cui soli debentur generationes, & productiones rerum omnium. Imò terra potiori jure impregnatur illo vitali spiritu, quam reliqua omnia elementa, cùm reliqua impregnentur propter terram, nam verè impregnantur illo spiritu, ut ad terram deferant, tanquam ad naturæ gremium in quo solo debet ad actum deduci, & ad ea ad quæ destinatus est spiritus ille, promoveri potest: Destinatur autem ad productiones rerum sed priùs oportet ut terram petat, & in ea corpus suscipiat, nisi enim corpus suscipiat corpora producere non potest. Est enim spiritus ratione aliorum elementorum tenuium, & subtilium, corpus autem dicitur ratione terræ, quæ cùm crassa sit & palpabilis, corpus propriè dicitur: reliqua autem elementa etsi corpora sint cum tamen tenuia sint, & subtilia valdè, non propriè dicuntur corpora, sed spiritus. Sed terra propriè tantum dicitur corpus, unde ex terra tan-

Terra vitali spiritu impregnatur.

Spiritus universi in terra, ola. corpus suscipit.

tùm

tùm spiritus universi corporis naturam induit. Quare jure merito spiritus universi terram impregnare debet ut in ea corpus suscipiat, & inde generationes productiones rerum fiant alioquin enim fieri non possunt: cum generationes & productiones rerum omnium, ad corporis alicujus naturam & essentiam tendant, hæc autem corporis essentia & natura, ex terra potissimum ortum habet, unde spiritus universi qui est præcipua causa productionis, ad terram tendit, ut in ea conditiones & qualitates corporis acquirat, & sic ad generationes aptus & idoneus fiat, his ita positis concludere necesse est. Terram vitali naturę spiritu impregnari debere, ut vitalis ille spiritus corporis naturam acquirat, & sic corpora rerum omnium producere possit.

Terra cur impregnetur spiritu vitali.

Terra an sit mater rerum omnium.

CAPUT V.

Terra est mater rerũ omnium.

TErra cùm nutriat, conservet & producat res omnes, jure merito dicitur mater rerum omnium. Nutrit enim res omnes, cùm in ea reperiatur rerum omnium alimentum, spiritus siquidem universi in ea reperitur, qui verum est rerum omnium alimentum, spiritum autem esse rerum omnium alimentum inde patet, quòd ex eo solo habeant nutriri, & verè nutriantur, ut patet ex ipsa experientia, nam quidquid in terra est, & in ea vivit, nō terra nutritur, quod sit crassior & crassitudine sua non potest deferri ad omnes aliti partes, ideo oportet ut alimentum sit subtilius terra, ergo est aliquid in terra, quod est alimentum rerum omnium, quæ in terra vivunt, illud autem esse spiritum universi quo impregnatur terra oportet, cùm nihil aliud sit in terra, quod alimenti conditiones, & qualitates habere possit, præter hunc spiritum. Terra ergo cum habeat hunc spiritum, foveat & conservet in suo sinu, & eo spiritu nutriat & producat res omnes, jure merito dicetur mater rerũ omniũ: his ergo ita positis cōcludemus. Terram esse matrem rerũ omnium, quod producat nutriat, foveat, & conservet res omnes, quæ in ea sunt, & super eam reperiuntur, beneficio sui spiritus, qui rerum omnium alimentum verum & unicum est.

Alimentum rerum omnium quale in terra.

Spiritus universi est verum alimentum.

Terra an unquam cæteris elementis Claritate & subtilitate, aquabitur.

CAPUT VI.

Terra an purissima fiat.

MUlti Patrum tùm Antiquorum tùm recentium existimāt, in renovatione mundi, terram mundari ab excrementis suis omnibus & subtilitate summa & claritate donari, ita ut Cristallum & vitrum purissimum claritate & lumine vincat, purum enim separabitur ab impuro & impurum projicietur in abyssum tanquam quid adventitium, & heterogeneum naturæ, non potest enim, nec debet natura semper impura & corruptio-

ruptioni obnoxia esse, debet tandem emergi ab ista quâ nunc detinetur corruptione. Adeo ut si vindicetur in renovatione mundi, ab impuritate sua. In renovatione etiam mundi, pura erit & nitida, & cæteris elementis claritate & subtilitate proportione quadam æquabitur. Jam verò omnia reliqua elementa puritate & subtilitate vincunt terram ipsam, quòd in ea deponant suas impuritates & feces propter generationem & productionem rerum quæ inibi fieri habent, & quibus faciendis, necessariæ sunt feces, impuritates & excrementa elementorum omnium, ut hinc corruptio exsurgat quæ est principium generationis & productionis, sine enim excrementis dissolutio rerum fieri non posset, cùm unitas partium adeò firma esset ut dissolvi non possit, & si non dissolveretur, nova corruptio introduci non posset, nec perinde generatio & productio fieri posset. In renovatione autem mundi, non erit necessaria generatio & productio eorum. Cùm tunc temporis erit ultima quies naturæ, & ultima perfectio, unde cessabunt generationes & productiones rerum, & elementa omnia ultimo purgabuntur & subtiliabuntur ultima purificatione, & subtiliatione. Quapropter tunc temporis terram purissimam & claram efficiet Deus & omnes impuritates suas in abyssum projiciet, unà cum peccato quod est sola est unica causa harum impuritatum: Et perinde terra & reliqua elementa vindicabuntur impuritatibus suis, & clara & nitida fient. Hinc concludemus Terram aliquando depurari debere & ad supremam puritatem evehi, adeò ut reliquorum elementorum claritatem & candorem, proportione quadam æquabit.

In renovatione mundi non erit productio & generatio rerum.

Terra Chymicorum quid sit & qualis.

CAPUT VII.

Terra Chymicorum quid sit & qualis.

TErram habent Chymici Philosophi, in qua radicantur eorum arcana & secreta, in qua producuntur eorum metalla, ex qua scaturit eorum fons, quam circuit mare eorum, & quam serpentes eorum habitant, nihilque aliud est quàm sal metallicum purum & perfectum ex metallis, fodinis & principiis extractum & fixum factum coctione perenni. Sine hac terra nihil perfici potest in Chymicis arcanis in terra siquidem Chymica fixatur & coagulatur Chymicorum Mercurius, ex quo lapis Philosophorum præparatur. & elixir eorum, sine enim terra Chymica Mercurius Philosophorum haberi non potest, nam aqua Chymica ex qua fit Mercurius, cùm solvit terram Chymicam incorporatur cum ea, & subtilem ejus elevat partem & ex ea subtili parte cum subtiliori aquæ parte, fit verus Philosophorum Mercurius, ex quo solo paratur arcanum summum illud, de

quo

quo tanta apud Chymicos Philosophos: Terra ergo Chymica est fundamentum istius arcani, & ortum habet ex metallis, & spiritu volatili & igneo mineralium & præsertim salis nostri, qui turget & abundat ipso spiritu igneo & aquoso, in quo ignis & aqua societatem inierunt. Et deinde dum ille ignis & aqua, terræ metallicæ conjunguntur, terra fit volatilis, & aerea, & sic in ipsa terra, quatuor convertuntur elementa, & pacem ineunt dum in ipsa fixantur & coagulantur: Perinde multi Chymicorum Terram Chymicam, ex quatuor elementis constare dixerunt & eam ipsam ex ipsis elementis originem habere asseruerunt, quod vulgariter intelligi non debet. Nam elementa Chymicorum varia sunt ac diversa ab ipsis naturæ elementis: nam ignem dixerunt eorum aquam, aerem verò terram volatilem; Aquam autem spiritum humidum ipsius aquæ. Et terram dixerunt illa omnia omnia in unum coagulata & fixata. Et illud omne nihil aliud est, quàm metallum dissolutum in semen suum, ex quo ortum duxit per semen ipsum suum, & in terram puram, nitidam & claram, tingentem & penetrantem redactum, quæ salis veri naturam sapit.

Terra Chymica est fundamentum mercurii Philosophorum.

Elementa Chymica quid sint & qualia.

Terra Elementaris cur non omnia ferat & producat.

CAPUT VIII.

Non omnis fert omnia Tellus, inquit proverbium, unde autem illud sit pauci sciunt, terra siquidem spiritu cœlesti fœcunda omnia producere potest, habet enim quicquid illi necessarium est ad productionem rerum. Et nihilominus nō producit cuncta, quòd non ubique disponatur ad cuncta, nec ubique reperiatur semen generale ad cuncta procreanda dispositum. Quamvis enim habeat semen generale, illud tamen fit statim particulare, ad hoc vel illud ex dispositione particulari loci, qui semen generale mutat, & particulare reddit, secundùm suam particularem pispositionem, quæ ex astris particularibus ortum habet, quæ semen particulare, & individuum terræ infundunt: & generale illud semen individuant & particulare faciunt suis peculiaribus influxibus, hinc oritur peculiaribus in locis urtica, hinc melisophillum, hinc philipendula, & sic de cæteris, quæ peculiaribus in locis enascuntur nulla cultura, quæque tamen in aliis locis enasci non possunt, ullo artis regimine & industria.

Cur omnis terra non omnia ferat.

Semen generale quomodo fiat particulare.

Terra ergo non ubique omnia producit, quòd non ubique ad omnia disponatur propter cœlum, quod ubique diversum est, & distin-

ctum, variis ac diversis ornatum astris, quæ varios ac diversos habent influxus, beneficio quorum terra variè ac distinctè disponitur ad peculiaria producenda, quæ ubique enasci & produci non possunt, cùm non habeant ubique cœlestem spiritum quò foveantur, & nutriantur, & ad germinationem promoveantur. Semina enim indita terræ, ut germinent & floreant, ac fructus producant, egent peculiari astrorum influxu, quo foveantur, nutriantur, & ad germinationem promoveantur, alioquin pereũt & moriuntur in ipsis terræ visceribus: Astrorum enim influxus spiritus est qui formam interiorem seminum suscitat ad germen, si sit ejusdem essentiæ, cùm ipsa forma interiori ipsius seminis terræ mandati, alioquin non suscitat, cùm à similibus hæc fiat actio. Ubiq; autem influxus non potest esse similis essentiæ & substantiæ cùm seminibus terræ creditis, cùm semina sint varia, & cœlum item varium. Vnde in seminibus terræ credendis, & cœlum est pernoscendum seminaque item cognoscenda, quæ terræ credi & mandari debent. Alioquin inanis, & vana erit omnis seminatio, quæ secundùm cœli conditiones, & terræ fieri habet, ut segetes ingentes & fertiles hinc exoriri queant, ad commoditatem & ad spem gratam Colonorum omnium, unde Agricultura Astrologiâ opus habet & indiget.

Influxus astrorum quid & qualis.

In seminibus terræ credendis quid necessarium. Agricultura astrologia eget.

Cur Terra non una & eadem sit ubique terrarum.

CAPUT .XI

CLymata terræ varia sunt, ac diversa per totum terrarum orbem, nec una & eadem esse possunt. Cùm terra tota cœlo subjiciatur, quòd quidem cùm varium ac diversum sit, terram variat ac distinguit suis variis influxibus, & sic clymata varia sunt ex diversis cœli partibus, quæ variis ac distinctis astris decorantur, quæque partem cœli distinguunt, & perinde partem terræ. Imò etiam quod clymati huic inest, & in eo producitur varium est & distinctum ab eo & simili ratione, uti capite præcedenti asseruimus & demóstravimus: Dependet enim præcedens hæc quæstio à præsenti vel è contra præsens à præcedenti. Id autem sic esse oportet, & fieri habet ob nobilitatem & præstantiam mundi hujus qui ideo mundus dicitur & nuncupatur, quod in uno mundo varii & infiniti mundi sint, tot enim mixta, tot mundi habentur, & hæc omnia unum constituunt mundú. Vt ab uno creata sunt, ab uno fiunt, nutriuntur & conservantur & perinde unum constituunt, quod quidem mundus dicitur, propter pulchritudinem quam in unitate & varietate ostendit: Quid enim hoc esset si unum tantùm & idem reperiretur in mundo, non esset mundus, quòd mundus in varietate, & distinctione

Clymata terræ varia esse oportet.

Mundus in varietate.

ctione consistat, quæ quidem varietas, & distinctio in unitate interna sedem habet, quod quidem rarum & pulchrum est, nec pulchrius reperiri potest.

Quapropter terram non unam & eandem esse oportet, ob mundi hujus pulchritudinem, qui alioquin mundus esse non posset nisi terra varia sit, & distincta quæ plura & varia proferat, hæc enim multitudine & varietate sua mundum constituunt: Ut ergò hæc multa sint & varia terram non unam & eandem esse oportet. Cùm si una esset, varia nō produceret: Varia necessaria sunt ad mundi constitutionem, terram etiam non unam & eandem esse necesse est, sed variam & multiplicem multis ac variis clymatibus distinctam, in quibus varia ac multiplicia rerum mixta producuntur, quæ alioquin produci non possent, nisi terra varia & distincta esset.

Varia rerū mixta necessaria sunt ad mundi constitutionem.

Terræ motus ut fiat, & quid prosit & noceat.

Caput X.

Terræ motus unde fiant & extinguntur.

TErra variis in locis aliquando ita concutitur, ut tremore quam maximo quatiatur, domus evertuntur, & civitates integræ susque deq; subvertuntur imò degluttiuntur in profundis ipsius terræ visceribus ita ut nusquam appareant. Causam hujusce motus quæsivit Aristoteles & asserit esse vapores & exhalationes quæ in visceribus terræ includuntur, & cum non habeant liberum exitum, excrescunt magis ac magis & poros terræ implēt, & ejus cavernas, easq; tanto impetu convellunt, ut pars superior terræ tollatur, sursum versùs, ad exitum vaporum, & exhalationum. Ita ut terra circú circa, magno tremore cōcutiatur, hinc terræ motus exsurgit: Calor enim centralis terræ, à quo suscitantur vapores, & exhalationes, quo magis obstruuntur pori, & meatus terrestres, eo magis excandescit, & fortior fit calor, adeò ut vapores, & exhalationes etiam excrescant & majores fiāt. Donec terra magno impetu adaperiatur, & in ipsa adaperta, terra circumcirca tremit, & motu tremulo quatitur, magno civitatū incommodo, nam Domus, Turres, Palatia, Ecclesiæ, & reliqua ejusmodi ædificia altissima ruunt, ubi excitatur hic motus. Semper autem summoperè nocet terræ motus, nam inde exeunt copiosi vapores & exhalationes putres & sæpe sæpius venenatæ, ex quibus pestes, & morbi contagiosi sæpissimè exoriuntur. Et raro commoda, ex terræ motu exoriuntur, nisi ratione naturæ universalis quòd deobstruantur pori & meatus terræ, & detur facilis exitus spiritui mundi, & naturæ, qui ex centro terræ, ad superficiem reliquorum elementorū motu perenni deferri debet, ad nutrimentum & generationem rerum omnium: Malū enim est morbus naturæ, obstructio terræ, & retētio horum spirituū, vaporum & exhalationum:

Ex terræ motu aliquando pestes & morbi alii contagiosi.

Commoda ex terræ motu.

num: ut deobstruantur pori, & exeant vapores & exhalationes & curetur ita hic morbus necesse est, ut terræ motus fiat, & perinde bonum est, ut sæpe sæpius fiant terræmotus, ut deobstruantur pori terræ, & facillimè exeant spiritus, ex quibus nutrimentum rerum, & generatio scaturiri solet.

De terræ cavernis, & antris mirabilibus.

CAPUT XI.

Cavernæ mirandæ in sinu terræ.

MIrabiles & stupendæ reperiuntur Cavernæ, & Antra prægrandia in terræ sinu, quæ nulla arte facta fuerunt sed naturali artificio facta reperiuntur. In quibus miranda & stupenda reperiri contingunt, lapidea, marmorea, ferrea, gypsea, & arbores lapideæ & marmoreæ, figuræ & effigies variæ rerum ferè omnium, ut hominum, brutorum, æquorum, boum, Canum, volucrum, serpentum, draconum, monstrorumque variorum, & aliarum rerum, adeò ut antra illa officinæ ingentes & magnificæ, omni artificum supellectili exornatæ videantur.

Vnde fiant cavernæ & antra in sinu terræ.

Vnde autem hæc antra in intimo terræ, naturali artificio facta fuerunt, jam nobis est disquirendum. Ut enim à creatione mundi, semper & assiduè, vapores & exhalationes, quæ à centro terræ ad superficiem ejus ascendunt pellente spiritu mundi, & movente hos vapores, terram nunquam deliquerunt, at assiduò huic adhæserunt, ut generationes & corruptiones rerum, quæ ab initio creationis mundi ortum habuerunt, nunquam desisterent. Semper ergo ascendunt vapores & exhalationes, movente & stimulante spiritu, qui est horum vaporum verissima & unica causa. Dum autem ascendunt in ascensu materia eorum crassior & spissior congelatur in lapides, & cùm non sit uniformis, & homogenea materia vaporum sed permixta lutosis & limosis terræ spurcitiis, hinc fit ut inter lapides coaguletur limus & lutum istud, quod vaporibus semper ascendentibus, & in aquam mutatis frigiditate terræ & antiperistasi, mutatis anni temperamentis dissolvitur & diluitur, tanquam quid lutosum & solutu facile, hinc abit & ad imas terræ tendit partes, remanente materiâ lapidea firmiter congelata, quæ fornices illos miros, & antra concamerata parat, cum lutosum & limosum, quod ascenderit unà cum vaporibus & exhalationibus, dissolvatur & diluatur aquosa vaporum materiâ, & dilutum tendat ad imum, remanente in cavitate vacua, quæ antea lutosa, & limosa quædam materia replebatur.

Vaporum & exhalationum vera causa est spiritus mundi.

Effigies rerũ variæ in cavernis terræ unde sint & fiant.

In his antris & concameratis terræ locis, ludit mundi spiritus, in quibus dum ascendit unà cum vaporosa materia, miras illas rerum omnium effigies, quæ hic visuntur effingit,

git, ut capite 21. libri quarti, sectionis sextæ hujusce voluminis fusè admodum videre est. Ludit tamen præcipuè mundi spiritus hisce in locis concameratis, suo naturali artificio, quòd ibi calor suus naturalis, & ingenitus manifestè appareat, & sensibilis fiat, & perpetuus & perennis certo in gradu fiat, quibus in locis, natura ipsa potentiam & energiam suam miris in modis ostendit, nam suo illo solo calore naturali & insito, qui in cavernis illis viget & floret, morbos ferè omnes curat, qui curatu apud Medicos difficiles admodum, ne dicam impossibiles habentur, Nam radii illius lucis creatæ, qui sua penetrandi facultate terram, universam undique penetrant ad centrum suum usque, ut ubique terrarum, fixum & insitum calorem nativum rerum omnium refocillent & restaurent, tantæ sunt virtutis & energiæ, ut quod mancum est, & ferè mortuum defectu caloris illius nativi citò restaurent, & reparent, evacuatis per cutem, frigidis & humidis, viscosis, & tenacibus humorib⁹, solo elicito sudore. Quales habentur Cavernæ multis in locis, apud Europam, Asiam, Africam & Americam, de quibus in particulari aliquid dicere nimis tædiosum esset, propter longitudinem sermonum qui hîc impenderētur, ut multitudo locorum, & cavernarum mirabilium describeretur, unius tamen Cavernæ descriptio nobis sufficiet, quæ nobis instar omnium erit, nam effectus mirabiles reliquarum cavernarum quæ in universa terra reperiri possunt, ab una, & eadem causa dependent & originem habent. Hæc Caverna in Europa est, in regno Galliæ, in Provincia Rhuthenorum, vulgo *Rovergue* in loco dicto vulgo de *Cransac* ubi adsunt thermæ admirandæ virtutis, & potissimum Caverna & antrum, naturali artificio excavatum, ubi calor naturalis ipsius terræ excandescit, & Laconicum parit naturale, sive sudorificum locum, in quo ægroti & affecti arthritico dolore, podagra, chyragra, gonagra & schiatica passione, & colica, & paralysi stupore & tremore membrorum detenti miris modis solatium habent, si purgato corpore, & præparato ut decet, antrum illud subintrent ibique per horam nudi linteis involuti, & capite tecto, sudorem expectent, donec copiosè effluat, & hinc rectè involuti cubilia petant, ut linteis siccis & frictione moderata, sudorem abstergant. Et hoc multoties repetendum est, idque mane jejuno ventriculo, aut solum cochleari unico aquæ cinamomi assumpto, ut cor defendatur, ab atris exhalationibus & virulentis vaporibus, qui antrum occupant. Sic corpus purgatur & vindicatur ab humoribus frigidis & serosis, adaucto calore naturali ægrotorum, per calorem antri istius, qui sua penetrandi facultate & bezoartica virtute, poros corporis aperit, & elicit hos humores per sudores,

Caverna loci de Cransac virtus & energia.

Natura nobis laconica parat. res, morbos prædictos efficientes. Sic natura ipsa nobis subministrat laconica illa & sudorifica admiranda.

DE QVADRVPEDIBVS QVÆ SUPER TERRAM REPERIUNtur & primò de Leonibus.

SECTIO PRIMA.

Leo quid sit, unde fiat & vivat & ad quid factus fuerit.

CAPUT I.

Leo quid sit & unde vivat & fiat. LEo animal quadrupes, canis magni magnitudine robusta admodum fortitudine, præditus. Ex semine ejusdem animalis per coitum generatus, & productus, dividitur in marem & fœminam, Mas Jubas habet prægrandes, fœmina caret, longissima cauda sunt præditi omnes, & ea ad iram se excitant dum eâ latera sua diverberant. Carnes edunt, & voraces admodum sunt, longissimè tamen vivunt, cum calido potentissimo & forti admodum turgeant, unde & eorum fortitudo & corporis vigor dependet, & ortum habet, & eorum ferocitas & audacia: Calidum enim illud potentissimum est, & lucis creatæ excedit & superat qualitates, & ad ignis contra naturam facultates & virtutes potius extenditur, unde & Leones perpetuò febrire dicuntur, quòd eorum calidum innatum supra vires communes & leges extendatur, & febrem excitet quæ Leonibus febris non est, sed natale temperamentum: Prædâ vivit Leo, nec nisi carne aliorum animalium vivit, & videntur alia animalia nata fuisse ut Leoni sint alimento, non enim fœno, nec plantis, & fructibus arborum vivere potest, hæc enim nimis frigida & humida sunt & temperamento Leonum non respondent, oportet prius ut ab aliis animalibus coquantur & digerantur & transmutentur in carnem, quæ deinde Leonibus alimento esse potest, quæ calidior multo est, fœno & plantis multis quę multum à temperamento Leonum recedunt; factus est autem à Creatore Leo, ad pulchritudinem universi animaliũ enim omne genus habere debet universus, & perinde Leo factus est tanquam animalium brutorum caput & princeps ad terrorem peccatorum. Quantam enim fortitudinẽ & potentiam in creatore admirari debemus, si in creato Leone & ex pulvere facto fortitudinem & potentiam timeamus. Nec inutilis etiam est homini Leo, cùm ejus sanguis, caro, medulla & ossa sua plurimas habeant virtutes & proprietates ad varias hominum affectiones sanandas, ad dolores arthriticos potissimùm sedandos ex causa frigida ortos. Et ex eorum ossibus calcinatis sal educitur calculi & arenularum secretum & arcanum ut ex eorum temperamento sufficienter colligere possunt omnes, qui naturam rerum creatarum exquirere tentant.

Leones cur longissime vivant.

Leonum ferocitas unde.

Leo unde vivat.

Leo cur factus sit.

Leonis virtutes & proprietates.

Quam-

Quamvis enim nec sanguinem, nec medullam, nec ossa Leonum præ manibus unquam habuerim, non inde arguendum est, virtutes earum rerum me ignorare debere, cùm has virtutes colligam ex Leonum temperamento quod mihi satis notum est ex solo visu & intuitu ipsorum Leonum, lutei enim coloris sunt omnes Leones & coruscantibus oculis, & quasi flammam & ignem emittentibus, quæ omnia temperamentum calidissimum testantur.

Leonum temperamentum unde colligatur.

DE NATURA ET ESSENTIA EQUORUM.

Equus quid sit, unde enascatur & vivat & quid valeat.

CAPUT II.

Equus quid sit unde fiat & vivat.

EQuus animalium ferè omnium generosior & nobilior, & audacia & magnitudine animi Leones ipsos æquat, si saltem non vincat: ex semine ejusdem speciei per coitum generatur & propagatur, illud autem semen ortum habet ex purissima alimenti equini parte quæ depuratur naturaliter in vasis ad hoc à natura destinatis, & ad vasa spermatica, ultimò demandatur ut tandem ultimò perficiatur & coquatur, hinc tandem stimulante natura, rostro naturali deferri cupit in vulvam equinam, ut ibi per annum integrum coquatur, & illa coctione in equum perfectum desinat, qui tempore suo exit, ut lacte equino, & alimentis aliis naturalibus ultimò perficiatur. Perfectus & completus vivit fœno, hordeo, avena, & aliis ejusmodi naturalibus alimentis quæ ex humido radicali naturæ ortum ducunt, ex quo fonte omnia scaturiunt, & in illum redeunt: fœnum, hordeum, & avena digestione in ventriculo equi, fiunt equus. Et Equus dum post mortem suam putrescit redit in elementa, quæ transeunt in humidum radicale naturæ, quod facili via fit fœnum, hordeum & avena, sic Equus fit hordeum, fœnum & avena. Et avena, hordeum & fœnum fit Equus, alterationibus prævijs. Multis usibus Equus est homini. Primò Equi generosi ad bellum gerẽdum & equitandum destinantur. Alii verò minus generosi & nobiles ad vecturam & agriculturam, ad arandum & agros colendos. Secundò adeps & medulla equorum summoperè prodest doloribus arthriticis sedandis & mitigandis, & cineres & sal extractum ex ungulis equorum prodest schyrrhis dissolvendis, & tumoribus duris & resolutione difficillimis. Amant præterea & diligunt magistros suos, & cognoscunt eos, & hinniunt dum vident eos, quasi testimonium prebentes ex eorum notitia. Et hoc habent ex tenui sulphure hoc est igne seu luce quâ pollent ex qua & animi vigor & eorum audacia & magnanimitas in bello ortum habet.

Semen equorum unde ortum habeat.

Equus unde vivat.

Equus quomodo fiat fœnum Avena & hordeum ex quibus nutritur.

Equus quibus usibus inserviat homini.

Equi quo ingenio valeant & unde ille animi sui vigor & audacia.

DE NATVRA ET ESSENTIA BOUM.

Bos quid sit, unde enascatur & vivat & quid valeat.

CAPUT III.

Bos quid sit & quale animal & qua ratione fiat.

BOs animal est cornutum ex semine ejusdem speciei per coitum enatum, & in vulva bovina perficitur, novem mensium spatio decimoque mense exit ex vulva, ut alimentis suis à natura paratis uti possit, ut ultimam perfectionem acquirat recens natus lacte utitur materna, ad tres aut quatuor menses deinde fœno utitur & similibus ejusmodi alimentis ut ultimam perfectionem acquirat, quam tribus aut quatuor annis acquirit, castrantur tribus aut quatuor mensibus ut mãsueti & benigni fiant, ut jugo subjici possint, alioquin domari non possunt præ corporis fortitudine & animi audacia, quam ex sulphure & calore nativo sui temperamenti, & humidi innati sui obtinent & possident, & martis habent radicaliter infixos suo semini influxus & virtutes, ex quibus corporis robur & animi vigor & audacia ortum habent: lumen enim illud martiale quod influxu descendit in calidum innatum bovis, calidum istud roborat & actus vitæ qui hinc educitur potentissimus est, unde boves in genere robustissimi sunt, & potentissimi. Diutissime tamen non vivunt, quia cum eorum calidum innatum forte admodum sit, consumit citò eorum humidum radicale & ex consumptione illius humidi radicalis mors inde consequitur, & vita brevis, trigesimum siquidem annum non excedunt: Morbis tentantur variis, ut & Equi quibus medetur ars veterinaria. Summoperè prosunt homini, cùm illi sint, tùm alimento, tùm medicamento, eorum enim carnes optimæ sunt & præsertim vitulorum, quæ assæ & elixæ optimi saporis sunt: Adeps autem & medulla si in oleum Chymicis organis convertantur, doloribus sedandis præsentaneum remedium habentur. Præterea sunt homini utilitati maximæ, nam ad arandum & ad Agriculturam cæteris animalibus præstant, & ad vecturam trahendo currum: Eorum compositioni primordiali præest sulphur naturale & sal, ex quibus robur illud, & firma membrorum compago, quà præditi sunt boves, ortum habent.

Boum audacia & magnanimitas unde.

Boves martiales omnes sunt.

Boum vita brevis unde.

Boves quid prosint homini.

Adeps boum & medulla distillata ad quid valeat

Robur & fortitudo boum unde.

DE ASINORVM NATVRA ET ESSENTIA.

Asini quid sint, unde enascantur & vivant & quid valeant.

CAPUT IV.

Asini quid sint & unde fiant.

RIdent omnes Asinorum naturam, & eorum temperamentum quôd frigidum sit & humidum, & perinde vecordis & tardi sunt genii, nihilominùs tamen ridendi non

sunt

Asinorum natura non ridenda est. *Asini unde cauti & prudentes sint.* *Asinus non parit in luce sed tenebras quærit.*

sunt asini, nec eorum temperamentum, in eo enim consistit vitæ longitudo & animi prudentia, cauti enim sunt omnes Asini, & prudentes, & cæteris animalibus exceptis serpentibus prudentia præstant: Cùm enim Sal & Mercurius vigeat in eorum productione, & seminali principio, ideò habent animam cautam & prudentem, pericula norunt, nec aquas profundas transire volunt, tempestates cognoscunt, & ingruentes pluvias, nec parturiunt in luce & in hominum conspectu, sed tenebras quærunt, ne quod fœdum est & inhonestum in partu manifestant, & palam faciunt.

Itaque definire possumus Asinum animal brutum quadrupes, ex semine generali enatum, in semen particulare & Asininum, in Asinis transactum, & inde per coitum immediatè productum, temperamento frigidum, unde tardæ sunt ejus animæ operationes, sed cautæ & prudentes, & non habent Asini, cùm per totum sanguinem disperdatur ut temperamentum eorum frigidum corrigatur felle per totum sanguinem disperso, hoc est bilioso humore. Vivunt & conservantur ex eodem ex quo fieri solent. Semen enim generale, quod in fœno & aliis similibus alimentis, quibus asini utuntur, ad conservationem vitæ suę, facile transit & mutatur in Asinorum naturam: & non solum ex alimentis suis communibus materialibus hauriunt generalem illum vitæ fomitem, sed ex aëre per insensibilem attractionem desumunt vitæ suæ pabulum, ex quo vivunt & conservantur. Prosunt summoperè homini, ad Agriculturam, ad arandũ, ad vehendum, & sunt illi sanitati. Nam eorum lac & tenella pullorum caro, hecticis & tabidis summum est arcanũ, propter temperamentũ frigidum ad humiditatem quandam moderatam tendens, cujus ope & auxilio temperamentum calidum & siccum hecticorum & tabidorum mutatur & disperditur.

Asini quid prosint homini. *Lac Asini cur tabidis arcanum.*

DE CAMELORVM NATVRA ET ESSENTIA.

Cameli quid sint, unde fiant, unde vivant & quid prosint.

CAPUT V.

Cameli quid sint & unde fiant. *Cameli cur diutissime vivant.* *Cameli cur morbis obnoxii, dum homini serviunt.*

CAmelus grande admodum animal est longissimo collo præditum, spina tuberata in medio, & nihil est aliud quàm semen illud generale, in semen particulare & camelinum mentalium, quod in vulva camelina actuatur in camelum temperamento frigido & sicco, unde longissimæ sunt vitæ, quia frigidum illud temperamentum propter siccitatem quam habet annexam difficili via corrumpitur, & ad sexagesimum vel ad septuagesimum trahuntur annum, morbis tamen variis tentantur, dum homini serviunt, quia non sibi vivunt tunc temporis sed homini, qui ad voluntatem

Cameli acuto sunt genio & pietate summa feruntur in matrem cum qua coire nolunt nunquam.

suam eos nutrit & alit & intempestivè quidem, undo varios incurrere morbos necesse est, propter incongruam vitæ methodum. Dum verò sibi vivunt, campestribus in locis, & longam & sanam ducunt vitam. Acuto & prudenti sunt genio & matrem semper agnoscunt per totam vitam, eamque honorant, cum ea enim nunquam coire volunt stimulis veneris agitati. Imò asserit Aristoteles 9. & cap. 47. de historia animalium Camelum morsibus enecasse hominem qui opertam matrem sibi admiserat qui dum coiret delapso operimento agnovit matrem & quãvis coitum absolverit, memor tamen commissi sceleris paulò post camelarium illum morsu defixo interemit, voces intelligunt humanas, & ad eas obediunt: flectuntur enim ad vocem ductoris, ut inde facili negotio onerari possint & inde oneribus prę magnis onusti surgunt & tendunt quo volunt ductores: hic autem animi vigor ex luce est quæ pura & magna in copia, seminali camelorum principio convexa est, quæ suo lumine, eorum mentem acuit, & cognitiones illas quas naturales habent illis communicat. Vivunt & conservantur alimento communi & vulgari quadrupedum, fœno, hordeo, avena, frumento, & aliis similibus alimentis, quibus utũtur ad vitam sustentandam: Maximæ sunt homini utilitati, ad vecturam enim cæteris animalibus præstant, bello ætiam usui sunt & equis adversantur, & naturali odio feruntur in equos, Lac camelorum rabidis & hecticis est summum remedium, propter temperamentum frigidum & siccum, quo pollent & ratione frigiditatis calorem præter naturam hecticorum extingunt, caro enim & lac cameli suavissimi saporis est, & præsertim tempore veris, unipara est & uterum fert menses decem, nec lac suum amittit donec conceperit.

Cameli voces humanas intelligunt & his obediunt.

Vnde sit camelorum ingenium.

Cameli quibus usibus inserviant.

Camelorum lac est hecticis arcanum

Cameli quamdiu utero gerant.

DE ELEPHANTIS.

Elephantus quid sit, unde enascatur & vivat, & quid valeat.

CAPUT VI.

ELephantus terrestrium animalium maximus & fortissimus, ex semine generali ortum habet, quod in semen particulare & Elephantinum in vulva Elephantina, & vasis spermaticis Elephantinis mutatur, ex quo immediatè exsurgit & enascitur Elephãtus tempore suo, biennio puta, biennio siquidem uterum gerunt, tantæ enim molis est Elephantus ut ad eam perficiendam & absolvendam biennium necessarium sit, frigidum enim est eorum semen, ideo tardè & lentè perfectionẽ acquirit ob defectum caloris innati, qui paucus est tùm semini, tùm reliquo corpori Elephantino, ideò lente movetur ad perfectionem. Quòd si ferè Elephanti omnes lepra tenentur & lepra in temperamento calido

Elephantus quid sit & unde fiat.

Elephantus biennio utero gerit & quare.

calido & sicco consistat, id non est ex naturali suo temperamento, sed ex adventitio. Naturale enim Elephantorum temperamentum frigidum & siccum est, unde multa excrementorum copia congeritur, quæ dum putrescunt calorem præter naturam aequirunt, & siccitati naturali conjunctum, adventitium temperamentum calidum & siccum constituunt, unde lepra exsurgit, quæ Elephantiasis dicta est, quòd communis & vulgaris sit, & non naturalis Elephantis, vivunt ex alimentis vulgaribus quibus utuntur quadrupedes sed ultra utitur variis alimentis, vinum bibit & oleum, & saccharum comedit & panem non tamen carnem sed fructus omnis generis. Felle carent ut est Asini ut eorum temperamentum frigidum & siccum caliditate biliosi humoris, seu caliditate sulphuris excrementitii per totum sanguinem sparsi, temperetur & moderetur. Elephantorum genium mirum est sagacitate & prudentia. Nam quamvis crassitudine corporis & mole summa turgeat, tamē mente valet & acutus est. Intelligit voces humanas & ad eas parit, hisque obsequitur, Solem surgentem veneratur & colit. Dum coit latebras quærit, ne inhonesta sua patefaciat, nascuntur dentati, & promuscis eorum, est illis loco manus. Pedes habent digitatos, & numero quinq; indivisos quidem sed leviter discretos, & inter quadrupedes non hirti & pilosi sed crassa admodū pelle obtecti, facile mansuescunt & hominibus inserviūt tùm bello, tùm ad varia onera gravissima ferēda, & quāvis felle careant ad irā facili negotio excitantur, & tunc temporis maximè cavendum est ab illis, nam promuscide sua omnia subvertunt, arbores prægrandes eradicāt & evellunt. Domosq; subvertunt, susq; deq; tollunt, longissimæ est vitæ, & diutiùs vivit quàm homo, ad ducentesimum enim annum protruditur eorum vita. Ebur nobilissimum Dentes eorum constituunt, qui ad magnitudinem & longitudinem summam perveniant, ex quibus multa parantur & pulchra. Natare non potest ex mole corporis prægrandi: fluviis tamen immergi gaudet propter siccitatem suam & promuscide sua in album sublata respirat, aquis immersus, si profundiora tamen sint flumina, promuscidis altitudine, mergitur & suffocatur aquis.

Elephantus cur lepra tentetur.

Elephantorum mirum ingenium.

Elephanti nascuntur dentati.

Elephanti non pilosi sed crassa pelle obtecti.

Elephanti quibus usibus inserviant.

Elephātorū longissima vita.

Elephantus cur aquis gaudeat.

DE CERVIS.

Cervi quid sint, unde enascantur & vivant & quid valeant.

CAPUT VII.

CErvi venatorum delitiæ, animalia bruta sunt quadrupeda ungula bisulca, temperamento, cornibus ex capite surgentibus, ramis multis, secundum eorum ætatem, ex semine generali enascuntur, quod mutatur & individuatur, ut ita dicam in ipsis cervis & fit peculiare semen cervinum in vasis spermaticis.

Cervi quid sint & unde fiant.

ipso-

ipsorum Cervorum, ex quo immediatè enascuntur cervi, coitu inter cervum & cervam facto: Nam maris & fœmellæ necessarium est utriusque semen ad cervorum productionem. Diutissime vivunt, & ad trecentesimum annum protrudunt vitam suam. Longissima autem hæc vita dependet ex innata radicalis substantiæ suæ temperie, quæ cum in sicco consistat, & in copia salis radicalis & primordialis, corrumpi non potest & facilè alterari, unde morbis non subjiciuntur variis, sed sanam & integram ducunt vitam, usque ad extremum senectutis. Unde ex eorum sanguine, medulla, ossibus, carne, & cornibus paratur arcanum prorogandæ vitæ summum, Sal enim horum animalium summoperè depuratum arte Chymica, & spiritu volatili sanguinis summoperè purificato impregnatum, & cum eo fixatum & coagulatum, nihil potentius est ad vitam prorogandam, suo enim sale fixo fixat, & coagulat vitæ nostræ labilem & volatilem Mercurium, quo fixato & coagulato exsurgit vitæ longitudo, & morborum omnium absentia. Addam & quòd istud alimentum incorruptibilitate fit, & sua ut ita dicam corruptibile nostrum vitæ balsamum refocillat. & quodammodo incorruptibile reddit, unde cum nō alteretur isto fomite refocillato, facili via vindicatur à morbis omnibus, unde protruditur longiùs sine alteratione & corruptione ulla. Et quod operatur in ipsis cervis, idem operatur in corporibus nostris, modò ritè præparetur. Vivunt cervi ex alimentis ordinariis, communibus, & vulgaribus, fœnum comedunt, & fructus arborum sylvestrium, quæ omnia coctione pepantica, ac digestione convertuntur in substantiam cervorum, ex qua exsurgit semen eorum, ex quo immediatè fiunt, multaque arcana vitæ prorogandæ ex his parandis. Aqua stillatitia ex cornibus junioribus, & tenellis, cum cinnamomo & ambaro, summum est vitæ prorogandæ remedium, usus etiam simplex eorum carnium ad idem confert arcanum, modò qui utuntur stomacho sint forti, & non languido.

Corvi diutissimè vivunt & quare.

Arcanum vitæ longæ ex cervis paratur.

Unde longitudo & morborum absentia.

Cervi quibus usibus inserviant.

DE NATURA VULPIUM.

Vulpes quid sint, unde enascantur & vivant & quid valeant.

CAPUT VIII.

VUlpes canum sylvestrium species sunt, & ex semine proprio & peculiari vulpino enascuntur & fiunt, quod ex semine generali enascitur, ortum habet, nihilque aliud sunt vulpes, quàm semen generale in semen particulare vulpinum mutatum in vasis spermaticis vulpecularum, quod quidem formam propriam suscipit ex intimis sui ipsius seminis, quod sponte sua in vulpes exsurgit, qui temperamento sunt calido & sicco, unde cauti & pruden-

Vulpes quid sint & unde fiant.

Vulpes qualis sit

tes

temperamẽto quo genio valeant.

tes admodum sunt vulpes omnes, propter salis copiam qua turgent in humido radicali suo, non quòd hæc prudentia sit virtus moralis, in brutis enim nulla est, sed est simplex genii subtilitas, quæ ex solo temperamento ortum habet, & ex claritate lucis creatæ quæ temperamentum illud illuminat, & quæ sua sunt prævere facit. Vivunt rapina, & gallinis perpetuò insidiantur, & ad eas capiendas, miras & stupendas astutias habent, fructus etiam comedũt pruna, poma, pyra & Racemos, quæ omnia coctione & digestione convertunt in sui substantiam, ex qua variis digestionibus, semen eorum ortum habet, ex quo immediate per coitum propagantur, & multiplicantur eorum individua, multarum sunt virtutum. Eorum temperamentum calidum cum sit, & siccum, frigidis & maleficiatis hominibus succurrit. Et pulmo vulpecularum, specifica virtute & innata proprietate, pulmonibus læsis, & ulceratis mirifice prodest, siccitate enim & caliditate innata, desiccat ulcera & ad cicatricem conducit & fluxiones acres, & mordaces tabidorum compescit & exsiccat, fiũt Aquæ stillatitiæ ex pulmonibus recentibus vulpecularum, cum æquali quantitate succi tussilaginis, & cinnamomi ad medietatem: hæc omnia vitreis organis distillantur per balneum, aut tenui cinerum calore, cui liquori distillatæ additur aliquid moschi & ambari, ad aromatizationẽ, & capitis robur, & exsurgit inde phtysceos desperatæ arcanum: Usus etiam carnium vulpecularum summoperè prodest, phtysicis omnib⁹ ex proprietate temperamenti, quod cum habet sal fixum, fixat & coagulat sal volatile phtysicorũ, cuius copia turgẽt phtysici, & cuius acrimonia pulmones ulcerantur, & non solùm fixat, sed etiam edulcorat, unde absoluta & perfecta eorum exsurgit cura & medela.

Vulpes quibus usibus homini inserviant.

Vulpes sunt phtysceos desperata arcanum.

DE NATVRA ET ESSENTIA CANVM.

Canes quid sint, unde sint, unde vivant, & quid prosint.

CAP. IX.

Canes quid sint & unde fiant.

Canes multi sunt ac varii, & omnes fideles sunt & summoperè amant, ac diligunt magistros suos, nihilque aliud sunt, quàm semen generale, variis digestionibus, tùm ex alimentis, tum ex influxu cœlesti, in semen particulare & caninũ permutatum, & in vulva canina digestum, & in canem perfectum efformatum: hinc enim solùm ortum habent canes, & hæc est eorum origo, per coitum producuntur & semen illud generale in caninum efformatum separatur à membris, & in vulvam caninam mittitur, ubi sexaginta diebus coquitur & digeritur in canem perfectum & absolutum exceptis oculis, qui à partu recenti do-

Semen caninũ quot diebus coquatur in utero

nec duodecimum diem attigerint, non perficiuntur, ut perfecte videant, sed nonum septenarium spectãt ut in eo perficiantur, in quo solo, calor naturalis eorum ultimam perfectionem acquirit & inde membra omnia perficiuntur: Vivunt lacte recenter nati per aliquot menses, & tandem pane & aqua & aliis ordinariis canum alimentis vitam suam sustentant ad decimum annum, & rari sunt qui vegesimum attingant annum: Sunt enim canes omnes calidissimo temperamento & bilioso, in quo turget vitale sulphur, quod robore & fortitudine sua, facile consumit mercurium suum & humidum radicalis, unde mors oritur, & ex copia caloris innati & abundantia salis radicalis, rabie tentantur, calor enim ille naturalis fortis admodum cum multum & plurimum humidi consumat, excrementa multa inde generantur quæ fuligines multas pariunt, porosque obstruunt, porisque obstructis prohibetur ventilatio caloris, & ventilatione prohibita, facili via augetur crescitque calor, & ex gradu caloris nativi mutatur in calorem præter naturam, qui excrementa illa omnia retenta & congesta inflammat & adurit, unde Rabies ortum habet in canibus cuius venenum tantum est, ut majus in rerum natura inveniri non possit, & cuius curandi arcanum consistit in Sale fixo summopere depurato canis ipsius rabidi, nam venenum omne qualecumque sit, sibi ipsi remedium est, benigna enim natura est, ubi venenum collocavit, ibi etiam remedium ipsa posuit, sunt qui in eorum hepate arcanum istius veneni posuerint sed fortius est, & tutius in eorum Sale fixo, Spagyricè præparato Sal enim illud fixum continet vitæ balsamum, veneno potissimùm contrariatur cum vitæ balsamum sit naturæ basis & fundamentum, venenum vero sit quid contra naturam, unde si contraria contrariis curentur, natura ipsa faciliori via contrariabitur veneno, & ipsum oppugnabit quàm quid aliud. Olfactu pollent canes omnes & eò antecellunt animalia cuncta & inde venationi à natura ipsa destinati sunt, solo enim odore venationem persequuntur, & quidquid amant ac diligunt solo odore cognoscũt & quærunt & ubi transierit indicant & ostendunt. Cauti omnes fere sunt & acuto genio præditi, propter eorum temperamentum calidum & siccum, subtilitas enim genii & acumen in siccitate & calore consistit. unde etiam animosi sunt, amatores & assentatores propter illud ipsum temperamentum, calor enim & copia lucis creatæ quâ turgent canes, animi magnitudinem & amorem efficit in omnibus subjectis in quibus turget & prævalet.

Suo ad perfectionem suam.

Quot annis vivant canes.

Unde parum vivant canes.

Canes unde rabi tententur.

Venenũ canis rabidi summũ est.

Canis rabidi remediũ.

Balsamum vitæ cum veneno quovis contrarium.

Canes olfactu pollent unde venationi destinati sunt.

Canes cur cauti sint & acuti & amatores magistrorũ suorum.

De Natura & essentia Luporum.

CAP. X.

Lupi quid sint & unde sunt.

LUpi canum sylvestrium species sunt & facile cum canibus coëunt veneris Oestro stimulante, & quamvis odium innatum sit inter lupos & canes domesticos, & grægarios, nihilominus tamen Venus ex odio naturali amorem & pacem producit nihilque aliud sunt Lupi, quam portiuncula materiæ primæ, seu seminis generalis pars quædam in semen particulare lupinum, in lupis ipsis permutatum, ex quo immediate producuntur per coïtum: feroces sunt & crudeles & magna cum difficultate ferocitatem deponunt, quamvis domestice alantur semper sapiunt naturam lupi, vivunt carne & rapina, & ovium, taurorum & asinorum sunt hostes jurati, eosq; petunt & invadunt magna animi dexteritate & astutia, sunt enim cauti & astuti, sicci enim sunt & sale radicali turgent ex quo astutia & animi vigor ortum habet, cum morbis infestantur, jejunant & herbis quibusdã illis notis, advomitum comestis incitantur ut inde curentur, & sic sibi ipsis sunt medici ut canes omnes terram etiam comedũt ex fame, eamq; suo potenti calore digerunt & in alimentum convertunt, unde eorum ventriculus & intestina propter siccitatem maximam & calorem, colico dolori habentur arcanum flatus & serosos humores, colicum dolorem efficientes discutiunt Sanguis autẽ eorum & hepar Epilepsiæ summum est remedium: Epileplici enim turgentur serosis & humidis humoribus, & flatibus copiosis, quibus discussis, maxima præpotenti siccitate lupina, malignitas & perversa qualitas, quæ ipsis humoribus insidet, disperditur & evanescit, & sic Epilepsia curatur propria & innata qualitate Lupi, & plus est Epilepsiæ arcani in Lupo solo, quâm in omnibus vegetantibus, præterea sal eorum fixum, quod ex carne lupi, vel ex toto lupo educitur arte Spagyrica, purum putum factum solutionibus multis & calcinationibus, ulcera omnia phagedenica & cancrosa curat, temperat moderatque eorum acre & mordax sal, quod ulcera illa efficit, producitque & ad omnia nati Lupi sunt nec perinde inutiles sunt quamvis gregibus ovium & vitulorum inimici & hostes habeantur.

Lupi quales. *Lupi cauti & astuti unde.* *Lupi sibi ipsis sunt medici.* *Intestina luporũ cur colici doloris arcanum.* *Lupi ad quid inserviant.*

De Natura & essentia Catorum.

CAP. XI.

Cati quid sint & unde sint.

CAti seu feles, glyrium & murium jurati & naturales hostes animalia bruta sunt, calidi & sicci temperamenti, & naturam leonũ imitantur & videntur leones domestici sed parvæ staturæ, facie tamẽ & unguibus fere similes, & animi audacia & magnitudine, nihilq; aliud sunt, quâm portio materiæ primę se-

paratæ & individuatæ, & in hanc peculiarem catorum speciem effigiatæ, quę semper enutritur & conservatur ex eadem materia prima, ex qua ortum habuit: Quod diximus superioribus in capitulis de semine generali, idem est, ac quod jam enarramus de materia prima, idem enim sunt materia prima, & semen generale, mutamus verba, ut naturam & essentiam materiæ primæ patefacere valeamus hac enim nota, res omnes cognoscuntur per separationem enim omnia ex illa prodeunt.

Semen natura generale idem est cum materia prima.

Cati dum fiũt ex illa separantur, separat siquidem, speciem propriam suam acquirunt & obtinent ut & reliqua cuncta in illa separatione & individuatione, quicquid habent peculiare, & innatum cati facile obtinẽt vi formæ suæ, quæ portio quędam lucis est, ex stellis Leonem astrum constituentib⁹, originem ducens, influxus siquidem huius Sideris disponit semen catorum, & conducit ad perfectionem suam, ad quã naturali sponte inclinat & vergit, facili enim via sic est introduciturque forma particularis catorum in semen eorum cum semen ad illam tendat, sic astrum illud, cum cato, catum producit & generat, Cati enim soli ad generationem & productionem incitantur, nisi vigentibus astris, quæ eorum naturam sapiunt ac redolent, uti sunt mars Aries, taurus, leo, quæ calidos habent influxus & igneos, & omnia inferiora calida & sicca fovent & conservant, simili suo influxu. Vivunt & conservantur cati rapina sua, & bello, quod perpetuo gerunt in glyres & mures omnes, eos enim invadunt & capiunt ac comedunt & in sui substantiam convertunt: Panem etiam comedunt & communiter vivunt inter homines, sunt enim domestica animalia, & rapinæ hominibus sunt utilitati, quòd domos & horrea vindicent & repurgent à muribus, qui maximo sunt incõmodo. Quòd autem sint, temperamento calido & sicco, & sulphure copioso turgeant, eorum adeps distillatus & in oleum conversus summopere prodest, in dolore arthritico compescendo, & sedando, & in tumoribus frigidis compescendis, ac discutiendis.

Cati ut fiant.

Forma catorum unde & ex quo astro.

Cati unde conserventur.

Catorum adeps distillata est arthriticum solatium.

De Natura & essentia Murium.

CAP. XII.

MVres animalia sunt, quæ sæpe sæpius sine semine & spermate peculiari, & proprio producuntur, ex putri siquidem materia sæpissimè producuntur, virtute seminis generalis, quod in putri illa materia agentibus astris, in mures exsurgit ut præsenti anno 1639. visum est per totam ferè Europam urgente æstate, in qua ex sola roris humiditate in visceribus terræ tanta copia murium exorta est, ut maxima fructuum perditio & nocumentum subsequutum sit plurimis in locis, causa autem

Mures quid sint & unde fiant.

Mures ex rore sæpissimè enascuntur in agris.

tem

tem fuit ſiccitas illius anni cum humiditate roris, quæ cũ pauca ſit, ſalẽ terræ humectat qui totus in mures convertitur, unde numeroſa copia Murium. Vnde mures ſi ſalem lambant, impleri ſine coïtu aſſerit Ariſtoteles, quòd ſal dum putreſcit facili via in mures abeat, hinc in navibus in medio mari, tanta murium copia reperitur ut credi non poſſet, quòd ſi ſal muriũ generationis cauſa habeatur, dum levi humiditate alteratur. ſi copioſa humiditate & abundanti diſſolvatur, eorum omnium eſt deſtructio unde imbres copioſi, murium eſt deſtructio, & ultimus interitus, admirabilis eſt eorum generatio, propter copiam & ingentem numerum, qui ſolet exſurgi, nam ad centum, & viginti poteſt extendi, ut aſſerit Ariſtoteles libro ſexto de Hiſtoria animalium capite 37. Per coïtum etiam ſæpiſſimè producuntur, teſticulos enim habẽt mures & fœminæ vulvam, quæ inutilia forent & fruſtra, niſi ex ſemine proprio vitam, & ortum habere poſſent. Quæ autem ex ſemine proprio ortum habent, non ita numeroſi ſunt quòd ſemen proprium & peculiare, non ita fœcundum ſit ac generale ſemen quod eſt fons & origo fœcunditatis; Vnde qui infœcundi ſunt & ſteriles, ex fonte illo, remedium haurire habent: Etſi ex muribus aliquid ſolatii habere queant: Cùm enim mures fœcundi ſupra modum, fœcunditas illa facili via poteſt communicari multis modis, primo ex eſu carnium horum animalculorum ſunt enim optimi ſaporis, & leporinam imitantur carnem, imo vincunt ipſam ſapore, ſecundo poteſt ex his animalculis per calcinationem, & combuſtionem eorum ſal educi, & arte Spagyrica perfici, ut vindicetur ab omnibus excrementis, & purus purus factus propinari poteſt, ad ſterilitatem utriusq; ſexus, procul eliminandam: Et ſic animalcula illa, etſi plurimum noceant homini, nihilominus & illi prodeſſe poſſunt.

Mures ſi ſalẽ lambãt impleantur ſine coïtu.

Curianvibus tanta copia muriũ

Mures etiã coïtu producuntur.

Semen generali fœcunditatis fons

Fœcunditas murium facili via poteſt communicari ſterilibus.

Mures ſterilitatis arcanum.

De Natura & eſſentia Leporum.

CAP. XIII.

Leporum variæ ſunt ſpecies, nihilominus uno & eodem modo fiunt & enaſcuntur, fœcundi enim ſunt omnes, & prole multa replent terram. ſingulis enim menſibus pariunt, & quamvis pleni ſunt ſuperfœtant, & à partu ſtatim coëunt ſalaces enim admodum ſunt, & per inde parum vivunt, quòd humidum radicale coitu frequenti conſumatur hoſtes juratos habent canes, & præcipuè vertagos, eos curſu agitant, rapiunt & captant, nihilque aliud ſunt lepores, quam portiuncula materiæ primæ virtute divina in lepores efformata in principio creationis mundi, in quo materia prima tota diviſa eſt, & efformata per divinam potentiam, in ſpecies omnes & genera, quæ naturam notam conſtitu-

Lepores quid ſint & unde ſint.

Lepores ſalaces & breviſſima vita.

Virtus se multiplicãdi in Leporibus unde.

stituunt: Cui deinde portiunculæ in lepores efformatæ, dedit summus opifex, virtutem & potentiam se multiplicandi, ex qua jam virtute illis innata & virtute divina implantata, excrescunt & enascuntur. Non enim aliunde poterat materia prima in omnes species, & genera naturæ se dividere, & divisa se multiplicare in infinita individua, nisi recepisset à Creatore suo, qui cùm infinita potentia præditus sit, illam potentiam & virtutem materiæ dare solus potuit.

Materia prima unde potentiam habuit se in plures species dividẽdi.

Lepores unde vivant.

Vivunt Lepores ex eadem materia ex qua per naturam solent efformari, nam alimenta quibus utuntur antequam convertantur in sui substantiam, alterantur, & variis alterationibus convertuntur in materiam primam, ex qua immediatè ortũ habuerunt, nam convertuntur in sanguinem, & in glutem & cambiũ, ut secundum Arabes loquar, ex quibus immediate fit leporum semen, ex quo deinde immediate ipsi fiunt, & enascuntur. Prosunt summopere homini, sunt enim illi delectamento primùm ratione venationis. Secundò ratione alimenti. Præbent enim homini delicatum satis alimentum. Tertiò sunt illi medicamento. Coagulum enim leporis dysenterias & alvi fluxus curat & menstrua mulierum immoderata compescit, & sanguis è corde eorum recens expressus Epilepsiam dicitur curare, & ossa perforata, quæ in eorum schyo habentur, colici doloris habentur arcanum: Et pili eorum combusti, & in cineres redacti Sanguinis fluxum compescunt si aqua plãtaginis perpotetur eorum pilorum combustorum dragma, una, Sal etiam eorum spagyrice præparatus, & purus putus factus, sterilitatem curat utriusque sexus, si spiritu vini dissolutus propinetur per mensem integrum, sterium enim mutat temperamentum & ad fertilitatis qualitates & conditiones conducit illæsa natura & vita, imò potius refocillata & adaucta, cum eorum Sal vitæ balsamum in se contineat, è cujus scaturigine, vitæ facultates prodeunt summæ & præpotentes.

Lepores quid prosint homini.

Coagulum leporis dysẽteria est arcanum ut & vituli coagulum.

Sal leporis sterilitatis arcanum.

Cur sal leporis mutas habeat facultates

De Natura & essentia aprorum & porcorum aliorum.

CAP. XIV.

Apri quid sint & unde sint.

Apri sunt porci sylvestres, & nullatenus differunt ab aliis communibus & vulgaribus porcis, nisi quod hi in domibus enutriantùr, alii vero in sylvis. Nihilque aliud sunt quàm portio seminis illius generalis totius naturæ in semen particulare & individuum porcorum, & Aprorum efformatum, in corporibus eorum, ex quo immediatè enascuntur. Vivuntque ex ea materia, ex qua fiunt, nam alimenta omnia quibus utuntur, quæ castaneæ, poma, pyra, pruna, radices plantarum, vermes terrestres, glandes & plantæ ipsæ, & herba prati, convertuntur

digestionibus variis, in eorum corporibus factis in ultimum illud alimentum ex quo prodit eorum semen. Profunt homini, quòd illi sint alimento ordinario & vulgari, & ex eorum adipe multa parantur unguenta, quæ variis inserviunt morbis & ulceribus mitigandis & curandis & si distilletur vitreis organis & in oleum convertatur, summoperè prodest doloribus sedandis, ex defluxu humorum frigidorum causatis, cum tale oleum sit summè calidum & tenue ac penetrans, roborat membra, & quod in his præter naturā adnascitur, discutit suo calore, & tenuitate. Calidissimum habent tempearmentum, & calorem nativum fortem admodum & robustissimum, unde omnia digerunt cruda & incocta, unde terram ipsam comedunt, eamque digerunt & in sui substantiam convertunt, unde lepræ & Elephantiasi subjiciuntur, propter crudas & indigestas materias, quas comedunt, ex quarum digestione, multum salis in eorum sanguinis massa producitur, ex cuius salis copia, fit lepra & Elephantiasis in suibus, scrophulis etiam subjiciuntur propter eandem rationem, calidissimum enim habēt hepar, cuius calore aduritur sanguis & sal apparet copiosus, qui cū multo sero, & humore pituitoso conjunctus dissolvitur, & facilè iterum coalescit in emunctoriis corporis, ubi ex illius serosi humoris coagulatione, fiunt scrophulæ, seu tumores rotundi in emunctoriis cerebri, qui vocantur scrophulæ, quod scrophis seu porcis fœmininis evenire soleant propter eorum temperamētum peculiare & proprium: homines etiam his tumoribus solent subjici, & eorum cura dependet ex scrophulis porcorum, quæ calcinari possunt & in cineres reduci, eoque cinere possunt aspergi & unguenta inde parari, quæ multùm prosunt ad curam horum tumorum, eaque unguenta possunt roborari oleo stillatitio axungiæ porci, vel oleo stillatitio scrophularum porcinarum, quod oleum specificum est, contra hujusce morbi ferocitatem, cuius cura pro miraculo habetur in Rege Galliæ, qui solo tactu & spiritus sancti gratia, & sola divina benedictione hunc ferocem & crudelem morbum curat.

Porci quid prosint homini.

Adeps porci distillata quid prosi.

Porci cur Lepra tentantur.

Porci cur scrophulis subjiciantur.

Cura scrophularum ex porcis.

Rex Galliæ curat scrophulas solo tactu.

De Natura Simiæ, quid sit, unde sit, & vivat & quid prosit.

CAP. XV.

SImia est animal brutum in partibus Meridionalibus frequens & copiosum, & Sylvæ ferè totius Africæ abundāt, & scatent simiis, acuto & sagaci sunt ingenio, & calido & sicco præditæ sunt temperamento, sulphur, & sal turgēt in earum compositione, unde acutæ & sagaces sūt. Lux enim creata quæ turget in his mira illa omnia præstat, forma siquidem illa quæ inde exsurgit, luce illa plustrata fūctiones & facultates mi-

Simia quid sit & unde sit.

Simiarū ingeniū unde.

ras

ras & stupendas habet, nihilominus etsi miræ & raræ sint ex brutali forma prodeunt, quæ nihil rationis & intellectus habet sed solùm ex materia prima, & luce creata ortum habent quæ in materiam peculiarem & propriam Simiarum efformantur, nihilque aliud suntSimiæ, quàm portio quædam illius materiæ primæ & lucis creatæ, in materiam peculiarem, & propriam Simiarum efformata virtute divina, in principio creationis naturæ, in quo Deus materiam illam primam, & lucem creatam, quæ materiæ illius primæ forma ꝓpria & generalis illi erat divisit & distinxit in varia rerum genera, & species omnes, quæ totã & universalem naturam constituũt. Vivunt Simiæ ex simili & eadem materia, ex qua efformantur, ut reliquæ omnes rerum species Et prosunt homini, ad delitias & delectamenta, benignus enim Deus, & amator summus hominum est, non solum enim homini dedit, quæ illi sunt utilitati & commodo, sed & quæ delectamento possunt etiam & illi esse utilitati maximæ. Cum enim sint valdè calidæ & siccæ naturæ, ex his possunt elici olea stillatitia spagyricis instrumentis, quæ tenuitate sua & penetrandi subtilitate, & calore naturali suo, possunt membra paralytica roborare, & ad sanitatem restituere, frigidis discussis humoribus & viscosis, qui paralysim efficiũt: Agiles enim sunt Simiæ, & in perpetuo motu, quod quidem dependet ex copia caloris innati qui copiosus, est causa motus, unde adjunctus debili Paralyticorum calori, roborat ipsum, & mébra paralytica sensu & motu privata, redeunt in pristinum statum, & morbum naturalem & sensum recuperant. Sic Simiæ quæ tantum ad risum & delectamentum videntur efformatæ, sunt hominibus maximæ utilitati & commodo, cùm paralysim curare possint,

Simia unde nutriantur & quid prosint homini.

Simiæ sunt arcanum paralysis & quare.

De Natura ursorum, quid sint, unde sint, vivant & quid prosint.

CAP. XVI.

VRsus fortè admodum animal est & robustum & fortitudine æquat tauros & Leones, sed non agilitate, arbores suo robore erradicat & rumpit, nihilq; aliud est quàm portio seminis generalis in semen particulare & individuum ursinum efformata Divina potentia in principio creationis mundi, cui deinde particulari semini dedit potentiam & facultatem Deus ipse, se ipsum multiplicandi in plura individua, unde coïtu propagantur ursi, & coëunt humi strati, non supervenientes & stantes, idq; tempore hyemis quo tempore latent in ipsis terrę antris ubi nullo cibo assumpto pinguescunt, quia toto ferè illo tempore dormiunt & sola elementorũ pinguedine, quæ aëri inest vivunt & eo solo cibo pinguescunt, vacant tunc

Ursus quid sit & unde sit.

Ursi quomodo coëant.

temporis veneri, & Ursa parit eo tempore quo latet & nutrit fœtum, quem perfectum edit, & membris omnibus absolutum quicquid dicat Aristoteles & Plinius. Nam occisa fuit in latebris ursa pregnans in cujus ventre reperti sunt fœtus duo perfecti omnino & membris omnibus absoluti. Ridiculum enim est credere Vrsam lambendo, & solo linguæ litu membra fœtuum suorum perficere posse: hoc enim linguæ non est, sed facultatis animalis & seminalis opus, quod in vulva ipsa à calore naturali in actum reducitur. Potuit quidem Vrsa fœtum edere vestitum, & coopertum tenui illa membrana, quâ sæpissimè involvuntur fœtus humani, & qua involuti in lucem produntur, & sic vestitum & involutum linguæ litu devolvi, & occasionem præbere suspicandi ursam fœtum edere membris imperfectum. Quod tamen non est, cùm omninò perfectus & absolutus sit fœtus intra membranam. Admirabile tamen est quòd fœtus hi similes omninò sint corpore, capite excepto hominibus, habent enim manus digitis ornatas, & pedes & totum corpus humano corpori omnino simile, capite excepto, abscisso enim capite & detracta pelle pilosa ursorum truncus qui superest humanus videtur. Vnde non omnino falsæ videntur Historiæ enarrantes, familias nobiles exortas fuisse ex patre Vrso, & humana matre, humanum enim semen potuit prævalere, & Deus huic semini humano facto, potuit immortalem animam & formam infundere & sic verum hominem exsurgi ex brutali semine & humano, brutale tamen in commixtione non remansit brutale, sed conversum est in humanum ab humano, tanquam alimentum, quod ex brutis assumimus, quod quidem digestione in nos ipsos convertitur, Potuit etiam ut mihi videtur hoc semen ursi in vulva humana permixtum semini humano, à facultate humana converti in humanum semẽ: Vi & facultate vulvæ & matricis humanæ, quod contingit & in brutis, in ipso enim utero brutorum, semen humanum cõvertitur in brutale semen, quod piaculum nefandum est, & igne solo expiandum: Omninori sunt ursi & ex omnibus fere naturæ rebus capiunt alimentum & vivunt, facili & acuto sunt genio, & facile mansuescunt & mansueti saltant, tripudiant aliaque mira faciunt, quæ eorum genium ostendunt. Eorum caro est hominibus alimentum, & eorum adeps est doloribus arthriticis summum remedium præcipuè si vitreis instrumentis distilletur & Spagyrica arte præparetur in oleum, subtile valde & summe penetrans.

Vrsa parturit absolutos & perfectos fœtus.

Homo qua mira potentia ex urso enasci potest.

Semen brutale ursi qua ratione potest fieri humanum.

Vrsi qua ratione vivãt & unde eorum genium & quid prosint homini.

Adeps ursorũ distillatus, est arcanum arthritici doloris.

ipsorum Cervorum, ex quo immediatè enascuntur cervi, coitu inter cervum & cervam facto: Nam maris & fœmellæ necessarium est utriusque semen ad cervorum productionem. Diutissime vivunt, & ad trecentesimum annum protrudunt vitam suam. Longissima autem hæc vita dependet ex innata radicalis substantiæ suæ temperie, quæ cum in sicco consistat, & in copia salis radicalis & primordialis, corrumpi non potest & facilè alterari, unde morbis non subjiciuntur variis, sed sanam & integram ducunt vitam, usque ad extremum senectutis. Unde ex eorum sanguine, medulla, ossibus, carne, & cornibus paratur arcanum prorogandæ vitæ summum, Sal enim horum animalium summoperè depuratum arte Chymica, & spiritu volatili sanguinis summoperè purificato impregnatum, & cum eo fixatum & coagulatum, nihil potentius est ad vitam prorogandam, suo enim sale fixo fixat, & coagulat vitæ nostræ labilem & volatilem Mercurium, quo fixato & coagulato exsurgit vitæ longitudo, & morborum omnium absentia. Addam & quòd istud alimentum incorruptibilitate sit, & sua ut ita dicam corruptibile nostrum vitæ balsamum refocillat. & quodammodo incorruptibile reddit, unde cum nō alteretur isto fomite refocillato, facili via vindicatur à morbis omnibus, unde protruditur longiùs sine alteratione & corruptione ulla. Et quod operatur in ipsis cervis, idem operatur in corporibus nostris, modò ritè præparetur. Vivunt cervi ex alimentis ordinariis, communibus, & vulgaribus, fœnum comedunt, & fructus arborum sylvestrium, quæ omnia coctione pepantica, ac digestione convertuntur in substantiam cervorum, ex qua exsurgit semen eorum, ex quo immediatè fiunt, multaque arcana vitæ protogandæ ex his parandis. Aqua stillatitia ex cornibus junioribus, & tenellis, cum cinnamomo & ambaro, summum est vitæ prorogandæ remedium, usus etiam simplex eorum carnium ad idem confert arcanum, modò qui utuntur stomacho sint forti, & non languido.

Cervi diutissimè vivunt & quare.

Arcanum vitæ longæ ex cervis paratur.

Unde longitudo & morborum absentia.

Cervi quibus usibus inserviant.

DE NATURA VULPIUM.

Vulpes quid sint, unde enascantur & vivant & quid valeant.

CAPUT VIII.

VUlpes canum sylvestrium species sunt, & ex semine proprio & peculiari vulpino enascuntur & fiunt, quod ex semine generali enascitur, ortum habet, nihilque aliud sunt vulpes, quàm semen generale in semen particulare vulpinum mutatum in vasis spermaticis vulpecularum, quod quidem formam propriam suscipit ex intimis sui ipsius seminis, quod sponte sua in vulpes exsurgit, qui temperamento sunt calido & sicco, unde cauti & pruden-

Vulpes quid sint & unde fiant.

Vulpes qualis sit.

temperamẽto quo genio valeant.

tes admodum sunt vulpes omnes, propter salis copiam qua turgent in humido radicali suo, non quòd hæc prudentia sit virtus moralis, in brutis enim nulla est, sed est simplex genii subtilitas, quæ ex solo temperamento ortum habet, & ex claritate lucis creatæ quæ temperamentum illud illuminat, & quæ sua sunt præcavere facit. Vivunt rapina, & gallinis perpetuò insidiantur, & ad eas capiendas, miras & stupendas astutias habent, fructus etiam comedũt pruna, poma, pyra & Racemos, quæ omnia coctione & digestione convertunt in sui substantiam, ex qua variis digestionibus, semen eorum ortum habet, ex quo immediate per coitum propagantur, & multiplicantur eorum individua, multarum sunt virtutum. Eorum temperamentum calidum cum sit, & siccum, frigidis & maleficiatis hominibus succurrit. Et pulmo vulpecularum, specifica virtute & innata proprietate, pulmonibus læsis, & ulceratis mirifice prodest, siccitate enim & caliditate innata, desiccat ulcera & ad cicatricem conducit & fluxiones acres, & mordaces tabidorum compescit & exsiccat, fiũt Aquæ stillatitiæ ex pulmonibus recentibus vulpecularum, cum æquali quantitate succi tussilaginis, & cinnamomi ad medietatem: hæc omniá vitreis organis distillantur per balneum, aut tenui cinerum calore, cui liquori distillatæ additur aliquid moschi & ambari, ad aromatizationẽ, & capitis robur, & exsurgit inde phtyseos desperatæ arcanum: Usus etiam carnium vulpecularum summoperè prodest, phtysicis omnib⁹ ex proprietate temperamenti, quod cum habet sal fixum, fixat & coagulat sal volatile phtysicorũ, cuius copia turgẽt phtysici, & cuius acrimonia pulmones ulcerantur, & non solùm fixat, sed etiam edulcorat, unde absoluta & perfecta eorum exsurgit cura & medela.

Vulpes quibus usibus homini inserviant.

Vulpes sunt phtyseos desperatæ arcanum.

DE NATVRA ET ESSENTIA CANVM.

Canes quid sint, unde sint, unde vivant, & quid prosint.

CAP. IX.

Canes quid sint & unde fiant.

CAnes multi sunt ac varii, & omnes fideles sunt & summoperè amant, ac diligunt magistros suos, nihilque aliud sunt, quàm semen generale, variis digestionibus, tùm ex alimentis, tum ex influxu cœlesti, in semen particulare & caninũ permutatum, & in vulva canina digestum, & in canem perfectum efformatum: hinc enim solùm ortum habent canes, & hæc est eorum origo, per coitum producuntur & semen illud generale in caninum efformatum separatur à membris, & in vulvam caninam mittitur, ubi sexaginta diebus coquitur & digeritur in canem perfectum & absolutum exceptis oculis, qui à partu recenti do-

Semen caninũ quot diebus coquatur in utero

suo ad perfectionem suam. nec duodecimum diem attigerint, non perficiuntur, ut perfectè videant, sed nonum septenarium spectāt ut in eo perficiantur, in quo solo, calor naturalis eorum ultimam perfectionem acquirit & inde membra omnia perficiuntur: Vivunt lacte recenter nati per aliquot menses, & tandem pane & aqua & aliis ordinariis canum alimentis vitam suam *Quot annis vivant canes.* sustentant ad decimum annum, & rari sunt qui vegesimum attingant annum: Sunt enim canes omnes calidissimo temperamento & bilioso, in quo turget vitale sulphur, quod robore & fortitudine sua, facile consumit mercurium suum & humidum radicalis, unde mors ori- *Unde parum vivant canes.* tur, & ex copia caloris innati & abundantia salis radicalis, rabie ten- *Canes unde rabi tententur.* tantur, calor enim ille naturalis fortis admodum cum multum & plurimum humidi consumat, excrementa multa inde generantur quæ fuligines multas pariunt, porosque obstruunt, porisque obstructis prohibetur ventilatio caloris, & ventilatione prohibita, facili via augetur crescitque calor, & ex gradu caloris nativi mutatur in calorem præter naturam, qui excrementa illa omnia retenta & congesta inflammat & adurit, unde Rabies ortum ha- *Venenū canis rabidi summū est.* bet in canibus cuius venenum tantum est, ut majus in rerum natura inveniri non possit, & cuius curandi *Canis rabidi remediū.* arcanum consistit in Sale fixo summopere depurato canis ipsius rabidi, nam venenum omne qualecumque sit, sibi ipsi remedium est, benigna enim natura est, ubi venenum collocavit, ibi etiam remedium ipsa posuit, sunt qui in eorum hepate arcanum istius veneni posuerint sed fortius est, & tutius in eorum Sale fixo, Spagyricè præparato Sal enim illud fixum continet vitæ balsamum, veneno potissimùm contra- *Balsamum vitæ cum veneno quovis contrarium.* riatur cum vitæ balsamum sit naturæ basis & fundamentum, venenum vero sit quid contra naturam, unde si contraria contrariis curentur, natura ipsa faciliori via contrariabitur veneno, & ipsum oppugnabit quàm quid aliud. Olfactu *Canes olfactu pollens unde venationi destinati sunt.* pollent canes omnes & eò antecellunt animalia cuncta & inde venationi à natura ipsa destinati sunt, solo enim odore venationem persequuntur, & quidquid amant ac diligunt solo odore cognoscūt & quærunt & ubi transierit indicant & ostendunt. Cauti omnes fere sunt & *Canes cur cauti sint & acuti & amatores magistrorū suorum.* acuto genio præditi, propter eorum temperamentum calidum & siccum, subtilitas enim genii & acumen in siccitate & calore consistit. unde etiam animosi sunt, amatores & assentatores propter illud ipsum temperamentum, calor enim & copia lucis creatæ quâ turgent canes, animi magnitudinem & amorem efficit in omnibus subjectis in quibus turget & prævalet.

De Natura & essentia Luporum.

CAP. X.

Lupi quid sint & unde sunt. LUpi canum sylvestrium species sunt & facile cum canibus coëunt veneris Oestro stimulante, & quamvis odium innatum sit inter lupos & canes domesticos, & gregarios, nihilominus tamen Venus ex odio naturali amorem & pacem producit nihilque aliud sunt Lupi, quam portiuncula materiæ primæ, seu seminis generalis pars quædam in semen particulare lupinum, in lupis ipsis permutatum, ex quo immediate producuntur per coïtum: feroces sunt & crudeles & magna cum *Lupi quales.* difficultate ferocitatem deponunt, quamvis domestice alantur semper sapiunt naturam lupi, vivunt carne & rapina, & ovium, taurorum & asinorum sunt hostes jurati, eosq; petunt & invadunt magna animi dexteritate & astutia, *Lupi cauti & astuti unde.* sunt enim cauti & astuti, sicci enim sunt & sale radicali turgent ex quo astutia & animi vigor ortum habet, cum morbis infestantur, jejunant & herbis quibusdã illis notis, advomitum comestis incitantur ut inde curentur, & sic sibi ipsis sunt medici ut canes omnes terram etiam comedũt ex fame, eamq; *Lupi sibi ipsis sunt medici.* suo potenti calore digerunt & in alimentum convertunt, unde eorum ventriculus & intestina propter siccitatem maximam & calorem, colico dolori habentur arcanum flatus *Intestina luporũ cur colici doloris arcanum.* & serosos humores, colicum dolorem efficientes discutiunt Sanguis autẽ eorum & hepar Epilepsiæ summum est remedium: Epileplici enim turgentur serosis & humidis humoribus, & flatibus copiosis, quibus discussis, maxima præpotenti siccitate lupina, malignitas & perversa qualitas, quæ ipsis humoribus insidet, disperditur & evanescit, & sic Epilepsia curatur propria & innata qualitate Lupi, & plus est Epilepsiæ arcani in Lupo solo, quâm in omnibus vegetantibus, præterea sal eorum fixum, quod ex carne lupi, vel ex toto lupo educitur arte Spagyrica, purum putum factum, solutionibus *Lupi ad quid inserviant.* multis & calcinationibus, ulcera omnia phagedenica & cancrosa curat, temperat moderatque eorum acre & mordax sal, quod ulcera illa efficit, producitque & ad omnia nati Lupi sunt nec perinde inutiles sunt quamvis gregibus ovium & vitulorum inimici & hostes habeantur.

De Natura & essentia Catorum.

CAP. XI.

Cati quid sint & unde sint. CAti seu feles, glyrium & murium jurati & naturales hostes animalia bruta sunt, calidi & sicci temperamenti, & naturam leonũ imitantur & videntur leones domestici sed parvæ staturæ, facie tamẽ & unguibus fere similes, & animi audacia & magnitudine, nihilq; aliud sunt, quâm portio materiæ primę separatæ

paratæ & individuatæ, & in hanc peculiarem catorum speciem effigiatæ, quę semper enutritur & conservatur ex eadem materia prima, ex qua ortum habuit: Quod diximus superioribus in capitulis de semine generali, idem est, ac quod jam enarramus de materia prima, idem enim sunt materia prima, & semen generale, mutamus verba, ut naturam & essentiam materiæ primæ patefacere valeamus hac enim nota, res omnes cognoscuntur per separationem enim omnia ex illa prodeunt. Cati dum fiũt ex illa separantur, separat siquidem, speciem propriam suam acquirunt & obtinent ut & reliqua cuncta in illa separatione & individuatione, quicquid habent peculiare, & innatum cati facile obtinẽt vi formæ suæ, quæ portio quędam lucis est, ex stellis Leonem astrum constituentib⁹, originem ducens, influxus siquidem huius Sideris disponit semen catorum, & conducit ad perfectionem suam, ad quã naturali sponte inclinat & vergit, facili enim via sic est introducitur que forma particularis catorum in semen eorum cum semen ad illam tendat, sic astrum illud, cum cato, catum producit & generat, Cati enim soli ad generationem & productionem incitantur, nisi vigentibus astris, quæ eorum naturam sapiunt ac redolent, uti sunt mars Aries, taurus, leo, quæ calidos habent influxus & igneos, & omnia inferiora calida & sicca fovent & conservant, simili suo influxu. Vivunt & conservantur cati rapina sua, & bello, quod perpetuo gerunt in glyres & mures omnes, eos enim invadunt & capiunt, ac comedunt & in sui substantiam convertunt: Panem etiam comedunt & communiter vivunt inter homines, sunt enim domestica animalia, & rapinæ hominibus sunt utilitati, quòd domos & horrea vindicent & repurgent à muribus, qui maximo sunt incõmodo. Quòd autem sint, temperamento calido & sicco, & sulphure copioso turgeant, eorum adeps distillatus & in oleum conversus summopere prodest, in dolore arthritico compescendo, & sedando, & in tumoribus frigidis compescendis, ac discutiendis.

Semen naturæ generale idem est cum materia prima.

Cati ut fiant.

Forma catorum unde & ex quo astro.

Cati unde conserventur.

Catorum adeps distillatus est arthriticis solatium.

De Natura & essentia Murium,

CAP. XII.

MVres animalia sunt, quæ sæpe sæpius sine semine & spermate peculiari, & proprio producuntur, ex putri siquidem materia sæpissimè producuntur, virtute seminis generalis, quod in putri illa materia agentibus astris, in mures exsurgit ut præsenti anno 1639. visum est per totam ferè Europam urgente æstate, in qua ex sola roris humiditate in visceribus terræ tanta copia murium exorta est, ut maxima fructuum perditio & nocumentum subsequutum sit plurimis in locis, causa autem

Mures quid sint & unde fiant.

Mures ex rore sæpissimè enascuntur in agris.

rem fuit siccitas illius anni cum humiditate roris, quæ cũ pauca sit, salẽ terræ humectat qui totus in mures convertitur, unde numerosa copia Murium. Vnde mures si salem lambant, impleri sine coïtu asserit Aristoteles, quòd sal dum putrescit facili via in mures abeat, hinc in navibus in medio mari, tanta murium copia reperitur ut credi non posset, quòd si sal muriũ generationis causa habeatur, dum levi humiditate alteratur, si copiosa humiditate & abundanti dissolvatur, eorum omnium est destructio unde imbres copiosi, murium est destructio, & ultimus interitus, admirabilis est eorum generatio, propter copiam & ingentem numerum, qui solet exsurgi, nam ad centum, & viginti potest extendi, ut asserit Aristoteles libro sexto de Historia animalium capite 37. Per coïtum etiam sæpissimè producuntur, testiculos enim habẽt mures & fœminæ vulvam, quæ inutilia forent & frustra, nisi ex semine proprio vitam, & ortum habere possent. Quæ autem ex semine proprio ortum habent, non ita numerosi sunt quòd semen proprium & peculiare, non ita fœcundum sit ac generale semen quod est fons & origo fœcunditatis; Vnde qui infœcundi sunt & steriles, ex fonte illo, remedium haurire habent: Etsi ex muribus aliquid solatii habere queant: Cùm enim mures fœcundi supra modum, fœcunditas illa facili via potest communicari multis modis, primo ex esu carnium horum animalculorum sunt enim optimi saporis, & leporinam imitantur carnem, imo vincunt ipsam sapore, secundo potest ex his animalculis per calcinationem, & combustionem eorum sal educi, & arte Spagyrica perfici, ut vindicetur ab omnibus excrementis, & purus putus factus propinari potest, ad sterilitatem utriusq; sexus, procul eliminandam: Et sic animalcula illa, etsi plurimum noceant homini, nihilominus & illi prodesse possunt.

Mures si salẽ lambãt implentur sine coitu.

Cur in navibus tanta copia muriũ

Mures etiã coitu producuntur.

Semen generali fœcunditatis fons

Fœcunditas murium facili via potest communicari sterilibus.

Mures sterilitatis arcanum.

De Natura & essentia Leporum.

CAP. XIII.

Leporum variæ sunt species, nihilominus uno & eodem modo fiunt & enascuntur, fœcundi enim sunt omnes, & prole multa replent terram. singulis enim mensibus pariunt, & quamvis pleni sunt superfœtant, & à partu statim coëunt salaces enim admodum sunt, & perin de parum vivunt, quòd humidum radicale coitu frequenti consumatur hostes juratos habent canes, & præcipuè vertagos, eos cursu agitant, rapiunt & captant, nihilque aliud sunt lepores, quam portiuncula materiæ primæ virtute divina in lepores efformata in principio creationis mundi, in quo materia prima tota divisa est, & efformata per divinam potentiam, in species omnes & genera, quæ naturam notam consitu-

Lepores quid sint & unde sint.

Lepores salaces & brevissima vita.

Virtus se multiplicandi in Leporibus unde. stituunt: Cui deinde portiunculæ in lepores efformatæ, dedit summus opifex, virtutem & potentiam se multiplicandi, ex qua jam virtute illis innata & virtute divina implantata, excrescunt & enascuntur. Non enim aliunde poterat materia prima in omnes species, & genera naturæ se dividere, & divisa se multiplicare in infinita individua, nisi recepisset à Creatore suo, qui cùm infinita potentia præditus sit, illam potentiam & virtutem materiæ dare solus potuit. *Materia prima unde potentiam habuit se in plures species dividēdi.*

Lepores unde vivant. Vivunt Lepores ex eadem materia ex qua per naturam solent efformari, nam alimenta quibus utuntur antequam convertantur in sui substantiam, alterantur, & variis alterationibus convertuntur in materiam primam, ex qua immediatè ortū habuerunt, nam convertuntur in sanguinem, & in glutem & cambiū, ut secundum Arabes loquar, ex quibus immediate fit leporum semen, ex quo deinde immediate ipsi fiunt, & enascuntur. Prosunt summopere homini, sunt enim illi delectamento primùm ratione venationis. Secundò ratione alimenti. Præbent enim homini delicatum satis alimentum. Tertiò sunt illi medicamento. Coagulum enim leporis dysentenrias & alvi fluxus curat & menstrua mulierum immoderata compescit, & sanguis è corde eorum recens expressus Epilepsiam dicitur curare, & ossa perforata, quæ in eorum schyo habentur, colici doloris habentur arcanum: Et pili eorum combusti, & in cineres redacti Sanguinis fluxum compescunt si aqua plātaginis perpotetur eorum pilorum combustorum dragma, una. Sal etiam eorum spagyrice præparatus, & purus putus factus, sterilitatem curat utriusque sexus, si spiritu vini dissolutus propinetur per mensem integrum, sterium enim mutat temperamentum & ad fertilitatis qualitates & conditiones conducit illæsa natura & vita, imò potius refocillata & adaucta, cum eorum Sal vitæ balsamum in se contineat, è cujus scaturigine, vitæ facultates prodeunt summæ & præpotentes.

Lepores quid prosint homini.

Coagulum leporis dysēteria est arcanum ut & vituli coagulum.

Sal leporis sterilitatis arcanum.

Cur sal leporis miras habeat facultates.

De Natura & essentia aprorum & porcorum aliorum.

CAP. XIV.

Apri sunt porci sylvestres, & nullatenus differunt ab aliis communibus & vulgaribus porcis, nisi quod hi in domibus enutriantùr, alii vero in sylvis. Nihilque aliud sunt quàm portio seminis illius generalis totius naturæ in semen particulare & individuum porcorum, & Aprorum efformatum, in corporibus eorum, ex quo immediatè enascuntur. Vivuntque ex ea materia, ex qua fiunt, nam alimenta omnia quibus utuntur, quæ castaneæ, poma, pyra, pruna, radices plantarum, vermes terrestres, glandes & plantæ ipsæ, & herba prati, convertuntur dige-

Apri qui sint & unde sint.

digestionibus variis, in eorum corporibus factis in ultimum illud alimentum ex quo prodit eorum semen. Prosunt homini, quòd illi sint alimento ordinario & vulgari, & ex eorum adipe multa parantur unguenta, quæ variis inserviunt morbis & ulceribus mitigandis & curandis & si distilletur vitreis organis & in oleum convertatur, summoperè prodest doloribus sedandis, ex defluxu humorum frigidorum causatis, cum tale oleum sit summè calidum & tenue ac penetrans, roborat membra, & quod in his præter naturā adnascitur, discutit suo calore, & tenuitate. Calidissimum habent tempearmentum, & calorem nativum fortem admodum & robustissimum, unde omnia digerunt cruda & incocta, unde terram ipsam comedunt, eamque digerunt & in sui substantiam convertunt, unde lepræ & Elephantiasi subjiciuntur, propter crudas & indigestas materias, quas comedunt, ex quarum digestione, multum salis in eorum sanguinis massa producitur, ex cuius salis copia, fit lepra & Elephantiasis in suibus, scrophulis etiam subjiciuntur propter eandem ratioenm, calidissimum enim habēt hepar, cuius calore aduritur sanguis & sal apparet copiosus, qui cū multo sero, & humore pituitoso conjunctus dissolvitur, & facilè iterum coalescit in emunctoriis corporis, ubi ex illius serosi humoris coagulatione, fiunt scrophulæ, seu tumores totundi in emunctoriis cerebri, qui vocantur scrophulæ, quod scrophis seu porcis fœmininis evenire soleant propter eorum temperamētum peculiare & proprium: homines etiam his tumoribus solent subjici, & eorum cura dependet ex scrophulis porcorum, quæ calcinari possunt & in cineres reduci, eoque cinere possunt aspergi & unguenta inde parari, quæ multùm prosunt ad curam horum tumorum, eaque unguenta possunt roborari oleo stillatitio axungiæ porci, vel oleo stillatitio scrophularum porcinarum, quod oleum specificum est, contra hujusce morbi ferocitatem, cuius cura pro miraculo habetur in Rege Galliæ, qui solo tactu & spiritus sancti gratia, & sola divina benedictione hunc ferocem & crudelem morbum curat.

Porci quid prosint homini.

Adeps porci distillata quid prosi.

Porci cur Lepra tentantur.

Porci cur scrophulis subjiciantur.

Cura scrophularum ex porcis.

Rex Galliæ curat scrophulas solo tactu.

De Natura Simiæ, quid sit, unde sit, & vivat & quid prosit.

CAP. XV.

Simia est animal brutum in partibus Meridionalibus frequens & copiosum, & Sylvæ ferè totius Africæ abundāt, & scatent simiis, acuto & sagaci sunt ingenio, & calido & sicco preditæ sunt temperamento, sulphur, & sal turgēt in earum compositione, unde acutæ & sagaces sūt. Lux enim creata quæ turget in his mira illa omnia pręstat, forma siquidem illa quæ inde exsurgit, luce illa plustrata fūctiones & facultates miras

Simia quid sit & unde sit.

Simiarū ingeniū unde.

ras & stupendas habet, nihilominus etsi miræ & raræ sint ex brutali forma prodeunt, quæ nihil rationis & intellectus habet sed solùm ex materia prima, & luce creata ortum habent quæ in materiam peculiarem & propriam Simiarum efformantur, nihilque aliud suns Simiæ, quàm portio quædam illius materiæ primæ & lucis creatæ, in materiam peculiarem, & propriam Simiarum efformata virtute divina, in principio creationis naturæ, in quo Deus materiam illam primam, & lucem creatam, quæ materiæ illius primæ forma ꝑpria & generalis illi erat divisit & distinxit in varia rerum genera, & species omnes, quæ totã & universalem naturam constituũt. Vivunt Simiæ ex simili & eadem materia, ex qua efformantur, ut reliquæ omnes rerum species Et prosunt homini, ad delitias & delectamenta, benignus enim Deus, & amator summus hominum est, non solum enim homini dedit, quæ illi sunt utilitati & commodo, sed & quæ delectamento possunt etiam & illi esse utilitati maximæ. Cum enim sint valdè calidæ & siccæ naturæ, ex his possunt elici olea stillatitia spagyricis instrumentis, quæ tenuitate sua & penetrandi subtilitate, & calore naturali suo, possunt membra paralytica roborare, & ad sanitatem restituere, frigidis discussis humoribus & viscosis, qui páralysim efficiũt: Agiles enim sunt Simiæ, & in perpetuo motu, quod quidem dependet ex copia caloris innati qui copiosus, est causa motus, unde adjunctus debili Paralyticorum calori, roborat ipsum, & mẽbra paralytica sensu & motu privata, redeunt in pristinum statum, & morbum naturalem & sensum recuperant. Sic Simiæ quæ tantum ad risum & delectamentum videntur efformatæ, sunt hominibus maximæ utilitati & commodo, cùm paralysim curare possint,

Simia unde nutriantur & quid prosint homini.

Simia sunt arcanum paralysis & quare.

De Natura ursorum, quid sint, unde sint, vivant & quid prosint.

CAP. XVI.

VRsus fortè admodum animal est & robustum & fortitudine æquat tauros & Leones, sed non agilitate, arbores suo robore erradicat & rumpit, nihilq; aliud est quàm portio seminis generalis in semen particulare & individuum ursinum efformata Divina potentia in principio creationis mundi, cui deinde particulari semini dedit potentiam & facultatem Deus ipse, se ipsum multiplicandi in plura individua, unde coïtu propagantur ursi, & coëunt humi strati, non supervenientes & stantes, idq; tempore hyemis quo tempore latent in ipsis terrę antris ubi nullo cibo assumpto pinguescunt, quia toto ferè illo tempore dormiunt & sola elementorũ pinguedine, quæ aëri inest vivunt & eo solo cibo pinguescunt, vacant tunc tem-

Vrsus quid sit & unde sit.

Vrsi quomodo coëant.

temporis veneri, & Ursa parit eo tempore quo latet & nutrit fœtum, quem perfectum edit, & membris omnibus absolutum quicquid dicat Aristoteles & Plinius. Nam occisa fuit in latebris ursa pregnans in cujus ventre reperti sunt fœtus duo perfecti omnino & membris omnibus absoluti. Ridiculum enim est credere Vrsam lambendo, & solo linguæ litu membra fœtuum suorum perficere posse: hoc enim linguæ non est, sed facultatis animalis & seminalis opus, quod in vulva ipsa à calore naturali in actum reducitur. Potuit quidem Vrsa fœtum edere vestitum, & coopertum tenui illa membrana, quâ sæpissimè involvuntur fœtus humani, & qua involuti in lucem producuntur, & sic vestitum & involutum linguæ litu devolvi, & occasionem præbere suspicandi ursam fœtum edere membris imperfectum. Quod tamen non est, cùm omninò perfectus & absolutus sit fœtus intra membranam. Admirabile tamen est quòd fœtus hi similes omninò sint corpore, capite excepto hominibus, habent enim manus digitis ornatas, & pedes & totum corpus humano corpori omnino simile, capite excepto, abscisso enim capite & detracta pelle pilosa ursorum truncus qui superest humanus videtur. Vnde non omnino falsæ videntur Historiæ enarrantes, familias nobiles exortas fuisse ex patre Vrso, & humana matre, humanum enim semen potuit prævalere,

Vrsa parturit absolutos & perfectos fœtus.

& Deus huic semini humano facto, potuit immortalem animam & formam infundere & sic verum hominem exsurgi ex brutali semine & humano, brutale tamen in commixtione non remansit brutale, sed conversum est in humanum ab humano, tanquam alimentum, quod ex brutis assumimus, quod quidem digestione in nos ipsos convertitur, Potuit etiam ut mihi videtur hoc semen ursi in vulva humana permixtum semini humano, à facultate humana converti in humanum semẽ: Vi & facultate vulvæ & matricis humanæ, quod contingit & in brutis, in ipso enim utero brutorum, semen humanum cõvertitur in brutale semen, quod piaculum nefandum est, & igne solo expiandum: Omninori sunt ursi & ex omnibus ferè naturæ rebus capiunt alimentum & vivunt, facili & acuto sunt genio, & facile mansuescunt & mansueti saltant, tripudiant aliaque mira faciunt, quæ eorum genium ostendunt. Eorum caro est hominibus alimentum, & eorum adeps est doloribus arthriticis summum remedium præcipuè si vitreis instrumentis distilletur & Spagyrica arte præparetur in oleum, subtile valde & summe penetrans.

Homo qua mira potentia ex urso enasci potest.

Semen brutale ursi qua ratione potest fieri humanum.

Vrsi qua ratione vivãt & unde eorum genium & quid prosint homini.

Adeps ursorũ distillatus, est arcanum arthritici doloris.

De Natura Ovium, quid sint, unde sint, vivant & quid prosint.

CAPUT XVII.

Oves quid sint & unde sint.

OVes animalia benigna & mansueta admodum habentur, & nullum est animalium fertilius ove ipsa, etsi solipara sit & rarò duos edat fœtus: Deus ex benignitate sua & misericordia, benedictionem suam hisce animalibus profusissimè infundit, propter hominum utilitatem & commoditatem nam ex his animalibus sumunt & alimentum & vestimentum: nihilque aliud sunt oves quàm portio quædam seminis generalis seu materiæ primæ, in semen quoddam particulare mutata, ex quo immediatè nascuntur oves, & in eo multiplicantur & vivunt & conservantur, ex eodem per alterationes varias, & digestiones quæ fiũt in corporibus ipsis ovium, ut inde vivant & conserventur. Lux creata quæ illis animalibus infunditur, & per influxum illum, innata lux & naturalis, quæ illis inest fovetur & conservatur, dependet & ortum habet ex constell[illegible]ione Arietis, benigna admodum constellatio, in qua sol ipse viget, & peculiares suscipit virtutes & proprietates, ad vegetationem & germinationem rebus omnibus suscitandam, & præsertim ovili gregi, qui præcipuè suscipit vim illam germinandi, & pullulandi quam maximam quæ universo ovium generi inest ex Ariete cœlesti, & quidquid est boni & mansueti in ipsis ovibus, ex eodem dependet astro, lanam ferunt eamq; copiosam, non pilum rudem, sed tenuem valde ita ut in tenuissima fila deduci possit ut hinc panni fiant delicati & tenuissimi, ad vestitum, id autem est in ovibus peculiare & proprium ex peculiari essentia quâ præditæ sunt, abundant enim mercurio & sulphure animali, quorum principiorum excrementa, in tenuissima fila deducuntur, dum per poros tenues & insensiles per cutem foras amandantur, Quod autem horum principiorum rude est melancholicum & terrestre, abit in cornua quæ capiti arietum adnascantur affixa, non capitibus ovium. Oves siquidem humidiores sunt & frigidiores arietibus, unde propter calorem majorem Arietes cornua gerũt, oves verò non. Vidi tamen cornutas oves in Britannia, & Arietes sex habentes in capite cornua, quod quidem rarum est, & non vulgare & commune, & id ex copia excrementosi salis ortũ habet.

Forma ovium unde dependeat.

Germinandi & pullulandi virtus.

in ovibus unde sit.

Cur lanam ferant oves & non pilũ.

Arietes cur cornua ferãt & non oves.

Arietes quadruplici cornu exornati.

De Capris & Hircis, quid sint, unde sint, unde vivant & quid prosint.

CAPUT XVIII.

Capræ & Hirci unde sint & quid sint.

CApræ multæ, & variæ sylvestres, & domesticæ, item & hirci & capri, differunt q[illegible]idem inter se, tum colore, tum lana & pilo, in Cilicia siquidem tondentur capræ ut oves, & in Pyrenæis montibus

ribus inveniuntur capræ sylvestres cornibus nigris retro acuminatis, & pilo luteo tenui & parvo: ysars vulgari nomine nuncupantur, montes incolunt & præcipitia & saltus, nihilque aliud sunt hæ capræ & aliæ domesticę quam portiuncula materiæ primæ per Divinam potentiam & virtutem in capras has efformata & individuata in qua semen particulare & individuum indidit Deus ut in se ipsis multiplicarentur & propagarent speciem suam: Vivunt alimentis ordinariis ovium, & in montibus & sylvis arborum, locustis seu extremitatibus, quas digestionibus variis, in ultimum sui alimentum convertunt; Lac multum adferunt & congerunt, quo caseus optimus conficitur, optimum humanum alimentum & rarò etiam recens nata optimi saporis est, frigidi est temperamenti ad siccitatē vergentis, cum quadam humiditate, hoc est non ita sicci est temperamenti quin humiditas excrementitia prævaleat, unde pili eorum longi & rari, quod humiditatem testatur, humiditas enim facile extenditur, & cùm pori rari sint propter siccitatem & tenues, inde pili copiosi, longi & tenues producuntur in capris, & in nonnullis lana est, quòd hæ humidiores sint & earū alimēta humidiora quorum excrementa facile convertuntur in lanā: hirci idem sunt ac capræ, & ex materia & semine fiunt, distinguuntur ratione sexus, hi mares sunt, & perinde calidiores & perinde magis fœtent, quòd calor & humiditas illa excrementitia putredinem ingentem efficiant unde fœtor. Sūt multi Philosophorum qui hircis virtutem attractivam veneni attribuant. Unde tempore pestis hircum enutriunt in domibus, ut venenum pestis attrahat & suo calore consumat quod verum esse fateor, nam putredo putredinem sequitur, & attrahit venenum, siquidem pestis, insignis putredo est, unde cum in hircis insignis sit putredo, putredo illa attrahit putredinem pestis & consumitur ibi, ut malignæ omnes qualitates aëris & elementorum omnium attrahantur à venenosis animalibus, & ibi cōsumuntur, & sic repurgantur elementa, ut homini sint alimento, sic hirci conferunt hominibus, non solum ad alimentum, cùm juvenes optimo sint homini alimento, sed etiam ad sanitatem illius, cùm illi repurgent aerē & venenatas & malignas qualitates aeris attrahant, & consumāt ut purus putus aeris occultus cibus homini habeatur, pleuritidis sunt tutissimum arcanum, nam eorum sanguis dilutus cum aqua cardui benedicti, pleuritides sanat.

Unde vivāt capra. — *Pili longi & rari caprarū unde.* — *Hirci unde fœteant.* — *Hirci cur venenū aeris attrahāt* — *Venenatæ qualitates cur alliciātur ab animalibus venenatis.*

De Talpis, quid sint, unde sint, unde vivant & quid prosint.

Caput XIX.

Talpæ sunt quædam species murium sub terra semper degentium ubi domicilia sibi parāt, Rostrū enim habent durū valde & quasi simile

Talpa quid sint & unde fiant.

mile eorum, quo fodiunt perpetuo terram, & scrobes in ea parant longas & quasi perystylia subterranea, quibus obambulant sine oculis ullis, non enim his opus habent, cùm perpetuis gaudeant tenebris, & lucem fugiant claram & splendentē, cùm animalcula sint in terræ visceribus producta, mediis in tenebris, aliquando ex semine proprio & peculiari paterno & materno & aliquando ex putri materia quæ in visceribus terræ disponitur sæpe sæpius aliquo peculiari astro & influxu cœlesti ad talpas producendas, ita ut nihil aliud sint talpæ, sive proprio semine fiant, sive ex putri illa materia enascantur, quam portio quædam seminis generalis & materiæ primæ, in semen peculiare, & talpinum efformata ex quo quidem semine, deinde immediatè enascuntur talpæ, non enim aliunde sunt quàm ex fonte communi, & vulgari, ex quo scaturiunt reliqua totius naturæ animalcula, nec aliunde vivunt, quàm illo fonte ex quo & reliqua cuncta naturalia vivunt: Quamvis enim peculiaria habeant alimenta mediis terræ visceribus innata, & sunt radices plantarum herbarumque omnium, & animalcula quamplurima visceribus terræ commorantia, illa omnia alterantur in stomacho talparum & diversis alterationibus reducuntur in ultimum alimentum, quod simile admodum est semini illo ex quo immediatè productæ fuerunt talpæ. Quod ad utilitatem earum pertinet, non videntur omninò inutiles cum earum sanguis frigidus ex corde earum recenter potus aut cor earum recens, & adhuc fervens, & calido vitali humore plenum voratum dicatur quartanam curare, & Epilepsiam specifica & innata virtute, propter siccitatem naturalem qua pollet, serosos', pituitosos humores quibus foventur hi morbi exsiccet & disperdat & propter nitrosum spiritum, quo turget sanguis talpæ, quo potissimum spiritu morbi hi evanescunt, sal talparum Spagyricè præparatum summum est arcanum Epilepsiæ propter spiritus nitrosos & vitriolatos, quibus turget hoc sal in quibus solis consistit cura hujusce immanis morbi: Magi antiqui multa de talpis scripserunt & de earum proprietatibus, quòd fuliginosos & nitrosos emittant spiritus, tum vivæ, tùm mortuæ in quibus consistit earum virtus ex proprietate, multa tamen falsa dixerunt, quòd earum naturam non apprimè noverint, & unde earum virtutes, & proprietates ortum habuerint.

Talpa cur cæca sint.

Talpa quid prosint homini.

Quartanæ febris arcanum.

Epilepsiæ arcanum sal talparū.

De Muribus Ponticis, quid sint, unde vivant & quid valeant.

CAPUT XX.

CApite duodecimo hujusce libri naturam & essentiam murium communium tractavimus, hos ponticos

Pontici mures Gallicè hermines

quid sint & unde sint. ticos mures liquimus propter raritatem & pretium eorum, non enim justum erat ut vilibus hisce animalculis permiscerentur, & uno & eodem in capite eorum essentia, & natura manifestaretur, sunt enim preciosissima naturæ animalcula perpulchra admodũ & rara, albissima pilosa veste, & quasi lucente & perpolita induta pelle, in Britannicis litoribus in antiquis & veteribus muris, seu parietinis conclusi & latentes reperiuntur hi mures tanto nitore & politura ornati & decorati, ut nulla tabe unquam infici gaudeant, potius mori quàm contaminari solẽt nihilq; aliud sunt hi mures, quã (ut alii comunes ordinarii) portio lucis creatæ, & portio elementorum omniũ, simul in productionẽ permixtæ horum animalium, quæ pulchritudine & albedine præstant cæteris, quod elementa, & lux creata quæ in productione eorũ permiscentur pura sint & nitida & à sordibus multis vindicata, Galli vocãt hosce mures hermines, & eorũ pellibus præparatis vestes regiæ decorantur, & exornãtur, tanquam pretioso indumento, vivũt ut reliqui mures ex alimẽtis ordinariis, ex frumento, ex tritico, ex radicibus herbarum, & plantarum & eorum seminibus, ex fructibus quoq;, & ex invisibili cibo aëris & aquæ, qui est vitalis spiritus, qui ex astris defluit in elementa, & hisce permiscetur ut vitalem illum spiritum, & cibum invisibilem constituat, & sit omnibus animalibus, & viventibus alimento spirituali & invisibili. Virtutes & proprietates habent insignes ad venenatam pestis aurã corrigendam, & roborandum calorem nostrum vitalem, nec exhorrescendum est eos mures contrectare, & in alimentum sumere, sunt enim pulcherrima animalcula, ut diximus, & nitorem amantia, neque sordidi aliquid comedũt nec male & putide olẽt, sed suavissimè, ego ipse apud Britannos inter manus mulierum delicatissimarum vidi contrectatos hosce mures, qui privati erant & valdè mites, & assuefacti, adeò ut inter delicias raras & inauditas haberentur propter eorum sulphur album perfectè depuratum quo turgent in genere animalium, summoperè prestant ad Epilepticos sublevandos, quia maximè roborant calidum innatum cerebri & serositates superfluas & malignas expurgant innata & naturali sua proprietate, quæ ex eorum sulphure ortum habet.

Pontici mures cur albissimi. — *Pontici muris virtus* — *& proprietas.* — *Pontici mures Epil ptic os sublevãt*

De Alce quid sit, unde sit, unde vivat & quid prosit.

CAPUT XXI.

Alce quid sit, & unde vivat & quomodo fiat & pr ducatur.

Alce animal Septentrionale est, in Regionibus enim frigidis vivere solet, in Polonia & Suedia frequens id est & gregatim pascit campos & silvas, media inter cervum & camelum similitudine, bifidũ habet pedis cornu, & labrum superius, inferiori majus, ita ut retrocedendo pascere cogatur, ne labrum illud sit

illi impedimento, temperamento est frigido, & asini imitatur temperamentum, aut saltem cameli, perinde est animal pavidum & timoris plenum, & melancholico humore, vel ut melius & melius loquar ...ercuriali principio, nec non & salito abundans ac scatens, cujus ope & ministerio, melancholicum istud, seu frigidum nec non & siccum obtinet temperamentum, principium siquidem mercuriale, & salitum frigidum & siccum constituunt téperamentum, quòd Galenici melācholicum dicunt, quod humor melancholicus serosus, & sale naturali plen⁹ in tali téperaméto reperiatur.

Quale principium chymicorum constituat temperamētum melancholicum.

Ex isto temperamento seu potius ex substantiis supra citatis mercurialibus & salitis simul permixtis, & secundum naturæ pondus, & legibus simul unitis, exsurgunt vapores & exhalationes sursum versus, & caput horum animalium tentāt, & affligunt sua pungenti facultate, nam salis spiritus qui hinc separatur, imò & substantia ipsa salis volatilis, quæ vaporibus illis, & exhalationibus ad cerebrum defertur, hinc meninges, & cerebri ipsius substantiam lædit, pūgit & vellicat, hinc convulsiones, & Epileptici insultus exoriri solent, in his omnibus animalibus, quæ naturali suo temperamento, sale illo volatili abundant, ex quo solo Epilepsiam contendimus, non solùm in Alce nostro, sed & in homine ipso. Vnde vidimus, & experiētia ipsa cognoscimus omnes Epilepticos melācholicos esse & frigido & sicco temperamento & sale corruptibili & excremētoso abundare, cujus solius ope & ministerio, epileptici insult⁹ in omnibus animalibus exoriri solent, si caput habeant debile, & frigidum & pauco nativo calore refocillatū. Quale solét habere Epileptici, cujus debilitatis ope, resistere non possunt illi spiritui salis corruptibilis sursum ascendentis & sua acrimonia cerebri substantiam vellicantis, cū ergo spiritus salis corruptibilis abūdet in Alce nostro, ideo hoc animal, præ cæteris animantibus Epilepsia tētatur & affligitur, quod frigido & sicco sit temperamento, quod hoc temperamentū abundet scateatq; spiritu salis corruptibilis, cujus solius vapores ascendentes, insultus efficiunt epilepticos: Spiritus enim volatilis salis, malignitate quadā præditus, ex corruptione peculiari sua, mirādos illos & occultos Epilepsię paroxismos efficit, cerebrū vellicādo, & partes ejus.

Epilepsia qua ratione fiat.

Epilepsia ab spiritu salis putrentis.

Alce cur Epilepsia tentetur.

Benigna tamen natura est, benign⁹ admodū Deus & misericors, ubi malum sponte posuit, ibi etiam naturaliter remediū collocavit, si hoc animal Septentrionale Alce nuncupatum sponte, ex naturali temperamento Epilepsia affligatur: habet idé animal innatum secum natū remedium, ungulam habet in pede sinistro, cujus virtus tanta est, ut solo tactu illius ungulæ, ab ipsius Epilepsię insultu, & paraxismo vindicetur & liberetur: modo caput ejus ea ungula tangatur, solet autē instinctu suo,

Epilepsia arcanum in Alce.

hoc

hoc animal talem ungulã ad caput suum deferre ut virtute sua liberetur à præsenti tãti morbi paroxismo.

Vngula Alcis unde habeat virtutẽ curandi Epilepsiam.

Undenam autem polleat tanta virtute hæc Alcis ungula postica & sinistra tantum, nõ antica, nam ungulæ anticæ nullius sũt virtutis, nec ungula postica dextra habet etiam aliquid virtutis sed sola sinistra ungula, mira hac pollet virtute & efficacia, & non solũ in animali suo hos miros præstat effectus, ac etiam in omnibus Epilepticis animantibus.

Hoc innatum Alcis remedium, ad occultas referunt causas Peripatheticorum ferè omnes. quod naturali temperamentum hujusce animalis ignorent, & quod in isto temperamento latitet, quid sit Epilepsiæ ipsius vera causa, & verum & naturale remedium, latrabunt in me ferè omnes, ut canes ex invidia iñata, qua turgent, ex emisso ignorantiæ vocabulo, At videant viri docti & æqua animi lance ponderent ea quæ dicturus sum, & an verum dicam clarissimè & evidentissimè cognoscent.

Epilepsiæ causa vera, cùm sit spiritus salis præter naturam, quem superiùs diximus spiritum salis corruptibilis, ideo Epilepsiæ remedium verum & unicum erit, idem spiritus salis naturalis, & nullo pacto corruptibilis. At cum isdem spiritus salis natura is sit copiosus & turgens, in ungula postica sinistra potius quam in reliquis ungulis, ideò ungula hæc sinistra est efficacior, & majori pollet virtute, & proprietate cæteris ejusdem animalis ungulis: Est autem ungula postica sinistra huj⁹ animalis, copiosiori & majori sale naturali turgens & scatens, ex naturali & innata sede partiũ sinistrarum quæ omnes ex splene, viscere sinistro, & receptaculo naturali salis naturalis, recipiunt & hauriunt tanquam ex fõte naturali & innato salis naturalis, copiam hanc salis & abundantiam: Cùm splen ad hoc natus sit, ut massã sanguinis, ex nimia & copiosiori salis naturalis copia expurget, cuj⁹ deinde virtus peculiari deinde splenis energia transmittitur ad omnes sinistras partes, præsertim siccas & aridas, sale naturali abundantes, & turgentes: Qualis est ungula postica sinistra alcis nostri cujus virtus in curandis epilepticis insultibus non ex occulta quadã causa ortũ habet, cũ qualecumq; sit in ungula ipsa sit patens & manifestum, & quicquid est etiã in toto animali isto, clarũ sit & evidens, sale enim turget totum hoc animal, & ungula ejus si resolvatur in principia sua, artificio Chimico, salis turgentem copiam in hac resolutione inveniemus. Quod quidem sal si artificio vulgari & communi per simplicẽ distillationẽ resolvatur in spiritum, hoc est in tenuissimam & subtilissimam aqueam substantiam, quę per retortæ luto munitæ simplicem distillationem, foras in vas recipiens emittitur: Arcanum hinc exoritur potentissimum curandæ Epilepsiæ, & sic habemus causam manifestam, & remediũ manifestũ curandę Epilepsiæ

Vngula sinistra postica alcis cur sale turgeat.

Vngula Alcis sinistra postica sale copioso turget.

Salis ungula Alcis spiritus est arcanum Epilepticum.

psiæ quicquid clament in nos Peripatheticorum quamplurimi: Et sic habemus Alcis animalis Galliæ Trãsalpinæ naturam notissimam, ejusq; proprietatem in virtutes claras & manifestas.

DE INSECTIS TERRESTRIBUS QVÆ IN VISCERIBUS terræ reperiuntur ejusdemque cavernis.

SECTIO SECUNDA.

ET PRIMO DE SERPENTIBUS.

Serpentes quid sint, unde sint, & unde vivant & quid prosint & valeant.

CAPUT I.

Serpentes quid sint & unde sint.

SErpentes cunctarum animantium callidiores ex divina providentia facti desumpta materiæ primæ portiuncula, & parte lucis creatæ quæ simul permixta & unita cooperante Divina voluntate, serpentes hinc surrexerunt, & super terram & intra terram per cavernas ejus & antra se insinuarunt subrependo: ubi conservantur & se multiplicant ova pariendo excepta vipera quę sola inter serpentes alumnos vivos suos producit, reliquæ serpentes sunt oviparæ & coeunt inter se & attritu emittunt aliquid subtile & tenue, aereum & aqueum quod semen prolificum habetur, & ex poris & meatibus circa spinam positis ortum habet. Testes enim non habent serpentes ut in his colligatur eorum semen, digeratur & coquatur, sed loco testiculorũ habent meatus quosdam circa spinam eorum collocatos, qui replentur debito loco tempore seminali substantia, quæ tandem tempore veris excalescit, & sua copia & spiritu stimulat & urget serpentes ad coitum, ut eo se multiplicent, & sic conservent speciem suam ex materia prima, & luce creata, per separationem Divinam efformatam.

Serpentes sunt ovipara excepta vipera.

Serpentes non habent testiculos & tamen coeunt.

Serpentes ut se multiplicant.

Serpentum multi ova pariunt & semen eorum in centro ovorum latitat, quod quidem in actum reducitur, tum calore terræ naturali, tum fotu horum animalium, quæ salitu solo excalfaciunt ova sua, ut prolifica virtus exeat in actum, excepta vipera, quæ sola serpentum in Europa degentium vivos suos fœtus in lucem prodit, ut capite sequenti clarius & dilucidius manifestum erit, in Africa verò multi serpentum reperiuntur ut in America, inaudita magnitudine, & inaudito veneno, qui quidem vivos pariunt fœtus, ut in nostra Europa sunt viperæ, unde autem hoc fiat, rarum & summe occultum est disquirere velle, nihilominus capite sequenti de viperis id ipsum pro imbecillitate ingenii nostri disquiremus, jam verò vitam eorum in communi unde existat, manifestabimus.

In Africa & America multa sunt serpentes vivipara.

Vita serpentum omnium ex communi viventum omnium promptuario

Vita serpentũ unde &

cibus eius quotuplex. ario desumitur, ex volatili cibo & influenti, & ex fixo, & radicali: volatilis & influxus vitæ cibus in arce latitat, & ex eo desumunt serpentes omnes suum vitæ fomitem, quem volatilem diximus, quod per area volitet, & ex astris descendat, per influxus cœlestes in aerem, & elementa reliqua, ut ex his attrahatur virtute attrahente qua prædita sunt omnia creata, & præcipue serpentes, qui quamvis temperamento donentur, nihilominus in medio ipsius téperamenti latitat substantia quædam utilis, quæ in conservationem sui ipsius attrahit similem substantiam, & hæc substantia ex luce est, quæ originem duxit ex luce illa prima, quàm Deus sua virtute & potentia infinita ex nihili fonte eduxit, & materiæ primæ tanquam forma generalis induxit. Quamq; formam seu lucem in varias & multiplices Formas seu luces distinxit, & separavit Deus in principio creationis multiplicia & varia rerum entia producendo, ad pulchritudinem variam & distinctam huius universalis naturæ: Ex hoc eodem & unico fonte ortum duxerunt serpentes, & eorum vita, quæq; adhuc ex eodem & plane simili conservatur fonte. Nam cum facti sint serpentes omnes, ex materia prima & eius luce, seu forma generali, ex eodem etiam conservari est plane necessarium. simile enim simili conservatur, Et ad eius conservationem data est magnetica virtus & facultas attractrix illius similis & necessitate naturæ, essentia enim & substantia rerum omnium in calido cui adhæret humidum materiæ primæ consistit quod quidem humidum suum semper depopulatur & eo nutritur, ut duret & persistat, deficiente humido evanescit calidum illud vitæ fulcrum. At calido inest attrahendi facultas, qua humidum suum ex omnibus mundi partibus ad se allicit, ut eo nutriatur & sic persistat & duret in determinatum ævum: Et quo res aliqua est calidior, eo etiam maiorem habet attrahendi potentiam, ut persistat longiùs in suo esse. Serpentes autem etsi manifestè calidi non sint, sed potius frigidi nihilominus in centro vitæ eorum latitat summus calor, quo attrahunt humiditatem crudam & incoctam fomitis vitalis, qui ubiq; volitat eamq; digerunt & coquunt, & sibi assimilant & quia hæc fomitis vitalis cruda & incocta, difficilis digestionis & coctionis est, ideò fortem habent Serpentes omnes calorem ut eam ipsam humiditatem percoquere possint. At ea percocta humiditate ac digesta, fortior est eorum vita, & longior, & ita fortis ac potens est, ut singulis ferè annis se removet, & juventam acquirat.

Lux forma rerum.

Serpentes ex materia prima facti, ex eadem conservantur.

Subsistentia rerum in quo consistat.

Serpẽtes etsi manifestè frigidi sint calorem tamen habent internũ fortem & potẽtem.

Nec mirum, in fomite enim tali, virtus hæc & facultas innata est modo coctus ac plane digestus sit ille vitæ fomes. Sunt ergo Serpentes omnes à Deo facti, & ut crudam & incoctam nimisque frigidam calidi innati humiditatem radicalem at-

Serpentes unde se renovẽt singulis annis.

Serpentes ad quid facti.

trahant & percoquant, ut reliquum quod superest humidi, in elementis faciliùs cócoctu sit hominibus, nec noceat reliquis, quæ hominis sunt, alioquin noceret non solum homini cuius sunt omnia, Sed & brutis & seminibus multis, & arboribus, quæ temperatam expostulant illam humiditatem, ad sui conservationem. At de conditionibus illius vitalis humiditatis plura dicemus & rara, Sectione ultima istius libri, ubi de monte & lapide Philosophorum nobis erit sermo.

Sufficit nobis scire Serpentes, & alia eiusmodi bruta animalia quæ in terrarum antris, & cavernis degunt, ut vitam suam conservent & protegent attrahere illam humiditatem radicalem calidi innati mundi, ex qua ipsa facta fuerint, quam humiditatem attrahunt ex aëre, ex aquis, & ex terra ipsa, in qua degunt ubi copiosè reperitur: hanc coquunt & digerunt & in sui alimentum convertunt, reliquū quòd permutari nequit in veram & radicalem eorum substantiam, permanet in ipsis tanquam venenum, quod quidem tale est, quod crudum & incoctum sit nec satis permutatum & alteratum ab ipsis Serpentibus. Nullum enim coctum & perfectè digestum venenum est, at certum vitæ fundamentum: Quod quidem ex perquisitione rerum singularum in singulis naturæ regnis potest fieri manifestum. Serpentes præter hunc attrahendi usum & facultatem alliciendi hanc crudam calidi innati generalis naturæ humiditatem radicalem, multis aliis inserviunt usibus. Nam insignes & raras habent proprietates & virtutes, quæ homini maximo sunt emolumento. Curant enim lepram & psoram & scabiei omne genus, quòd hepar humanum ad temperatum deducere queant statum, frigida illa externa humiditate radicali qua turgent, quam acceperunt ex fonte naturæ, in quo abundat vitæ nostræ vera & radicalis humiditas. Cuius humiditatis fontem pauci noverunt etsi omnes vivant ex eo: fons hic apud Chymicos, Serpens dicitur & Draco, & buffo, & sexcentis aliis nominibus vocatur, quod Serpentes, Dracones & buffones, similitudinem quandam habeant cum ipso Chymicorum fonte, & quòd proprietatem in suo regno animali habeant, similitudine quadam correspondentem cum humiditate illa radicali totius naturæ, de cuius parte subtiliori, ætherea & aquea & terrestri exorti sunt Serpentes nostri, at vitam habent & animam ex luce illius, quæ in materiis elementorum actuatur in vitam, ut adhuc fiet clarius capitibus sequentibus, de viperis & Draconibus.

Venenum in Serpentibus unde fit.

Serpentes quib9 inserviāt usibus

lepram curant & scabiei omne genus.

Fons vitæ cur dicatur Serpēs Draco & buffo.



DE

DE VIPERA.

Viperæ quid sint, unde sint, unde vivant & quid prosint.

CAP. II.

Vipera quid sit & unde vivat & qua ratione facta sit ex materia rerum prima.

VIperæ nihil aliud sunt, quam portiuncula seminis generalis naturę in speciem viperarum à summo creatore distincta, & separata, cui portiunculæ seminis generalis, Deus indidit virtutem, proprietatem & energiam viperarum, & quod erat lucis creatæ in ipsa seminis generalis portiuncula, Deus in animã viperatam efformavit. Sic Viperæ Divina illa potẽtia rerum omnium creatrice, ex materia rerum prima surrexerunt. Jam verò ex se ipsis ortum habent. Quia materia illa prima in viperas distincta, accepit à Divino creatore, potentiam se ipsam multiplicandi, ex centro sui ipsius, quam conservat integram in individuis, ne pereat species individuis pereuntibus: Individua siquidẽ corruptibilia sunt. At cum habeant potentiam & facultatem innatam se ipsa multiplicandi per generationem ipsorum, eorum species sic manet & persistit incorruptibilis, per multiplicationem sui ipsius.

Vipera semẽ habent.

Viperæ ergo jam in centro suo semen habẽt quod tempore veris dum calidum innatum rerũ crescit & roboratur. Sole ad nos adventante

Sol calidi innati fons

calidi illi⁹ innati patre & unico fonte, ad spinam viperarum defertur, *& pater.* ibiq; copia sua veneris vestrum excitat & compellit viperas ad coïtus & amplexus generativos. *Viperæ quomodo coeant.* Mas & fœmina manent eo tempore variis & multiplicibus nexibus inter se cõjuncti, donec virtus masculi exeat. Et in fœminam introducatur & fœcundet semen fœminæ, quod ex se ipso per se infœcundum est, ut & masculi item semen per se solum infœcundum est, sed unita inter se in loco convenienti & idoneo, & à natura destinato, fœcunda sunt ut reliqua omnia rerum semina, per se sola separatim sumpta infœcunda sunt, at dũ conjungũtur in utero proprio, dum ibi uniuntur & permiscentur fœcundantur, & in se ipsis simul sumptis & perfectè unitis actuantur in vitam, Alioquin vita illa quæ in utroque semine potentia & virtute residet, actuari non potest semen viperarum in utero earum, in ovum prius mutatur molle & non durum, & in utero ipso excluditur, & foras vivus excluditur & erumpit viperæ fœtus, unde sola est serpentum quæ vivos excludit fœtus, cùm calidissima sit serpentum omnium quæ in Europa reperiuntur, & propter calorem suum ova sua in utero suo excludit.

Semina verò qua ratione fœcundẽtur.

Vipera cur vivipara sit sola inter serpentes.

Alii contra sentiunt & dicunt viperam esse frigidissimam serpẽtũ omnium, & perinde de foris sua ova, propter temperatum & modicum calorem suum nativum, qui ex parvitate foras excludere non potest

ova sua, & in actum vitæ suæ reducere, ideò necesse est, ut intra permaneant & in fotu perpetuo caloris nativi refocillentur, alioquin periret virtus illa, & energia vitalis, si externo aëris frigore ad modicū tempus refrigeraretur. At id neque ex suo frigore, neque ex suo calore ortum habet, cùm qualitates hæ, ex nostra sententia actionem habeant nullam nisi instrumentalem & dependant à vera substantia, quæ sola est actionis fons & origo.

Substantia ergo viperarum qualitatibus elementorum omnium exornata, parit ova non ratione caliditatis suæ, nec frigoris, aut humiditatis aut siccitatis, sed ratione sui ipsius, & innata & naturali sua proprietate & virtute, quæ neque est calida neque frigida, nec humida vel sicca, sed substantialis & seminalis virtus quæ sponte sua fertur ad sui multiplicationem, unde errant toto cœlo, qui aliquod seminum asserunt esse calidum, vel frigidum, & ratione caliditatis vel frigiditatis productivum esse, & multiplicativum: nō enim ita res se habet. Adsunt quidem qualitates omnes in semine sed ab ipso semine suscitantur, ad actiones suas, & sic agunt mediante substantia, unde actio earum debetur substantiæ, non ipsis qualitatibus, cùm ipsa actio primordialiter exoriatur ex ipsa substantia.

Semina ergò in actum multiplicationis reducuntur ex se ipsis non ratione qualitatum.

Semen ergo viperarum subtile admodum & tenue, efformatur à se ipso calore sui ipsius tanquam instrumento, in ovum subtile & molle, cuius virtus multiplicativa evanesceret subito in auras, si foras prodiret. Ideo prudens natura, ut conservaret species viperarum in earum semine, intus conclusit, donec perfectum ex illo ovo effingeretur animal, quod quidem dum perfectum est & absolutum membris suis omnibus foras erumpit, ut majus quærat alimentum & copiosius eo ipso quod in utero suæ matris tantum inest. Reliquæ autem Serpentes crassum habent semen & terrestre valde. Vnde induratur in ovum, & cortice dura tegitur, ita ut virtus eius non facili negotio in auras evanescat, sed perduret per multum tempus. At in viperis subtile est tenue, unde si foras erumperet, & per modicum tempus refrigeraretur, statim extingueretur eius virtus seminalis & proprietas, & sic periret semen, aut ovum viperarum: quocirca necessarium est, ut intus includatur donec omnino perficiatur in animal perfectum & absolutum. Et hæ sunt rationes veræ, cur vipera sola inter Serpentes Europeas vivos pariat fœtus.

Viperæ semē quale & cur mutetur in

ovum intra corpus ipsius viperæ.

Serpentes quale habeant semen.

Cur ovum viperarum intus maneat donec perficiatur.

In Americis autem partibus reperiuntur Serpentes quammultæ prægrandes & feroces, quæ vivos gestunt fœtus, quod in Americis partibus, præcipuè in his partibus, quæ Zonæ Torridæ subjacent, ubi propter temperiem aëris & subtilitatem eius cùm à calore solis & stellarum attenuetur & subtilietur ibi omnia

Cur serpentes in America sint viviparæ.

omnia fere animalia subtile & tenue valde semen habent & multæ serpentes præcipue ibi reperiuntur quæ præ subtilitate & tenuitate seminis excludere foras non possunt semen, quin pereat & evanescat ejus virtus seminalis, & perinde necessarium est ut intus concludatur donec perficiatur & actuetur in animal perfectum.

Animalia cur multa sint ovipara. Hinc etiam colligere possumus cur animalia tanta sint in omni genere, quæ ovipara sunt, cum eorum omnium semen crassum & pingue valde sit, cuius superficies facili negotio in testam induratur, ad conservationem sui ipsius, alioquin si tenue & æthereum foras exiret, ut in animalibus perfectis quampluri. mis contingere solet, tunc virtus ejus illico extingueretur, nec ullo artificio reparari posset. Sed de hac virtute seminali plura dicemus in secundo volumine huius operis, ubi de homine solo nobis erit sermo. Nam in isto volumine primo, non agimus nisi de his, quæ hominis sunt, & ante ipsum & propter ipsum facta sunt.

Semen animaliũ multorum cur intus reservetur ad sui perfectionem.

Viperæ quibus inservi- ant usibus. Viperæ ergo propter hominem factæ sunt, & à massa illa Antiqua materiæ primæ separatę fuerunt per Divinam potentiam ad utilitatem quammaximam ipsius hominis, & quamvis venenum prægrande habeant in detrimentum hominis sæpe sæpius, nihilominùs tamen id per accidens est, non ad id factæ sunt formaliter & essentialiter. At ut homini sint medicamento summo. Earum enim caro simplex non præparata, & etiam præparata, affectus omnes præter naturã calidos & torridos corrigit & temperat, unde totam sanguinis massam, à saburra serosi & acris humoris depurat, & abstergit, & totum renovat hominem, imò eius vitam longævam facit & ultro ordinarios & vulgares vitæ humanæ terminos extendit ac producit, cum tenacem & viscosum producat humidum, calidi innati proprium pabulum, modò illi perfecte uniatur, quod quidem humidum viscosũm & tenax cùm difficilis sit consumptionis, ideo longævam constituit vitam, vita siquidem longa consistit in humido tenaci, & viscoso, calido innato perfectè unito & permixto:

Vipera est longæ vitæ arcanum.

Vita longa in quo consistit.

DE DRACONIBVS.

Dracones quid sint, & unde vivant & quid prosint.

CAP. III.

Dracones sunt species serpentum, qui alati sunt & duobus præditi pedibus, ungulis acutis feraci natura & crudeli ac summopere veneñata, variis coloribus nigro, viridi, rubeo, flavo & aliis exornati qui colores inter se permixti ferocitatem & horrorem in hisce animalib⁹ multiplicant & augent, in Regno Cõgo & in Malabarib⁹ & in Narsingo reperiuntur, rari tamen cum non

Dracones quid sint & unde vivãt

Dracones cur rari.

sint ad vitę humanæ emolumentum & utilitatem sed potius ad detrimentum, cum hæc animalia præsertim in homines sæviant, & odio peculiari ipsos persequantur, Quamvis venenatam substantiam ex elementis attrahant, ut ipsam digerent, coquant & in suam substantiam convertant, ut quod superest in elementis vitalis substantiæ sit magis aptum & proprium enutriendis hominibus potissimum & aliis animalibus, quæ homini sunt emolumento, quæque non habent ventriculum adeo fortem & robustum ut crudam & incoctam elementorum vitalem substantiam sine ulla separatione prius facta, sibi assimilare aut saltem percoquere queat, ut inde variis alterationibus peractis fiat ultimò vera assimilatio.

Draconum vita unde.

Dracones ergo cùm nutriuntur ex viscosa illa elementorum omniū substantia quæ apud Chymicos veros & naturæ secretis initiatos dicitur hyle seu materia prima rerum omnium, ex illa, inquam, materia etiam fiunt cùm ex illa nutriantur & conserventur nihilq; vere aliud sint dracones quàm portio illius materię viscosæ, quæ per Divinam potentiam efformata fuit in Draconem marem & fœminam, quibus Deus dedit potentiam se ipsos multiplicandi ut inde multiplicarentur eorumdē draconū individua ad ornamentū hujusce mundi, cuius pulchritudo in varietate rerum consistit, & earumdem rerum ortu & interitu: Vt inde colligant Sapientes, aliquid esse in centro rerum immortale & incorruptibile, ex cujus alteratione varia, exsurgunt mirabiles illæ rerum omnium varietates.

Colores in draconibus quid indicēt

Colores varii ac distincti qui in Draconibus nostris reperiuntur hoc satis oculatis Philosophis ostendunt ac manifestant: Sunt enim Dracones ex una & eadem substantia orti, & nutriuntur & conservantur ex eadem, & tamen illa substantia in ipsis ita diversificatur & variatur ut plures in his substantiæ esse videantur cum variis accidentibus qualitatibusque exornentur.

Chymiam cur omnes non capiant.

Hoc naturæ mirum pauci intelligunt quia principia naturæ ex Chymicorum doctrina, audire nolūt nec ipsa capere possunt nescio an hoc sit ex divina voluntate, quæ intellectum dat parvulis, & illuminat cæcos, & occæcat quos vult ne videant solem ipsum meridianum: principia rerum Chymica adeo clara sunt & manifesta ut non egeant ulla probatione, quia per se ipsa sat luminis habent ut Sapientibus innotescant, nihilominus nauci fiunt & tota Alchymia à nasutulis quibusdā Thrasonibus deridetur, cùm tamen vera sit totius Philosophiæ & medicinæ margarita preciosa & scientiarū fere omniū sola basis, & fundamentum & sola Sapientia dicatur à Salamone de qua sola potest prædicari: longitudo dierum & sanitas, à dextra illius, à sinistra verò gloria & Divitiæ infinitæ: Aliæ siquidem scien-

tiæ

Alchymia laudatur vitam longam & divitias infinitas porrigat.

tiæ mundanæ nec longitudinem dierum & sanitatem, nec gloriam & divitias infinitas ex se ipsis promittere possunt sola est Alchymia, quæ suis caris alumnis hæc promittere audet, & vere promissis stat suis: At Dracones habet custodes thesaurorum suorum, qui debellandi sunt prius & occidendi, ut ex eorum morte vita illa longæva exsurgat, quæ non solùm in vegetabili regno & animali potentiam habet, & imperium sed etiam in minerale regnum suam ostendit energiam, unde exsurgunt divitiæ illæ infinitæ nam claves naturæ totius traduntur ex morte Draconum, veris Philosophis, quorum beneficio thesauri omnes naturales tùm in animali, vegetabili & minerali regno certissimè aperiuntur, ne tamen existimes, amice lector, Dracones hos chymicos vulgares esse dracones de quibus hoc in capitulo fit mentio: substantiæ enim sunt minerales, quę dum inter se conjunctæ sunt & coquuntur & digeruntur in vase hermeticè clauso variis exornantur coloribus, ratione quorum, & crudæ vitalis elementorum omnium substantiæ, quæ in his mineralibus substantiis latitat, ratione, inquam, horum omnium, Dracones dici possunt, & verè Draconum animalium imitantur naturam & rationem, unde Allegoriæ mirandæ exsurgunt, quæ passim apud Authores Chymicos leguntur, de quibus fuse admodum dicemus: sectione ultima huius libri, ubi de montibus erit sermo.

Dracones chymicorũ quales.

Concludamus solùm Dracones nostros de quibus hoc in capitulo mentionem facimus, animalia esse bruta in serpentum specie collocata, feroci & crudeli natura ac venenata, ex pingui & viscosa materiæ primæ portione, per divinam potentiam enata & efformata in principio creationis rerum omnium, ex qua item materia jam enutriuntur & conservantur, & semine potentiali in ipsis incluso multiplicantur, & augentur ad ornamentum mundi & humani generis utilitatem quammaximam, cum crudam & nimis indigestam, vitalem internam elementorum substantiam attrahant, ut ipsam coquant & digerant, & sic elementa purificant ne sint crudis & indigestis eorum substantiis, Hominibus nocumento.

Dracones vere quid sint.

Dracones ad quid serviant.

An in capite Draconum carbunculi generari possint.

CAP. IV.

Dracones lapides ubi generentur.

ASserunt multi authores lapides pretiosos, radiantes & nitentes generari posse in capite draconum, unde & solent appellari hi lapides Draconites vel Draconii, & ex Oriente solent exportari, in Provinciis Asiaticis Orientalibus, ex Regno Malabar, & Narsingo, ubi magni & prægrandes solent reperiri Dracones, ubi solent viri audaces

audaces & magnanimi speluncas Draconum magnis in montibus explorare, in hisque medicatas, & soporiferas spargere offas, Draconibus gratas ut Dracones advenientes ipsas deglutiant, quibus voratis somno gravi corripiuntur: Adveniūt tunc temporis exploratores speluncarum, & abscindunt capita Draconum. Et sic surripiunt lapides illos pretiosos qui magno pretio divenduntur Regibus, & Magnatibus Orientis, propter insignes & admirandas eorum lapidum virtutes: hæc asserit & enarrat Camillus Leonardus In suo speculo lapidum pretiosorum capite de Draconío lapide, quod an verum esse possit jam nobis superest disquirendum.

An draconites lapides generentur in capite draconum.

Lapides omnes qualescumq; sint pretiosi, sive vulgares & communes produci & generari solent ab humido viscoso aquæ sale turgido calore interno desiccante illud humidum viscosum aquę vel frigore etiam externo coagulante, & desiccante illud ipsum humidum: frigidum enim æq; quasi exsiccat, ac calidum, quia frigido calidum internum multiplicatur & fortius redditur ad humidū suum exsiccādum & coagulandum. Sic frigidum vere & formaliter non coagulat lapides, nisi in quantum calidum frigido multiplicatur antiperistasi inde facta. Videndum jam est an in capite Draconum reperiri possit humidum istud viscosum elementare materialis lapidum causa, & an calidum vel frigidum, viscosum istud coagulans etiam reperiri possit in eodem capite Draconum: Si enim hęc omnia concurrant nullo pacto dubitandum est quin lapides generari possint in ipso capite draconum.

Humidum autem viscosum aquę reperiri in confesso est apud omnes, cùm ipsi Dracones potent aquam ipsam elementarem quæ sine tali humido viscoso sale turgido esse non potest. Hæc, inquam, aqua sive potus communis, & vulgaris Draconum, coquitur & digeritur in ventriculo Draconum. Pars mineralis, quæ alterari non potest & in substantiam Draconum converti abit inalterata, & intacta cum serositate sanguinis & defertur per totum corpus Draconum, unà cum eorum sanguine, pars sanguinis variis alterationibus facessit in partes essentiales Draconum: Pars illa mineralis, quæ alterari non potuit, calori naturali sui ipsius, & calore externo Draconis pedetentim exsiccatur, & coagulatur in lapidem pretiosum, rutilantem & nitidum, in capite potissimùm ipsorum Draconum quod mineralis illa pars aquæ ad caput ascēdat unà cùm sera, & phlegmate sanguinis, ibique ascendat summopere depurata, clara & nitida ac limpida facta, superveniente deinde calore exsiccante hanc materiam, facili negotio coagulatur hæc in lapidem qui si tinctura sulphuris rubei, clari & limpidi impregnetur, ac tinguatur, (hoc autem facili fit via, cum ca-

Draconites lapides qua ratione fiāt.

lore

lore externo Draconis semper agente, humidum illud pingue & viscosum tinguatur in rubeum, suscitato illo sulphure seu igne interno,) tunc temporis, inquam hic lapis qui inde exoritur fit verus carbunculus ardens & radians lapis magnæ & mirandæ virtutis: hic tamen lapis caro fit, & nisi in caducis & senibus valde draconibus reperiri solet, quia multum temporis exigitur, ad depurandam illam materiam, & illam coagulandam & tingendam in carbunculum.

Draconites copiosi non sunt carbunculi.

Reperiuntur tamen frequentes, & copiosi Draconites sive Draconii lapides in capite draconum. At non sunt carbunculi sed alii nobiles valde & pretiosi lapides, qui cum reperiantur in capite Draconum, Draconites dicuntur & Draconii, qui quidem si summum & ultimum expectassent depurationis gradum & terminum, tandem facti fuissent veri carbunculi, nam in matris seu loco generationis lapides, & metalla quo diutiùs persistunt, eo perfectiorem & nobiliorem perfectionis & nobilitatis acquirunt gradum, quia natura semper tendit ad ultimum perfectionis gradum. Carbunculus autem habet summum & ultimum perfectionis gradum inter lapides pretiosos: An autem iste Carbunculus & in capite Draconũ productus sit nobilior & præstantior illo carbunculo, qui in fodinis ditissimis auri producitur & generatur, fides sit penes illos, qui utrosq; viderunt

Carbunculus inter Lapides habet supremum perfectionis gradum.

& palparunt, hoc autem ex depuratione dependet, quæ ubiq; fieri possit modo locus sit purus & nitidus, Sed de his satis, modò communes & vulgares Draconites lapides sciamus esse lucidos, ac transparentes Cristallini coloris, miræ virtutis & efficaciæ in fugando veneno omni, maximè serpentum, animum etiam roborat, & multiplicat audaciam & fortitudinem, cùm calorem nativum roboret, & augeat.

De carbunculo in capite draconum generato, mysticum ego existimo Chymiæ arcanum.

DE LACERTIS.

Lacerti quid sint, unde sint & unde vivant & quid prosint.

CAP. V.

Lacerti quid sint & unde sint.

Lacertorum species multiplex est, & varia, nam & Salamandras omnes sub se comprehendere potest, cum similitudinem quandam habeant inter se differunt tamẽ toto cœlo, & differentia & proprietate, conveniunt tantùm figura externa.

Nihilque aliud sunt lacerti, quàm serpentum quędam species, quadrupes, bifida lingua, ovipara, viridi colore & flavo decorata, toto hyemis tempore in cavernis terræ latitans, & terra & spiritu aëris vitali vivens toto illo tempore, in quo griseo seu leucophæo exornatur colore. At tempore veris deposita illa veste, senectutem deponit, & viridem tanquam florentem induit vestem, qua toto verno, & æstivo tempore, & autumno

Lacerti cur virides sint ꝗ æstivo tẽpore & verno.

summo conspicitur indutus, quòd viridi & crudo utitur alimento, toto hocce tempore, quod quidem alimentum desumit tùm ex plãtis crudis & viridib⁹, tùm ex fructibus, tùm ex serpentibus, buffonibus aliisq; animalculis, imò ex avibus, quibus astute insidiatur, ut ipsas capere possit. Est enim lacertus omnivorus, comedit quicquid invenit ad comedendum: Et terra ipsa, & aer sunt sæpissimè illi alimento, præsertim dum latet hyemis tempore in cavernulis terræ. Vnde brevissima est vita, & annos duos non excedit, nonnulli semestrem faciunt lacertum. Et hæc brevissima vita est, ex cruditate nimia quam contrahit ex alimentis suis variis quę perfectè digerere non potest, unde subito & brevi tempore extinguitur eius calor nativus à quo vita dependet.

Lacerti quibus vivant.

Exorti sunt lacerti in principio rerum, ex eadem materia, ex qua reliqua omnia originem habuerũt, per separationem & distinctionem eorum ab ipsa eadem materia prima, divina virtute, quę portiunculam illius materiæ primæ, in lacertos efformavit, eique potentiam in posterum dedit se ipsam multiplicandi, virtute seminali in ea ipsa inclusa, cuius ope & beneficio inter se coëuntes lacerti, ova pariunt, quæ quidem ova, terrę gremio committunt, ibiq; sponte excluduntur in lacertos tùm calore naturali intrinseco ovorum ipsorum, tùm calore ipsius terræ, & solis ipsius, & stellarum.

Lacerti qua ratione facti sint ex materia prima.

Lacerti omnes ut reliqua bruta animalia, quæ aliquid veneni habent sunt ad hoc creati, ut elementa omnia à suis venenatis substãtiis vindicent. Attrahunt enim illas substantias, coquũt & digerunt, & quod digestum est in suam substantiã convertunt & assimilant, quod autem superest indigesti & crudi, ad aliquod membrum amandant ut ibi tanquam excremẽtum foras eliminent vel ibi cõservant ad vindictam hostium suorum, & ad tutelam & defensionem vitæ eorum.

Sunt etiam præterea homini summo emolumento, nam si comburantur eorum corpora, & in cineres reducantur, huius cineris dragma unica epota cum aqua theriacali ict⁹ scorpionum mirifice sanat. Sal autem eductum & arte Chymica præparatum dentium dolores mirifice sanat & arthriticos, si cùm essentia roris marini unà permisceatur & in linimenti consistentiam reducatur, & applicetur parti dolore affectæ. In Americis autem Regionibus hominibus sunt alimento, & habent carnem Euchymam & optimi succi, & palato gratissima est eorum caro & prægrandes sunt & magni, nam ad viginti pedum longitudinem extenduntur, & hominem crassitudine vincunt, crudeles admodum & feroces sunt, homines ipsos & bruta vorant.

Lacerti quid prosint homini.

DE

DE SALAMANDRIS.

Salamandræ quid sint, unde sint, unde vivant & quid prosint.

CAP. VI.

Salamãdra & lacerti differentia. SAlamandræ aliqua ratione figura externa lacertos imitantur, nihilominus tamen variis coloribus, viridi, nigro, flavo ac subcæruleo distinguuntur, & tarditate incessus, lacerti siquidem celeri passu incedunt, Salamandræ tarde admodum gradiuntur, & stupidæ valde sunt nec ullo pacto agiles, & ut lacerti, qui expedito admodum sunt corpore, & serpentes pugna & certamine aggrediuntur eosq; agilitate sua vincunt.

Salamandra venenũ quale. Salamandræ autem tardæ admodum sunt, & stupidæ, & solius veneni magnitudine, & gravitate lacertos vincunt ac superãt frigidum admodum & humidum est Salamandræ venenum, cuius solius virtute ignem parvum extinguit. Nam Salamandra viscido & glutinoso humore, per totum corpus ita obducitur, ut dum appropinquat ignem levem *Salamandra igne non gaudet.* scilicet & parvum, ipsum ignem viscido illo humore frigido valde, & humido, extinguit veluti aqua suffusa, unde fertur Salamandram igne vivere eoque gaudere, quod tamen est omnino falsum. Nam apud Britannos ubi copiosas vidi ego Salamandras, igne maximo combustas & in cinere redactas, quo igne nullo pacto gaudebant imò ipsum fugiebant: Non generatur Salamandra ex proprio & peculiari parentum semine, nec ex ovo peculiari Sed ex semine generali, quod in putri materia viscida valdè & glutinosa reperiri solet, ibique ex calore ipsius putrentis materiæ, in actũ reducitur, & efformatur in Salamandram, frigida quadam constellatione cooperante & influente, in ipsam materiam putrentem viscidam & glutinosam. *Salamãdra unde producatur.* Unde nihil aliud sunt Salamandræ, quam portio seminis generalis, in putrenti aliqua materia viscida, glutinosa, frigida, & humida reperta, & inclusa, & actione caloris illius materiæ putrentis, & calore cœlestis saturninæ alicuius constellationis, in Salamandram actuata & efformata, ut veneni illius materiæ putrentis portio in animal efformetur & sic vindicentur elementa à venenatis suis substantiis, & depurentur ut multoties à nobis ennarratum est. *Salamãdra quid sit.* *Salamãdra ad quid prosit.*

Salamandræ itaque sic efformantur & prodeunt in lucem, ut ipsa experientia me docuit apud Britannos, nam in locis putridis, fœtidis, udis & aqueis semper reperiri Salamandras sola effossione horum locorum tempore veris & autumni, imò & tempore æstivo.

Salamãdra venenum quale. Salamandræ quãvis frigidæ videantur & ex materia frigida putrẽte ortum ducant, nihilominus tamẽ eorum venenum calidissimum est, &

adurens & causticum, solo tactu videtur frigida Salamandra at effectu calidissima est & adurens vivitque ex eadem materia, ex qua solet efformari. Attrahit facultate sua humorem illum viscidum, frigidum & putrentem, ex locis udis & fœtidis, eoque nutritur & crescit. At parum vivit, singulis enim annis vernante calore producitur & singulis hybernis temporibus si frigus urgeat emoritur. Si comburatur eius corpus & in cineres reducatur, ex his cineribus puratur inde sal, quod si variis & multis iteratis calcinationibus & solutionibus in aqua communi distillata factis dulcescat, mirandum evadit medicamentum ad expellenda omnia venena, tum per sudores, tum per urinas. Per se autem in oleo communi cocta & forti ebullitione in oleo dissoluta, pilos tollit & evellit.

Salamādra vita brevis.

Est alia apud Chymicos Salamandra quæ verè vivit in igne, & eo gaudet, & in eò perficitur, quæ cùm sit variis coloribus exornata dum coctionem patitur, & temperamento respondeat huic nostræ Salamandræ, idcò dicitur Salamandra, sed toto cœlo inter se differunt: Mystica hæc Chymica Salamandra, miras habet virtutes & proprietates, & post perfectionem summum est venenorum omnium antidotum, & vitæ rerum omnium tutum solatium.

Salamandra chymicorū qualis

DE TARANTVLIS.

Tarantulæ quid sint, unde sint, unde vivant & quid prosint.

CAP. VII.

TArantulæ sunt Araneorum & phalangiorum quædam species mordaces, & insalientes, insigni veneno præditæ, sic vocatæ quòd in Taranto Apuliæ civitate copiosæ reperiantur & in campis æstivo tempore divagentur, magno hominum incommodo, qui campis vacant eo tempore ad messes colligendas. Si aliquo casu mordeantur ab ipsis phalangiis miranda adfert symptomata morsis illud venenum: Nam nunc vident, nunc cantant, nunc tripudiant, & saltant à tarantula morsi, alii plorant & tristes sunt, alii lætitia mira afficiuntur ita ut semper rideant & cantent. Alii verò timent, dormiunt alii, alii verò vigiliis afficiuntur, plerique vomitionibus laborant, nonnulli sudant perpetuo & calent, alii verò frigent. Nec ullum venenorum est, quod tanta, & tam varia ac distincta symptomata producat, & inferat, & tamen unum & idem est, nec varium ac multiplex. At hæc omnia varia & distincta symptomata quibus afficiuntur à Tarantula morsi non à varietate veneni, & eius multiplicitate dependet. At à vario ac multiplici temperamento, quo donantur infœlices illi qui à phalan-

Tarantula quid sint.

Vnde à tarātula morsi varie afficiantur.

lan-

langiis & araneis illis mordentur, nam vinum, unum & idem est, à quo multi inebriantur, & tamen non omnes ebrii, uno & eodem afficiuntur ebrietatis symptomate sed vario ac multiplici, melancholia item & atra bilis una & eadem est, nihilominus phrenetici, lymphatici & maniaci, non eodem & uno afficiuntur symptomate, quia qui melancholia afficiuntur, non unum & idem habent temperamentum. Et si mutentur symptomata, in uno & eodem subiecto, & in uno & eodem die imo & in hora, hoc dependet ex mutatione humorum qui nunc vigent, nunc tepent, nunc dominantur & imperant, nunc subjici gaudent, & sic temperamentum aliqua ratione videntur immutare, cùm tamen nulla ratione in radice sua immutetur sed immutari videatur exterius, cum humores alimentitii & vagantes immutentur non radicales & fixi, ex quibus temperamentum naturale consurgere solet.

Humores alimentitii mutant & variant actiones corporis.

Tarantulæ ergo venenum modo hoc, modo illud agit in corpore varie & diversimode affecto, afficitur autem variè corpus, ex variis & distinctis humoribus, qui per corpus humanum divagantur. Itaque Tarantulæ venenum, nunc hos, nunc illos vellicat humores, & secundum humores quos irritat, varia & distincta excitat symptomata, nec mirú si ita variè afficiátur à Tarántula morsi, cùm in his varii & distincti sint humores, qui diversimodè & variè afficiuntur à veneno, & sic varia excitant symptomata.

Tarantula ut & reliqua omnia Araneorum, & phalangiorum genera & species, non ex proprio & peculiari parentum semine enascuntur, nec ex ovo aliquo proveniunt. Sed ex virtute & proprietate seminis generalis, quod quidem in putrenti aliqua materia latet, ex viscidoque aliquo humore, intra cavernulas terræ latitante generatur. Ex viscida illa, inquam materia putrente, scorpionica quadam cœlesti virtute influēte, & agente, generantur & ꝓducūtur Tarantulæ illæ: Nihilque aliud sunt Tarātulæ, quam viscida aliqua aëris & aquæ materia putrens, actione caloris cœlestis, & influxu scorpionis constellationis impregnata, cuius influxus ratione & ministerio actuatur hæc materia in Tarantulam. Cuius vita brevis est, singulis annis enascitur, & singulis annis emoritur, ut solent ferè omnia insectorum genera, quæ diu durare non possunt cùm calidum innatum putrenti illa & simplici coctione, uniri perfectissime nequeat cum humido suo radicali, in quorum unione perfecta, vita longa consistit. Sic oriuntur Tarantulæ. Et ex eadem materia ex qua ortum habent conservantur per totum tempus in quo durant & persistūt. Prosunt autē solùm, quod dum generantur, & prodeunt in lucem portio venenata elementorum abit in Tarantulas & sic vindicantur elemēta ab impuris illis & malignis

Tarantula ut fiat & producatur.

Tarantula quid propriè sint.

Tarantula vita brevis & annua.

Insecta omnia cur parum durent.

Tarantula quid prosint.

substantiis Prosunt etiam quia si curantur & in cineres reducantur. eorum pulvis, perquam optime ustus & calcinatus, earumdem ictus & morsus sanat & curat, ut peculiare & proprium est unicuique veneno, sui ipsius esse proprium & innatum remedium: Musica tamen fertur sanare posse hosce letales morsus, unde saltando, & tripudiando asserit Matheolus sanari hæc crudelia symptomata, quia saltatione & tripudiatione agitatur totum corpus & incalescit nativus calor & sic pedetentim consumitur ab ipso calore artificio adaucto venenum Tarentulæ. Sed huic tripudiationi & saltationi addere vellem, cineris ipsius Tarentulæ ʒ.ſ. cum aquæ theriacalis ʒ.ſ. ad certam & tutam huius veneni curationem.

Venenum qualecumq; sit habet curam sui ipsius & medelam.

Tripudiatio & saltatio cur cures venenum Tarentula

DE BVFONIBVS.

Bufones quid sint, unde oriantur & unde vivant & ad quid sint.

CAP. VIII.

Bufones quid sint.

BUfones ranarum terrestriũ species sunt, crassitudine tantùm corporis differunt & veneno, non ex peculiari parentum semine ortum ducunt, at ex putri materia solent oriri, quæ quidem putris materia, maligna quadam qualitate inficitur, & perinde substantia venenosa contaminatur, quæ agente calore & cœlesti influxu facili negotio abit in Bufones.

Vnde aliquando, & sæpe sæpius videmus ingruente pluvia æstivo tempore dum aër venenatis substãtiis & vaporibus inficitur, unà cum pluvia decidere, ex ipso aëre & cœlo Bufones copiosi, qui super terram unà cum aqua ruunt & hinc inde saltant, & ambulant. Perversa & venenata illa substantia, quæ cùm vaporibus & exhalationibus ex terra in cœlum, & aërem versùs sublimata est, calore externo ipsius aëris, & influxu peculiari alicuius Saturninæ constellationis mutatur in Bufones.

Cur æstivo tempore Bufones cum pluvia cadant.

Sic vere Bufones nihil aliud sunt, quàm quædam portio seminis generalis, quæ in putri materia sæpissimè delitescit & ex insigni putredine, fit venenosa substantia, quæ dum attenuatur & sublimatur gradum vitæ acquirit, & sic mutatur in Bufones. Vnde aliquando in mediis ipsius lapidibus, & marmoribus si aliquid vacui in his reperiatur, reperiuntur producti Bufones, quia aer in illo spatio, ob clausuram firmam putrescit & pedetentim venenata fit substantia, quæ tandem circulando attenuatur & gradum vitæ insecti animalis acquirit, & fit Bufo.

Bufones quid propriè sint.

Qui ex eadem materia solet enutriri, ex qua solet fieri & generari, miram habet attrahendi facultatem ex aere, quicquid illi convenit pro cibo suo, vel ad medelam sui ipsius, ferũt siquidem nonnulli authorum Bufonem

Bufones unde vivant.

nem tanta attractrice facultate pollere ut ad medelam sui ipsius, attrahere possit mustellam animal admodum agile, & expedito corpore, nec agilitate sua posse mustellam evitare, & effugere attractricem illam virtutem & energiam, ita ut viva cogatur mustella in fauces ipsius Bufonis se projicere ut devoretur, ad medelam Bufonis ægrotantis, quod est incantamenti propemodum. Et undenam attractio tam mirabilis fieri possit est valde miratu difficile, cum omnis attractio fieri debeat ex sympathia & amore, ibi autem inter Bufonem & mustellam, nulla est symphatia, nullus amor, imò contra odium summum & dispathia, ut ita loquar, Et sic quid est in Bufone quod mustellam attrahat in sui medelam, non ex sympathia nec ex amore, at ex veneno est, quod foras emittitur & jaculatur per auras à Bufone morbo affecto, & vulnerato, quod quidem venenum peculiari sua virtute & facultate, mustellam inebriat, & ita fascinat, ut fugere nesciat, mustella & ita inebriata & vetuli fascinata veneno Bufonis, expectat mustella invita, & renuens ultimum Bufonis morsum, unde emoritur & sic comeditur à Bufone & est medela illius: Vnde colligere possumus in mustellis esse quid arcani & secreti, ad morsus serpentum persanandos. Nam Bufo tendit ad mustellam vulneratus ex pugna serpentis, & perinde veneno serpentis summoperè læs9 & sauciatus. In Bufone etiam ipso latet ar anum & secretū veneni cuiuscūq; extinguendi, oportet comburere Bufones & in cineres convertere forti & potenti igne, & ex cineribus eorum tingēs aqua cardui benedicti aut ulmariæ ter aut quater rectificata extrahere salem & ipsam purificare calcinādo & solvendo ipsū multoties in aqua ipsa cardui benedicti, aut ulmariæ donec clarum & limpidū sit sal, cujus dosis est ʒ. ß. in ipsa aqua cardui benedicti, ad pestem omnem eliminanda e massa sanguinis, idq; beneficio sudoris quem potentissimè elicit hoc sal, & sic purificat totā maßā sanguinis, & vindicat ipsam à venenatis omnib9 morbis, & sic Bufones sunt maximo homini emolumento.

Bufones ad quid valeāt

Arcanum pestis est in sale Bufonis.

Sunt & multa alia quampiurima animalia insecta, quæ in terræ antris latent, & absconduntur in eius cavernulis, de quibus omnibus dicere velle nimis longum esset. Prædicta nobis sufficient, ad hyle nostrum demonstrādum Chymiæ alumnis, sine quo in tribus naturæ regnis, nihil fieri potest, itaq; ipsum notum faciamus, & quali ratione distinguatur in tribus his naturæ regnis, de singulis regnis particularia exempla attulimus, ut in his particularibus exemplis quid sit hyle nostrum, & materia rerum prima, notum & manifestum haberent Chymiæ indagatores materia siquidem rerum prima nota, Arcana Chymica hinc inde nota & manifesta fiunt.

In hyle est arcanū cognoscenda natura.

Hyle noto cognoscitur & Chymia.

De Fun-

De fungis & aliis terræ tuberibus

Sectio. III.

Fungi quid sint in genere, unde fiant & an cibi Euchymi fieri queant.

CAP. I.

FVngi & boleti omnes qualescũque sint, fiunt ex vaporibus, ex exhalationibus quas ex calore centri sui sursum emittit hyle nostrum, in centro existens, Ex quo terræ centro Azoquea illa materia vapores & exhalationes perpetuas ex se ipsa sursum mittit, ut producat res omnes, quæ in terræ gremio produci solẽt. Exhalationes autem illæ & vapores ascendendo assumunt ex elementis, quæ in ipsa terra reperiuntur permixta, nunc illud, nũc aliud, secundùm permixtionem elementorum & sic varium & diversum accipiunt, non unum & idem, & inde secundùm illud varium & distinctum, varia & distincta producunt vapores illi, cùm varii fiant in ascẽsione sua, & circulatione naturali, quam patiuntur in terræ cavernis & poris eius, etsi in centro suo fiant ab una & eadem materia homogenea, seu semine elementorum, quod in centro permiscetur & permixtione fit unum quid, ex quatuor, adunatũ. Quod quidem unum, in duo distinguitur, in marem & fœminam, & fiunt vapores & exhalationes, vapores sunt veluti fœmina & exhalationes sunt veluti Mas, & ex exhalationibus vel vaporibus coniunctis exsurgit iterum unum quid, quod secundùm varietatem naturæ regnorum variatur in trib⁹ regnis, hoc est fit vel minerale, vel vegetabile, vel animale, ex quo immediate exsurgũt semina mineralium, vegetantium & animantium: Unde producuntur hæc omnia tria naturæ regna, quæ quidem distinguuntur adhuc per solam separationem in individuis, nam dum in fonte manent, confusa sunt & in suo genere sepulta, dũ vero separantur separata habẽt agentia particularia quibus variè dispo nuntur & sic ex variis illis actionibus & dispositionibus varia fiũt individua ab uno & eodem semine generali variè & distinctè disposito, ab agentibus variis externis.

Vapores qua ratione res omnes producunt.

Semina rerum omniũ ut producantur ex vaporibus.

Sic fungi nostri, & boleti prodeunt in lucẽ ex terræ poris. Vapores & exhalationes, quæ semper sursum feruntur ascendendo, cum tenuissima terræ & aquæ portiũcula permiscentur & in terrę superficie alterantur, putrescunt, & ex putrefactione illa exoriri solent plu[illegible] i so tempore, dum superficies terræ abundãti humore madescit, fungi & boleti omnes, qui quidẽ ex cruda incocta fiunt materia, & sæpè sæpius ex venenata exhalatione, & maligno vapore, unde lethales aliquando habentur, quòd maligno illo vapore, & venenata exhalatione soleãt exoriri. & his adhuc

Fungi qua ratione fiãt.

Fungi qua ratione lethales.

adhuc substantiis, conjungitur cruda & incocta aquæ & terræ portiuncula, quę ratione cruditatis venenatam & malignam energiam & potestatem multiplicat & auget, cruda siquidem & incocta venenatam solent sortiri qualitatem.

Hinc colligere facilimum est boletos & fungos omnes aliquando lethales esse & venenatos, etsi sæpè sæpius optimi & euchymi sint & boni succi, cùm eorum materia ex qua fiunt, non conjungatur & permisceatur venenatæ, & malignæ ulli substantiæ, at pura & simplex ascendat in terræ superficie pura & nitida & ab omni veneno vindicata, nam aliquando casu & fortuitò corpora serpentum, bufonum & similium animalium in terræ cavernulis mortua putrefiunt: vel semen seu materia serpentum, bufonum, & araneorum, & similium animalium, disponitur, & adaptatur ad hæc animalia venenata producenda, & antequam ultimum dispositionis gradum horum producendorum animalium attigerit, attrahitur à materia boletorum & permutatur in boletos, qui quamvis figura & forma externa sint, ex genere optimorum & euchymorum boletorũ nihilominus sunt pessimi & lethales. At hoc ex loco generationis, casu & fortuito obtinent, non ex natura sua, quæ in centro suo optima est, at in via ascensionis pessima fit loco suo in quo ultimam boletorum dispositionem obtinet. Hinc fit quod boleti enascantur in quibusdam locis semper venenati & maligni, quòd locus ille soleat depravare materiam & semen immediatum boletorum, & in pejus convertere. Sunt etiam alii loci in quibus hæc materia boletorum solet meliorari, & in optimam converti substantiam, ut manifestum, & clarum fiet capitibus sequentibus.

Boleti etsi sint ex specie optimorum sunt aliquando pessimi.

Boleti cur ex loco generationis suæ soleant assumere quicquid boni aut mali habent.

CAPUT II.

Locus non solùm conservat locatum, & in meliorem perfectionis gradum conducit, sed etiam sæpius destruit & in priorem sui statum perducit, ut patet ex vino, quod etsi ex sua natura optimum sit, & ex stipite optima & vinea ortum eduxerit, nihilominus si vase infecto & vitiato concludatur tota sua natura & essentia pervertitur & in vapam mutatur, semina etiam etsi ex natura sua optima sint, si in terram sterilem & inaquosam projiciantur pereunt, aut si non totaliter pereant in lollium, & in alienam naturam pervertuntur: hoc totum ex loco & utero, in quo digeruntur semina & coquuntur, exoriri solet maxima enim est loci, seu uteri & matricis virtus, & energia in locatum, & semen quod continet perficiendum.

Locus conservat locatum & aliquando destruit.

Semina qua ratione pervertantur

Boletorum omnium semina sunt spirituales elementorum omnium

Boletorum semina

 sub-

qualia & qua via alterentur & depravētur. substantiæ, quæ per vapores & exhalationes deferuntur ad superficiem terræ, ibiq; alterantur & digerūtur donec gradum vegetantis boleti cujusdam acquisierit & in boletum perfectum vel imperfectum desierit. Si locus purus & nitidus sit, & ab omni venenata qualitate vindicatus, semen boletorum ibi conclusum, ut digeratur & perficiatur, in perfectū boletum, & euchymum absolvitur. Si verò locus in quo semen boletorum concluditur, impurus sit fœtidus, & maligna qualitate infectus boletos malignos & pravos producit, secundum gradum malignitatis & pravitatis quem obtinet locus, in quo producitur boletus.

Locus quot modis depravetur. Loci autem impuri fiunt & depravantur multis de causis, primò advētu vaporis & exhalationis pravæ ac malignę secundò corruptione alicujus corporis pravi & venenati, quod sua putrefactione locum ipsū inficit, ac depravat & sua prava qualitate tingit. Tertiò inficitur locus, depositione veneni alicujus animalis venenati, quòd transeundo excrementa sua venenata ibi deponat vel propter moram, & habitationē animalium venenatorum quæ suis halitibus, & expirationibus locos quibus immorantur inficiunt, & longum & latum suæ habitationis spatium conspurcant, ubi si aliqui boleti producantur inficiuntur facillimè tali veneno, quo locus contaminatur. Vnde periculosi admodum sunt boleti, & melius est ac tutius abstinere ab eorumdem esu, nam qui meliores & tutiores haberi solent hi sæpissimè maligniores sunt, & vidi ego totam familiam intoxicatam fuisse, & morte misera & crudeli perisse. *Boleti esu periculosi admodum.*

Ideò in posterum, si aliquid tale cōtingat in gratiam eorū qui ab illis delicatis cibis abstinere non possunt excogitavi remedia tutissima contra boletorum omnium venenum, quæ in multis ego ipse expertus sum, & ratio ipsa dictat esse tutissima, ut capite sequenti fiet clarius.

Boletorum venenatorum remedia unde sint assumenda.

CAPUT III.

VEnena omnia qualiacumque sunt, in se ipsis aliquid habent quod est antidotum eorumdem, illudq; antidotum est pura & nitida elementorum omnium substantia, quę ipsum corpus venenatum componit, venenum autem in eodem ipso corpore est quicquid adventitium, & heterogeneum adveniens mixto, illam substantiam elementorum puram, & nitidam inficiens, & corrumpens. Si quis arte & artificio illud adventitium & heterogeneum quod veneni proprietate habet, separare sciat ab illa pura & nitida elementorum substantia (quæ corpus venenatum componit) certo certius verum & proprium & innatum & naturale habet antidotum veneni, ex quo pura illa substantia desum- *Venena omnia antidotum habent & quale sit illud.* *Venenum quid & quale.*

pta est, nam sola pura illa substantia verum antidotum est seu ipsius veneni.

Ratio autem cur sola illa pura substantia veneni qualitates retinere non potest, dum ad primam sui materiam reducitur alioquin enim veneni conditiones, quas in compositione induit exuere non potest, in promptu est. Natura in fonte suo venenata non est nec in primis suis elementis & seminibus, ideo dum dissolvitur mixtum aliquod venenatũ, in suam primam materiam, & in elementa sua, quæ compositionem suam immediatè fecerũt abit omne & perit quicquid adventitiũ est suæ compositioni, unde venenum perit quod compositioni suę advenerit & remanet sola substantia pura ab omni veneno vindicata, quæ cùm talis sit fortior multo est tunc temporis, ad resistendũ veneno quamprius cum erat veneno juncta, itaque adveniens subsidio substantiæ veneno infectæ succurrit illi, & simul junctę venenum extirpant & extinguunt.

Natura in fonte suo, & radice non est venenata.

Sic Sal viperæ, Sal Scorpionis, Sal Araneæ, Sal Tarantulæ, Sal Boletorum venenatorum alia sunt remedia tuta & certissima venenorum suorum, modo cito assumantur antequam virtus veneni naturam vicerit. Itaque si quis boletos venenatos & pravos comederit dum dolet ventriculus & compressa est respiratio, illico vomitus est provocandus, assumptis tribus aut quatuor granis croci metallorum, qui est antimonium præparatum & calcinatum nitro. Virtus hujus mineralis miranda est, in evocanda virtute boletorum malignorum quia simile simile attrahit, nam antimonium ex cruda & incocta mineralis substantia productum est, & boletus etiam pravus & malignus tenet aliquid hujusce mineralis, crudæ & incoctæ substantiæ, ratione cujus venenatam habet qualitatem & substantiam malignã. Vitriolum etiam miram habet facultatem in extinguenda virtute & proprietate prava & maligna boletorum, si ad quantitatem granorum quatuor aut sex in aqua communi tepida assumatur, ut inde vomitus excitetur. Post horum medicamentorum assumptionem, transacto vomitu, assumendi deinde sunt cineres boletorum combustorum ejusdem generis, ad quantitatem dragmæ unius in vino puro & mero optimo, ut roboretur ventriculus & sudor inde provocetur ut subtile veneni omnino evacuetur si quid supersit in corpore. Si labes illa maligna boletorum solet tuto & cito è corpore procul eliminari, & ex eodem fonte ex quo sumpsit originem expiscari debet.

Sal cujuscumque veneni est antidotum sui ipsius.

Methodus curandi boletorum veneno infectorum & intoxicatos.

Boleti undenam colores varios quibus exornantur habeant & an eorum venenum ex eorũ coloribus dignosci queat.

CAPUT IV.

IGnis naturalis seu lumen cœleste rebus omnibus inclusũ quod quidem

Colores rerũ qua ratione fiant.

dem calidum innatum rerum omnium constituit dum in humidum suum agit alterando ipsum, & percoquendo ut ipsum sibi assimilet, & in sui substantiam convertat, colores omnes producit & varios facit apparere secundum varietatem & diversitatem coctionis humidi sui, gradus siquidem diversi coctionis ejusdem humidi, pariunt diversitatem & varietatem colorum. Colores enim non sunt aliud, quam lumen & ignis naturalis vario modo se habens, cum humido suo permixtus & concoctus, ut clarum & manifestum est experientiâ quotidianâ. Res enim dum fiunt omnes, & producuntur in ortu suo, coloribus aliis ac distinctis exornantur quam in medio, & in fine sui ortus, quod earum rerum calidum & humidum in principio generationis & in medio, & in fine variis ac distinctis alterentur, & coquantur modis. Coctio enim & alteratio, quæ fit in principio, medio & fine, non eodem modo se habet, ideo variè & distinctè se habet res in principio, medio & fine, suæ generationis, ideo diversis coloribus ac variis virtutibus & energiis afficiuntur res omnes, diversis in temporibus in quibus fit earum generatio, quod earum rerum producendarum calidum & humidum radicale, eo temporis variè ac distinctè afficiatur, unde clarum est & manifestum colores varii, qui in productione rerum exoriri solent, originem habere ex coctione varia ignis naturalis, & humidi radicalis, dum uniuntur inter se ad rerum productionem.

Colores quid sint.

Colores varii ex coctione varia humidi radicalis dependent.

Quod si in rebus omnibus id contingere solet, quid ni etiam & in boletis nostris idem & simile exoritur calidum enim innatum boletorum dum humidum suum coquit & alterat, ut ex illa coctione & alteratione exsurgat boletus, ex centro sui ipsius educit colores nunc illos, nunc alios secundùm gradus coctionis & alterationis: hi autem colores subito exsurgunt quòd boletorum generatio & coctio subitanea sit & prompta, materia siquidem boletorum dum ad superficiem terræ per vapores & exhalationes sublimatur, ibi à calore externo ipsius terræ subito alteratur, & coquitur in boletum, & perinde etiam colores boletorum subitò exsurgunt: Quales autem colores sint optimi, & pessimi in boletis, facillimum est judicatu, his omnibus, qui eosdem colores, ex coctione & pepasmo judicare norunt, nam cruda coctio & imperfecta medios & imperfectos colores producit, ut sunt nigredo & omnes nigredinis gradus: Leucophæus, subalbidus, pallidus, viridis, cæruleus, lividus, croceus nigroruber & reliqui similes colores medii & imperfecti, qui mediam et imperfectam, et valde crudam et indigestam materiam testantur, et perinde non tutam et fidam boletorum substantiam ad cibos humanos, hinc inde parandos. Qui verò albissimi sunt coloris, rubicun-

Colores varii in boletis unde sint.

Colores in boletis optimi quales & pessimi et qualesq[ue] sint.

bicundi & boni odoris optimam substantiam & perfectam coctionem & digestionem satis testantur, & ex his boletis gratissimi possunt parari cibi, nihilominus tamen non omni ex parte fidendum propter rationes ante dictas. Cum optimi boleti, pessimi fieri possint, ex attractione veneni cujusdam, in loco generationis horum boletorum latitantis. Quod quidem venenum modo crassum sit & aqueum non alterat & mutat colores, & odores bonos boletorum nisi sit aëreum, tunc quidem mutat & alterat colores & odores boletorum, imo totam substantiam sua subtilitate & agendi promptitudine, sed tunc temporis videmus alteratos à suis naturalibus conditionibus boletos, & hinc rejiciendos esse. Quod enim mutatur & alteratur, à naturali sua constitutione id pessimum est, quod in sua substantia aliquid patiatur quod illi inimicum est, quod quidem potest destruere, & aliud, ut & istud in quo jam est, destruit & perimit.

Venenum qua ratione alterat boletorum substantiam.

De variis boletorum differentiis, unde proveniant & fiant eorum differentia & forma.

CAPUT V.

Varii & diversi boleti unde proveniant.

EX variis arborum variarū corruptionibus, & alterationibus oriri varia boletorum genera, & varias species fungorum existimant ferè omnes Physicæ naturales indagatores. Verbi gratia ex corruptione ulmi, ulmarios fungos, ex corruptione & alteratione salicis, saliceos boletos, ex alteratione eringiorum quercuum & aliarum arborum, oriri & exsurgere alios fungos, qui naturam & proprietatem harum arborum & plantarum ex quibus enascuntur retinere videntur. At pars eorum, dixerim forma horum boletorum specifica & essentialis, non dependet ex alteratione illa, & corruptione arborum & plantarum, nisi tanquam à termino, à quo incipit eorum generatio, non potest enim corrumpi una forma, quin exsurgat & alia ex corruptione alterius, unde corruptio unius, est generatio alterius. Si sic intelligant formarum originem, omnes ex corruptione ortum habent. Nos non intelligimus hanc formarum originem. At volumus scire, ex qua re materiali immediatè essentiales formæ boletorum exsurgant: Arbores siquidem & plantæ dum corrumpuntur, perit eorum materia secunda & forma eorum individua, qua peculiare habent esse tale quale habent: dum verò corrumpuntur nihil earum manet ac persistit. Ergo boleti inde producti non retinent proprietates & virtutes arborum & plantarum ex quarum corruptione fiunt, cum plantarum & arborum forma pereat, si ergo forma pereat, pereunt & plantarum, & arborum ex quibus fiunt boleti, virtutes & proprietates. Ergo nec for-

 ma.

ma boletorum essentialis hinc dependet, nisi tanquam à privatione harum formarum seu à termino, à quo fit boletorum generatio, & incipit hinc introduci in materiam, & educi ex centro ipsius materiæ. Materia ergo est non secunda sed prima rerum omniū ex qua sola rectè disposita, educuntur formæ specificę & essentiales boletorum, & ultimum esse formæ plantę aut alterius vegetantis, est primum esse formę boleti, cum ultimæ dispositiones formæ arboris & plantæ pereunt, disperduntur, introducuntur primæ dispositiones & ultimæ formæ boleti, & sic forma specifica & essentialis boletorum ut & reliquarum rerum omniū ex materia rerum prima originē habet: quæ quidē materia, sal est quoddam in centro rerū permanēs, quod nunquam corrumpitur, & variis alterationibus & corruptionibus in subjecto, in quo est perpessis, varias induit formas, & ex cētro sui ipsius, calore suo naturali quo turget, quiq; in seipsum agit, omne quod hinc produci potest producitur.

Forma boletorum unde exsurgant.

Materia prima qualis in rerum natura.

Ut verbi gratia quando ex corruptione salicis, salicei fiunt & producuntur fungi. Sal centrale Salicis sustinet alterationem & corruptionem, quæ fit in materia salicis quæ tota destruitur, & transit in corruptionem, manet tamen sal centrale in ipsa materia corruptibili inalterabile & incorruptibile, quod quidem dum per alterationem, & corruptionem nō sui ipsius sed subjecti & materiæ in qua est vindicatum & spoliatum omnibus dispositionibus, & formis prioribus tunc temporis in eo ipso instanti in quo spoliatur forma priori salicis in eodem secundo & subsequenti instanti introducitur alia forma boleti producendi, & alterationes & dispositiones ad interitum prioris formæ, sunt introductiones seu dispositiones formæ futuræ boleti.

Fungi ex corruptione salicis ut fiant.

Sic boletorum omnium differentiæ specificæ, & essentiales desumūtur, & enascuntur ex centro materię primę rerum omnium, nam ex quacumque re putrienti in loco udo & humido potest enasci boletus dum resolvitur in suum sal centrale quod est illius prima materia, quod quidē sal resolutum vegetanti sua facultate, si spiritibus perfecti vegetantis aut animalis cujusdam non impregnetur excrescit in boletum, & fungum, qui est vegetantis imperfecta quædam species & monstrum vegetantis generis, unde imperfecta est omnium boletorum generatio unde vitæ fomes qui in his reperitur valde imperfectus est, nihilominus tamen ab optimo ventriculo potest perfici & in alimentum optimum reduci. Sed eligendi sunt boleti nec ex omni genere assumendi ne in nos, & alios canat Poëta.

Fungorum differentia specifica unde desumantur.

Boletorum omne genus imperfectū est.

Bolethi lethi causa fuére mei.

DE

DE TERRÆ TVBERIBVS.

Tubera terræ quid sint, unde fiant & enascantur & quid prosint.

CAPUT VI.

Tubera terræ quid sint & unde fiant.

TVberum omnium genera describit Dioscorides lib. 2. cap. cxxxix. & commentario suo Matthiolus in eundem Dioscoridem, ubi legere potest curiosus lector differentias omnes tuberum terræ. nos verò cùm Chymiam tractemus ad has externas tuberum differentias disquirendas tempus non impendimus sed quid sint essentialiter demonstravimus. Tubera ergo qualiacumque sint quæ sine caule & radice in ipsa terra excrescere solent & generari, & humido viscoso terræ unde nihil aliud sunt, quā ipsum humidum viscosum terræ quod minerale aliquod fieri non potuit ex dispositione incerta & ambigua fungorum & boletorum quam in se recepit, cumq; imperfecta fuerit & nō omnino absoluta hæc dispositio, humidum istud viscosum terminatum est in fungorū quoddā genus, quod sine radice est & tuber constituit, cujus rimosus cortex est & subniger, pulpa vero candida, & in quibusdam subnigra & leucophea, gratissimi fiunt saporis, at fungorum redolent naturam, viscosum enim illud humidum terræ ex quo fieri solent, crudum valde est, & crudos & indigesto, solet producere humores, ex quibus morbi graves & curatu difficiles solent generari: Vnde qui solēt hisce edulijs & alimentis frequentius se ingurgitare, apoplexia & paralysi facili negotio tentantur: & vitā suam his morbis terminare solent, cum & ipsam crudo illo & indigesto alimento sæpissimè foverint & restaurarint, ex quo multa excrementa cruda & aquea congeruntur, quibus asservatis, calor nativus tandem extinguitur & suffocatur.

Tubera terra morbos pariunt cu ratu difficiles.

Tubera terra ubi producantur.

Tuberum omnia genera variis Europæ & Africæ & Asiæ, imo & Americæ Provinciis solent excrescere, quia ubiq; harum mundi partium, materia tuberum seminalis reperiri potest loca tantum disposita necessaria sunt, modoq; sint sicca, & sabulosa frutetosa tamen, sat dispositionis habent ad tubera hęc producenda, in his enim locis, humidum illud pingue & viscosū terræ, quod frutex fieri non potest, nec fungus, nec minerale, in tubera convertitur, quæ variantur & distinguuntur inter se ex varietate & distinctione humidi illius viscosi, quod quidem non unum & idem est nunc & semper, etsi ab uno & eodem fonte prodeat, quia dum per poros terræ transit varios & separatos, diversitatem & distinctionem acquirit ex locorum diversitate in quibus variè & distinctè alteratur.

Tubera omnia etsi sint grata palato & in delitiis habeantur inter cibos & condimēta ciborū nihilomin⁹ tamē quod gratū palato est, vitæ foven-

vendæ inimicum est. Tubera terræ sunt vera tubera & calli, & nomen illorum satis demonstrat quid valeant, & quid virtutes inde exsurgere queat: callus enim & tuber quod præter naturam est & excrementum terreum imperfectum quid ex semine generali productum, in quo cum imperfectum sit mixtum, nihil perfecti adesse potest. Videmus siquidem experientia ipsa, in imperfectis & incoctis rerum mixtionibus, nihil raræ & exquisitæ esse virtutis, cum in perfectione & absoluta rerum mixtione consistat exquisita & absoluta rerum virtus & proprietas.

Tuberum qualitates & virtutes.

Vnde in tuberibus omnibus cujuscumque generis, parum virtutis inesse sat monstrat ipsum nomen, quamvis ex materia ex qua fiunt & producuntur virtutis plurimũ habere possint, si humidum illud viscosum ex quo fiunt perfectè & absolutè coqueretur, & ab omnibus recrementis suis in coctione & mixtione suâ vindicaretur. Quia humidum illud purum & putum est verus & unicus totius naturæ fons & rivus ex quo solo virtutes omnes & proprietates insignes scaturiri solēt modo coctio ex mixto perfecta & absoluta fiat in subjectis quibus inest.

Humidum viscosum purum est fons virtutis elementorum.

Hæc dicta sufficiant quæso Chymiæ alumnis de insectis & aliis imperfectis, rerum mixtionibus, quæ in terræ visceribus & cavernulis latitari solent, nam reliqua quæ super sunt dicenda etsi plura, & ferè infinita sint, ex dictis satis cognita fiunt cum eandem compositionem & generationem in rerum natura observent, & ab uno & eodem fonte prodeant in lucem, si vero distinguuntur & varientur, hoc ex loco est & ex varia alteratione, & coctione dependet, quam res generanda patitur in fieri suæ generationis, & ortus, ex qua sola alteratione & coctione varia, & loco vario, in quo fit hæc alteratio dependet specifica cujuscumque rei differentia.

Specifica differentia unde dependeat.

Jam transeundum est ad ultimam sectionem & tractatum ultimum hujusce operis seriò & consultò hic reservatum ut totum hoc opus tractatu concludatur, tanquam utiliori & totum hoc opus in se coercendi. Qui quidem tractatus erit de montibus, qui cum sint totius naturæ scrinia, & secretæ & tutissimæ arcæ, in quibus natura thesauros suos & pretiosa omnia, quæ habet recondere solet. Sic & nos imitando naturam hoc in tractatu ultimo, pretiosiora rerum & secretiora describemus, ubi de lapide Philosophorum quicquid apud antiquos & recentiores relatum est Deo dante manifestum faciemus, sub titulo & nomine montis Chymici. Cum materia ex qua solet exsurgi tantùm miraculi mons apud Chymicos soleat appellari, cùm in montibus soleat procreari. Arrigant ergo omnes lectores aures, et animum et mentem intendant, tractatus enim hic

Cur sub nomine montis lapis Philosophorum describatur.

solus,

his, beare potest, cùm sanitatem firmam & tutam, & divitias ferè infinitas palam prostituat.

DE MONTIBUS.

SECTIO ULTIMA.

Montes quid sint, unde sint & ad quid sint.

CAPUT I.

Montes terra quid sint & ad quid sint.

MOntes sunt tubera terræ, quæ sursum elevantur & sublimantur ex perpetuis, & perennibus exhalationibus &, vaporibus, qui à centro terrę ad superficiem tenduut, & semper secum trahunt aliquid terræ, vapores enim & exhalationes omnes, terræ semper aliquid habent, beneficio cujus condensantur, & coagulantur in quid crassum & durum quod quidem cum iisdem exhalationibus, & vaporibus semper foveatur, excrescit magis ac magis, & sursum semper elevatur, cum & natura vaporum, & exhalationũ fit sursum elevari, ac sublimari. Sic fiunt montes in superficie terræ, & nihil aliud sunt, quam exhalationes & vapores terrestres & aquei, qui sua siccitate & ariditate tenui, in ascensione sua crassescunt & indurantur in lapides aliquando crassos, si vapores crassi valde sint, & in subtiles & limpidos & claros, si vapores subtiles, limpidi & clari existant, hinc montes lapidei fiunt, & variantur lapides montium, secundùm varietatem vaporum, & exhalationum: Si vapores & exhalationes puri & nitidi sint, fiunt montes lapidei puti & nitidi. At quia impossibile est vapores & exhalationes eodem tenore & eadē puritate & nitore semper & quotidie ascendere, ideò etiam impossibile est, totus mons hinc exsurgi purus & nitidus, quia uno die non fit mons, nec ab uno & eodem vapore, & exhalatione exsurgit, sed ex pluribus, ac diversis, ac in variis temporibus productis, condensatur pedetentim de die in diem.

Quaratione montes fiant

Montes cur varii & variis lapidibus constructi.

Unde montes varii sunt, & non ex eadem materia & simili coadunati, hic Cristallus reperitur, hic lapis durus & crassus, niger & Leucophæus, hic clarus & splendens, hinc adamas & rubinus, hinc hyacinthus, & topazius, hinc marmor, & jaspis, gypsum, & lutum tenax, & argila, & bolus exsurgunt. Cùm vapores & exhalationes, nunc aliæ & aliæ diversis in temporibus exsurgant: Ex quorum vaporum varietate pendet, & rerum omnium varietas quæ in montibus adnascitur. Sic pluribus rebus diversis adunantur montes, & exsurgunt in quid unum pluribus aggregatum terræ tuber.

Vnde lapides omnis generis fiant

Fiunt autem montes ex necessitate ipsius naturæ, non casu non fortuito, ut dilucidius inferius Deo dante probabitur. Quia ex necessitate est, ut ex centro terræ, & ex tota terra ipsa exsurgant vapores & exhalationes, cùm ignis naturæ intra

Montes ex necessitate, & non casu facti.

terrā includatur, qui vapores & exhalationes suscitat: dum humidum radicale mundi coquit, & alterat & mutat in res omnes producendas: non potest siquidem humidum illud radicale mundi alterari, mutari & percoqui, ut res hinc fiant omnes, quin subtilior ejus humidi pars, sursum feratur & volatilis fiat, unde vapores & exhalationes nostræ ortum habent: Hi autem vapores & exhalationes continent & habent quicquid & ipsum humidum habet radicale mundi sunt enim partes subtiliores & volatiliores ejus, quæ non distinguuntur ullo pacto à crassioribus & fixioribus quæ semper in fundo manent nisi volatilitate, quæ tandem continua coctione, fixationem & coagulationem acquirit, & fit una & eadem cum fixa & permanēti. Sic montes quamvis cœlum versus caput extollant, sunt ejusdem materiæ & essentiæ cum radicibus suis, quæ ex flexa & permanenti humidi radicalis mundi parte coalescere solent. Terra enim tota est crassamentum humidi radicalis mundi, quod si adhuc in illo crassamēto supersint partes aliqua ratione subtiles & volatiles, sursum hæ elevantur, ut magis ac magis depurentur, & subtiles & tenues fiant, & tandem coctione sui interni ignis, quem semper in se coercent coagulentur & fixētur in res, ad quas ab ipsa natura destinantur. Sic hæ partes subtiles & volatiles sursum tendentes convertuntur in montes ex necessitate ipsius naturæ, quæ semper sponte sua, humidum suum sublimat, ut ipsum perficiat & figat dum ipsum perficit.

Vapores & exhalationes sunt partes humidi radicalis mundi.

Terra propriè quid sit.

Partes subtiles & tenues humidi radicalis mundi tendunt semper sursum.

Præterea montes fiunt ex necessitate naturæ, ut subtiliores partes humidi radicalis mundi (quæ in crassamento illo terreo remanserunt post creationem mundi) in montibus ipsis parumper à tota massa terrestri elevatis fiāt adhuc subtiliores & puriores, quàm sint in tota massa terrę, ut hinc fiant lapides pretiosi, & metalla preciosiora, quæ in cāpis, palustribus & udis fieri non possunt, cū materia ex qua fieri solent ibi expurgari, & percoqui nequeat. Montes ergo necessarii sunt ut humidū radicale mundi, in ipsis montibus sublimatum & summopere depuratum, tanquā in vasis naturę puris occlusū perfectionem ultimam & summam acquirat, quàm in inferiori globo habere & obtinere potest. Sine montibus enim hanc ultimam & summā perfectionem acquirere non posset, cum sine sublimatione habere nequeat quæ cum ascensu & descensu perēni fiat, intra montes fieri necesse est, cum in aëre fieri nequeat cum permanentia & coagulatione, nec in aqua, ut capitulis subsequentibus fiet manifestum & clarum.

Montes cur necessarii in rerum serie.

Cur humidū radicale mundi in montibus solis perfectionem acquirat.

An Montes fieri queant terræ motu.

CAPUT II.

Fuerunt quamplurimi physicorū Antiquorum, qui existimarunt montes factos fuisse terræ motu. Cū aliquando visum sit, in Provinciis qui-

Montes non casu & terræ motu fiunt.

quibusdam Europæis, terræ motum fieri cum fragore, fremitu, & tonitru terrestri ingenti, & vento ingruenti copioso qui multam & ingentem terræ copiam sursum elevabat, & super aliam projiciebat & sic mōtem factum fuisse illicò, conspiciebant omnes & vallem profundam, quod quidem fieri posse non ambigimus nec etiam aliquando factitatum esse negamus. At si montes eo casu facti, magni & alti nonadmodum sunt. Negamus tamen omnes montes naturales, qui in universa terra facti reperiuntur terræ motu & hiatu factos fuisse, imo aliquando montes ipsi jam facti & præalti, terræ motu & hiatu pereunt & abolescunt cum intra se cavi sint, & cavernas & antra prægrandia & maxima secum coërceant, quibus continentur copiosi spiritus minerales ignei & aërei, qui subtilitate sua exitum quærunt & evaporationē: quæ cum illis denegetur, propter soliditatem & firmitatem antrorum & cavernarum, quibus concluduntur, tandem vi facta & impetu, disrumpuntur montes, & fragmenta montium procul ejiciuntur, ita ut planities appareat, & lacus aliquando, ubi antea mons fuerit, imò turres, pyramides, templa, ædes palatia, & urbes ac civitates ingentes & maximę, quæ omnia, montes artificiales videntur & apparent super terram, ipso terræ motu dispereunt & è terra evanescunt quasi nunquam fuissēt, tanta vis est & robur tantum, spiritibus illis mineralibus qui terræ motum excitant, si cum violentia, & impetu forti foras exeant: Si verò sensim exeant, & foràs pedetentim prorumpant, tunc sunt halitus mites & dulces, & vapores dicuntur & exhalationes, ex quibus quidem tunc temporis montes fieri certum est cū hi vapores & exhalationes in se coërceant virtutem & proprietatem constrictivam, & coagulativam virtute salis interni sui, cujus beneficio humidum constringitur & coagulatur in lapidem, & sic semper evaporando & exhalando, humidū terreum quod à Chymicis Philosophis Mercurius dicitur, excrescit in montes, non dum cum impetu & violentia foras erumpit, quo quidem modo terræ motus fiunt, & quo casu & fortuitò montes fieri possunt, non tamen essentialiter, & secundum viam naturalem ita fiunt, ut jam satis clarum & manifestum esse credo.

Motu terræ ut fiant.

Humidum radicale mundi qua via cōstringuntur & coagulentur in montes.

An montes fieri poßint aquarum Diluvio.

CAPUT III.

Antiquorum permulti existimarunt ante Diluvium universale montes non fuisse, sed terrā montuosam tuberosam & factam fuisse ex Diluvii universalis luto ac limo, qui quidem aquis hinc inde vagantibus & percurrentibus, in unum variis in locis congestus est acervum & ex hoc acervo limoso & lutoso concretos esse montes asserunt permulti.

Terra montuosa ex diluvio.

Quod tamen rationi repugnat, mōtes siquidem ex variis heterogeneis lapidibus, & metallis variis & mineralibus compositi sunt. Quæ quidē res variæ & diversæ ab uno simplici luto, & limo subito fieri nō possunt. Lutum quidem & limus terræ possidet in omne, quod necessarium est ad mineralia omnia & metalla producenda, quia continet humidum illud viscosum terræ, ex quo metalla & mineralia omnia fieri possunt coctione & depuratione illius humidi. Ea quidem ratione fatemur montes fieri posse ex limo terræ, & ejus luto, sed non ratione luti & limi in unum congesti, sed ratione caloris innati mundi, qui in limo luto residet, qui semper & assiduò humidum suum coquit, & perficit & ipsum percoquendo, ipsum sublimat & elevat, & ratione illius elevationis, & sublimationis purum semper separatur ab impuro, ex puro res puræ & nitidæ fiunt. Ex impuro res impuræ, & crassæ & turbidæ producuntur. Sic montes elevatione & sublimatione humidi radicalis mundi, à calido suo prodeunt, & componuntur ex multis & variis rebus, quia ex humidi radicalis mundi varia coctione, & ejus varia depuratione varia & multa inter se distincta generantur.

Montes ex variis rebus heterogeneis facti sunt.

Montes qua ratione ex limo terræ.

Montes propriè quo modo fiant.

Quod si ex solo luti & limi acervo, in unum congesto, montes fierent, montes essent homogenei, & una & eadem & simili per totum substantia concreti, quod tamen experientia quotidiana falsum deprehendimus, sunt enim ex una parte mōtes argillosi, & alia Sabulosi ex alia verò lapidei, ex alia metallici, & sic variis cōponuntur partibus quæ ex simplici luto oriri nō possunt at ex sola varia coctione & depuratione humidi radicalis mūdi, quæ sola varietatē hāc parit, varii fiunt montes, & diversis concreti partibus. Nam ipse ego teneo in musæolo meo, partem & frustulum montis variis concretū mineralibus, in una siquidē parte illius lapidis, cernere licet fodinam cupri, & auri, ex alia parte fodinā hyacinthorum, & ex alia fodinam adamātum, & circūcirca conspicitur rupes & silex cōmunis & vulgaris, ita ut in uno lapide qui magnitudinē pomi non æquat, cernere liceat hæc quinq; diversa mineralia, aurum, cuprū, hyacinthum, adamantem, & silicem communem & vulgarē: hæc omnia satis indicant Chymiæ alumnis, ex varia præparatione humidi illius viscosi id ortum habere. Et inde etiā montes fieri diversi & varii, ex eadem varia & diversa coctione & præparatione illius humidi viscosi, ex quo solo montes, & quicquid in his reperitur productum originem habet.

Montes unde variis sunt concreti partibus.

Ex humidi viscosi varia coctione omnia producuntur in montibus.

In Montibus cur animalia lapidea reperiantur & præsertim pisces & conchylia saxosa, absq; vita sentienti.

CAPUT IV.

Rara hæc & quibusdam inaudita animalia lapidea, quæ in quibusdam terræ locis, ac montibus repe-

Virtus animalis vegetabilis &

mineralis latet in humido viscoso terræ.

reperiuntur, dant nobis occasionẽ, causam hujusce rari & occulti effectus ingerere, ut Chymiæ alumnis fiat manifestum, virtutem animalem vegetabilem & mineralem, latere in humido & calido radicali mundi, quovis cumq; in loco reperiatur.

Quod si in omnibus rebus, omni in loco, in actum non producatur, hoc non est, ex defectu illius virtutis, sed defectu præparationis subjecti quod producitur, quod quidem in omnibus locis debitam & consonam præparationem non recipit, ad recipiendam facultatem & proprietatem perfectam animalis, aut vegetantis, sed tantum mineralis cujusdam, in quibus mineralibus effingendis natura sæpissimè materiam hanc mineralem lapideam, aut metallicam efformat & figurat exterius, in animal quoddam aut vegetabile, producta tamen interna mineralis forma, externa tamẽ figura efformata cujusdam animalis aut vegetantis: hinc arbores lapideæ producuntur, & pisces verè lapidei, vel potius lapides in pisces efformati & effigiati, qui tamen veri lapides sunt, etsi pisces à quodam Sculptore facti, videantur.

Materia mineralis & lapidea qua via figuretur in figuram animalium & plantarum & arborum.

Arbores lapideæ ut fiant, & pisces saxatiles.

Vidi arborem argenteam, in fodina argenti repertam, quasi quid monstruosum & mirandum naturæ partum, ex ipsa materia argentea fecisse naturam arborem rarò conspicitur, nihilominus tamen arte, hoc facili negotio parant & germinare faciunt Chymiæ periti in vasis ipsis vitreis: imò argentum cum mercurio dissolutum est & levi igne exsiccatum, si reponatur vas in concavo loco & subterraneo, materia hæc calore sui ipsius in altum se sublimat, & in arboris effigiem & figuram se elevando, in vase ipso repræsentat: hoc sciunt quammulti, & viderunt ferè infiniti homines, ut hinc colligere liceat humidum radicale mundi, quod ubiq; latet, germinandi & vegetandi virtutem habere. Quod si veras & legitimas arbores & plantas non ubiq; producat, hoc est quod ubiq; perfectam & absolutam dispositionem, ad plantas & arbores habere nequeat, cum tamen virtus insit & proprietas vegetandi, etsi materia sit lapidea, mineralis, & metallica, in ipsa materia germinationis, & vegetationis, elucet virtus, unde hæc materia efformatur exterius in arbores, & plantas, & sic arguendum est de facultate animali quę cum vigeat in ipso calido & humido radicali mundi, etsi aliquando materia ipsa repugnet, hanc animationem, ut ita loquar, recipere, recipit tamen figuram externam animalis, quamvis anima & forma perfecta interna ibi non reperiatur: & sic pisces nostri lapidei sæpissimè reperiũtur multis in locis, & conchylis lapidea & saxosa. Quod quidem naturę mirum, existimãt permulti ex Diluvio universali ortum habere; nã cum Oceanus tũc temporis terrã universalem inundarit, pisces eo tempore & conchylia, ubiq; exportata fuerunt, & Oceano

Arbor argentea ut fiat arte.

Pisces saxatiles & conchylia lapidea qua ratione fiant.

recedente in suum locũ destinatũ, conchylia & pisces remanentes in cavernis terræ & aliis cócavis locis, successu temporis mortui fuerũt, & non putrefacti, sed salis virtute coagulante, quæ tunc téporis vigebat, in lapides conversi sunt, quæ adhuc perdurant in sua forma & figura. Quod quidé ita factũ fuisse, arguit quidé ratio, sed melior & potior, ni fallor, est ratio: hæc naturæ mira, ad ludentis naturæ artificium referri debere, quàm ad antiquũ illud tempus referre nova & recentia hæc naturæ opera.

Pisces viventes in terra visceribus invẽti unde sint.

Reperiuntur etiam pisces viventes & verè animati & informati vera forma pisciũ in visceribus terræ, qui sola excavatione profũda prope Babylonem, ex sententia Plinii reperiri solent. At hoc non ita rarum est quã pisces veri lapidei.

Piscium semen in aqua latet.

Quia ubi aqua est, ibi & veros pisces generari & produci posse existimamus, cũ piscium semen in aqua ipsa conservetur, ut superiori libro, capite peculiari, & semione V. de piscibus satis probatum est.

Vndenam Montium nonnulli perpetuas evomant flammas & ignes.

Caput V.

Montes ignivomi unde sint.

QVamplurimi sunt super terrã montes ignivomi, non solũ, in Europa, ut Athos Vesevus seu Vesuvius & Ætna, sed etiam in Asia Africa & America, causa harum flammarum non est valde occulta, nã ex sulphure producto communi, in hisce móribus ortũ habet. Quod quidé sulphur in hisce móribus productũ, antiperistasi facta, calore interno ipsius montis hac antiperistasi facta inflammatur, & ignem concipit & dũ conceptus est ignis in tali materia, nunquã extinguitur, quia talis materia sulphurea nunquã consumitur tota, quod de novo séper producatur ex humido viscoso terræ, quo viscoso humido turgent ipsi potissimũ montes, ex quo humido variis alterationibus, & corruptionibus producitur sulphur, dum coctione perpetua & longa, humidum illud viscosum, fit unctuosũ & pingue, quod quidé sola coctione peragitur: Ignis siquidem internus & naturalis ipsius humidi, unitur magis ac magis aquę minerali, & ipsi humido, unde pinguescit magis ac magis: quia quo magis ignis terreus unitur aquæ, eo aqua fit crassior, & pinguior, & occultãtur aquæ conditiones & qualitates, & magis manifestãtur ignis códitiones, unde in sulphure terrestri elucent ignis qualitates, & terræ, & occultãtur aquæ & aëris qualitates, unde pinguedo & unctuositas mineralis in sulphure communi & vulgari manifesta est, & hinc facili negotio concipit igné & flammã, quia pinguedo & unctuosum humidũ facile cóburitur, & sua materia est pabulum ignis: Nutritur enim unumquodq; suo simili. Pinguedo autem & unctuositas in sulphure est tota ignea, & verus ignis, cum ignis nihil aliud sit quam lumen creatũ,

Sulphur commune ut producatur.

Sulphur commune unde flammam concipiat.

con-

Ignis combu-rens quid sit & differen-tia ignium.

densatum in reliquis aliis elementis, si condensetur in subjecto aëreo, lucet, & non urit unde igni fatui producuntur. Si in subjecto aqueo, urit quidē & lucet, sed quo magis subjectū terreum est, eo magis urit, unde flāma sulphuris magis urit quā flāma aquę ardentis, quia sulphur plus terrę possidet, quam aqua ardens, unde lumen magis concretum est, & condensatum in sulphure: quam in aqua ardente.

Lumen qua ratione ignis fiat.

Lumen ergo naturale in visceribus terræ, quibusdā in locis ita concrescit & firmatur cum humido viscoso terræ, ut tandē concretione illa forti & potenti ignescat, calore externo per antiperistasim in cavernis terræ excitato, quo fit ut materia illa sępissimè ignē concipiat, & foràs prorūpat ex cavernis terræ, & præcipuè ex montibus altissimis quorum capita, & vertices nive perpetua, & glacie, ob mediam aëris regionē quam occupant, comperiuntur, in his siquidē montibus frigus ingens exterius, interiora montis magis ac magis calefacit, unde humidum radicale mōtis coquitur fortius, & lumen creatū quod in eo est, cōcrescit magis, & sic in sulphur convertitur, quod tandē ignescit per se ipsum, crescente & augescente calore interno & externo. Externus crescit per antiperistasim, intern⁹ verò, crescit lumine ipso magis ac magis, se condensante, in suo ipsomet subjecto, in quo ab ipsa natura concluditur, ad mixtionē rerū: sic montes quamplurimi in rerū natura reperiuntur ignivomi, quod ignē in suis visceribus cōcretū habeant præpotentē & validū in sulphureis materiis, quas intra se producūt & generant, si ignis ille apparens, & flammas visibiles ex materia illa cōbustibili emittens, includatur in alia materia incōbustibili, salis naturam habēti, producit aliud sulphur quod nō est vulgare sulphur, nec vocatur sulphur, & tamen essentia & proprietate, sulphuris nomine, majori titulo & digniori jure donari & insigniri meretur, quam sulphur comune vulgare, ex cujus flammis & combustione montes hi flamivomi fiunt, ex alio verò sulphure fiūt aurei, & metallici, secundum puritatē illius sulphuris & decoctionē illius, ex cujus varia & distincta purificatione, & coctione, exsurgūt varia metalla, ut in hac ultima sectione fiet manifestum.

Ignis qua ratione prorumpat ex cavernis terræ.

Sulphur incombustibile

qua via fiat & quid sit illud, sulphur unde metalla fiunt.

An in montibus & terræ cavernis reperiantur hominum quædam species quæ non sint Cacodæmones & Pseudo-spiritus.

CAPUT VI.

Spiritus Cacodæmones reperiuntur in cavernis terræ.

IN mōtibus altissimis, & terræ cavernis profundissimis, ut in metallicis fodinis apparēt sæpissimè homines, figura, specie, & loquela homines, qui una cū cæteris hominib⁹ laborant, in ipsis fodinis, edūt & bibūt, aut saltem edere & bibere videntur: nihilominus disparent, & corā aliis sodalibus & cōtubernalibus evanescunt ad nutū, & redeunt ut volunt, & mira

& mira dicunt futura, & de rebus & longe distantibus locis, & mira de se prædicant ipsi, ut narratur à multis credulis authoribus suspectis, & magiæ pseudophysicæ macula notatis, qui nobis asserere volunt, hęc phantasmata, quæ in cavernis terræ apparere solent esse hominum quædã species immortales, quæ ab Adamo primo parente nostro, originem nõ traxerant, nec peccato ullo unquam se contaminarũt, sed sua virtute propria & iñata, remanserunt ab omni peccati labe vindicatæ, quod quidẽ ridiculum est, & falsissimum, & ab ipso mendaciorumm patre Cacodæmone excogitatum; nam illa omnia spectra & phãtasmata quæ in cavernis terræ, & metallorũ fodinis sæpissimè apparẽt, & se conspicua & visibilia produt, sunt pseudo-spiritus & Cacodęmones, qui pœnas suas luũt, & infernũ suum patiuntur intra nostra hæc elemẽta, & Deus hos omnes pseudospiritus in carcerẽ inferni sui non adhuc intrusit & conjecit, ut ex malignitate eorum; homines, boni, & pii, & patientes, aliquid gloriæ, & victoriæ palmã referre queant. Hoc authoritate Sacra Patrũ omniũ confirmatum habemus. Itaque si nobis appareant in metallorum fodinis & terræ antris, & in sylvis vastis & pręgrandibus, vel in ipso aere, & in ipso mari & fluviis hæc omnia spectra, quacumq; sint figura & specie quæ nobis apparent, & se homines imortales probare contendunt, hoc mendacio plenum esse certissimũ est. Omnis enim homo in hoc sęculo vivẽs mori debet: Statutũ enim est omnibus hominib⁹ semel mori, & omnes ab uno patre & matre ortum habuerũt qui quidẽ cum mortui fuerint, & eorum etiam omniũ filii mori habent. At si tales homines immortales invulnerabiles se demonstrent ipsamet experientia, detur illis, & concedatur imortalitas quod homines veri nõ sint, nec ex ullo homine enati, sed veri spiritus impuri & maligni hostes & seductores hominũ, qui illis hæc mira & falsa imponere tentant, ut eos seducant, & in hæreses inferno dignas credulos conjiciant.

Phantasmata quæ in cavernis terræ visuntur quid sint

Gregorius multis in locis.

Omnis homo mortalis

Spectra antrorum sunt cacodæmones.

De nimphis, satyris sylvanis, & Najadibus, Dogadibus & anadogadibus & Faunis, idem sentiendũ est, hæc enim omnia spectra quæ in sylvis, fruticibus & fluminib⁹, antiquitus solebant conspici à quibusdam, Dæmones erant, & pseudo-spiritus, qui antiquis falsa multa imponebãt, & se Deos sylvarum, montium, fluminum, fontium & arborum faciebant, cum tamen servos viles & abjectos, rerum creatarum Deus ipse creator, & author omnium, fecerit.

Nymphæ Satyri sylvani naiades & Driades, & fauni quid sint.

Nihil ergo in montibus sylvis, & terræ cavernis, reperitur quin sit intra cancellos naturæ creatæ, & si aliquid humani reperiatur, id ipsum humanam naturam communem & ordinariam sapere debet, quod si supra illlam naturam se extendat altius & sublimius, id Cacodæmonis naturam sapit, quæ in his locis degit, ut hominibus insidias, & angu-

Quicquid in antris terræ reperitur si hominis antecellat naturam id dæmones est.

ſtias pariat cui ſemper reſiſtere debemus fortes in fide. Et ſi ſint alii ſpiritus, hoc eſt ſubſtantiæ ſubtiles & æthereæ, hæ ſunt minerales ſubſtantiæ, quæ propter tenuitatem materiæ, ſpiritus dicuntur, ex quibus mira fiunt in cavernis terræ, de quibus plura in ſequentibus.

Cur in montibus ſolis & non in ſolo plano metalla communiter producantur.

CAPUT VII.

Metalla ex quo fieri habeant.

CUm humidum radicale metallicum, ſeu metallorum ſemen immediatum, ex quo fieri habent metalla, ex ſpiritu arido aquæ mineralis fieri & produci debeat, id non poteſt fieri, quin multoties à terra ſua minerali, craſſa, cruda, & incocta ſublevetur, & ſublimetur, & iterum deſcenſu præcipiti deſcendat in terram ſuam, eamq; ſic purificet putrefaciendo ipſam, & alterando variis modis: hoc, inquam fieri, non poteſt, quin humidum illud metallicum & minerale, aſcenſu ſuo multoties iterato, congeletur, & coaguletur in varias res minerales, cum virtutem & proprietatem innatam ſe congelandi & coagulandi, in tales omnes res habeat, & poſſideat, unde coagulatur res ſuper aliam rem, forſan ſui generis & ſpeciei, vel diverſam, ſi humidum illud in aſcenſu ſuo & ſublimatione, variam ac diverſam patiatur alterationem: Et ſic monſtra elevantur ſuper terram, & caput ſuum verſus cœlum extollunt, uti ſuperius probatum eſt capite primo hujus ultimæ ſectionis. Quia humidum illud minerale & metallicum non poteſt ſe congelare & ſe coagulare (ad quam coagulationem naturali ſponte fertur) quin ſe ſurſum elevet & ſublimet, tum calore ſui ipſius, tum calore externo Solis & ſtellarum quæ ſuo lumine terram calefaciunt, & humidum illlud terreum, ad ſui purificationem & diverſam ejus alterationem ſublimatione & elevatione provehunt.

Humidum radicale metallicum ut conſtringatur ſublimationem pati oportet.

Hinc clarum eſt, & ſatis manifeſtum omnibus Chymicæ artis indagatoribus, humidum illud minerale ſua ſponte terram fieri: & quia natura ſua tendit etiam ſurſum verſus fōtem & originem ſuam, cœlum puta ex quo in terram deſcendit, hoc fieri non poteſt quin montes fiant & excreſcant. Et cum ex puriori materia illius humidi mineralis, metalla perfecta fieri habeant, & lapides pretioſi, & reliqua metalla impura & imperfecta, ex impuriori ejuſdem humidi mineralis materia, cū reliquis lapidibus communibus & vulgaribus produci debeant; hinc non eſt difficile cognitu cum in montibus ſolis metalla & lapides producti cōſpiciantur. Materia enim harum rerum, in centro terræ latitans, ſurſum ſublimatione ſua, & elevatione ſpōtanea has res producit, & unā ſuper aliam collocat, & ſic pedetentim ſucceſſu temporis ex concretione & coagulatione humidi illius minera-

Metalla cur in ſolis montibus producātur.

lis fiunt mõtes, qui quidẽ ex diversis & quãplurimis rebus variis, & heterogeneis, cõpacti sunt quod humidũ illud viscosum terræ variis suis alterationibus, & corruptionibus nunc has, nunc illas res producat, nunc metalla impura, nunc pura & perfecta, nũc lapides pretiosos, nunc vulgares, nunc argillã, nunc bolũ, nunc salem comunem, nunc vitrum, nunc vitrialũ, & alia ejusmodi varia, quæ in montibus reperiri solent, & quæ simul juncta & cõcreta diversis in tẽporibus montes constituunt, eosq; super terram elevant.

In solo plano cur metalla non producuntur.

Metalla etiam comuniter in mõtibus reperiuntur, & non in solo plano, eo quod in solo plano humiditas quammaxima elementaris & aquosa reperitur, quæ coctionem & elixationem illius humidi viscosi mineralis, illiusq; coagulationem & exsiccationem & indurationem in metallum verum impedit, aut retardat. Adde quod in solo plano propter pinguedinem terræ, quæ inibi copiosa & turgens est, producantur ex ea pinguedine plantæ multæ, & vegetantia multa & copiosa, quæ sua virtute attractiva, alliciunt viscosum illud humidum minerale in sui alimẽtum, & ita cõvertitur humidum minerale, in humidum vegetantium, & ita non potest virtus sua mineralis & metallica, quæ in eo est, in actũ reduci in solo plano. At in montium cavernis & antris ubi terra sterilis est, & sicca, & arida, humidum illud minerale facili negotio coctionibus suis & alterationibus ultimas dispositiones metallicas aut lapideas acquirit, & sic virtus mineralis & metallica in montibus potius, quam in solo plano reducitur in actum, ut ipsamet comprobat experientia. Nã ipsa metalla in montibus potius reperiuntur, quam in camporum planitie, etsi in campis sabulosis, cum arenis ipsius & sabulo permixta metalla, aurum puta & argentum sępissime reperiantur, quod in locis sabulosis & arenosis humidum illud viscosum, quod est metallorum imediatum semen ex quo producuntur metalla, in his inquam, locis arenosis & sabulosis, tanquam siccis & aridis, illud humidum percoquatur optimè & exsiccetur, ita ut in metallũ facili negotio reducatur, æque ac in montibus lapideis, quia horum locorum aptitudo in producendis metallis est æqualis virtute & efficacia, ratione siccitatis & ariditatis qua pollent, quia nisi locus sit aridus & siccus, & ab humido aquoso vindicatus, humidum metallicum, seu semen metallorum, quod & mercurius dicitur, in metallum percoqui nõ potest. Vnde montes cùm sint aridi & per se sicci, sunt enim saxosi & lapidei, aptissimi & proprii sunt ad producenda metalla, pura vel impura, secundum puritatem, & nitorem, vel impuritatem, & fætorem materiæ seminalis, ex qua fieri habent ut fusius probavimus libro quarto superiori, sectione septima de metallis & mineralibus, & probabitur adhuc inferius

Cur in locis sabulosis aurũ & argentum reperiatur.

Montes cur apti & proprii ad producenda metalla.

inferius capitulis omnibus subsequentibus, ubi terræ naturam & essentiam in montibus ipsis disquiremus diligentius multò & accuratius quam in principio hujus libri, ut centrum terræ & mundi notum habeant Chymiæ alumni, ex quo miranda omnia in rerum natura produci debent.

Cur in montibus virtutes cœlestes in actum potius reducantur, quam in inferioribus terræ locis.

Caput VIII.

Elementa inferiora ad actiones suscitantur à superioribus

ELementa omnia inferiora sine actione & mortua verè jacent, nisi à superioribus suscitentur ad actiones, cum inferiora elementa propter crassitiem & excrementa copiosa quibus turgent, nō possint per se ipsa, excitari ad actionem: forma enim eorum, quæ est principium actionis cum spurcitie & crassitie excrementosa materiæ suæ, quam informat, ad actiones excitari nō potest, propter spurcitiem illam, ita ut forma rerū infernarum maneat sepulta & ferè mortua, in materia sua quam actuat & informat, nisi suscitetur ab influxu cœlesti, qui est tenuissima rerum cœlestium pars, quę in inferiora elementa descendit, lucis beneficio, ut suo subtili & penetranti radio, res infernas penetret, & formam earum sibi similem & homogeneam vivificet, & quasi mortuam suscitet ad actionem, cum ipsā refocillet & restauret. Restaurat autem & refocillat radius cœlestis & influxus, res omnes inferiores, cum attenuet & subtilizet materiam inferiorem, & putrefaciat ipsam, alterando ipsam variis modis: ita ut in ipsa alteratione, crassa illa materia rerum infernarum dissolvatur, & in dissolutione sua excrementa sua deponat, & sic attenuatur materia rerum infernarum, & attenuata deinde hæc materia, & subtilis facta non impedit, quin forma sua, suas exerat virtutes & proprietates. Sic cœlum suo influxu & radio lucis, quem perenniter & cōtinuo ex suo fonte defluit, in res inferiores, est causa putrefactionis, & perinde generationis ac actionis rerum omnium infernarum, quod ut adhuc clarius animis omnium inculcetur: Methodum & viam quam observat natura, ut hoc fiat declaravim⁹.

Influxus quid sit cœlestis.

Materia inferior qua via suscitetur ad actionem.

Cœlum qua via, est causa generationis & corruptionis.

Cœlum quod est tenuissima & subtilissima materiæ rerum primæ pars, mittit influxus suos per radios lucis suæ in hæc inferiora, influxus hi convertuntur in vaporem, cum misceantur simul una cum subtilioribus partibus elemētorum inferiorum, hæc omnia simul permixta convertuntur in vaporem tenuissimum, qui à Chymiæ magistris dicitur spiritus mundi, & mercurius rerum omnium generalis, hic spiritus vapor, & mercurius, à calore naturali terrę sursum sublimatus in aëris humidi tepidum spatium & frigidum convertitur in aquā. Aqua hęc coctione continua, & perenni in speciem salis cōvertitur, quæ omnia secum

Mercurius mūdi ut fiat

Aqua qua via convertatur in sal.

cum habet cœlum & elementa inferiora. Et hac deinde salis specie, quæ in marem & fœminam distinguitur, exsurgunt etiam, & suscitantur vapores, acriores & ignei, ex quibus actione caloris naturalis, qui terræ implantatus est, & innatus variis alterationibus & sublimationibus, fit pinguedo quædam pura & incombustibilis, in cujus centro latent principia tria Chymicorum, ex quibus immediate fiunt omnia mineralia, quæcumq; sint generis, & speciei quæ in terra reperiuntur.

Sulphur incombustibile ut producantur.

In montibus autem saxosis & lapideis, cum cavernas multas & antra in his conspiciamus, vapores hi facili negotio suscitantur. Videmus enim, & experientia ipsa experimur, in montibus omnibus, vapores copiosos suscitari: suscitantur autē copiosiores vapores in mōtibus, ex calore majori naturali terrę qui in mōtibus major est: major autem est calor naturalis in montibus, quia pori & meatus quibus exhalatur calor, sunt strictiores & minores multo quam inferioribus aliis terræ locis, unde calor naturalis quo magis cōprimitur, & in strictiori loco continetur, eo magis vegetior est, & fortior, ut apparet in furnis omnibus in quibus calor & ignis fortior est multò, quam in aperto loco & aeri obvio accensus. Cum ergo calor naturalis mundi, in montibus fortior & vegetior sit, nō potest nutriri & foveri ut persistat in suo esse & vigore, quin attrahat alimentum sibi simile, alimentum autem sibi simile (ut multis in locis hujus operis, superioribus libris probavimus) est lux ipsa cœlestis, cùm calidum innatum cujuscūque rei sit lumen cœleste. Calidū ergo terræ, ut foveatur & persistat in suo esse naturali attrahit calidū cœleste, quod est illius lumen & influxus. Attractum autem calidum istud cœleste, jungitur cum calido terrę & simul fiunt unum, ita ambo agunt in materiam elementarem crassam & excrementosam, eamq; alterant, putrefaciunt, & corrumpunt & ita attenuando ipsam materiam & subtiliando, ad varias rerum productiones ipsam materiam elementarem provehunt, & conducunt.

Cur in montibus vapores copiosiores sint.

Montes cur calidiores.

Alimentum cujuscumq; rei est lux.

Montes cur attrahant lucem cœlestem.

Sic virtutes cœlestes seu calidum innatum cœleste, seu ejus influxus & radius in actum potius reducitur in montibus, quam in inferioribus aliis terræ locis, quod plures, & majores, & copiosiores fiant in montibus generationes, & rerū productiones, quam in aliis terræ locis, nisi in quibusdam montibus in quibus terra omni ex parte sterilis est, invia & inaquosa, in ipsis tamen generantur metalla, & lapides pretiosi, qui calidum illud cœleste, & terreum purū in se coercent & cum ipsum, in plantas, arbores, & vegetantia varia propter siccitatem & terrestreitatem loci convertere nequeant mōtes hi ipsum calidum innatū & humidum simul quod ubi reperitur, ubique enim terrarum est, convertunt in lapides varios & metalla varia, secundum

Virtutes cœlestes qua via reducantur in actum in montibus.

quibus in montibus generentur metalla.

Calidum innatum mundi citius in montibus perficitur quam in aliis.

dum puritatem, & nitorem illius calidi & humidi innati naturæ, quod ubi depuratur, & digeritur; & hoc omne citius in montibus exequitur natura quã in aliis terræ locis, quod instrumentũ naturæ quo utitur natura, ad hæc omnia perficienda, sit fortius in montibus, instrumentum auté illud est calor, unde cũ calor sit major in montibus quam in locis aliis, inde etiam in montibus generationes & productiones rerũ fiũt copiosiores, & ita virtutes cœlestes in actũ citiùs reducuntur in montibus, quam in cæteris inferioribus locis, quod nobis erat demonstrandum.

Instrumẽtũ quo res omnes perficiuntur est calor cœlestis puta.

Cur altissimos montes feriant fulmina potius quam infima loca.

CAPUT IX.

Vnumquodque redit in fontem suũ.

IVstum & æquum est unũquodq; redire in fontem suum, ex quo ortũ habuerit: conspicimus omnes vapores & exhalationes ex quibus fulmina fiunt ex montibus ortũ habere. Justum ergo & æquum est, montes primos fulminibus concuti, cum ipsi dederint materialia ex quibus fulmina perficiuntur. Mõtes autem dare materias fulminum, notum est ferè omnibus lyppis & tonsoribus. Quare auté citius cadant fulmina, in montes quã in inferiora loca hoc paucis est cognitum. Nã etsi montes copiosiorem materiã naturæ communicent, non inde fieri debet, quod in montes redeat hæc materia in fulmen redacta; Nã ex omnibus terræ locis materia fulminum & meteororum reliquorum, sursum feruntur nõ tamen in omnes, & singulas terræ partes fulmina cadunt, quia ima terræ loca tuta fiunt à fulmine cõmuniter loquendo, nõ ergo ratio formalis est, mõtes ideo percuti fulmine quod ex montibus materia fulminum egrediatur, & in eos ipsos ideo refluere debere, quia secundã hãc rationé in cœlos ipsos deberet retorqueri fulmen, quòd ex cœlis ipsis descẽdat præcipua materia ipsius fulminis, nã in terris & in infimis elementis nihil produci ac generari potest quin cœlum concurrat ad generationem illius, & formam subministret præcipuam generati, & producti partem: hæc auté forma, quæ in omnes productas res inferiores ex cœlo descendit est calor naturalis & calidum innatum cujuscumq; rei quod cœleste fatentur omnes meliores notæ Philosophi. Si ergò fulmina in visceribus terræ produci incipiant, calidum innatum fulminis, seu forma & essentia ipsius fulminis, ex cœlo ipso descendere habet, ut exhalationes hinc producantur quæ sursum ascendentes in media aeris regione excandescunt & fulmina perfectè absolvunt. Sic cœlum fulminum pater haberi meretur, cum præcipuã fulminum partem calorem puta & ignem subministret in cœlum ergo refluere deberent & retorqueri. Si omnia in fontem ex quo effluunt refluere justum & æquum esset.

Montes dant materiam fulminum copiosiorem quam aliæ terræ partes.

Cœlum qua via fulminũ pater.

Alia ergo quærenda nobis est ratio cur fulmina altos feriant mõtes potius

tius quàm infima loca. Secretũ istud est quammaximum, & in republica Chymica scitu pernecessarium: Calidũ enim cœleste perfici non potest, ut ultimum naturę finem adipisci & obtinere, ad quem tendit, quin uniatur, hoc est ut loquuntur Chymici coaguletur & figatur perfectissimè cum inferioribus elementis, & præcipuè cum terra, ipsa enim sola est elementorum omniũ fixa & permanens, reliqua elementa infixa sunt ut Chymicè loquar & volatilia, terra sola fixa est & permanens & in ipsa sola reliqua elementa fixari habent aut saltem coagulari ut ad generationem rerum concurrant, nihil enim fit & producitur, quã fixationem & Chymicam coagulationem acquirat, nasci enim, produci & generari, fixari & coagulari est. Cum elementa verè & propriè permisceri & uniri, in rerum productionibus nequeunt quin figantur & coagulentur Chymico more.

Fulmina cur feriant propriè montes.

Nasci & produci fixari est, & coagulari.

Calidum ergo innatum rerum omnium cœleste & ętihereũ cum perfectionem suam ad quã naturaliter tendit obtinere nequeat quin fixationem & coagulationem Chymicam patiatur, & uniatur terrę fixæ & permanenti. In montes ipsos cadere potius habet, cum ab ipsis elementorũ volatilium comitatu & cohorte separatum fuerit, quod in montibus ipsis plus terræ sit fixæ & permanentis, quam in reliquis terræ locis, & plus sit calidi ejusdẽ naturæ, jã terræ fixæ uniti & permixti, quam in reliquis aliis locis. Plus enim est auri, argenti & lapidũ pretiosorum in montibus, quã in planitie: Aurum autẽ & argentum & lapides pretiosos, & marmora atq; silices, maximum & plurimum terræ fixæ, habere certissimum est. Necesse est ergo, ut calidum illud cœleste, quod coctionis & elixationis generationum & productionum vi, ab ipsa terra separatum est, & factum est materia fulminum, iterum vi descẽdat ad locum in quo pl⁹ sui finis & perfectionis est, in mõtibus autẽ plus est sui finis ultimæ & perfectionis, cum sit terræ fixæ maxima quantitas, cui adhærere & perfectissime uniri tẽdit & anhelat. Ergo fulmina in mõtes cadere potius habent quam in reliqua ima loca, cum ima loca nõ habeãt terræ fixæ maximã quantitatẽ, sed terrã putrẽ, corruptibilem & perinde vaporosã & aqueã & frigidã ratione. quarum proprietatum & qualitatum, fulminum materia pręcipua quę est ignis, non attrahitur, nec ignis ipse ad ea loca humida & aquea naturaliter tẽdit, nisi ad sicca & arida, & sibi similia, qualia sunt mõtes, qui quo altiores & sublimiores, eo sicciores, aridiores & igni similiores habentur, & perinde, aptiores ut fulminibus concutiantur. Sic clarum habeat & manifestum Chymiæ veræ alumni cur feriant altos fulmina montes, & cur ima tuta sint ab hisdẽ fulminib⁹ ex quibus rationibus colligere habẽt Chymici: cur ignis cœlestis descẽdat in terras & montes, ut terræ fixæ uniri

Materia fulminum cur descendat in montes.

Cur ignis cœlestis descendat in terras.

niri queat, ut perfectionem ultimã suam ad quam tendit acquirat & obtineat, ex quo multa rara & utilissima arti nostræ vaticinari debent omnes Philosophi si veri Sophi sint.

Montes Chymicorum qui & quales sint in rerum natura.

CAPUT X.

Caput hoc auriferũ verè est & totam Chymiam continet.

CUm in montibus naturalibus aurum argentum & lapides omnes tam pretiosi quàm viles fieri soleant & humidum radicale mundi ex quo omnia fiunt, in montibus, tanquam in partibus terræ aptioribus & convenientioribus, corpus elementale suscipiat, fixione & coagulatione, quam in montibus patitur. Jam nobis est disquirendum quid apud Chymicos authores montibus naturalibus correspondeat, ut ipsis humidum illud radicale metallicum, quod sumere habent ad perpetranda & perficienda sua mira, coagulare & fixare, & in terram puram, claram penetrantem & tingentem convertere possint, illud enim ipsum, in quo & per quod humidũ illud coquitur & digeritur, & digestione sua induratur, & lapillescit, mons Chymicorum est, qui quidem non unicus est, etsi ex una & eadem exsurgat essentia. Duplex est & duplici nomine insigniri habet apud Chymicos unus dicitur mons mercurii, alius mons veneris, ex quibus duobus montibus simul conjunctis nascitur humidum nostrum radicale metallicum & minerale, ex his solis profluit, & non ex aliis, in his solis etiam coquitur & digeritur & coctione illa sola, ab omnibus suis excrementis vindicatur putrefactione sua, quam inter coquendum patitur & tandem coagulatur & induratur in terram puram, claram & fundentem, penetrantem, & nunquam igne fortissimo evaporantẽ, sed cuncta perficientem metallica, & mineralia, in quibus defectu coctionis & digestionis, humidum illud metallicum & minerale, imperfectum & impurum & crassum remansit.

Mons Chymicorũ quid sit.

Mons Venerũ & Mercurii quid sit.

Sic lapis Philosophorum perficitur.

Dicuntur autem hæ substantię ejusdem generis & speciei, & hac ratione duæ non sunt substantiæ, sed unica tantum substantia in mixto uno, ratione verò suæ individuitatis, ut ita loquar, (date & concedite hoc verbum Philosopho) ut individui & compositi naturam unicam essentialem indicet. Ratione ergo illius individuitatis duplex est hæc substantia, una rubei coloris est, & cristallini clari alia vero albissimi & nitentis ac etiam Cristallini coloris habetur: mas una est, fœmella alia, hæ ambæ conjunctæ substantiæ spiritum igneum producũt, quo inebriatæ hæ substantiæ, tantum patiuntur; supra ignẽ externum convenientem illis adhibitum, ut tandem moriantur & nigrescant, & continuato semper eodem igne externo, qui igneũ illum spiritum semper suscitat ad actionem suã, ut per illã patrem & matrẽ suã occidat, ex morte quorum & eorumdem putrefactione exsurgit

Mõtes Chymicorũ cur duo sint & unus.

Montium Chymicorum descriptio.

Spiritus igneus terra factus qualis & unde.

surgit spiritus ille igneus candida veste indutus, ex purissima & subtilissima patris sui & matris suæ parte contexta, hic spiritus nive cādidior, vera luna Chymicorum est, quę quidem actione sui caloris externi prudenter adhibiti mutatur in solem, mutata veste candida in rubeam. Et hæ ambæ substantiæ, & ex uno & eodem fonte prodeūt, & ex his seminibus confusis & simul permixtis patris & matris, maris & fœmellę superiorum quę quidem semina ex inferiore loco, ad superiorem, vi ignei spiritus & industria educta sunt, ut montes Chymicorum puros & putos, qui antea impuri erant, conspicerent omnes Philosophi, & quantum valeat mors & putrefactio in rebus omnibus perficiendis, notum & clarum, habeāt omnes Chymiæ candidati. Ne ex mōtibus Chymicis nostris aliquid proficui & utilitatis obtinere putent, qui putrefactionem & interitum & destructionem mōtium nostrorum ignorant ut capite sequenti fiet notius. Ex uno enim duo fieri habent, & ex duobus unum per coctionem.

Sol & Luna qua ratione habeantur ex materia nostra.

Absque putrefactione nihil perfecti haberi potest ex Chymia.

Montes Chymicorum ut prosint Chymicis, destruendi sunt igne, ut inde novi fiant puriores & nitidiores.

CAPUT XI.

Chymia est cabalistica tradi non potest claris & apertis verbis.

CApite superiori non satis admodum clare montes Chymicorum descripsimus Chymiæ candidatis, at Chymiæ patribus & magistris nimis clare patefacti fuerunt, Chymia enim cū sit cabalistica tradi non potest apertissimis verbis, & omnibus notis, sufficit ut secundum veritatem tradatur terminis Chymicis, ut hinc Deus qui Solus hanc artē & scientiam arcanam & secretam tenet, apertam faciat dignis, Deum timentibus, piis & bonis, aliis verò obscuram & tenebrosam & ænigmaticam omni ex parte commonstret, ut hanc artem propter ejus obscuritatem falsā & inutilem existiment, & sic ab ejus disquisitione & studio & labore abstineant, & ita frustrentur, ac priventur bonis suis & thesauris infinitis qui in Chymia latēt, qui quidem majores sunt, quam in omnibus montibus hujusce mundi reperiri possint, clament, crocitent & allatrent Misochymici, quicquid velint, hāc artem verā testor sicut alii omnes ante me Philosophi Chymici fecerunt, & coram Deo ipso & hominibus piis, et sanctis veritatem ipsius & utilitatem quam maximam assero & proclamo, & eam claram & multis rationibus & authoritatibus Philosophorū, capitulis omnib⁹ subsequentibus dabimus comprobatā & stabilitā, & quā multi gravissimi viri sumæ authoritatis oculis viderunt & manibus palparunt & ipsomet linguæ acumine degustarunt ac delibarunt.

Alchymia verissima est.

Montes ergo Chymicorum, si non satis innotuerint, descriptione præcedenti fortasse notiores fient, ex opere & labore, qui circa montes hos impenditur ut Chymicis possent esse

Montium Chymicorū descriptio notior ex labore.

utilitati & commodo montes siquidem hi, qui nobis arte & industriâ aurum & argentum nostrum communicant, nihil prosunt Chymicæ arti, nisi penitus corrumpantur, & destruantur: corruptio autem & destructio montium nostrorum, facilis non admodum est cuilibet artifici, substantia enim horum montium salita est & mineralis, ac metallica, & perinde corruptioni valde resistit, & incorruptibilis prima fronte videtur, ipsius tamen spiritus, qui humiditate aerea pollet, hanc siccitatem igneam & terream alterat, & ad corruptionem disponit, ipsius ergo est spiritus montium Chymicorũ substa ntiam corrumpere & alterare, qui quidem spiritus, ignem invisibilem & naturalem seu lucem cœlestem in se continet, & ratione ipsius, cùm sit penetrans & subtilis & inclusus in intimis montium Chymicorum substantiis, eos ipsos montes penetrat subtiliat & crassam eorum materiam attenuat, & cum subtiliori & tenuiori eorum parte sibi simili connectitur & â crassa & terrestri materia ipsam liberat, & in cœlum elevat & sic producitur mercurius & sulphur, & sal Philosophorũ ex montibus Chymicorum ex uno & eodem subiecto. Sed antequam producantur hæc tria, quæ quidem unum sunt, & ex duobus montibus proveniunt, & enascuntur & ex aliis produci non possunt, montes hi destruendi sunt, & igne consumendi, nam si tales maneant quales à natura producuntur: Mercurius noster, ex his montibus, quibus potentialiter inest, educi non potest, & si non educatur ex his solis montibus, tota ars nostra futilis est. Tota siquidem consistit in extractione mercurii nostri, qui nullo pacto vulgaris est, nec ex eo educi potest, nam tota ei' substantia mercurialis est & sulphurea & salita, nihilominus tamen ex eo mercurio communi, educi non potest, nisi beneficio mercurii nostri, qui mercurium communem & vulgarem corrumpit, & alterat & inde per putrefactionem & corruptionẽ corporis, exsurgit spiritus ille igneus, & anima ignea, quæ substantiæ Philosophorum mercurium constituunt & ex his duabus unitis lapis etiam ille admirandus exsurgit. At priusquam id fiat, corrumpendi & destrüendi sunt montes nostri, destruuntur autem humiditate sua innata & naturali, hæc autem humiditas ignis est, quo igne humido & vaporoso fit corruptio, & alteratio in hisce substantiis, mirabũntur Peripathetici Philosophi, quod ignem Chymicum humidum dicam, & vaporosum. At revera talis est Chymicorum ignis, & his qualitatibus & proprietatibus distinguitur à Peripatheticorum igne, qui vulgaris & communis ignis est, at Chymicorũ ignis cœlestis est, & humiditatem innatam & radicalem habet, qua nutritur & conservatur, & qua sola, mira sua patrat & exercet: hac sola humidita radicali innata sua corpora mon-

Spiritus materia nostra materiam nostrã corrumpit.

Mercurius sal & sulphur qua via fiant ex montibus nostris.

Tota ars Chymia cõsistit in extractione mercurii.

Mercurium Philosophorum quales substantia constituant.

Putrefactio Chymica ut fiat.

Ignis Chymicorum qualis.

Innata & naturalis humiditas mercurii corpora propria mercurii destruit

hoc est dissolvit.

ra montium Chymicorum dissolvit, & dissoluta alterat, alterata miscet, mixta simul unit, & ex eorum unione coitus & conceptio fit, ex quibus deinde ex Morieni Romani sententia & vera ratione, exoritur Philosophorum fœtus, qui tandem nutriendus est, donec ad ætatem perfectam devenerit, in qua regnabit super omnes universi huius mundi Reges & principes, cuius regnum, & imperium nemo est, qui ipsum deducat in judicium, nec bellum unquam excitavit, pro regno illo usurpando, quia jure naturali, & Dei ipsius præscripto & mandato, illi soli debetur, tanquam rerum omnium Summo Imperatori, qui quamvis in montibus nascatur & enutriatur, regius tamen est, & regiis insignitur virtutibus & liberali ac expansa manu divitias & bona sua omnibus elargitur ac communicat, quod capite sequenti fiet clarius, patefacta montium Chymicorum Genesi.

Rex Chymicorum etsi montanus & Sylvestris regius tamē est & magnificus.

Montes Chymicorum undenam ortum habeant & qua constent materia & forma.

CAP. XII.

Montes Chymicorū quid sint & quid in se recondant & cur montes dicantur

MOntes Chymicorum, ex gravissimorum omnium huius artis authorum sententia, imo ex ipsamet veritate sunt res una & duæ quæ in se continent humidum radicale metallicum copiosum, quod quidem humidum radicale metallicum, cum in his duabus rebus contineatur tanquam in utero proprio, in quo digeri & coqui habet, ad perfectionem suam: hæ res mōtes Chymicorum appellantur, quod naturaliter in montibus reperiantur, & soleant ab ipsa natura in cavernis mōtium coërceri, ut semē metallicum, seu eorum humidum perficiatur ad generationem & productionem metallorum. Quali autem materia cōstent hi montes, & forma, jam nobis est disquirendum: ut hac disquisitione montes hi Chymicis innotescant, cùm nomen eorum nefas sit proclamare, ne margaritæ tantæ, quæ hisce in montibus coercentur porcis & indignis prostituantur. Sunt enim quamplurimi auro & argento inhiantes, impii tamen & scelerati qui quidem accensi sunt omni conatu, ac cognitione horum montium, qui soli veri Dei sunt arcæ & scrinia tuta & arcana, ad occultandos mundi huiusce thesauros, qui non sunt aperiendi nisi piis Sanctis, & Deum timentibus. Cum autem solus Deus sit scrutator cordium & pios veros ac sanctos cognoscat ac sciat, ideo soli Deo arcana Chymica reservanda committimus, ne si ex revelatione tanti secreti, impia multa & scelerata impii & scelerati facerent, & patrarent, scelerum eorum participes haberemur. Sufficit ergo hæc arcana, Chymico eloquio esse demonstrata modò vero & syncero sermone sine denuntiata, nihilque falsi admixtum sit, ne veri Chymici studio

Mōtes Chymici sunt arca Dei.

Cur solus Deus arcana Chymica reservare debeat.

Contradictoria necessaria sunt in

arcanis Chymicis tradendu.

studio suo priventur, nescientes falsum à vero distinguere, testor autẽ hoc in tractatu nihil falsi admiscuisse, modò me loqui intelligas & capias, logogriphos & ænigmata Chymica, quæ sæpissime contradictoria videntur continere, cùm tamen nullæ sint, modo recte intelligantur, ut in ipsomet capite clarum fiet, dum naturam & essentiam montium nostrorum patefacere tentavimus, in quorum montiũ natura disquiréda ex professo cõtradictoria afferemus eaq; explicabimus, ut hinc colligunt lectores nihil unquam contradictorii dicere & enarrare posse Chymicos authores, in describendis & depingendis suis arcanis, necessarium enim est, ut ita loquuntur authores Chymici, ad harpyas & dapibus nostris fugandas & eliminandas, horum verborum tintinabulis.

In Misochymicos declaratio.

Clamant nonnulli in Chymicos, imo allatrant ut canes adversùs lunam quòd eius lumen, úmbram corporis sui illis ostendat, hoc est ignorantiam, ignorantia siquidem, & inscitia arcanorum Chymicorum, est vera causa clamoris, & allatrationis horum Misochymicorum, ut & canum allatratus adversùs lunam, si scirent enim canes quid esset luna, & cur lumen eius irradians umbrã corporis sui horrendam & timendam illis præbet & ostendit, non in lunam allatrarent, at quieti & admiratione ducti & rapti Lunam miram conspicerent; Misochymici pariter, si illis essent nota, & apperta artis Chymicę secreta, & cur ita obscure tradita ab omnibus Chymicæ artis authoribus, digito suo compescerent labrum & linguam morderent, ne hæc vana & falsa penitus in Chymicam artem & eius professores publicè declamarẽt in posterum. Quid enim stultius & ridiculosius esse potest, quam rei ignotæ vituperium proclamare, clamant ad raucedinem usque, aurum fieri non posse, nec argentum, nec lapides pretiosos Chymica arte, sed non ostendunt qua ratione id fieri non potest, ut Chymia omnes fieri posse ostendunt imitando naturam, & qua ratione, & qua via & methodo, id fieri possit & vere fiat tum ratione, authoritate, & experientia verissime demonstrant, hinc tot libri & volumina Chymica typis excussa fuerunt olim & nunc adhuc excuduntur, & in posterum excudentur, quæ nihil falsi continere possunt cum inter se omnes de ipsa via, & methodo lapidis physici conficiédi cõveniant. Quod fieri non possent si lapis ille physicus quo metalla omnia impura & impfecta in verum aurum transmutantur, & lapides viles in pretiosos perficiũtur, esset quid falsum, & quid fictitium, ab hominibus mendacibus excogitatum, & nõ quid reale essentiale in rerum natura existens & permanẽs, ad gloriam & laudem & magnificentiam divini numinis, & ad verum & tutum solatium piorũ. Et ad omne capite præsenti fiet mani-

Lapis Philosophorum quare verus & certus.

festum, dum montium Chymicorũ realem essentiam, materiam veram eorum formã perquiremus & Chymiæ omnibus alumnis patefaciemus.

Probatur lapidẽ Philosophorum esse verum & certum.

Humidum siquidem radicale metallicum, in rerum natura existere nihil verius esse potest, cùm & ipsa metalla existant, & manifesta sint omnibus, humidum autem illud radicale metallicum, cum à natura ipsa coquatur & digeratur in visceribus terræ perficitur digestione sua & coctione naturali, in varia ac diversa metalla secundùm variam, ac diversam illius humidi radicalis coctionem ac digestionem. Si ergo ab illo humido radicali metallo, metalla fiant, ab eodem etiam nutriantur, & in esse suo conservantur, & ab eodem in locis suis propriis facta & producta metalla crescunt & augescunt, cum eo nutriuntur. Ab eodem etiam humido perfici habent, si humidum illud perfectũ, & summoperè depuratum, & perfectissimè digestum habere posset, haberi autem posse & perfici, nihil in rerum natura facilius, testãtur omnes Chymiæ authores, cum ludus puerorum & opus mulierum, hoc opus esse censeatur: Cùm in sola coctione consistat, nihil est coctione & elixatione facilius, mulierum enim est coquere, & elixare. Elixatio autem hæc est coctio terræ Chymicæ & aquæ, humidum enim radicale metallicum, terrã habet secum admixtam, & horum mixtio, verus puerorum ludus est, cum pueri omnes dum ludere solent terram communem sumant eamq; aquæ communi & vulgari admisceant, & sic ex ea massa terrea & aquea suos pepones & ludicra fingunt & ludos suos peragunt. Sic veri Philosophi Chymicæ artis alumni, terram metallicam præparatam, aquæ etiam metallicæ permiscent & ludos puerorum imitantur, cum aquam terræ permisceant, & opus mulierum exercent cùm ipsam mixtionẽ perenniter coquãt, donec sufficiat ad illius perfectionẽ: ecce quàm facile sit opus Chymicũ, cùm tamen nihil difficilius habeatur, humidum istud radicale metallicum, terreum secum admixtum continens undenam ortum habeat, & qua materia & forma constet, jam nobis est explanandum, ut Misochymicorum ora obstruamus, ne in posterum artem nostram impossibilem & vanam clament & futilẽ prædicent: Certissimum est, in terram tanquam in mundi centrum, confluere omnes virtutes cœlestes & elementares, ut ibi simul permisceãtur, & permixtæ alterentur, & alteratæ uniantur ad compositionem rerum omnium, inde fiunt vapores & exhalationes quæ à terra cœlum versùs ascendunt, ascensione illa & descensione perenni & continua vapores illi, & exhalationes condensantur, & coagulantur in quandam terream substantiam ponderosam, viscosam quæ spiritum habet subtilem, igneum, & æthereum, hoc est

Cur opus Chymicũ sit opus mulierum.

Ludus puerorum cur habeatur.

Opus Chymicum.

Virtutes cœlestes & elementares in terram confluunt ad mercurium.

Philosophorum producendum hoc est corpus ex quo mercurius educitur.

Forma mercurii Philosophorum qualis.

tenuissimam substantiam, quæ est eiusdem essentiæ & substantiæ cum corpore suo, hoc est cum terrea illa substantia ponderosa & viscosa, in qua coercetur spiritus ille igneus & subtilis, qui habetur & censetur terræ illius forma & anima, non quod terra illa sit animata, forma sentienti aut vegetativa, more plantarum, sed quòd sit informata illo spiritu subtili æthereo & cœlesti, qui propter potentiam & proprietatem quam habet, vegetātia, & bruta informandi & actuandi, anima dici potest, nam anima vera, & forma vegetantium & brutorum omnium est, ex illo spiritu æthereo & cœlesti qui lucis cœlestis portiuncula est, permixta & unita vera permixtione & unione cum purissima & subtilissima elementorum inferiorum parte, crassa vero & minus subtilis materia eiusdem substātiæ, corpus censetur, & materia. Ex hoc sermine satis claret quid in nostro metallico & minerali humido radicali sit materia, & quid sit eius forma, & undenam eius forma & materia ortum habeant, & an hæc materia, tali forma actuata, existat in rerum natura, Qua existente, impossibile est, quin clarum sit, & manifestum sapientibus veris, aurum fieri posse & argētum, ex metallis imperfectis, & impuris, cum hæc substantia metallorum immediata materia, ex qua naturaliter effinguntur, in tantam perfectionem adduci possit, ut sua perfectione suprema, & exuberante, reliqua met...la impura & imperfecta perfici possint: crudum enim cocto coquitur & imperfectum perfecto perficitur, aut regulæ genera... & normæ, & leges naturales & physicæ falsæ sunt, & à natura ipsa, & Deo ipso falsæ constitutæ, quod absurdissimum est cogitatu, nihilominus tamen Misochymici nostri, veluti Thrasones quidam gloriosi verbis ampullatis, impossibile nobis hoc opus faciunt, & potissima ipsorum ratio est, quòd ipsi nesciāt, quasi verò tota rerum omnium scientia, Cerebello eorum coërceri & contineri deberet.

Anima vera & forma animalium & plantarū unde.

Corpus mercurii Philosophorum quale.

Unde colligitur aurū & argentū fieri posse ex imperfectis metallis.

Ita ut Jove ipso præstantiores & majores se existiment, qui Palladem ipsam rerum omnium scientiam ex cerebro suo educere solus non potuit, quin Vulcanus illi ferret opem & securi sua Palladi nostræ daret viam. Thrasones nostri Misochymici sciant ex hac fabella antiquos Sophos intellexisse nihil sine Chymia sciri posse quæ Vulcani est vera industria, & securis illius, cuius ope & ministerio Pallas ex cerebro Jovis, hoc est vera rerum notitia, ex medulla & occulta rerum substantia, quæ verus est Jupiter, educitur, Vulcani ope & industria, quæ sola rerū occultas substantias manifestas facit & in his solis manifeste productis veram earumdem rerum scientiam notam habemus. Et sic Palladem ex cerebro Jovis Vulcani securi educimus, quod tamen Misochymici nostri fateri erubescunt, cum Chymi-

Nihil sine Vulcano in rerum serie sciri potest.

Philosophia sine Chymia est vere mortua.

cam artem, Vulcani filium & alumnam ignotam habeant eamq; futilem & vanam existiment: cum tamen ab antiquis Philosophis ab Hermete Trismegisto & Gebro vera Philosophiæ anima proclametur, cum hæc mortua, sine Chymia jaceat & infœcunda.

Quid in montibus Chymicorum dicatur sulphur.

CAP. XIII.

Sulphur Philosophorum quale & quo modo distinguatur à communi sulphure.

PHilosophorum ferè omnes nullum aliud sulphur in rerum natura credũt quàm illud quod palam venditur cremabile, & combustibile, aliud tamen est longe ab isto diversum, quod est incõbustibile, non adurens, nec ardens, sed conservans, restaurans res omnes quibus inest & est calidum innatum cuiuscumque rei, ignis naturalis, & lux creata, cuius fons & scaturigo Sol est, & à Sole ubi Deus ipsam lucem sive ignem naturæ & sulphur collocavit, in reliqua cuncta dispergitur, ac disseminatur, ita ut cum in nostris montibus Chymicis, calidum istud innatum, ignis naturæ sive lux creata reperiatur, quæ sulphur nostrum constituit, id ipsum nihil aliud esse censemus, quam ipsam lucem creatam sive ignem naturæ qui mira patrat in ipsis montibus nostris, & est sol ipsorum. Cum ergo montes nostri constent quatuor elementis, quod ex illis est igneum & æthereum in montibus nostris sulphur est, non enim montes nostri toti sunt sulphurei sed quod in illis est tenuissimi ac subtilissimi, essentiam ignis naturalis, & lucis creatæ naturam sapiens, id ipsum solum sulphur vocamus terreæ subtilissimæ substantiæ admixtum, quod quidem sulphur Chymiæ patres, ac magistri, omni conatu, labore & studio, ex montibus suis eruere ac educere tentarunt & tandem eduxerunt, quo cum mercurio suo connexo vota sua, & Chymiæ opera cuncta perfecerunt & absolverunt, in sulphure siquidem illo, cùm sit ignis naturæ, inest & in ipso tinctura perfecta, & absoluta supremi metalli, potentia proxima saltem, quæ ab ipso supremo metallo facili negotio reducitur in actum, & in veram & absolutam tincturam, quæ sulphur fixum Philosophorum dicitur, in quo virtutes omnes cœlestes & elementares, summopere digestæ, & in supremo gradu conductæ reperiuntur, unde in ipso sulphure tantum est virtutis, quantum est in tota & universa natura, neque mirum est, si ipso sulphure lapides viles & vulgares in pretiosos, metalla imperfecta, & impura in aurum vel argentum convertantur, & reliqua omnia naturæ corpora infirma, & à perfectione diminuta, perfectionem ultimam, quam naturaliter obtinere possunt acquirant, cum natura ad supremum gradum suæ perfectionis

Sulphur naturæ quid propriè sit.

In sulphure naturali incombustibili est tinctura aurea.

Cur ex sulphure fixo perfecto, res omnes perficiuntur.

nis conducta, id ipsum obtineat, alioquin frustra id tentaret, si ad finem hunc, & scopum pertingere nō posset unquam, perinde hoc naturæ sulphur diligentissime quærūt Chymici omnes nec illud adinvenire possunt, in ullis naturæ rebus quamvis omnibus insit præterquam in montibus solis nostris, ex quibus solis educi & elici potest, & perinde asserimus in his solis adinveniri posse, cùm ex his solis educi queat, ex aliis verò naturæ rebus, cum arte nostra educi nequeat, in iis etiam non esse contendimus, perinde in dictis nostris nulla est contradictio, etsi contradictio apparens videatur, sic multas contradictiones adinvenire in operibus nostris, quæ nullo pacto sunt contradictiones si ex arte Chymica, & loquendi Chymicorum modò interpretentur. Quales sunt hæ sequentes, quæ extra rem nostram nonerunt cum de sulphure nostro habeantur. Clamant & asserunt omnes Chymici Philosophi, sulphur eorum nō esse in auro communi, & vulgari & deinde docent aurum commune esse totum sulphur & tinctura, quæ quidem sola est, quæ tingit, figit & perficit reliqua cuncta, hoc manifeste contradictorium est in Scholis Peripatheticorum: nihilominus tamen nulla est in his verbis contradictio. Cùm sulphur Chymicorum non esse in auro certissimum sit, cùm solum reperiatur in montibus nostris, qui quidem nullo pacto aurum commune sunt

Sulphur naturæ est in omnibus rebus & tamē ex omnibus educi non potest.

Qua ratione sulphur naturæ sit in auro, & qua ratione non sit.

sed sunt talis quædam species, quæ ab ipsa natura producuntur ex pura elementorum materia, & ex virtute & essentia cœlesti, hæc simul mixta montes nostros faciunt, ex quibus deinde montes nostri fiunt & ex pura montium parte sulphur & mercurius unà cum sale producuntur, & ex his tribus in unum corpus permixtis, metalla cūcta fieri solent sola elixatione naturali horum trium principiorum. Unde patet aurum cōmune esse totum sulphur, cum elixatione illa naturali. Hæc tria principia, in auro sint perfectè unita, & depurata & fixata à sulphure, & cùm ita sint sulphur, id est pars calidior, & lucidior horum trium principiorum, prævalet in auro, unde totum sulphur dicitur aurum commune, illud autem dici non potest sulphur nostrum, cum sit quid crudum, & incoctum, & volatile, aurum vero cōmune est quid coctum & valde maturum & incorruptibile, nostrum vero sulphur est alterabile & corruptibile, intra sphæram suæ essentiæ ut illa alteratione & corruptione quam patitur ad perfectionem supremam deveniat, & aurum ipsum vincat perfectione & virtute, cum aurum commune nihil communicet perfectionis suæ & virtutis, sulphur verò nostrū dū ad perfectionē suā maximā pervenerit, omnes suas virtutes cōmunicat, imo aurum ipsum commune hac in parte pficit, quod suas virtutes incommunicabiles cōmunicabiles

Aurū commune qua ratione dicatur sulphur, natura & qua ratione non dicatur sulphur natura sine contradictione.

Qualis sit differentia inter aurū & sulphur natura.

les faciat, & ita clarum est & manifestum, aurú esse posse sulphur Chymicum, quando cum ipso præparatum est, & non esse item sulphur Chymicum, cum adhuc non præparatum est, & ita nulla sunt in Chymica arte verba contradictoria, si rectè intelligantur. Et sic habemus satis apertum quid sit in montibus Chymicis sulphur, jam verò perquiramus quid sit eorum mercurius.

Quid in montibus Chymicorum sit mercurius.

CAP. XIV.

Mercurius Philosophorum quid sit & qualis & ubi reperiatur.

PHilosophorú quamplurimi, qui artem Chymicam scire volunt, scire habent, quid sit Chymicorum mercurius, in eo enim solo consistit tota Alchymia, & metallorum perfectio, & lapidis Philosophorum compositio, sciant ergo mercurium Philosophorum esse humiditatem radicalem, quæ in montibus nostris reperitur admixta terreo subtili, ut enim sulphur est calidum illud naturale & ignis naturæ, qui in ipsis montibus nostris est, & est virtus, & proprietas & forma ipsius materiæ, quam nos montem dicimus, Sic & humiditas ipsius materiæ est mercurius, ex illo mercurio, scilicet ex illa humiditate, & caliditate simul permixtis, & optime depuratis & fixatis, fit tota alchymia, ut clamant omnes Philosophi. Virtus, inquiunt, sulphuris mercurii, est quasi semen paternum & Luna mater, id est propria substantia mercurii. Scilicet aqueum subtile, mixtum terreo subtili, est quasi menstruum & hoc est argentum vivum quod mercurius à Philosophis nominatur: Cùm autem mercurius id est argentum vivum sit radix in arte Alchymiæ, quoniam ex eo, per eum, & in eo sunt omnia metalla, ideo dicunt Philosophi.

Est in mercurio quicquid quærunt Sapientes.
Nam sub umbra sua viget hæc substantia quinta.

Mercurius Philosophorum non est argentum vivum commune, sed est humiditas aqua vnctuosa & arida.

Dum audis amice lector vocabulum? mercurius! & argentum vivum! ne existimes quæso, hoc esse argentum vivum commune & vulgare, quod est currens & fluxibile, non tale intelligimus argentum vivum, sed puram humiditatem aquosam unctuosam & viscosam, quæ ex montibus nostris elicitur, vi ignis & distillationis quæ ita nó potest educi, quin subtiliores terræ suæ partes secum trahat, & ideo cùm habeat secum dissolutas illas terræ suæ subtiliores partes, ideo viscosa & unctuosa est illa humiditas, quam nos cum reliquis omnibus Philosophis mercurium dicimus quem fixare habemus, cum terra sua ex qua elicitur, idque fieri non potest, quin terra sua prius putrescat unà cum ipso, & sic per putrefactionem ambo purificãtur, & deponunt feces suas, modò terra multoties calcinetur dum est separata ab humido, & humidum

Mercurius noster qua

suum

rationes depuretur cũ terra sua.

suum multoties distilletur, & sublimetur à terra sua, sic ambo purificantur, & tandem perveniunt arte & labore sagacis artificis, ad supremum perfectionis gradum, in quo quiescunt, & permanent incorruptibiles. Tãdiu enim urgendi sunt, & fatigandi calcinationibus distillationibus & putrefactionibus, donec tandem ad supremam illam puritatem & substantiæ nitorem deveniant, Tunc enim temporis perfectum est, & absolutum Alchymiæ primum opus. Secundum superest, quod nihil est aliud quàm conjunctio, mixtio & unio vera harum duarum substãtiarum super ignem, in unam & eandem substantiam homogeneam, & similem permanentem, fundentem, tingentem, penetrantem & perficientem cuncta. Et hoc secundum opus absolvitur sola coctione temperata, in igne cõtinuo & perenni, in tripode arcanorum celebrata: & sic perfectè uniuntur hæ substantiæ, ut nunquam amplius possint separari, igne fortissimo quamvis adhibito. Ad hunc autem perfectionis gradum devenire non possunt nisi sale interno suo, quo turgent hæ substantiæ cuius beneficio & ligamine fixo perfectissime uniuntur ut capite sequenti, de sale interno montium Chymicorum fiet manifestum.

Alchymia primum opus ut absolvatur.

Quid sit sal in montibus Chymicorum, & an differat à sale communi.

CAP. XV.

Sal Chymicorum quid sit & quale, & unde eliciatur quid sit in sole & sale natura sunt omnia.

IN Sole & sale naturæ sunt omnia, clamant Philosophi. Pauci tamen intelligunt hoc verissimum axioma. Omnes enim communes & vulgares Philosophi interpretantur hoc axioma de sole cœlesti, & terra elementari, de quibus omnia fiunt: Sal enim cœlestis caloris fons & origo, & terra elementaris quæ est centrum mundi & elementorum reliquorum omnes generationes & productiones ex se ipsis excitant. At quamvis hæc interpretatio ex parte quidem sit optima, & subtilis, & secundùm naturæ leges, nihilominus tamen Chymici Philosophi, quorum est hoc axioma non ita intelligunt & interpretantur. Alius enim est apud ipsos sol, quam sol cœlestis. Aliudque sal habent præter terram communem & elementarem. Sol enim eorum sulphur eorum est, & calidum innatum rerum omnium. Et sal eorum est terra illa fixa & permanens in centro cuiuscumque rei incorruptibilis & inalterabilis, quæ est nutrix humidi radicalis & sustentatrix, ex calore illo naturali, & terra illa fixa humidi radicalis nutrice, fiunt vere & producuntur omnia. Calor enim naturalis suscitat in sale suo illo fixo omnes putrefactiones & al-

Omnia unde producātur & conservantur.

& alterationes calefaciendo humidum radicale salis centralis, ex quo fiunt alterationes & corruptiones, & inde generationes exsurgũt, quia corrupta prima forma, quæ actuabat mixtum, exsurgit ex corruptione illius nova forma, ex centro salis centralis, qui se habet admodum materiæ primę, hinc patet quam verissimum sit, in Sole & sale naturæ, esse omnia. Quia in calido iñato rerum, & materia eius prima (quæ est Chymicorum sal) vere fiunt omnia.

Sal Chymicorum proprie qualis.

Videndum jam est, & nobis perquirendum, an sal montium Chymicorum sit eorum prima materia. Sal quod est actu in montibus nostris, non est eorum prima materia, sed est vera individualis montium nostrorum vera substantia. Prima vero materia montium nostrorum ex qua immediata componuntur montes nostri sunt vapores & exhalationes elemẽtorum omnium quæ in terræ centrum defluunt, & hinc per calorem centralem terræ sursum efferuntur per totam terram, & in alia elementa, usque ad cœlum, imo cœlum ipsum penetrant ibique materia ignea multa producunt. Vapores autem hi & exhalationes, non sunt sal adhuc, sed coctione & elixatione continua in visceribus terræ tandem fiunt sal minerale quoddam ex quo fiunt montes nostri, qui quidem ex sale constant. Illud autem sal habet semen calidum innatum suum & humidum radicale, primum dicitur sulphur, secundum verò Mercurius, & tamen hæc tria unum sunt in montibus nostris, nec existimes hæc tria esse quædam separata & distincta, sunt tantum unum quid, quod diversa ratione diversa sortitur nomina: Nam ratione caliditatis suæ, & igneæ substantiæ dicitur sulphur, ratione verò humiditatis dicitur mercurius, ratione autem siccitatis terrestris suæ dicitur sal. Sunt ergo tria in vero corpore juncta, & tamen unum constituunt mixtum naturale, sal autem quod constituit substantiam corporalem montium nostrorum non est sal marinum commune & vulgare, quo utimur ad condiendos cibos, sed est aliud amarum, & ponticum acetositatis multæ. Sal commune est frater ipsius, quia productum est ex eodem parentum semine, & ex eodem utero prodeunt in lucem ambo, nihil tamen corpus salis cõmunis hac in arte nostra prod esse potest nisi ei⁹ spiritus, qui pero prime purificatius ad purificationẽ corporis nostri inservire potest. quia permixtus cum nostro spiritu idẽ & simile agit, & unà cum illo potest inservire, ad sulphur nostrum seu terram nostram foliatam, ex magnesia nostra seu corpore & substantia fixa montium nostrorum extrahendam, in qua sola operatione consistit totum opus Alchymiæ, hoc enim peracto opere, reliquum quod superest facillimum est, & sola coctione absque ulla vasis mutatione peragitur, & obtinetur, ut in-

Vapores qua ratione fiant sal.

Quid in sale nostro dicatur sulphur & mercurius.

Sal sulphur & mercurius unũ quid sunt in sale nostro.

Sal Chymicorum quid proprie.

Sal commune nihil prodest in arte nostra nisi eius spiritus

Totum opus Alchymiæ ubi consistat

inferius declarabitur dilucidius, habito enim sole & luna Chymicorum quod superest, est opus mulierum, coctio purà.

An mercurius, sulphur & sal qua in montibus nostris reperiuntur, poßint à natura perfici ad tincturam absq; arte.

CAP. XVI.

An materia lapidis Philosophorum perfici possit sine arte.

PHilosophi fere omnes Chymici hanc quæstionem agitant, & nos ipsis multis in locis operum nostrorum ipsam eandem quæstionem agitavimus, & conclusum & ratum statuimus unà cum reliquis aliis Chymicis, naturam ipsam non posse sine arte Chymica tincturam perficere Philosophorum, etsi natura materiam ipsius tincturæ faciat & producat, ipsam tamen perficere nequit cum ad ultimum illum, & supremum perfectionis gradum, ipsam tincturæ materiam conducere nequeat, propter caloris defectum & separationis excrementorum suorum, necessitatem, quam natura exercere non potest, cum solutione delicta puri, & congelatione ipsius multoties repetita, ut tincturæ appareat effectus.

Tinctura Philosophorum ut perficiatur.

Tinctura siquidem in actum non reducitur, ex illa materia cui potentialiter inest, nisi solutionibus multis & congelationibus multoties repetitis, arte nostra celebratis, Illis enim solutionibus & congelationibus solis subtiliatur & attenuatur hæc materia, & in alteratione, & subtiliatione illius materiæ metallicæ, consistit tinctura: alioquin enim hæc materia tingere non potest, quin summopere attenuetur & subtilietur, ut sua subtili & penetranti substantia, dura & solida metallorum imperfectorum materia penetretur, & sic in ipsam metallorum imperfectorum essentiam deportetur vis tingens & perficiens nostræ medicinæ.

In uno & eodem subiecto sal mercurius & sulphur.

Inest autem in uno & eodem subjecto mercurius, sulphur, & sal quæ tria uti sæpe diximus, non differunt in nostro subjecto sed unum quid sunt, quod in tria distinguuntur ratione qualitatum & proprietatum diversarum, quæ insunt his tribus, ut qualitas & proprietas mercurii est alia & distincta à proprietate sulphuris & salis, & ita existimandum est de proprietate, & qualitate sulphuris & salis, quæ omnino distincta est à proprietate & qualitate mercurii, non tamen ita est de eorum substantia, & essentia quæ in his tribus eadem est, & una, & perinde unum quid sunt hæc tria in uno & eodem subiecto: Itaque ne existiment Chymicæ alumni cum audiunt sulphur, mercurium & sal, hæc tria quædam esse separata & realiter distincta, & posse separari, ab eodem subiecto cui insunt, quia hoc neutiquam pot-

est fieri quamvis purum ab impuro separetur, subtile à crasso, anima ab spiritu & corpore, quæ quidem quamvis tria videantur separata, unum tamen quid sunt & non differunt, nisi accidentaliter, ratione tenuitatis, subtilitatis, & crassitiei quibus pollent & non ratione essentiæ cuius ratione & ministerio unum & idem dicitur corpus, anima & spiritus, ad quorum omnium perfectionem natura ipsa per se nulla adiuta arte pervenire non potest, cum subtiliationem & tenuitatem eorum perficere nequeant, nisi juvetur arte, quæ quidem ars, non ab ipsa natura inventa est, ut existimant nonnulli quia esset pars sui ipsius, & ita non distingueretur ab ipsa natura, sed esset ipsamet natura. At est quid aliud exterius naturæ adnatum & adjunctum à Supremo Artifice & Naturæ Creatore, qui hanc artem fecit & creatoris suis intelligibilibus communicavit ut naturam mancam, hac arte perficerent, & Deum Creatorem supra naturam sic agnoscerent, laudarent ac benedicerent, ut capite sequenti fiet clarius.

Anima corpus & spiritus in subiecto Chymico non differunt ratione essentia.

Ars Chymia à Deo facta & hominibus data.

An ars perficiendi tincturam Philosophorum divina prorsus sit, & nullo pacto ex parte natura.

CAP. XVII.

Ars Chymica qua ratione naturalis.

Difficilis admodum est, & ardua hæc quæstio, quamvis prima fronte facilis videatur, quicquid enim est in opere Chymicorum & in tinctura eorum, ab ipsa natura est materia siquidem ab ipsa natura est. & quidquid Chymici expostulare possunt, ab ipsa natura exhaurire. Imo ipsa distillatio, sublimatio, & præparatio materiæ ipsius Chymicæ tincturæ, est ab ipsa natura, nam nisi primo natura sublimationem, distillationem, calcinationem & reliqua omnia opera, quæ solo coctionis nomine, & præparationis titulo concluduntur, docuisset, & ipsamet revera & operibus suis demonstrasset nunquam creaturæ intelligibiles, hanc artem separandi purum ab impuro, & purum coquendi, & impurum rejiciendi, invenire potuissent, cum in rerum natura non extitisset, excogitare autem quòd non est, & ipsum in rerum natura collocare posse creatoris, non Creaturæ habetur.

Ars Chymica qua ratione divina prorsus.

Si ita perpendatur hæc quæstio, naturalem hanc artem credimus & facili negotio damus manus huic opinioni, veritatem asserenti, nihilominus tamen, si occultam nostram materiam in intimis naturæ thalamis, imò in cetro rerum omnium ita occlusam perpendamus ut nemo Philosophorum ipsam scire queat nisi revelatione divinâ, artem hinc divinitus ortam & revelatam etiam credere fas est. Cùm adhuc post tot secula, post tot Philosophos veros & verissimos, qui veritatem hanc asserunt reperiantur infiniti docti admo-

Cur docti multi Chymiam vanã & inutilem

existiment. modum, & vulgariter prudentes & sapientes, qui hanc artem negant & futilem credunt & vanam, & hoc ex Dei est qui illis tantum secreti & thesauri naturalis, & vitæ humanæ revelare non vult, ideo ipsos cæcos & incredulos tanti thesauri relinquit: Nō enim interest ut omnes sciant, nec habeant hanc artem quia plus mali huic exsurgeret quā boni, cum boni & justi, rari & pauci sint, qui artem hanc ad honorem & laudem & gloriam Dei, & utilitatē proximi applicare possent, mali vero & impii infiniti sunt, & eorum impietas & malitia hac arte nota, fieret peior. Unde docte clamat Chymicorum nonnullus.

Non interest omnes habere artem Chymicam nostram.

Ingenuisq; probis hanc saltem dat Deus artē
Auro quam mundus solvere forte nequit
De qua non opus est, aliquid sciat ordine vulgus.
Impius est, frustra hinc quaeritat, hic lapidem.
Mac vice sunt pauci, quibus hac sacra munera dentur.
Fert Deus in manibus, qui placet huicce dabit.

Hinc colligere facile possumus, artem hanc divinam prorsus esse, cū ex revelatione Divina dependeat nō ex doctrina pura & forti, & grandi, & alta mentis elevatione, ad cognitionem naturæ quæ tota ex parte sui occulta est, nec unquam manifestatur, nisi piis & bonis, & quibus Deus occultum naturæ creatæ revelare dignatur, ad maiorem sui gloriam & amorem ut pios & bonos hac cognitione revelata, ad se quodammodo alliciat, & naturali hoc ligamine sibi devinciat: Occultum enim naturæ arte nostra præparatum, vitam futuram, & æternæ vitæ imaginem ita vivam nobis repræsentat, ut de ipsa dubitare & ambigere nequeamus, ita ut pie & sancte vivere nos cogat hæc ars, & Deum creatorem summū benedicere & collaudare compellat, qui tanta & rara & miranda fecit pro hominibus qui tamen quamplurimi, illi ingratissimi sunt: Divina prorsus est hæc ars, cum ex revelatione Divina dependeat nec aliter doceri queat, quāvis enim clare admodū doceatur ab omnib⁹, qui hāc artem divinitus habuerunt, nihilominus tamē ab omnibus perfici nequit, cum fidē nō habeāt tanti secreti quæ quidē fides necessaria est ad tolerandos labores arti perficiendæ necessarios, & doctrinæ & scientiæ huius obtinendæ perquam utiles: Dii enim laboribus omnia vendunt & præsertim hanc nobilissimam, & secretissimam scientiam, in qua obtinenda non solum animo & mente, sed & corpore summopere laborandum est, ut notissimum est omnibus qui tanto dignati sunt munere, & quos sola Chymica evexit ad æthera virtus, quam Deus posuit sudore & labore parandam.

Ars Chymica nunquā manifestatur nisi piis & bonis.

Occultum natura arte Chymica præparatum vitam futuram ostendit ac demonstrat.

Chymiam labore & sudore parandam posuere Dii.

Quid anima sit, spiritus & corpus in montibus Chymicorum.

CAP. XVIII.

MAteriam Chymicorum animam habere, spiritum & corpus, passim dictitant Philosophi, quid autem sit Chymicorum horum anima, spiritus, & corpus in ipsa chymica materia, jam nobis est perquirendum, perquam utile enim est, & necessarium ad præparationem materiæ Chymicæ scire, & perquam optime cognoscere, quid sit anima quid spiritus, & quid corpus materiæ Chymicæ, quæ montibus nostris inest.

Anima apud Chymicos, quid proprie sit.

Est ergo Anima materiæ nostræ portio lucis cœlestis creatæ, elementis inferioribus incorporata, & permixta subtilior, & tenuior quæ in forma exhalationis sicca rubicundissimi caloris ex materia nostra exhalat & vas recipiens nostrum adimplet quæ quidem anima nobis summopere custodienda est, & ne pereat & in auras evaporet summopere cavendum est, hæc anima sequitur spiritum suum, & secundo egreditur ex materia nostra, & aquæ ponticæ nostræ & acutæ, poros adimplet, & intra cavitates eius & sinus conservatur donec corporis materiæ nostræ puriores partes, ad se rapiat hisque uniatur & virtute sui spiritus, ad cœlum perfectionis, & tincturæ, ipsas corporis materiæ nostræ partes devehat & deportet.

Causa tincturæ qualis sit.

Hæc ergo substantia materiæ nostræ, quæ substantiam & tenuiorem lucis, creatæ partem continet, hæc dicitur & habetur materiæ nostræ anima, quæ tantæ est virtutis & efficaciæ, ut sola vera sit tincturæ nostræ & perfectionis causa, est enim actionis omnis principium, & verus fons, quo absente & pereunte, pereunt omnes rivuli, qui inde scaturiunt, ut sunt penetratio, fluxio, fixatio, tinctura, & in igne perseveratio quæ sunt perfectiones materiæ nostræ summopere præparatæ, quæ omnes ab anima illa Chymica dependent: cùm lucis creatæ portio, elementis inferioribus incorporata, & perfecte unita ut separari nunquam possit has pefecti;nes obtineat & cum perfecta sit; omnia perficit, cum cocta & materia omni ex parte habeat elementa, coquit etiam & maturat omnia cruda elementa, quæ passim in mixtis rerum productionibus reperiuntur unde morbi, & imperfectiones rerum ortum habent, hæc ergo est anima materiæ nostræ.

Anima Chymicorum præpardicur virtutes.

Spiritus Chymicorum qualis sit & quid sit.

Spiritus autem, qui primo egreditur in distillatione nostra, ex materia Chymica, est etiam portio lucis creatæ, non tamen adeo subtilis & ætherea, ac portio lucis illa, quæ animam Chymicam constituit, sed est portio lucis minus subtilis humidior & aquosior, quæ in forma vaporis humidi ponticæ qualitatis & acutæ

acutæ, ex materia nostra egreditur, & in vase nostro recipiente facili negotio in aquam convertitur acidam, & ponticam, subtilem, & penetrantem, & omnia dissolventem: hæc est substantia quam Chymici omnes spiritum vocitant similitudine & proportione quadam respondentem spiritui animalium: Nam ut spiritus animalium est tenuissima & subtilissima animalium substantia, qua utitur anima & forma animalium, ad functiones omnes suas peragendas, non enim movetur, sentit, odorat, gustat & videt absque spiritu, utitur spiritu illo tanquam vero & unico suo instrumento, ad actiones omnes suas peragendas. Sic forma materiæ nostræ habet spiritum subtilem admodum & penetrantem, qui est portio quædam lucis cœlestis, elementis inferioribus ligata, quæ inservit formæ materiæ suæ, ad agendum. Est enim omnibus in rebus, quamvis sint dissimiles, & prorsus differentes proportio, & similitudo quædam, qua inter se comparari possunt: Est ergo spiritus materiæ nostræ, mineralis virtus, quæ in portione illa lucis creatæ elementis inferioribus unita & ligata consistit, in qua sola naturæ metallorum quiescunt & habent esse perfectum vel imperfectum secundum perfectionem vel imperfectionem illius substantiæ, quam bonus artifex perficere habet secundùm leges naturæ & artis, ut illa perfectione acquisita reliqua omnia imperfectè, vitio & defectu naturæ, perficere queat. At hæc perfici nequeunt absque perfectione corporis, in qua latitant & occultantur; Quod quidem corpus jam nobis est declarandum quid sit & qua ratione differat ab anima & ab spiritu suo: in his enim tribus perfectè unitis consistit rerum perfectio.

Spiritus Chymicorũ correspondet spiritui animalium.

Cur omnes habent aliquid quo inter se cõparari possunt.

Spiritus Chymica materia quid propriè sit, & cui inserviat.

Corpus ergo materiæ nostræ quæ montibus nostris inest nihil aliud est quam portio etiam lucis creatæ cœlestis crassior & spissior ut ita loquar, cum elementis inferioribus crassioribus & fœculentioribus sit incorporata & unita, & ratione suorum elementorum crassiorum quibus unitur dicitur hæc portio lucis creatæ crassa & spissa, cùm tamen sit ejusdem naturæ & essentiæ cum reliquis duabus portionibus lucis ejusdem quæ animam & spiritum constituunt ita ut inter se non differant & distinguantur nisi rationo partium, elementorum subtiliorum & crassiorum quibus uniuntur, & incorporantur. Itaque corpus est, pars illa fœculentior & crassior, quæ in fundo retortæ, & vasis nostri distillatorii post distillationem nostram remanet, in cuius centro seu occulto ejus latitat Sal fixum tincturæ nostræ quod quidem sal corpus verum & legitimum nostrum dicitur, & nuncupatur, in quo quidem corpore latitat anima & spiritus eius, quæ sunt eius partes subtiliores & tenuiores ideo vo-

Corpus materia Chymica quia sit & quale.

Corpus qua ratione differat ab anima & spiritu.

latiles sunt, & facili via è corpore suo evaporant & exhalant in æthera, & harum partium beneficio corpus fixum & permanens volatile redditur, & ita attenuatur & subtiliatur & sic purificatur â partibus suis Eterogeneis, & impuris, & partes puræ & homogeneæ ita subtiles & tenues efficiuntur ut perfectionem ad quam destinantur acquirant. Sic partes volatiles, quæ sunt eius anima & spiritus figuntur, cum perfectissime uniantur corpori fixo quod quamvis copia & abundantia spirituosæ & volatilis substantiæ, volatile & spirituosum efficiatur, nihilominus tamen cum centrum habet fixum, & permanens, arte & coctione continua caloris mediocris, fixum tandem & permanens efficitur & animam suam & spiritum fixat & fortissimè coagulat, ita ut nunquam possint ab invicem separari, sed gaudeant etiam in mediis Vulcani flammis, quod quidem contingere non potest, quin lux creata, seu ignis verus naturæ, potentissimos habeat effectus ad restaurandos morbidos naturæ artus, cum lucis perfecte unitæ, cum puris elementorum substantiis, sit omnia perficere, actus enim id vitæ est, quæ ex sola luce dependet, ut clarius videbitur capite sequenti.

Anima & spiritus qua via figãtur cum corpore suo.

Ex luce perfectio dependet & vita.



Cur lux creata puris elementorum substantiis perfectè unita in materia tinctura Philosophorum, sit tanta virtutis.

CAP. XIX.

Virtutem mirandam, & admodum insignem tincturæ Philosophorum seu lapidis Physici, credere nequeunt Physicorum quamplurimi, cum eius scaturiginem & ortum nesciant, & ipsum indagare ac perpendere negligant. Datur siquidem lux naturalis & ignis, quem negare cæci est & stulti, eius autem mirandos effectus, & stupendas proprietates nemo non videt. Quicquid enim vitæ est, id ignis naturalis & lucis creatæ est, cum vita ab igne naturali, & luce illa creata dependeat, absque enim igne naturali illo, & luce creata, vita in rebus existere nõ potest: extincto illo igne seu luce, extinguitur & vita, hoc est cessant actiones vitæ, & quo potentior est ignis ille naturalis, eo vegetiores sunt vitæ facultates, mot⁹ enim omnis & actio, ab illo igne naturali & luce dependet, facultates autem omnes & actiones vitales sunt mot⁹ & actiones, quæ à nullo alio scaturiri possunt, quam à suo principio & fonte, fons autem & principium omnis motus, & actionis est forma, ex Philosophorum omniũ sentẽtia, ut multoties hoc in volumine ad nauseam usque

Lapidis Physici virtutẽ cur credere nequeant, Philosophorum multi.

Motus omnis naturalis à quo dependeat.

usque repertum est & probatum, forma autem illa non est quid aliud, quam ignis naturalis & lux creata: igneus est ollis vigor, & cœlestis origo seminibus clamat Virgilius hujusce sententiæ potentissimus assertor. Si ergò forma cujuscumque rei, sit principium motus & actionis, & forma illa sit purus naturalis ignis, & pura lux cœlestis, quò magis purus ille ignis, seu lux creata puriora informat elementa & corpora, eò majores & potentiores habet actiones, cùm organa & instrumenta sua ad agendum sint aptiora, sunt autem aptiora ad agendum quo magis sunt puriora, & subtiliora, quia subtile & tenue est ad motum, & actionẽ crasso & spisso aptius & promptius ut experientia ipsa quotidiana fit manifestum: Lux autẽ creata cœlestis seu purus ignis naturæ, qui in tinctura Philosophorũ reperitur purissimis & subtilissimis unitur elementis quę sunt illi organa & instrumenta ad agendum puriora enim non possunt esse & subtiliora, cum arte Chymica, multis distillationibus, calcinationibus, & aliis similibus præparationibus ab omni crassa & fœculenta spurcitie vindicentur, ita ut nihil nisi purum & subtile, in eis relinquatur. Itaque cum lux, seu ignis naturæ purus, principium motus, & actionis, uniatur illis suæ actionis, & motus organis & instrumentis, nihil esse potest in rerum natura, luce illa potentius & subjecto illo, in quo est lux illa. Tinctura autem illa Philosophorum talis est, habet siquidem sperma & semen metallorum summoperè depuratum & ab omni crasso & fæculento elementorum magmate vindicatũ, ita ut nihil nisi lux, & purus ignis videatur, tenuissimo & subtilissimo elementorum claustro, fixo, & firmo, fixissimè & firmissimè inclusus.

Forma quid propriè sit.

Subtile & tenue est ad motum promptius.

Cur lapis Philosophorum sit potentissimus.

Itaq; si ignis naturalis impuris & fœtidis elementorum claustris demersus, coquat & perficiat in mille annis semen metallicum in aurum. Quid similis ignis in eodem semine demersus, centies millies purius, & nitidius illo agere poterit? Quod alius in mille annis, hic in horæ quadrante perficere posse nulla est controversia, cum qualitates agẽdi possint extendi, & intendi secundum potentiam, virtutem, & energiam agentis, quæ quidem potentia & virtus multò & centies millies est efficatior, & potẽtior in subjecto subtilissimo & tenuissimo, quã in crasso & in spisso, hoc clarum & appertum habemus in vino, & in spiritu vini, quod quidem vinum habet ignem, quo potentissime agit, sed spiritus vini habet eundem ignem centies millies vini igne potentiorem, & efficatiorem, quòd spiritus vini, sit centies millies subtilior & tenuior ipso vino, quod crassitie sua & sorditie, ad spiritus vini rectificati actionem & facultatem pervenire non potest, Hoc in vino & ejus spiritu rectificato, certum & manifestum videmus, in vino autem Physico & Lullia-

Cur lapis Philosophorum in hora quadrante perficiat metalla impura.

Vinum Lullianum quale sit.

liano credere non possunt hi omnes qui hujus vini notitiam non habēt, at si acuerent eorum ingenia, quod in uno clarum & manifestū cernunt. In alio etiam clarius & certius conspicere possent, si actionem lucis & ignis naturæ notam, & manifestam haberent, quod quidē infinitis modis & viis, toto hoc in volumine, filiis & alumnis Chymicæ artis, ostendere & patefacere sategimus, & adhuc in gratiam eorumdem satagemus ut virtus & proprietas illius lucis notissima sit illis, absque enim illa ambulant in tenebris hi omnes, qui hac ignota Chymiam tractant, & cæci secreta naturæ perquirunt qui hanc lucem tanquam solem anteambulonem non habēt, quod capitibus sequentibus erit manifestum.

Qui Chymiam tractant lucis creata naturam notā habere debēt

Quid in montibus Chymicorum sit frater & soror & poculum amoris

CAPUT XX.

INvenitur passim in omnibus Chymicorum antiquorum codicibus, ingenium & nobile hoc ænigma, cujus cortice, totum cōplectitur Chymicum arcanum: Junge fratrem cū sorore & propina illis poculum amoris. Quisquis Chymicorum est, qui fratrem hunc, & sororem cognoscat, is verè totam artem & materiam ejus perfectè cognoscit, ejusque præparationem apprimè scit. Dicuntur enim hi Sales duo, qui frater & soror dicuntur quòd unà enascantur in eodem ventre & utero, & gemini vocantur perinde, & habent unum & eundem patrem, nempe solem cœlestem, & unam & eandem matrem nempe lunam cœlestē qui duo spiritu suo & influxu cœlesti, & radio producunt in terris, & elemētis aliis duos hos sales, quorum unus dicitur frater, & alter soror, unus nomine masculino effertur, alius verò nomine fœminino indicatur, quod unus igneas & æthereas habeat virtutes & proprietates masculinas & verè viriles, alius verò aqueas & frigidas habeat qualitates languidis, & frigidis fœminarum qualitatibus correspondentes.

Explicatio ænigmatis junge fratrē cum sorore & propina illis poculum Amoris

Frater & soror quid apud Chymicos habeatur.

Si hos sales apprimè cognoscamus qui quamvis duo videantur, nihilominus tamen in radice sua, saltem unus est sal, etsi distinguatur nomine, & dividatur in duo, propter diversas qualitates quas in sua prima productione aquisivit. Vt homo & fœmina, unus & idem sunt in specie & radice sua, qui cum separati fuerint à Creatore, ideo nomine distinguuntur, & variis nominibus efferuntur, secundum eorum varias qualitates & virtutes.

Sales Chymici quot & quales.

Oportet autem ut iterum conjungantur si multiplicare suam speciem velint alioquin nisi conjungantur eorum multiplicatio et productio similis substantiæ nunquam sequitur, eorum autem conjunctio fieri non potest, quin ex intimis utriusq; suscitetur amor, cujus beneficio et auxilio fit illa conjunctio, et matrimoni-

Multiplicatio fieri non potest sine conjunctione.

Chymicorũ frater & soror separari & conjungi habent antequam producant fœtum Chymicum.

monium Sic pariter frater noster,& soror nostra Chymica separari habent ab abyssu,& chaos aquarum, in quo conjuncti & indistincti reperiuntur. Deinde separati & præparati iterum conjungi habent, ut producant ex amborum amplexibus filium illum artis Chymicæ Adonidem nostrum, & Ganimedem, qui charissimus est omnibus Chymicis, absque enim illo in arte nostra nihil perfici potest. Non possunt autem frater & soror Chymicorum conjungi simul& matrimonio uniri, nisi poculo amoris jungantur simul, quod est physicum hujusce matrimonii.

Quid apud Chymicos conjungat fratrem& sororem Chymicorũ.

Phyltrum autem istud, seu poculum amoris ex intimis eorum substantiis educi habet, unde clamat omnis Chymicorum turba ; natura naturam sequitur, natura naturam vincit & natura naturâ lætatur & gaudet, ut indicent & demonstrent conjunctionem illam, & matrimonium fieri debere ex intimis substantiis eorum , qui matrimonio jungi habent. Poculum ergo istud amoris, cum sit poculum aqua est, quæ in intimis eorum substantiis latitat, hæc sola aqua est, quæ fratrem nostrum & sororem nostram copulat & jungit, ut ambo juncti progignant fœtum nostrum , in cujus fortuna , fortuna Chymicorum tota consistit, si enim fœtus ille non optimè enutriatur, ut ad perfectam & completam ætatem deveniat, & morbos vincat omnes suæ juventutis & labilis ætatis, in casum abeunt omnia,& ruunt in pejus,unde Charissimè,& summa cum diligentia enutriendus est infans ille & fœtus Chymicorum,ex fratre & sorore nostra enatus, quod capite sequenti clarissimè demonstrabitur filiis artis nostræ,modò lynceos habeant oculos & subtiles , nam si vulgares, & communes tantum habeant oculos, nihil certè videbunt. cum in Chymicis secretis vulgaris caliget oculus.

Poculum amoris quo frater & soror conjunguntur quale sit.

Fœtus Chymicorum ex fratre & sorore nostra enatus qua ratione nutriendus ut ad perfectam ætatem deveniat.

CAPUT XXI.

Conceptio Chymica in vasis Chymicis ut fiat.

POstquam frater & soror Chymicorum, conjuncti fuerint & poculo amoris inebriati, tandem concipit soror ex amplexibus fratris sui, qua ratione autem id fiat sequere hac in parte ut secretum hoc naturæ occultum , tibi manifestum fiat , sequere inquam , viam & modum conceptionis humanæ, quæ quãvis valdè occultè fiat, nihilominus tamẽ Physicis omnib⁹ manifesta fit & apparet, intima & purissima humani corporis pars utriusq; sexus, in uterũ fœminæ prolabitur, ibique à calore naturali ipsius fœminæ & calore ipso intrinseco ipsius purissimæ substantiæ, in uterum ex utroq; sexu delapsæ (quam semen humanum dicimus) digeritur & coquitur hæc substãtia,& hac digestione&coctione

ne naturali spiritus internus ipsius materiæ, seu seminis, suscitatur ad a-ctionem suam peragendam quæ tendit formare inde corpus humanum, perfecto inde & organizato corpore humano, actione ipsius spiritus Architectonici, benignus rerum omnium Creator, & misericors summus, erga homines pietate quã summa & misericordia ductus, tunc temporis in illo instanti quo perfectum & completum est corpus humanum, humanam animam seu formam ipsius corporis creat & infundit, ita ut instans Creationis, sit instans infusionis, & vice versa, unde creando infundit, & infundendo creat, & sic corpus humanum ab exteriori auxilio divino elevatur & sublimatur in creaturam intelligibilem & rationalem quamvis ex parte corporis, ex elementis & abyssu naturali ortum habeat. Ex parte tamen formæ suæ quæ illi divinitus infusa est peculiarem Creationem habet lucis intelligibilis, qua informatur & actuatur corpus suum supra reliqua cuncta naturalia, quæ ex elementis & luce creata cœlesti fiunt, quæ nullo pacto est intelligibilis & rationalis propriè loquendo sed mirandas habet notiones quibus donantur, & decorantur animalia bruta, ope & auxilio illius lucis cœlestis, qua actuatur & informatur corpus brutorum.

Anima humana quo tempore infundatur.

Homo qua parte divinus & qua parte naturalis.

Notiones & dona brutorum unde dependeant.

Postquam autem actuatum est corpus humanum luce illa intelligibili deforis Divinitus adveniente, ut corpus humanum omnino regat, omnibus quæ corporis humani sunt, elementis puta, & luce cœlesti communi, subministrantibus illi luci rationali & intelligibili deforis Divinitus advenienti: Tunc, inquam, temporis eget corpus humanum alimento, ut nutriatur & augeatur, & sic ad ultimam perfectionem suam ad quam naturaliter tendit perveniat: Elementa ergo & lux illa cœlestis in chaos unum sanguinis materni simul permixta, alimenta fœtui humano subministrant, per tubos & canales apertos & manifestos, qui sunt venæ & arteriæ umbilicales, per choriam infinitis ramis divaricatæ, ut sanguinem & alimentum à natura præparatum inde exportent ad Hepar ipsius fœtus per venas ipsas & arterias umbilicales, quæ dum tendunt ad umbilicum ipsius fœtus in unum coëunt omnes, ut sanguis maternus, venalis & arterialis simul permisceantur, & fiant unum alimentum ex elementis omnibus & luce cœlesti permixtum corpori humano enutriendo idoneum. Ut enim corpus humanum ex his omnibus conflatum & compactum fuit in principio sui ortus, sic in generatione, & multiplicatione sui ipsius ex ipsisdem enutriri habet, quod clarum & manifestum habemus sermone prædicto, & ipsamet experientia, vescimur & nutrimur alimentis, quæ ex elementis ortum habent quæ nobis primam & originalem dederunt corporis nostri cõ-

Alimentum hominis qua via subministretur homini in utero matris

Lux & elementa, qua via permisceantur ut fiãt hominis alimẽtum.

Homo quo modo vivat et nutriatur ex his ex quibus componitur.

posi-

positionem. Sic clarum est & manifestum, qua ratione nutriatur fœtus humanus in utero materno & extra uterum, ex elementis in alimenta propria & idonea mutatis.

Fœtus Chymicorum qua ratione enutriendus ex fratre & sorore enatus.

Inde possumus & nos colligere qua ratione, & qua via nutriri debeat fœtus Chymicorum ex fratre & sorore Chymicorum enatus, postquam enim materia nostra ex elementis separata fuerit via naturali aut artificiali, natura siquidem ipsa per se ipsa quotidiè, & assiduè separat ex elementis arte sua materiam nostram, quam in duo separat & distinguit, quamque nos in marem & fœminam, fratrem & sororem, Regem & Reginam, Gabrilium & Bejam, & reliqua multa nomina distinguimus, ut sortem naturæ illius, & progeniem notam & manifestam habeamus.

Materia lapidis Philosophorum quibus distinguatur nominibus.

Postquam ergò separatam habemus hanc nostram materiam & puram, & nitidam tenemus, iterum ipsam conjungimus & arte nostra quicquid est huic materiæ volatile, & infixum separamus, & volatilem hanc partem purificamus, ex lege Pyrotechnicæ artis, & fixam partem etiam purificamus, parte volatili, & sic dum tenemus partes omnes puras & nitidas, eas ipsas iterum conjungimus, & calore tenui fovemus, tunc temporis concipit fœmina & soror nostra ex fratre & mare suo, hoc est tenuissima pars masculi conjungitur cum tenuissima parte fœminæ, seu sororis nostræ, quæ est pars humiditatis nostræ radicalis, & pars tenuissima masculi nostri est pars calidi innati, hæ ergo partes simul unitæ & conjunctæ, in ventre & centro aquæ nostræ, quæ uterus Chymicus est, reducuntur in unam, & nunquam separabilem substantiam, quæ fœtus Chymicus nuncupatur, & sulphur naturæ, Avis Hermetis, terra foliata, Diana, & Apollo, & multis aliis nominibus effertur hic fœtus, qui diligentissimè & carissimè est enutriendus, ut ad summam & perfectissimam ætatem deveniat, ad fixionem nempe, & summam sui ipsius tenuitatem, ut omnia solida penetrare queat, & penetrando perficere sua exuberante perfectione. Enutritur autem ex hisdem substantiis ex quibus conflatum & compactum est ejus corpus in principio ortus sui, ut & fœtus humanus, qui cum ex purissima & tenuissima patris & matris substantia cōpactus fuerit, ex eadē etiā enutriri habet. Sic & noster fœt⁹ Chymicus pariter enutriri debet ex tenuissima & purissima parentū substantia, ex qua ejus corpus productū est. Sic non temerè & absurdè de generatione & productione humana, multa vaticinantur Chymici Philosophi, & typicè de ea loquuntur, cū per eā productionē tacitè & t[illegible]è ad hāc Chymicā productio[illegible]re velint artis alumnos, & [illegible]ligāt ænigmata & logogriph[illegible]ū, ut sequētib⁹ capitulis fiet manifestū.

Fœtus Chymicorum quot nominibus notetur & qua ratione ad perfectionē deveniat summam.

Quare Chymici de generatione humana loquantur.

Quid in montibus Chymicorum Draco sit, caput Draconis & eius cauda.

Caput XXII.

Draco Chymicus quid sit.

IN montibus Chymicorum latitare Draconem passim clamant omnes Philosophi Hermetici, quid autem sit Draco ille paucissimi sunt, qui explicent, imò tenebris involvunt Cymmeriis, ita ut à nemine tyrunculorum intelligantur quid sit Draco ille, in gratiam ergo filiorum artis docere jam in votis est, quid sit ille Draco, caput ejus, & ejus cauda, his enim notis, tota Draconis nostri natura, & essentia manifesta est & apperta, materia ergo nostra quam sumimus, ad Elixir nostrum peragendum & perficiendum, dum cruda est & imperfecta, est Draco noster, dicitur autem Draco multis de causis, quòd venenosa & malignitatis plena sit hæc materia, quòd multis tingatur coloribus, viridi nigro, lucido & leucophæo, & multis aliis coloribus varietur Draconum modo, & quod in vase suo dum ignis ipsam materiam agitat & alterat, horrida appareat & fœtet, quasi Draco mortuus & fœtidus, & quod igneas, & calidissimas emittat exhalationes venenatas prorsus, & malignas, veluti Dracones & serpentes dum putrefiunt in aliquo loco. Et ut Dracones & serpentes multi ex putrefactione & morte sua resurgunt in vitam novam, sic hæc nostra materia, post suam putrefactionem & mortem variasque suas alterationes quas in igne patitur, quas mortem & putrefactionem dicimus, resurgit in novam vitam, hoc est suscipit & acquirit post has suas alterationes, absolutam quandam perfectionem & novum esse, cujus proprietates & virtutes tot & tantæ sunt ut verè novæ sint, & de novo in materiam hác introductæ, ita ut videatur hæc materia in vitam novam perfectam & absolutam elevata, & sic materiam nostram dicimus resurgere in vitam post suas alterationes & corruptiones varias quas mortes dicimus, & verè ita vocari possunt, quòd in morte rerum spiritus vitę, seu tenuissima rerum substantia, in qua spiritus vitæ consistit separetur à corpore, sic in morte & putrefactione materiæ nostræ, separatur tenuissima ipsius materiæ nostræ substantia, quæ ejus anima dicitur & spiritus, & quod hæc separetur à corpore suo, hoc est à crassa & spissa reliqua materia, verè dicitur mori hæc nostra substantia & cum iterum hæc tenuissima substantia, ab omnibus suis fœculéntis materiis vindicata, iterũ, inquã, uniatur corpori suo, à fœculentis suis excrementis depurato, verè dicitur à morte resurgere, cùm suá substantiam quæ illi vitam constituebat, iterum de novo recuperet.

Materia lapidis Philosophorũ cur dicatur Draco.

Cur Draco Chymicus dicatur in vitam resurgere post mortem suam.

Alterationes & corruptiones materia lapidis philosophorũ cur dicãtur mortes.

Sic Draconem Chymicum habemus manifestum in materia nostra Physica & naturali, quam sumimus ad Elixir Chymicum perficiendum,

Caput Draconis quid sit & cur dicatur caput.

Caput autem istius Draconis est ejus anima seu tenuissima ejus substātia, ignea & ætherea, quæ separatur ab ipso Dracone in sua quam descripsimus morte. Dicitur autem hæc substantia Caput Drcaonis, quòd hæc substantia sit præcipua pars & principalis hujus materiæ, in qua consistunt præcipuæ & principales ejus virtutes & proprietates, & perinde hæc substantia dicitur caput ejus, in cujus separatione consistit Draconis mors, & in ejusdem restitutione consistit ejus vita, & resurrectio: Aufer ergò Caput Draconis istius, ut moriatur Draco, corp⁹ Draconis purifica & ab omni veneno suo depura, Caput autem suum, seu animam multoties sublima & distilla ut puritate & nitore, corpus suum nitidum & purū penetrare possit, eiq; uniri, & in regionem ætheris ipsum deferre queat, ut tandem perfectissimè illi uniatur in veram, novam & perfectam. Sic Draco voravit caudam suam, quę nihil aliud est quàm humiditas quædam acetosa & viscosa, quæ primò egreditur per distillationem ex Dracone nostro, seu materia nostra, quæ spiritus ejus dicitur, & distinguitur ab ea substantia, quam animam dicimus ratione humidæ & aëreæ substantiæ quâ pollet, uti diximus Capite XVIII. superiori, hæc substantia depuranda est & cū hac depurata depurandus est Draco noster, & sic Draco devorat caudam suam, & nutritur eâ, dū Draco noster unitur cū spiritu, hoc est cum sua substantia aquosa & aërea, ut deinde recipiat suam animā, seu caput suum. Sic caput & cauda Draconis erunt illi unita, & vivet Draco in æternum, qui verè non erit Draco venenosus & malignus, sed summa medicina, & suprema Theriaca animalibus cunctis & vegetātibus perfectam vitam restituens, & mineralibus cunctis & metallis, perfectum & absolutum esse retribuēs. Sic habes, Amice Lector, quid sit Draco Chymicorum, ejus Caput & cauda, & quid illi prosint ad perfectionem suam obtinendam.

Draco Chymicus quo modo preparādus.

Cauda Draconis quid dicatur & qua ratione devoret caudam suam.

Draco Chymicus fit summa medicina.

An Draconis Chymici venenum sit Chymicis pertimescendum in opere eorum.

CAPUT XXIII.

Draco Chymicus non est verus Draco sed typicus, sic & eius venenum.

CLamant quammulti Chymicorum, in Dracone Chymico venenum quammaximum esse mortiferum & lethale, sed hoc unum est ex portentis Chymicorum, quod ostentatione magis nocet quam re ipsa et ut Draco est fictitius, sic et ejus venenum, non ita venenum est, ut veri Draconis venenum imitetur, liquor quidem hujusce materiæ quam Draconem sanguinem dicunt et vocitant, ingratus quidem liquor est et malignus et pravæ qualitatis, non tamen ita pravæ et malignæ qualitatis est, ut veneni veri rationem induat. Ego enim sæpe sæpius ipsum liquorem degustavi summis quidem labris, nec veneni summi qualita-

qualitates inveni sed ingratum saporem & asperum acidumque aquę fortis instar, itaque nullo pacto est pertimescendũ Draconis nostri venenum nec ab opere propter venenum istud abstinendum, imò fortius & diligentius est opus persequendum, quia ex veneno illo theriacam summam & perfectam habemus. Venenum siquidem istud nihil aliud est quam liquor Draconis nostri, seu materiæ nostræ quam ex ejus forti distillatione elicimus, ad præparandum Draconis nostri corpus & ad attenuandum & subtiliandum illud ut ope & auxilio subtilissimi illius liquoris crassa & spissa illius corporis substantia. subtilitatem quammaximam acquirat & ita ambæ hæ substantiæ fiant subtiles & penetrãtes & sic deferant & deportent tincturam metallicam aliasque virtutes & proprietates ingentes, quæ in ipsis substantiis latitant & occultantur modò ritè præparentur, secundùm leges & normas pyrotechnicæ artis, quæ in solutione & coagulatione consistunt: Solutio comprehendit distillationes omnes & sublimationes, putrefactiones & attenuationes quibus solent uti Chymici, ad materiam nostram attenuandam & subtilem valde, & penetrantem efficiendam: Coagulatio verò comprehendit omnes calcinationes, desiccationes & digestiones, quibus materia nostra digeritur, coquitur & figitur & coagulatur, & permanentiam & stabilitatem in igne acquirit, ita ut quoscumque negligat ignes, & flammas etiam violentissimas & continuas. Sic venenum Draconis nostri & Draco ipse præparatur & in supremam theriacam & medicinam convertitur, quod sequenti capite peculiariter demonstrabitur.

Venenum Draconis Chymici convertitur in summam medicinam.

Tota alchymia consistit in solutione & coagulatione debita materia nostra.

Solutio & coagulatio quales operationes Chymicus comprehendat.

Draco Chymicus & eius venenum, qua via fiat Theriaca & summa medicina.

Caput XXIV.

DRaco Chymicus passim reperitur & ejus venenum: potest enim latè sumpto vocabulo interpretari Draco Chymicus, sal internus, & essentialis cujuscumque rei, & venenum ejus, spiritus ejus, qui propter cruditatem suam & nimiam frigiditatem & penetrandi vim, veneni nomen aliqua ratione suscipere potest, etsi tamen ex rigore non sit venenum in omnibus rebus, in regno quidem minerali, quòd sal minerale, & ejus spiritus sit crudior multò & frigidior quàm in reliquis naturæ regnis nempe animali, & vegetabili, in regno inquam, minerali Draco Chymicus fortior & potentior est, & ejus etiam venenum fortius & potentius est. De illius ergò præparatione jam nobis dicendum, nam ex illius præparatione, qui in reliquis aliis regnis latitat Draco facili via præparabitur.

Ut ergo Draco noster, & ejus venenum in summam medicinam & theria-

Draco Chymicus qua ratione ubique reperiatur & ejus venenum.

Draco Chymicus in mineralibus fortior & potentior est quam in reliquis aliis rebus.

Draco Chymicus ex mineralibus qua via

preparatur & ad summam medicinã deveniat.

theriacam veram convertatur, ex sententia Chymicorum omnium nobis sufficiunt ignis & Azot. Ignis quid sit, nemo est qui ignoret, hic enim ignis, quo præparatur Draco noster communis & vulgaris ignis est, modo fortis, modo mediocris, modo lentus, secundùm variam & distinctam Draconis nostri coctionem & digestionem, quæ varia omnino est modo enim distillatur, ut spiritus eius tenuissimus & anima ab eo seperetur, modo forti igne calcinatur, ut ultimam exhalet animã & morti tradatur eius corpus, quod quidem spiritu suo tenuissimo multoties distillato, est solvendum ad eius corpus omninò purificandum & attenuandum, & ab omni excremẽto terrestri & non solum bili vindicandum: hic autem spiritus dicitur Azot à Philosophis occultæ artis nostræ, interpretatur enim Azot mercurius & aqua, & humidum radicale. Spiritus autem Draconis nostri, verus est mercurius, & eius aqua & humidum radicale, quod multis & variis distillationib⁹ attenuatum & subtiliatum, corpus suum ejusdẽ qualitatis & substantiæ attenuat & subtiliat, ita ut in æthera tollat, idque sublimet & in spiritum convertat, sic terra fit aqua, aqua fit aër, aer fit ignis, & ignis iterum fit aër, & aër fit aqua, & aqua fit terra, quæ iterũ convertenda est in aquam, & hæc aqua in aërem, & aër in ignem, & rursus ignis convertendus est in aërem, & aër in aquam & aqua in terram. & in hac tertia conversione & mutatione elementorum Chymicorum & mineralium quiescit totum opus nostrum & Draco noster, eiusque venenum mutatur & convertitur in verissimam theriacam & supremam medicinam. Sic in eius præparatione convertuntur elementa, in quorum sola transmutatione habemus, quod quærimus, & Draconem nostrum eiusq; venenum mutamus in theriacam & summam medicinam, cum his alterationibus, digestionibus, coctionibus & reliquis aliis similibus præparationibus mutemus materiam nostram à summa cruditate, & indigesta eius mole, in coctam & digestã summopere materiam eamque impuram & fœculentam, crassam & spissam in purissimam & nitidam mutemus substantiam subtilem valde, cœlestem, & igneam, non adurentem, & corrumpentem, sed omnia foventem, conservantem, & perficientem. Sic habes interpretatum illud Hermetis Trismegisti in sua tabula smaragdina.

Azot proprie quid sit & ad quid inserviat.

Elementa mineralia quomodo cõvertantur & in cõversione eorum Draco perficiatur in medicinam perfectam.

Interpretatio dictorum Hermetis separabis terram ab igne &c.

Separabis terram ab igne, subtile à grosso, suaviter & magno cum ingenio ascendit à terra in cœlum, iterumque descendit in terram, & suscipit vim superiorum & inferiorum &c. Hæc enim separatio terræ ab igne, subtilis à grosso, & reliqua quæ perficiuntur in hac tabula Trismegisti. Indicant vere & demonstrant conversionem nostram elementorum supradictam & præparatio-

rationem Draconis nostri, eiusq; veneni: Quæ quidem præparatio si omnibus non arrideat, quod brevior sit & non satis clara & manifesta, his omnibus qui præmansas cupiunt offas & arcana Chymica postularent typis & tonsoribus, notissima, facessant hinc quæso, & quærant notiora apud reliquos Chymicæ artis authores, & scient quantum distet Pan pastor ab ipso Apolline, & tympanum ab ipsa chely & cithara, non tamen quod me præstantiorem & clariorem antiquis Chymicis existimem, sed non tam invidum, & arcanorum Chymicorum tam tenacem, & magis benevolum adversùs artis Chymicæ alumnos.

Amor autorum in Chymicos.

Quid sit apud Chymicos leo viridis, albus, & rubeus & qua via captandus.

CAP. XXV.

Leo viridis quid sit, albus, & rubeus.

QVæ de Dracone Chymico dicta sunt superius sufficiunt Chymicis alumnis, modò lynceos habeant oculos, ut percipiant quid sit leo viridis noster, albus & rubeus. Draco siquidem & leo, sunt una eadem materia apud Chymicos, & quæ de Dracone dicta sunt, eadem etiam dici possunt de Leone. Cur autem tam diversis & variis logogryphis, & ænigmatibus, Chymici antiqui hanc nostram substantiam solam & unicam descripserunt hoc ex professo fecerunt ut artem Chymicam ex se ipsa facilem & factu naturaliter possibilem miris modis occultarent & velarent, ut non omnibus esset nota, quammulti & fere infiniti sunt homines, qui ab ea thesauraria arte excludi debent, non enim sunt homines, sed pecudes potius, & vera bruta quòd brutaliter omninò vivant. Qui quidem homines si hanc artem callerent propter divitias, quæ in ea sunt, brutaliorem adhuc degerent vitam, & vere Sardanapalicum traducerent ævum, & sic donum istud Dei, & verum & unicum miseriæ humanæ solamen, ad delicias tantum & vitæ voluptatis detorquerent, quod non est Dei votum, & prudentum antiquorum desiderium & scopus. Ideo ut opinor, prudentissime hac in parte se gesserunt, quod ita obscurè & ænigmatice scripserunt. Sic enim secreta sua Deo commiserunt ut quibus vellet revelaret & communicaret, piis & ipsis timentibus.

Cur Chymici de una & sola re sua materia nempe lapidis sui tam variè ac diverse scripserunt.

Alchymia cur obscuris verbis tradita.

Sic in nostra Sylva Dracones & Leones collocarunt, qui tamen nihil aliud sunt quàm materia nostra, quam sumimus ex naturæ gremio, quam copiosam & turgentem ubique reperimus. Cum autem hæc materia voret cuncta in se reducat omnia quibus admiscetur, ideo Leonem hanc materiam dixerūt quòd leo fortissimus sit animalium, cuncta animalia devorans, & in se ipso convertens. Sic hæc materia fortissima est rerum creatarum, & cunctas res vorat, & in se ipsam conver-

Materia Chymica cur Leo dicatur.

vertit, si ipsis admisceatur, imo aurum ipsum fortissimum metallorum, & mineralium vorat & in se ipsum mutat. Et ita Leonis naturam & indolem induere sat clarum est. Cùm autem hæc materia viridis sit, ex ortu suo naturali, ideo Leonem viridem fecerunt. Cumque etiam hæc materia in præparatione sua & perfectione mutet colorem nativum & alba fiat & rubea in ultima sua & absoluta præparatione & perfectione: pariter etiam tunc temporis, prudentes antiqui, Leonis sui nomen mutarunt, & dixerunt Leonem album, & rubeum de quo miranda narrarunt, quæ si ad rationis lancem reducantur, effectus mirabiles Elixiris albi, & rubei, eos ipsos deprehendemus.

Cur materia lapidis dicatur leo viridis albus & rubeus.

Leo Chymicus qua ratione captandus & enecandus.

Dicunt autem de eorum leone mira, quòd in fovea sua captandus sit, & enecandus, & sanguis eius totaliter exhauriendus, & summopere depurandus, corpus autem mortuum putrefaciendum esse & in infinitas partes & atomos, esse convertendũ, & in sanguinem, suo sanguine convertendum. Et hunc deinde sanguinem corpus suum continentem, esse iterum in corpus permutãdum & ita tractandum asserunt omnes LeonemChymicum: Quod quidem opus non separatum ac distinctum esse ab opere Draconis superioris, vidẽt sapientes & nasutuli, & perinde illis subolfacere facillimum est, Draconis & Leonis Chymicorum unam & eandem esse materiam & præparationem eandem, multa tamen in Leone præparando dicuntur, quæ in Draconis præparatione subticentur. Sic sensim variis logogryphis absolvunt ultimam præparationem, & cum in uno præparando quædam necessaria subticentur, in alio declarantur, & sic perfectum & absolutum, non mancum & mutilũ dant opus, & sic etiam nos patres nostros imitando sequemur, & quod de Leone non diximus sequenti capite enarrabimus.

Draconis & Leonis eadẽ est præparatio.

An cutis Leonis viridis sit conservanda; vel mutanda in opere Chymicorum.

CAP. XXVI.

ARcanum non inutile sed multi ponderis est leonis viridis autẽ permutare scire, nisi enim leo noster mutet cutem suam inutilis nobis est cùm non mutet naturam suam, quæ in principio ortus sui cruda est & indigesta. Si ergo natura leonis, & substantia cruda & indigesta maneat, viridem semper retinet colorem, qui cruditatis, & indigestionis notissimum est signum, permutanda est ergo eius cutis, & indusium, quod quidem fieri non potest quin summopere coquatur, in eius ergo coctione permutatur eius cutis, Coctio tamẽ eius non vulgaris est, & cõmunis. Coctio siquidem hæc prudentis est, duplicem postulat ignem,

Leonis viridis cutis permutanda est.

Viriditas in leone Chymico quid vindicet.

visibilem unum communem & vulgarem, invisibilem alterum qui terræ, aquæ & aëri unitus & pern ixtus, terrestrem & aqueam, igneam tamen & aëream dat substantiam qui nobis ignem illum invisibilem naturæ copiose præ bet, cuius ope & beneficio cutis illa viridis leonis nostri comburitur, & in carbonem nigrum convertitur, qui tandem cinerescit & albescit, & ita leo albus nominatur, relicto nomine viridis leonis: quam quidem albedinem obtinere non possumus ex leone nostro viridi, nisi prunis illis candentibus comburatur leo. Et in hac combustione, prunæ illæ candentes, unà cum leone viridi nostro dant spiritum igneum aqueum cuius virtute perfectissime tollitur illa cutis, & indusium viride & sic perfectionem acquirit & summam virtutem, & cruditates omnes, apexiasque deponit, & perfecte cocti & maturi suscipit energias, unde cœli & luminis perfecti induit virtutes & ideo ingẽtes sunt, & fere infinitæ, tum propter maturitatem suam & perfectam coctionem. Tùm propter subtilitatem & puritatem suam, quam in sua perfecta coctione acquirit. Tunc enim temporis leo noster rubeus nihil nisi ignis est, & lumen cœleste perfectis & puris elementis unitum. Ex his paucis verbis colligant Chymicæ artis alumni, quid quærere debeant & quid præparare: Nam eorum materia lumen est, seu ignis naturæ non urens, sed conservans & nutriens, quem Chymici sulphur dicunt & vocitant. Quod quidem lumen, seu ignis vel sulphur præparandum est arte nostra, ut ab impuritate & fœculentia naturali, qua scatet, præparatione nostra, vindicetur, & ad summam puritatem & nitorem deveniat, ita ut puritates omnes, & nitores elementares, qui naturali via in orbe terrarum reperiuntur facile vincat & superet, aurum ipsum, adamantes & carbunculos, suo nitore & puritate antecellit, superat & vincit, & perinde etiam rebus omnibus naturalibus virtute & energia præstat, unde cœlum Philosophorum nuncupatur, quòd in ipso lumen naturæ, & sulphur purissime niteat, à quo solo eius virtutes & proprietates. Cutis ergo leonis nostri viridis permutanda est, ut in ipsa permutatione, leo noster novas acquirat vires, & robur ingẽs, quo superari nequit, imo ipso robore novo acquisito, omnia demum vincit nec unquam vincitur, nec ab ipso igne cum tamen antea dum viridi cute tegebatur, ignis ipsum facile vincit, dum vero rubeus factus est, tum demum non timet ignem; Quære ergo rubedinem illã in leone nostro, & potentissimum leonem habebis, quo vinces omnia tùm animalia, tùm vegetantia, tùm mineralia, habebis autem rubedinẽ, si ipsum leonem multoties occidas, & ipsum mortuum multoties suo sanguine perfundas, multoties siquidem mori debet, debet etiam mul-

Invisibilis ignis natura qualis.

Cutis leonis viridis qua via tollatur.

Leo Chymicus qua via induat cœli virtutes.

Lapis Philosophorum est lumen solistes seu ignis non urens

Lapis Philosophorum omnia puritate sua vincit & superat & inde cœlum dicitur.

Cutis leonis Chymici cur mutanda.

Leo rubens omnia vincit, & qua via sit faciẽdus rubeus.

multoties sanguine perfundi, ut repetitis his mortibus, & resuscitationibus immortalem vitam tandem acquirat, nec amplius mori possit: quod factu videtur impossibile, his omnibus qui artem nostram non callent. At si scirent putrefactiones & alterationes nostras, & imbibitiones & solutiones, faterentur liberrime mortes nostras & resuscitationes, quas sequenti capite clarissimè demonstrabimus.

An Leones & Dracones & reliqua animalia quæ in montibus & sylvis Chymicorum degere solent multoties mori debeant & resuscitari, ut vitam habeant immortalem.

CAP. XXVII.

Animalia Chymica ut profine sunt occidenda.

OBscurissimum est hoc Chymicum ænigma, & portentum inauditum, Leones feroces, Dracones crudeles, Aquilas rapaces, Lupos & canes rabidos, bufones & serpentes venenatos montibus & sylvis Chymicorum inesse, eosque sua ferocitate, & malignitate, omnes (qui montes hos frequentant) morti condonare & vere occidere. Ridiculum quidem hoc est ad literam, non enim sunt apud Chymiam mōtes & sylvæ, nec his degunt animalia tam ferocia & crudelia. Quadraginta siquidem anni sunt à quibus ego Chymiam artem exerceo, nec ullos ego unquam Leones, & Dracones, Lupos, Canes, Bufones, Aquilas, Cervos, & Serpentes vidi, qui me unquam læserint & offenderint. Ænigmaticum est hoc & ficticium: Perinde indagandum est, & quærendum, quid sint leones illi, & Dracones, & animalia reliqua Chymicis ficticia, nec ullo pacto timendum est & exhorrescendum, horum animalium nomine audito, sed intrepide tractanda est Chymica materia, quæ quamvis leo, draco, aquila, corvus, lupus, canis, bufo, serpens & sexcentis aliis nominibus vocitetur tamen naturalis est materia elementaris, & terrestris, quæ nullam habet conformitatem substantialem cum his animalibus ficticiis.

Animalia Chymica quæ sunt.

Quid ergo Chymici antiqui sibi volunt dum nobis hæc ficticia animalia proponunt, specta parum, & sta Lector, ubi stetit omnis Peripatheticorum turba & specta monstrū hoc Chymicorum sapientum, & invenies eorum typis & figuris ænigmaticis materiam nostram Chymicam esse assumendam & organis Chymicis esse distillandam, & spirituosam substantiam esse separandam à fixa & permanenti substantiā, quæ in fundo vasis fixa & permanens residet, hanc toties solvendam percipiunt, cum spirituosa sua substantia, & denuo auferēdam esse hanc spirituosam substantiam, & ab ipsa fixa & permanenti substātia, donec tandem spirituosa hæc substantia, fixam & permanentem secum attraxerit. in regionem æthe-

Materia Chymicorū ut preparetur.

 ris,

Solutio & coagulatio Chymicorũ explicata.

ris & volatilem ipsam fecerit quamque iterum volatilem substantiam, permanentem & fixam faciendam percipiunt, unde commune & vulgare Chymicum axioma solet efferri.

Si fixum solvas faciasq; volare solutum.
Et volucrem figas faciam te vivere tutũ.

Interim dum hæc fiunt, & vasis Chymicis celebrantur, ipsa materia tum volatilis & fixa, quæ una & eadem, quæque nominibus leonum, draconum, luporum, canum, serpẽtum, bufonum, aquilarum, corvorumque, aliarumque avium insignitur & decoratur, alteratur, & varia patitur, putrescit & nigrescit & perinde mori dicitur. Dum deinde solvitur, & iterum animam suam, & spiritum suum, hoc est spirituosam & volatilem, & distillabilem substantiam suscipit, dicitur resuscitari, & à morte resurgere, tũ albescit & deponit omnes putredinis & corruptionis colores & suscipit vitales dotes. Et sic dicitur materia nostra à mortuis surrecta, & vitali frui aura, An mori autẽ & à mortuis resurgere multoties debeat, hoc unum est, quod multos angit, ut rei Chymicæ cardinem movere sciãt, nisi multoties enim materia nostra putrefiat non potest unica & sola putrefactione ab omnibus vindicari excrementis quibus scatet, ut nec una & sola distillatione potest spiritus & anima Chymica perfectissime depurari. Sic nec & corpus suum una calcinatione & putrefactione, & solutione potest summopere depurari. Sic non possunt ambo anima & corpus mediante spiritu simul perfectissime conjungi, ut & nec possunt ab invicem separari una simplici distillatione. Sic oportet, & necessarium summopere est, pluries distillari, pluries solvi, distillari, sublimari, putrefieri, & calcinari, & sic pluries & multoties mori & à mortuis resurgere, ut tandem ab omnibus excrementis suis quibus scatent penitus vindicentur & sic perfectissime uniantur ad invicem in qua sola unione vitam acquirant immortalem, hoc est, fit substantia inalterabilis, & incorruptibilis sola simplici ignis actione & alteratione. Et ita dicimus materiam nostram vitam consequi immortalem & ita multoties mori, & à mortuis resurgere Sic clarũ & manifestum habemus qua via & ratione, Leones Chymicos, Dracones, Lupos, & Canes, & reliqua alia cuncta animalia Chymicis fictitia, multoties moriantur, & à mortuis resurgant, ut tandem fiant incorruptibilia & inalterabilia. Cum id omne, Chymica præparatione celebrari soleat.

Materia Chymica qua via à morte resurgit & moriatur.

Materia Chymica multoties putrefieri debet ut perfectionem acquirat.

Reiteratio operationũ Chymicarũ quã necessaria.

Lapis Philosophorũ qua ratione, fit perennis & incorruptibilis.

Quid ventus sit in montibus Chymicis & qua via ab eo pluvia & aqua fiat.

CAP. XXVIII.

VEnti sunt thesauri naturæ, nec est aliquid in tota natura ventis ipsis

Venti quid sint & qua

via vita sint spiracula.

ipsis pretiosius & nobilius, vita siquidem & anima rerum omnium ventis deportatur ad res omnes. Est enim ventus spiraculum vitæ temporalis, quod alio vehiculo deferri non potest rebus omnibus, nisi ventis. Vnde rari sunt Philosophi, qui sciant & cognoscant ventos. Eduxit enim Deus ipsos ex thesauris suis, quales autem sint illi thesauri, ex quibus Deus ventos educit, sciunt & cognoscunt Philosophi qui lumen creatum thesaurum Divinum naturale esse cognoscunt, ex quo cuncta fiunt & producuntur, tum animalia vegetantia, & mineralia cunctá, quæ sola in orbe terrarum, & sub Lunæ concavo, inter thesauros Divinos naturales computantur. Vnde siquidem animalia cuncta, & vegetantia & mineralia cuncta habent esse formale, id summus quidem thesaurus est, cum quicquid pretiosum est & summum, id ipsum ex eo fonte scaturiri oportet, igneus est illis vigor, & cœlestis origo seminibus, itaque lumen cœleste, seu ignis naturæ, thesaurus est Deorum, ex quo venti originem habent, ignis siquidem ille, seu lumen subtiles & tenuiores elementorum inferiorum partes, sursum sublimat, easque in vapores pellit, ex quibus ortum habent venti in montibus Chymicis, seu in materia, quæ destinata est ab ipso Deo, ad arcanum Chymicum peragendum, adest ventus, qui nihil aliud est quàm tenuissima & subtilissima huiusce materiæ pars, quā

Venti quæ via ex lumine oriantur.

ignis naturæ, seu lumē cœleste, quod huic materiæ inest sursum elevat & fit vapor & ventus, qui summopere custodiendus est, alioquin tota Alchymia inutilis est, nec vanam perinde existiment Alchymiam Mysochymici, quòd vētis fulciatur ei⁹ basis & fundamentum quia si scirent quid sit ventus ille, quo toto Alchymia stabilitur; non ipsum ventū deriderent, in ipso enim cùm sit tenuissimus materiæ nostræ vapor, cōsistit vis & energia seu anima & spiritus materiæ nostræ, quæ cum igne urgetur tenuissimam ex se ipsa efflat substantiam quam animam eius, & spiritum, & ventum dicimus, qui tingendi & transmutandi virtutem, & energiam in se continet, unde tanti est pretii & ponderis apud artem nostram ut si is evanescat, evanescit & spes totius Alchymiæ, imo fructus & semē. Quocirca summa cum diligentia custodiendus est ventus, qui ventre suo portat fructum, & fœtum Alchymiæ & in terram suam defert, ut in ea perfectionem acquirat. Custoditur autem ventus ille & vapor, si in vasis vitreis perquam optimè obturatis, dum exit à materia sua & corpore contineatur, nam frigiditate vasis, & aeris in vase conclusi ventus ille & vapor fit tandem aqua, & pluvia Chymica, quæ terram suam irrigando fœcundat, non secus ac in magno mundo vapores & venti, qui calore naturali, è terra sursum in aerē pelluntur frigiditate aëris, & ipsius humiditate con-

Ventus Chymicus quid sit & eius necessitas in Chymia facienda.

Fœtus in ventre venti quid sit.

Ventus Chymicorū quauia custodiatur.

te convertuntur in pluviam & aquã, quæ super terram decidit, & suo irroratu ipsam fœcundat, quia tenuissima & subtilissima inferioris elementi pars, quæ reliquorum elementorum vires & energias in se coercet, est anima & spiritus seu virtus & energia ipsius terræ unde decidẽdo in ipsam terram, ipsam fœcundat, & impregnat sua virtute, & reliquorum elementorum virtutibus. Quocirca fit fertilis & fœta rerum omnium, cùm virtute & semine elementorum omnium, impregnetur, in quo tanquam in Chaos, & abyssu rerum omnium, res omnes continẽtur. Quare autem separetur hæc virtus & energia terræ, quam eius animam & spiritum dicimus, ut iterũ decidat in terram ratio in prõptu est, quia in illa separatione terra, & eius virtus quæ separatur ventis & vaporibus, summopere depuratur & subtiliatur, & ita spiritus germinationis in terram subtilem intromissus actus suos exercet, quos in materia crassa & spissa & fœculenta, exercere non potest: ideo necessaria est separatio illa tùm in macrocosmo, tum in microcosmo Chymico nostro, seu materia nostra, quam attenuare & subtiliare debemus, ut virtus illa spirituosa, etiam subtiliata, perfectissimè terræ suæ uniatur, & in illa unione fœcundatur à suo spiritu & fœtus inde producitur duplex & geminus, qui Apollo & Diana dicuntur, & ex Latona ortum habent, quæ terra nostra est, quorum omnium ænigmata ab antiquis Chymicis tradita, & quicquid Logogryphi de his effertur sequentibus capitulis, Deo dante in gratiam filiorum artis patefaciemus.

Aqua & pluvia unde terram fœcundet.

Virtus terræ cur sursum ascẽdat vaporibus & exhalationibus & separetur à terra.

Latona in montibus Chymicis nostris latitans quid sit,

CAP. XXIX.

ÆGyptii Philosophi qui primi artem Chymicam caluerunt ex sententia quamplurimorum Latonam Deam fecerunt & inter Deos suos Hierogliphicos collocarunt, eique templum magnificum & sumptuosissimum, auro puro circumtectum construxerunt, ut hinc indicarent quid Latona illis esset, cum auro puro templum eius exterius & interius circumvestirent. Et ut ipsam Latonam clarius adhuc demonstrarent, eam ipsam fecerunt Cœli Titani & terræ filium, quam ferũt summopere adamasse Jovem, eamque compressisse, & inde in insulam Delum fugisse ibique Geminos enatos fuisse, Apollinem & Dianam, quorum omnium fabulosa cortice, latet tota certè Alchymia at jamjam cuique rimanti facillimum est intellectu.

Latona apud Ægyptios, quid fuerit.

Latona terra nostra est quã sumimus ad Alchymiã peragendam, quã inter Deas collocarunt Æpyptii, propter miram & stupendam eius virtutem, & energiam. quod enim magnũ est & energiticum, magnificentia

Latona apud Chymicos quid.

tia

tia quadam & Divinitate quadam naturali donari debet, ad ejus pondus, & virtutem magnam indicandam: non quod propterea divinitate vera & reali donetur, & præditum sit, sed ad demonstrandum illud quod Divinum & sacrum fecerunt, illud ipsum virtute & energia reliqua cuncta superare, ideo Latonam nostram divinitate donarunt, non quòd veram haberet divinitatem, hæc enim sola rerum omnium Creatori debetur, sed quod magnas & carissimas in se haberet virtutes & energias, præ aliis rebus omnibus quod verissimum est, nam Latona nostra seu terra Chymica præ rebus omnibus aliis creatis, virtute & energia excellit, aurum enim & argentum, & reliqua metalla, & lapides omnes pretiosos in se coërcet, imò perfectionem omnium animalium & vegetantium in se ipsa recludit. Quod Ægyptii indicarunt templo aureo suo, & lapidibus pretiosis omnibus adornato; originem autem Latonæ nostræ indicarunt: quòd eam fecerint ex propagine Cœi Gigantis Titani, & terræ, nam verè Latona nostra terra est, & in terra progignitur virtute solis, qui Titan est. Hanc ergo sensemus omni diligentia Chymicis omnibus investigandam nisi enim hanc Latonam habeant, Apollinem & Dianam habere non poterunt, quæ sunt sulphura nostra tingentia, sine quibus Alchymia inutilis est. Postquam autem Latonam Chymicam seu Ægyptiacam præ manibus habent, faciem ipsius dealbare habent & Chymicorum rumpere libros ne corda eorum rumpantur, antequam Jupiter noster Chymicus adamet ipsã, eamque comprimat, & ex ejus compressu, Apollo Chymicus & Diana enascantur, quod sequentibus capitibus manifestũ fiet omnibus Chymiæ alumnis.

Latona Chymica -cur Divina dicta sit.

Latona unde orta

Latona necessitas in Chymia facienda.

Latonæ facies qua ratione dealbanda sit, & libri Chymici rumpendi, ne corda Chymicorum rumpantur.

CAPUT XXX.

TErra Chymicorum quæ Latona Ægyptiaca habetur, impura cùm sit & fœculenta, ut arti nostræ prosit, ejus impuritates & fœculenta excrementa separanda veniunt. Et hoc est apud Chymicos, faciem Latonæ dealbare, facies siquidem tum Latonæ Ægyptiacæ dealbatur, cum excrementa terræ Chymicæ deponuntur, non deponuntur autem lotione quavis, & aqua quacumque sunt enim Lotiones particulares, & aquæ peculiares quæ faciem Latonæ nostræ penitissimè dealbant, & hæc dealbatio exterior tantum non est, sed & intima, quam solam expetunt Chymici, non enim exterior dealbatio illis cordi est.

Latonæ facies qua ratione dealbanda sit.

Aquæ autem & Lotiones, quibus solis petitur & efflagitatur hæc dealbatio, sunt ex corde & ex visceribus

Aquæ lavantes faciem Latonæ quales sint.

bus ipsius Latonę desumptæ, & fons & scaturigo harum aquarum ex intimis ipsius Latonæ visceribus ortū habet, si quid enim exteriùs assumeretur ad lavandam faciem ipsius Latonæ, id ipsum non esset idoneum, imò inutile, & frustraneum: nihil enim alienum opus nostrum intrat: Quo circa humiditatem ipsius terrę, radicalem seu sanguinem ipsius Latonæ, ex venis ipsis suis exhaurire oportet, ut ex essentia & puritate illius, faciem ipsius Latonæ dealbare valeamus, alioquin incassū & laboramus, & nihil habemus utilitatis ex Lotione Latonæ nostræ, nisi ex puritate ipsius sanguinis aquā faciam⁹, qua sola, & non alia, uti debemus ad dealbandam faciem ipsius Latonæ.

Sanguis Latonæ est vera aqua qua dealbatur facies Latonæ.

Postquā dealbata est facies Latonæ nostræ, rumpendi sunt libri Chymicorum, ne corda eorū rumpātur, hoc est folia tenuia terræ nostræ, & sulphur naturæ, & talcus, & reliqua similia, quæ inde exsurgūt, quæ libri Chymicorum dicuntur, quod in his cotineatur, & doceatur tota Alchymia, hæc inquam, folia tenuia, seu libri Chymicorū solvendi sunt, & ita rumpendi. Solutio siquidem hujusce terræ foliatæ, quę est facies lota & candida Latonæ nostræ, vera ruptio est librorum Chymicorum, nec alio modo rumpere possumus libros nostros quàm solutione terræ foliatæ, alioquin enim nisi hi libri rumpantur, rumpuntur & corda Chymicorum, cum omnia pessumeant & frustranea sint, unde sum̄a exoritur tristitia, qua sola cor dirrūpitur. Sic habes explicatum, Amice Lector ænigma illud Chymicum obscurissimum, quod explicatū nullibi unquā inveni quòd in ejus explicatione secreta nimia Chymiæ recludātur, quorum secretorum nimis tenaces sint, & recentiores & antiqui Philosophi, cum tāto nō sint amore repleti, erga proximum suum quo ego ni fallor exardesco jam transeamus ad Latonæ nostræ progeniem investigandam, quæ est Apollo & Diana Chymica, in quorum notitia multa latent quæ scitu pernecessaria sunt, ad Chymiam integrè perficiendam.

Rumpere libros quid sit apud Chymicos.

Libri Chymici quales sint.

Apollo & Diana, ex Latona exorti quid sint, & quid prosint in Chymia facienda.

CAPUT XXXI.

Postquam facies Latonæ nostræ dealbata est, tum tota pulchra est & Jovis amore & amplexu digna, tunc descendit Jupiter noster à juvando ita dictus quod sine eo Latona nostra impregnari non potest, nec Apollo noster & Diana enasci possunt, Jupiter ergo noster descendit in Latonam: est autem Jupiter noster humidum illud radicale terræ nostræ, multoties distillatum, & in aeream substantiam conversum, ita ut ea rectificatione Jovis nomen acquirat, tùm quòd aëreā habeat naturam, tùm quòd juvet summoperè Chymicam artem, ad perfectionem suam obtinendam, descendit ergo ita pręparatus Jupiter noster in Latonam

Jupiter Latonam amās quid sit.

Iupiter impregnans & comprimens Latonam quid sit.

nam eamq; cóprimit, & impregnat, & ex congressu illo statuto tempore post varias alterationes & coctiones nascitur tandem Apollo & Diana uno & eodem partu, sic fabulam illam Latonæ, & Jovis quasi explicatam & enodatam habemus in secreto & arcano isto Chymico, fertur enim Latonam post compressionem Jovis, multas aberrasse provincias, sudasse & alsisse & tandem pervenisse post multos labores, & dolores ad Delum insulã in qua stetit Latona, & ibi enixa est Dianam & Apollinẽ. Sic terra nostra Chymica quæ verè Latona est, postquã spiritu suo, hoc est Jove nostro impregnata est, multa patitur, coctionibus & digestionibus variis tandem pervenit ad Delũ insulam hoc est ad quandã terrã, aquis ĩnatantem, unde insula dicitur, quod ubiq; aquis circumdetur, hæc insula viridis est, & pulchra admodũ & visu grata, in hac insula, terra nostra seu Latona fœtum suum emittit in lucẽ, ibi primò apparent adamãtes pellucidi, quos Dianam nostram vocitant Chymici, ultimò tandẽ carbunculi apparent quosq; Apollinẽ dicunt, non intelligo adamantes illos & carbunculos, qui in ultima nostra digestione & coctione apparẽt, qui omninò fixi sunt, & permanent, sed intelligo adamantes, cristallos & carbũculos, qui in sublimatione nostra apparent volatiles & infixi, qui spirituosæ sunt substantiæ, nivei & rubicundi coloris, quarum substantia una dicitur Diana nostra, seu terra foliata & sulphur album naturæ. Altera verò dicitur Apollo noster, & rubicundus maritus, & sulphur naturæ rubeum quorum duorum spirituum impetu, currus fortunæ nostræ, ut ait Basilius Valẽtinus impellitur & rotatur ac gyrat.

Latona Chymica quo modo parturiat Apollinem & Dianam & quid hoc sit apud Chymicos.

Diana. Apollo & quid propriè sint.

Hi ambo spiritus, Diana & Apollo dicti, uno partu progignũtur à Latona nostra seu terra Chymica, quiq; nihil aliud sunt quàm tenuissima ipsius terrę pars, cum tenuissima ipsius aquæ parte, quæ terram dissolvit nostram seu Latonam: itaque Diana nostra, & Apollo noster etsi sint terræ nostrę progenies, nihil sunt aliud quàm terra ipsa & spiritus mercurii & anima sulphuris unà cum spirituali sale, quod animam sulphuris, & spiritum mercurii simul cóvertit, & dum spiritus mercurii prævalet cũ spirituali sale, id Diana dicitur, & sulphur albũ naturæ, & Luna Chymica: dũ verò anima sulphuris prævalet in eodem subjecto & colorat illud in rubeum colorem tunc dicitur Apollo noster, aurum nostrum, Rex noster, rubicũdus marit⁹, & sulphur naturę rubeũ: de quo clamatur apud Philosophos rubicũdus maritus cãdidã duxit uxorẽ, quod sulphur illud debeat conjungi cũ albo sulphure & simul incarcerari cũ aqua sua, ut in eo carcere putrefiãt, moriãtur, & tãdẽ resurgãt in vitã incorruptibilẽ ut reliquis imperfectis corporib⁹, vitã suã ĩmortalẽ hoc est perfectionẽ integrã & absolutã cõmunicare queãt.

Vna & eadẽ materia cur diversis ac variis omnibus efferatur.

Rubicundus maritus quid sit & candida uxor.

Mori autem debent Apollo & Diana,

na, putrefieri & corrumpi, ut in eorum morte, putrefactione, & corruptione substantia eorum penitissimè mundetur & radicitùs ab excrementis suis omnibus vindicetur quod alioquin fieri non potest: mors siquidem rerum, & putrefactio est earum purificatio; partes enim compositi in morte & putrefactione ejus separantur ab invicem, & in separatione sua partes impuras primæ cōpositionis deponūt. Et deinde, quod inde exsurgit, multò purius est, & perfectius quàm antea. Sic mors rerum purificatio est & perfectio, ut inde colligant, & sciant Chymiæ alumni, putrefactionem & mortem Chymicam, esse arti nostræ summoperè necessariam, ut materia Chymica vindicetur ab omnibus excrementis elementaribus & ita attenuetur & subtilietur, & suam perfectionem ad quam naturaliter tendit, tandem morte sua & putrefactione obtineat: moritur autem sæpe sæpius hæc nostra materia, dum præparatur: quoties enim dissolvitur, toties moritur, unde in ejus materiæ dissolutione consistit & ejus materiæ mors, & in ejus morte, ejus purificatio & vita. Sic Apollo noster & Diana etsi Dii sint Chymicorum Ægyptiorum morte obnoxii sunt, & mortem oppetere habent, ut imortalitatem acquirant & divinitate Ægyptiaca donentur; quam reliquis deinde corporibus moribundis & imperfectis impertire possunt, modo ipsi prius immortalitatem illam & perfectionem summam possideant, possident autem præparationis nostræ auxilio & beneficio, quam Chymici antiqui & recentiores diversis & infinitis modis & verbis variis tradunt, etsi hæc præparatio unica tantum sit, quod fecerunt ut obscurarent ipsam, & pauci & rari notam ipsam haberent, quam tamen pietate ductus erga Chymicos, ego clarius & manifestius multo reliquis omnibus palam feci, & adhuc clarius manifestabo sequentibus omnibus capitulis, quæ ultimū hunc librum absolvent.

Apollo & Diana Chymicorum ut prosint mori debent.

Mors rerum est earundē perfectio.

Materia Chymica multoties moritur ut perficiatur.

Præparatio materiæ Chymicæ variis tradita modis etsi sit unica

In montibus & Sylvis Chymicorum cervus & unicornu quid sint & quid prosint in Chymia facienda.

CAPUT XXXII.

EXplicatâ Latonæ nostræ, Apollinis & Dianæ nostræ naturâ & essentiâ, jam nobis expedit explicare Cervi & Unicornu Chymicorum naturam & proprietatem, in quorum explicatione, quod in capitulis præcedentibus explicare non potuimus, quod Latonæ nostræ & Apollinis nostri, & Dianæ nomen, id ipsum postulare non videretur, quia allegorias Chymicas sequi tenebamur, ita ut cum allegoriæ Latonæ & Apollinis, & Dianæ non sint similes. Ita etiam verba quæ de hisdem allegoriis proferuntur, non eadem & similia sunt. Et secreta pariter non eadem tradi possunt, circa allego-

Allegoria Chymica diversa.

allegorias omnes, & quascumque, itaque cùm allegoria Cervi & Unicornu Chymici sit varia & distincta ab allegoria Latonæ, quamvis realiter & essentialiter conveniant, & sint unum & idem, nihilominus tamen cum nominetenus allegoriæ sint variæ, ideo varie & distinctè tradũtur, & quod ex una explicari non potest explicatur ex alia, ut jamjam in præsentiarum erit manifestum, in explicatione cervi & unicornu nostri in Sylva nostra vagantis.

Vnicornu Chymicum quid sit & Sylva Chymica.

Fertur ergò in Sylvis & montibus Chymicorum, cervum & unicornu adesse. Vnicornu naturam & essentiam describunt eamque asserunt esse aëream & aqueam, penetrantem & subtilem & ita depingunt naturam spiritus, seu spirituosæ substantiæ, quæ in materia nostra occultatur quam quidem materiam sub nomine sylvæ & montis describunt, quod viridanti flore germinet, vel ut sylva, quod obscura & umbrosa sit, & rarò solis radiis perlustretur, nisi in ipso meridie, & urgente canicula, sic in materia nostra, veluti in sylva quadam umbrosa, solis radii non apparent nec summo mane, nec vespere, nisi in meridie, idque solum urgente caniculâ, & æstivo tempore, quod est dum materia nostra violentissimo urgetur calore & violenter digeritur à calore nostro naturali, exteriori calore urgente, & ipsum calorem internum suscitante, tunc temporis apparent flores terræ nostræ, qui flores à Chymicis nostris Sol & Luna vocantur, unde cum urgente calore flores hi, ex profundo terræ nostræ emergant & sursum ferantur, ideò dicimus in sylva nostra solem vigere, & apparere in ipsa meridie, & urgente canicula, tempore æstivo.

In Sylva Chymica cur sol appareat in meridie & urgente canicula.

Flores Chymici quales sint.

Materia Chymica cur dicatur Sylva.

Sylva ergo nostra corpus est nostrum, seu materia ipsa, quam assumimus ad Elixir Arabicum peragendum. Sylva dicitur hæc nostra materia propter obscuritatem & tenebras quibus obtenebratur hæc materia, & propter confusionem rerum, quæ in ea sunt, in Sylva etiam omnia confusa sunt, & indistincta quæ in ea reperiuntur. Sic in materia nostra, confusa & indistincta sunt ea omnia, quæ in ipsa occultantur, hinc de sylvis, montibus, hortis & locis umbrosis, & tenebrosis multas apud Chymicos allegorias reperies, & id omne ad materiæ nostræ naturam & essentiam demonstrandam.

In sylva Chymica multa animalia sunt & tamen unum quid significant.

In Sylva ergo nostra commoratur Cervus noster, & unicornu, commorantur etiam & reliqua multa animalia, ut puta Leones & Leænæ, Dracones, Lupi, canes, corvi, aquilæ, phœnices, salamandræ, & reliqua multa animalia quæ quamvis re & nomine varias res indicent externo suo vocabulo, nihilominus tamen in rei veritate unam unicã & eandẽ solam rem significant Chymicis omnibus.

Vnicornu quid sit, jam explicavimus & diximus esse materiæ nostræ

spiritum, seu mercurium, cervum autem explicare oportet quem asserimus, nobis & Chymicis omnibus judicare animam materiæ nostræ, seu igneam, & aëream materiæ nostrę substantiam, quam dicimus ejus animam & sulphur. Quare autem nomine cervi indicetur hęc substantia, non futiles sunt apud Chymicos rationes, cervus siquidem longævus est, & longos durat annos & venatorum est præda, & persequitur hostiliter à canibus & sylvosis commoratur in locis, & temperamenti est calidi, & sicci, igneæ & terreæ naturæ, sic pariter nostra hęc substantia lōgæva est, & ferè æterna, cum corruptionem nesciat; est enim purissima substantia salis nostri, quod quidem cùm incorruptibile sit & suam etiam purissimam substantiam incorruptibilem esse oportet. Longæva etiā dici potest, quod longęvos faciat annos, his omnibus qui ea purissima facta utuntur; longitudo enim vitę, & morborum omnium curatio, ab ipsa substantia ritè præparata dependet: Reparatio enim humidi radicalis in quantum fieri naturaliter potest, ex ea substantia ortum habet. Et ut cervus venatorum est præda, & à canibus hostili odio persequitur, ut ipsam occidant & ejus visceribus vesci queant. Sic & nostra hæc substātia à Chymicis omnibus hostiliter perquiritur ut eam ipsam enecent, & carne sua, se enutrire queant. Ipsā venantur per sylvosa loca, ut tandē summo cum labore ipsam capiant, & ejus carne fruantur, & ut Cervus sylvaticus antequam capiatur à venatoribus dum se morti proximum videt, Lachrymas fundit copiosas, quæ circa oculorum angulos, & Canthus congelantur & coagulātur in substantiam claram & pellucidā multarum & insignium virtutum. Sic Cervus noster Chymicus antequam capiatur à venatoribus suis profundas emittit lachrymas, quæ congelātur, & condensantur in substantiam claram & perlimpidam quamplurimarum virtutum, quæ quidem lachrymæ cervi nostri, sunt sulphur nostrum, de quo tanta dicuntur apud Chymicos, ut verè totum opus Chymicum in eo cōsistat. Sic Cervus noster conformitatē habet maximam cum Cervo sylvatico, & temperamento sunt æquali, & in similibus commorantur locis, ideo non absque ratione Philosophi antiqui artem nostram occultando sub cervi sylvatici, & unicornu allegorias, secreta & arcana præcipua artis Chymicæ tradiderunt. Ita ut si quis naturam eorum animalium, eorumque mores, & genia sciat & cognoscat, sciet etiam & Cervi & unicornu Chymicorum naturam & proprietatem, modo allegorias Chymicas quæ de his solent efferri, apprimè distinguere & explicare sciat.

Cervus Chymicorū qualis.

Reparatio humidi radicalis à cervo Chymico dependet.

Lachrymæ cervi chymici quales.

Cervus chymicus & cervus sylvaticus inter se habent sympathiam.

Cervus

Cervus & unicornu Chymicorum qua ratione venandi sint & capiandi.

CAPUT XXXIII.

Cervi sylvatici & unicornu venatio.

HIc posset referri quicquid Principes, Reges & Magnates, observare solent in venatione illa Regia Cervorum, in sylvis & nemorosis locis, nam quicquid ad venationem illam pertinet aliqua ratione allegoricè potest deduci ad hanc nostram venationem. In primis necessariæ sunt sylvæ, & montes, quibus insit Cervus & unicornu, deinde venatores quamplurimi & canes venatici pernecessarii sunt, & quicquid venatoribus & canibus convenit & quadrat, id ipsum etiam pernecessarium est huic venationi, materia siquidem nostra, quæ vera sylva est, & hyle nostrum, pernecessaria nobis est, ut in ea tanquam in sylva Cervũ & unicornu nostrum venari queamus. In primis tota sylva perquirenda est, in eaque acuratissimè rimandum, ubi jacent hæc animalia, & cũ primum locum eorum invenimus, & fimos suos, qui nobis certissima signa sunt inibi latitari hæc animalia. Tunc temporis canes venaticos, in illa animalia immittimus & cursu equitum venantium continuo, tandiu lassamus & cursu fatigamus donec ipsa labore fatiscant, & ultimam efflent animam & inter canes & venatores verè moriantur, tunc tēporis eviscerato cervo sylvatico cerebrum, & collũ & cor ipsum canibus offertur, ac projicitur, & reliquũ corporis venatoribus distribuitur: Pars nobilior nobiliori venatori summo cũ honore offertur, Pes dexter principi, & magistro venationis hoc peracto reliquũ domi defertur, ad vitam & alimentum totius familiæ, nõ dissimili prorsus ratione, unũ & idē observatur in venatione nostra Chymica, sylvã nostrã acuratissimè perquirimus, ut tandē in profũdo ipsius sylvæ, animalia nostra venanda inveniamus, hoc autem certum habemus cũ fimos animalium nostrorũ reperimus in sylva ipsa, fimus autē animaliũ nostrorũ est putrefactio materiæ nostrę. Dum enim nigredinē seu caput cervi in ipsa sylva nostra, seu materia reperim⁹, tũc certum habemus albedinē in ea nigredine latitare, quæ albedo seu spirituosa alba substãtia est apud Chymicos unicornu eorũ. Tunc tēporis dum locũ certũ habemus, ubi jaceat unicornu nostrũ & cervus, in ipsos canes nostros alacriter immittimus, & urgemus ipsos voce & tuba, ad ipsa animalia, seu prædã nostram inseqēdam: Canes autem nostri & equites, quibus prædã nostrã persequimur, sunt gradus varii ignis cõmunis vulgaris quibus utimur & insequenda hæc animalia. Cũ tandē materiã nostram putrefacimus, eã morte occubuisse acclamamus, & tuba canim⁹, ut venatores omnes huc accurrant, ad percipiendã mortē animaliũ nostrorũ mortē scilicet animę & spirit⁹ corporis nostri, quæ quidē etsi mori non

Cervus & unicornu Chymicum in sylva Chymica.

Signa cervi Chymici adesse in sylva nostra qualia sint.

Canes eliyt mici ad insequendum cervum quales sint.

non possint, dum tamen separantur à corpore & putrefiunt ut vindicentur ab excrementis omnibus, mori dici possunt. Accurrunt ergò gradus omnes ignis nostri in putrefactione nostra seu morte cervi & unicornu nostri, ubique fortiter calcinatur corpus nostrum, & veluti cervus in morte sua crudeliter urgetur, & pessundatur à canibus venaticis; sic & corpus nostrum & corvus noster & unicornu ab igne pessundatur, & urgetur ut ultimam & supremam corruptionem seu mortem patiatur, in quam accurrentes omnes venatores & canes. Et evisceraro cervo, pes dexter seu fundamétum, & pars præcipua hujus arcani magistro destinatur. Cerebrum autem & collum & ipsum cor adhuc fumans & calidum canibus offertur, hoc est igni nostro traditur ut perficiat ipsum, ut in se ipsum convertat, hoc est in igneam substantiam. Cerebrum enim & cor cervi nostri, nihil quicquam prodest, nisi in substantiam igneam convertatur. Quod clarum & manifestum habemus, dum legimus apud Chymicos converte terram in ignem, & habebis magisterium, terra autem non potest converti in ignem, nisi prius terra convertatur in aquam, & aqua in aërem qui cerebrum cervi nostri dicitur, qui deinde facili negotio convertitur in ignem, & sic cerebrum, & caput & cor cervi nostri, canibus præbetur devorandum. Dum substantia interior, & purior, materiæ nostræ traditur igni nostro digerenda & coquenda, ut tandem perficiatur, & convertatur in igneam substantiam quæ ultima est perfectio & finis venationis nostræ.

Cervus Chymicus, ut enecandus.

Cerebrum & cor cervi Chymici quid sint.

Sic cervum & Vnicornu Chymicum nostrum capimus & venamur, & materiam nostram Chymicam præparatione debita (quæ est venatio nostra) ritè præparamus, in qua ipsa præparatione, eam materiam putrefacimus, & morti damus, & cervum & unicornu nostrum occidimus, & partes ejus interiores, & viscera præcipua canibus nostris offerimus dum ea igni nostro tradimus perficienda, & sic venationem Chymicam nostram absolvimus, & captos & occisos dicimus, & clamamus cervos nostros & unicornu nostrum. Sic allegoricis dictis occultant Chymici quo in ipsa natura latet & occultatur.

Venatio Chymica cervi & unicornu ut absolvatur.

Quid Chymici per mare eorum & pisces intelligãt & an in montibus Chymicis reperiatur mare istud cum piscibus.

CAPUT XXXIV.

CHymici omnes Philosophi tùm antiqui, tùm recentiores ubiq; locorum suorũ clamant, Mare Mare ingens eorum, in quo solo, etsi magnum & ingens sit, sunt tantùm duo pisces, qui Chymicis omnibus sunt necessarii, ad artem perficiendam. Quid verò sit eorum mare & pisces

Mare Chymicorum quale sit & pisces duo, quales.

pisces eorum, & an in môtibus Chymicis reperiri possint, jam nobis est inquirendum: nihil enim in natura monstrosius est, quàm in montibus mare ingens & pisces inveniri, hoc Ænigmaticum est & emblematicũ, sua figura nobis aliquid summoperè occultum indicat, & commonstrat.

Per mare quid intelligatur apud Chymicos.

Per mare siquidem Chymici intelligunt intrinsecam radicalem humiditatem salis Chymici, quæ quidem humiditas, verum & reale mare dici potest. cùm in ea sal producatur, humiditas enim illa radicalis, salem producit illum naturali via & ordine, & sal etiam ille nobis arte nostra Pyrotechnica, humiditatem dat quæ nobis summoperè pernecessaria est: Pisces autem duo tantum reperiuntur in illo mari nostro, seu humiditate salsa, hoc est sulphura duo tantum adsunt tingentia, huic humiditati natantia, natãt siquidem cùm volatilia sint, & non adhuc fixa & permanentia, & ideo cùm huc & illuc discurrant, per humiditatem eorum naturalẽ quæ illis dedit esse, ideò piscium nomine connotantur; Non sunt autem pisces, nec pisciũ naturam veram redolent, tantùm aliquid habent cum piscibus commune, ut inde allegoria desumi possit: nascuntur in aqua salsa, & pontica ut pisces, vagantur & discurrunt in ea, crescunt & nutriuntur eadem aqua pontica, & tamẽ sulphura illa nostra tingentia, amara, salsa & pontica non sunt sed summoperè dulcia & grata veluti pisces ordinarii & vulgares marini, qui quamvis medio nascãtur mari salso, amaro & pontico, nihilominus dulces sunt & saporis gratissimi. Sic sulphura nostra tingentia, quæ in mari nostro enascuntur & nutriuntur, cũ piscibus veris comparari possunt, nec mente capti sunt Chymici Philosophi, qui piscium nomine sulphura nostra tingentia occultant vulgò. & misticè revelant veræ sapientiæ alumnis.

Pisces Chymicorum quorum.

Pisces Chymici quid habeant cũ communibus piscibus commune

Chymici nullo pacto ridendi.

Existimant nonnulli & verè credunt Chymicos Philosophos mente captos esse & omni rationis humanæ lumine orbatos prædicant dum in libris Chymicorum passim audiunt pisciculos interiori eorum mari innatari, ita ut rideant & pisces, & eorum mare. At verè ridendi sunt ipsi, & sibilo verè dignissimi, cum intellectu suo fascinato hæc mysteria capere non possint, satis enimadmodum clara sunt & manifesta, sed cum hæc capi nequeant nec intelligi absq; Divino auxilio, ideò non est eorũ humanæ sapientiæ, ne dicam stultitiæ hæc mysteria capere posse. At linquamus eos ridere, mysteria nostra, quantum & quamdiu voluerint, semper erunt verissima, & credentibus & piis hominibus verissima humanæ miseriæ solatia, quicquid clament & cachynnent Mysochymici.

Mare Chymicum verum est mare.

Mare ergo Chymicorum, verum verissimumque est mare, cum mari communi habet maximam sympa-

 thiam

thiam. Nam si mare commune & vulgare macrocosmicum colligat omnes fluviorum aquas ut inibi moriantur, & putrescant tanquam in sepulchro suo, ut hinc redeant, ex quo ortæ sunt. Sic in mari nostro Chymico colliguntur omnes mineralium & metallorum aquæ, seu humiditates radicales ut ibi putrescant & moriantur, & redeant ad ortum primævum, ex quo ortum habuerunt, sic redeant in spiritum metallicum & minerale, ex quo metalla & mineralia omnia ortum duxerint, mare item commune salsum est, & amarum, item mare nostrum salsum est & amarum, mare commune pisces habet & multa alia, quæ ex aqua ejus produci solent, mare item Chymicum pisces habet, & multa alia quæ hinc exsurgi solent. Sic nihil impedit, quin humiditas radicalis mineralium & metallorum verissimum mare dicatur: cùm sympathiam habeat quammaximam cum mari communi. Nō autem mirum est, si illud mare Chymicum seu humiditas radicalis mineralium, & metallorum reperiatur in montibus, hæc enim humiditas reperitur copiosa & ingens ubi metalla & mineralia habent generari: cùm autem communiter in montibus producantur metalla & mineralia, in montibus etiam reperiri habet eorum prolificum semen, seu materia ex qua producuntur.

Mare Chymicum cur in montibus reperiatur.

Reperiri etiam dicitur in montibus hoc nostrum mare, cum materia ipsa naturalis, ex qua educitur humiditas illa, quæ mare Chymicum dici solet, mons Chymicus dici soleat, cùm in ea sola tanquam in suo verissimo monte producuntur metalla Chymica nostra, quæ sunt sulphura tingentia nostra, quæ sola vera metalla Chymicorum habentur, quæque à metallis communibus & vulgaribus toto cœlo differunt, & hæc duo tantùm perfecta habentur, quæ sulphuris albi, & rubei nomine Solis & Lunæ, fratris & sororis, Regis & Reginæ, mariti & uxoris, Gabritii & Bejæ peplo seu velo circumvestiri solent à Chymicis omnibus, quæ omnia velamenta & cortices, hic invenies sublata, & nudam verè habes Dianam Chymicam, quam si fonte suo lavare scias, & harpocratico silentio observes. Actionem non imitaberis, nec ejus fortunam & sortē sequeris, sed domi tranquillè vives tua sorte contentus, quæ Regnum ipsorum, & magnatum principatum, & fortunam superat & vincit, cùm sit Regum ipsorum sorte tranquillior, cùm nec tot & tantis egeat famulis, in quorum copia, consistit vitæ humanæ miserrima sors.

Dianam suo lavare fonte summum est arcanum

Vita humana miserrima sors in multitudine servorum.

)(:)(
(:)

Quid

Quid intelligant Chymici per duas Aquilas simul colligatas, quæ se invicem mordendo interimunt & se devorant & tandem in altas columbas se convertant & tandem in Phœnicem.

Caput XXXV.

AQuilas duas simul colligatas, in indica sylva inculcant antiqui Sophi, Alchymiæ patres, quæ se invicem mordendo interimunt & se invicem devorant: quarum unam asserunt esse albissimam, alteram rubicundissimam, quæ quidem Aquilæ seu aves, se ipsas invicem devorantes & occidentes, postquam mortuæ fuerint ambæ, in Phœnicẽ reviviscunt ac resurgunt æternum & immortalem: hoc certè mirum est & stupendum; Misochymicis verò ridiculum & plenum vanitatis tanquam omninò fabulosum, spectent tamen & vanitatis, & risus ipsius faba in ipsos cudetur.

Indica sylva quid sit. Indica sylva apud Sophos Alchymiæ patres, materia est, quam assumunt ipsi ad Elixir suum peragendum, sylvamque indicam vocant quod hæc materia coloris sit indici seu cærulei, nam color cæruleus indicus dicitur apud antiquos, unde color ille indicus seu tinctura indica quæ Glaustri imitatur naturam & virtutem, nomen habuit, propter cæruleum colorem quo turget, sylva ergò indica materia Sophorum antiquorum est, quæ vera sylva dicitur ex rationibus superioribus capitibus enarratis, in ea hac materia reperiuntur aves duæ, seu aquilæ simul colligatæ quæ se invicem mordendo interimunt & seipsas ita devorant; hæ aquilę nobis sunt substãtiæ spirituosæ & volatiles, quæ ex illa materia forti nostra distillatione & sublimatione continua educuntur, veræ aves & aquilæ dicuntur, quod sublimentur & in altum, ac ætheris regionem aquilarum modo deferantur ex sylva nostra, seu materia tenebrosa & obscura propter nigredinem & putrefactionem suã: hæ aquilæ duæ sunt quarum una albissimi est coloris, altera rubicundissimi, quia hæ substantiæ spirituosæ, quæ à materia nostra fixa sursum elevantur, avium instar & aquilarum modo, verè duæ sunt & duplici nomine distinguuntur, una est alba, altera rubea, & perinde Aquilæ albæ & rubeæ nomine insigniuntur hæ Aquilæ sive hæ duę substantiæ spirituosæ & volatiles, simul junctæ iterum & colligatæ, in aere suo natali, & patrio levissimo calore externo calefactæ alterantur, dissolvuntur, putrefiunt & mutantur in varios colores & sic dicuntur, se ipsas interimere & devorare, cùm in alteratione sua, & digestione & coctione sua alterentur & mutẽtur, & variis distinguantur & ornentur coloribus. Cum tamen tandem, hoc omne progressu digestionis, & coctionis suę mutetur in albissimam substantiam, hoc item in albissimam columbã conversum asserunt. Et postquam iterum hæc

Aquilæ duæ in indica sylva repertæ quid sint.

albissima columba, seu substantia, in rubeam substantiam progressu digestionis continuæ, conversa fuerit, tunc nobis asserunt & fingunt cum veritate, columbam albam conversam fuisse, & mutatam in Phœnicem æternum & immortalem: Rationes autem cur tales nobis fingant allegorias, quampluris sunt & magni momenti & ponderis, fertur enim Phœnicem sexcẽtis & ultra vivere annis, nec unquam verè emori, sed ex cinere & sepulchro suo (quod sibi ipsi parat annis plenus) resurgere, & sic ex morte sua vitam habere. Sic hęc nostra substantia verè nunquam emoritur, dum ad hunc perfectum & absolutum suæ digestionis gradum pervenerit, sed ipsamet parat sibi sepulchrum igneum, in quo novas recuperat vires, & novam quasi vitam, & sic verè Phœnicem imitatur, dum per ignem novas acquirit vires immortales, & incorruptibiles, & sic hæc nostra substantia albissima, quæ apud Sophos antiquos alba columba est dum mutatur in igneam & rubeam substantiam perennem & incorruptibilem, verè dicitur permutari in Phœnicem æternum & immortalem, nec alium ego certissimè existimo in rerum natura reperiri Phœnicem quàm hanc veram, & naturalem substantiã Chymicam, quæ nomine Phœnicis, & titulo occultatur. Nam Ægyptii Philosophi primi fuerunt qui nobis Phœnicis Historiam mirandam & stupendam patefecerunt, quã quidẽ mysticã omnino verè cẽseo quicquid tamen dixerim capite suo peculiari libri tertii hujus voluminis, nam quicquid ferè dictum est ab Ægyptiis Philosophis, verè mysticũ fuit, & sẽper aliquid occulti concludẽs & observans: hoc enim fuit Ægyptiorum omnium insanabile scribendi cacoëtes, & æquè simul in cordibus eorum, quocirca mysticè semper nobis interpretandi sunt ut verum sensum, & medullam scriptorum suorũ degustare valeamus.

Columba alba mutata in Phœnicẽ quid sit.

Phœnix quid verè sit.

Ægyptii Philosophi mystica semper scripserunt.

Qualis sit Chymicorum Salamandra quæ vere igne vivit, enutritur & crescit.

CAPUT XXXVI.

ÆQuè verax est Salamandræ ac Phœnicis Historia, ex uno & simili fonte Ægyptiaco originem traxerunt ambæ Historiæ, & si Phœnicis Historia nobis miranda fuerit, Salamandræ vitæ stupenda pariter, imò horrenda nobis erit, si Æpyptiacis Philosophis adhibeamus fidem: Asserunt siquidem igne solo vivere, enutriri & crescere. Quasi verò? quodnam animalium est? cujus natura & essentia adeo forti compacta sit nexu: Ut non viribus ipsius vulcani dissolvatur, & pereat. Lapides ipsi & metalla cuncta præter aurum purum, vulcania ipsa arma timent & exhorrescunt, ut pote mortem veram in his solis expertura. Sola Salamandra Ægyptiaca reperitur ignem non fugiens imò in

Salamandra historia mira.

Omnia timent ignem præter aurũ

eo gaudens tanquam in eo solo vitam & cibum habens, habitat autem in monte profundo, visu & aspectu horribili, in quo & circa quem montem accenduntur multi ignes, unus altero minor, in quibus omnibus ignibus se Salamandra lavat & in ipsis mundatur à lepra sua, & veneno, & interim moritur in ipsis ignibus, non tamen ita moritur, quin vitam ex morte ipsa in ipso igne recuperet, & priore vita feliciorem & beatiorem, ut pote perennè & immortalem, hanc autem vitam ex suo sanguine recuperat, quem postquam emiserit unà cum vita sua, ipsummet sanguinem ebibit & ita vitam perennem suo sanguine lucratur, nec ulla morte posthac perire potest. Sic sanguis Salamandræ nostrę pretiosissima est medicina: Et ipsi par non reperitur in terris, omnem enim morbum sanguis ejus propellit, & cuncta perficit ultima perfectione, quam naturali via pertingere potest: Nec aliud esse potest in rerum natura hæc Ægyptiaca Salamandra quàm materia Chymicorum, quam assumunt ad corũ elixir perficiendum, quæ quidẽ materia cum sit viridi colore prædita, & variis aliis coloribus exornata, nigro & subflavo, leucophæoque, frigida & humida qualitate, viscosa & tenaci, exardenti & acri ac pungenti illustrata, nec non & maligna & venenata proprietate turgida, ideo Salamandram dicunt hanc materiam Sophi antiqui, cùm hæ proprietates & virtutes Salamandræ conveniant communi & vulgari. Cùm autẽ hæ qualitates & proprietates igne Chymico adhibito evanescere soleãt, & loco earũ succedant aliæ multò præstantiores qualitates, ut pote albedo summa, & rubedo, dulcedo, caliditas & siccitas, humiditas & frigiditas, temperate ita refractæ, ut nulla aliã superet & vincat, sed omnes temperamentum ad põdus constituant & sic perficitur hæc substantia, cùm pravis qualitatibus spolietur & malignis, & induat temperamentum exactè exquisitum, ex quo exsurgũt nobiles & insignes virtutes & proprietates, quod quidẽ cum Chymicis fieri soleat ignibus, ideo dicitur Chymicam hanc Salamandrã igne Chymico verè vivere, enutriri & crescere, cum tamen solo igne vere perficiatur, & à maligna qualitate, & pravo temperamento transeat in optimũ, quod quidem apud Chymicos verè vivere nuncupatur summa cum ratione, quod enim intemperatum est & morbosum mortem habet secum adnexam & longe distat à vita, quæ quidem verè vitalis esse non potest, quin sit sanè perennis & perpetua: Chymica autẽ Salamãdra Chymice præparata, nõ solũ perpetua & perẽni sanitate fruitur sed & alia cuncta naturalia in perpetua sanitate cõservat perẽni suo vitali nectare irrorat & fovet. sic Chymicã nostrã Salamãdram nasutulis & lynceos oculos habẽtib⁹ patefactã tradim⁹, ita ut quid sit colligere possint artis nostrę alũni

Materia Chymica cur dicatur Salamandra.

Salamandra Chymica cur dicatur igne vivere & gaudere.

Quid sit apud Chymicos fumus albus, & fumus rubeus & qua via prosint ad elixir perficiendum.

CAPUT XXXVII.

Fumi Chymici quales ex quibus omnia fiunt.

CLamat imò ejulat verius omnis Peripatheticorũ turba & phalanx in fumos Chymicos; hinc fuminendulos dictitant Chymicos, quod nisi fumos habeant. At re vera nihil futilius & inanius ejulari potest, fumos quidem habent Chymici, sed non vulgares & Peripatheticos, at eos ex quibus Deus ipse, & natura ipsa producit aurum & lapides omnes pretiosos & reliqua cũcta quæ sola in pretio haberi possunt, & ab ipsis peripatheticis magni æstimantur. Sed undenam hæc pretiosa sua originem habeant prorsus (pace eorum dixerim) ignorant; alioquin enim fumos Chymicorum non irriderent, venia tamen digni mea quidem sententia videntur cùm nunquam in scholis suis hæc disquirantur, nisi sub terminis variis, qui plus rem obscurant quam detegunt ut jam jam palam erit omnibus caput hoc legentibus.

Quo modo ex vaporibus mineralia fiant.

Vapores & exhalationes, quæ sursum erumpunt, ex terræ sinu cœlum versùs, ut spiritu cœlesti impregnẽtur, & sic tali spiritu seu vitali lumine turgidæ factę decidunt in terram & sic integros & universos pertineant terræ artus, ubi calore naturali & centrali terræ decoquuntur & sic figuntur, & coagulantur in varia mineralia, puræ & nitidæ exhalationes, pura & nitida dant mineralia, impuræ verò & fœtidæ, impuros & fœtidos producunt mineralium fœtus: hoc ipsum quamplurimis rationibus & demonstrationibus multoties hoc in volumine, variis in locis clarum & manifestum ostendimus, & ipsimet omnes Peripathetici Philosophi ratum & certum inter ipsos habent.

Vapores sũt fumi elementorum.

Jam verò nonne verissimum est, Peripatheticos omnes se ipsos irridere, dum irrident ipsi fumos Chymicorũ: vapores & exhalationes, quid nam aliud sunt quam fumi elementorum quæ calore pepantico terræ, cum digeruntur in sinu terræ, ubi naturaliter devolvuntur, ad hanc digestionem patiendam quæ nullo pacto fieri non potest, quin subtilior & tenuior ejus digestionis pars sursum efferatur, cœlumq; versus tendat, ut in elevatione sua, & sublimatione magis ac magis subtilietur, & attenuetur, & ita dum figitur & coagulatur in terram & locum digestionis suæ reversa, res producit multò subtiliores & nobiliores, quam ante ita sublimaretur, & attenuaretur. Nonne inquam, risu dignissimi sũt quod oderint & riserint quod ignorant. Quid enim ridiculosius esse potest, quam ut oderint homines quod ignorant, etiam si res meretur odium & risum? tunc enim meretur, cum cognoscitur an mereatur, vacante autem meriti & risus notitia, undenam odii & risus justi-

Tertullianus in Apologetico.

Peripathetici Philosophi dum rident Chymicos tra-

justitia defendetur? Cùm ergo propterea oderint homines, quia ignorant quale & quid sit quod oderunt, cur non liceat ejusmodi illud esse, quod non debeant odisse? ita utrũq; ex alterutro redarguimus, & ignorare illos, dum oderunt, & injustè odisse, dum ignorãt, fumos ergo Chymicorum non mereri odium & risum profitemur cum & ipsi ab osoribus suis non cognoscantur, quòd si cognoscuntur simul & desinunt ignorare, & desinunt odisse, quod clarum est & quidem certissimum, probant enim Peripathetici vapores & exhalationes terræ, fumos autẽ Chymicorum rident & improbãt quòd existiment eos distingui à vaporibus & exhalationibus: at si fumorũ Chymicorum naturam, & essentiã perquirant, eandem & similem invenient, cum vaporum & exhalationum essentia & natura, & ex simili & eodem exsurgi & evaporari subjecto, ex quo vapores & exhalationes Peripatheticorum exsurgũt, & sursum feruntur, distinguuntur tamen tantùm quod vapores & exhalationes Peripatheticorũ in Macrocosmo fiant, vapores verò & exhalationes Chymicorum seu eorum succi in vasis Chymicis exoriantur, ex eadem tamen & simili materia ex qua exsurgũt vapores, & exhalationes Peripatheticorũ in Macrocosmo: Cognita ergo materia, ex qua exsurgũt hi vapores & exhalationes, cognoscetur & materia fumorum Chymicorũ qui tanti sunt momẽti & ponderis in Chymia faciẽda, ut his absentibus pereat etiam omnis Alchymia. Dictante Morieno Romano Eremita Hierosolymitano: quocirca omnino necessarii sunt & perquirendi & ex materia nostra separandi, ut omni ex parte ex separatione illa perficiãtur, nam rubeus fum⁹ est materia illa tenuis & subtilis, calida & sicca, quæ fumi modo, & instar exhalationis ascẽdit ex materia nostra, & salem nostrum rubeũ, seu solẽ nostrum rubicundũ constituit: fumus verò albus est materia illa tenuis & subtilis quæ pariter ex materia nostra ascẽdit fumi etiam instar & vaporis, & aquam nostram mercurialẽ constituit, quæ cũ sicciori, & crudiori materiæ nostrę parte conjũcta lunã nostrã nobis cōmonstrat, sororẽ solis & cõjugẽ, ex quibus duobus simul cõjũctis & poculo amoris inebriati fit Bejæ & Gabrilii nostri conjugiũ ex quo solo exsurgit, & exoritur fœt⁹ ille adeo desideratus à Chymicis omnibus, qui verus lapis philosophorum nũcupatur.

[margin: ... sint ... & i... ca... non di... gnisunt.]

[margin: Fumi Chymicorum non distinguuntur à vaporibus & exhalationibus.]

[margin: Fumus rubeus quid sit]

[margin: Fumus albus quid sit.]

[margin: Beja & Gabrilii conjugium quid producat.]

Sic habes, Amice Lector, fumorum Chymicorum necessitatem, in Alchymia perficienda, syncerè explicatũ, & ita clarè ut clariùs explicari non possit, absq; sigilli Hermetici fractione, quæ fieri nõ potest absque Philosophorum omnium Chymicorum decretis, & naturæ ipsius legibus violandis, perinde his contentus esto, & ad alia secreta & arcana Chymica reseranda te accinge, ut his explicatis quod summopere cupis.

pis & expectas, tandem habeas, & sic fies voti compos.

Quid sit apud Chymicos convertere animam in corpus, & corpus in animam ad Elixir perficiendum.

CAPUT XXXVIII.

Animam in corpus convertere quid sit & corpus in animam.

Nihil frequentius habent in ore suo Chymici omnes Philosophi, quam hæc verba, converte animam in corpus, & corpus in animam, & permisce cum eis spiritus subtiles, & habebis Magisterium Hermeticum: Quid autem sit animam in corpus convertere, & corpus in animã, jam nobis est perquirendum, ut Chymię alumnis aliqua ratione satisfaciamus. Sciant ergò ipsi, animam in corpus convertere nihil aliud esse, quàm spirit⁹ volatiles & aquosos qui ex materia nostra per distillationem sursum ascendũt & in aquam transeunt, fixos facere & coagulare, hoc est in terram & salem mineralem convertere, & hanc deinde terram seu salem mineralem in spiritus volatiles & aquosos seu aquam mineralem iterum convertere & permutare, & sic habes animam Chymicam, in corpus permutatam, & corpus Chymicum quod est sal minerale, in animam permutatum.

Spiritus in mineralibus quid dicatur & corpus.

Nec immeritò ita loquuntur Chymici, nam verè spiritus mineralis, anima dicitur mineralium, & fixa & permanens mineralium dicitur corpus eorum. Dicuntur autem hę substantiæ volatiles & spirituales, anima mineraliũ, quòd præ aqua actio formæ mineralis cõsistat in his substantiis volatilibus & spirituosis, unde corpus quando privatum est omnibus his spiritibus seu substantiis volatilibus mortuum dicitur, & inde percipiunt esse revificandum & à morte sua suscitandum, quod fieri non potest, nisi spirituosa illa substãtia reddatur corpori & uniatur illi, quod quidem rectè faciunt Chymici, modò corpus & spirituosam substantiam illam apprimè sciant, ab omnibus excrementis suis vindicare, & deinde dum puritatem & nitorem habent tunc temporis conjungantur, & pedetentim convertuntur invicem & sic anima mutatur in corpus, & corpus in animam, & fiunt insignes illæ permutationes rei volatilis in rem fixam & permanentẽ, & rei fixæ in volatilem, natura siquidem sic incipit, & ita desinit: nam principium motus naturæ, est à lumine quod quidem cum sit spirituale & subtile nimis, naturæ præcipuus scopus est ipsum lumen spirituale, & tenue corpus facere, & iterũ ipsum corpus attenuare & sublimare, & spirituale reddere, & attenuatũ corpus & spirituale factum, iterum fixum & permanens efficere, & sic animam natura ipsa permutat in corpus, est autem ipsius naturæ anima, ipsum lumen, & radius lucis, qui quidem volatiles sunt & spirituales, & natura tendit ipsos corpora efficere fixa & permanentia, dum omnes res producit, & earum

Natura incipit in fixatione rei volatilis, & in solutione rei fixæ.

Anima naturæ est radius lucis.

Omnia ut perfectiora

rum

fiant habile solutionem pati. rum rerum corpora, quæ quidem ut adhuc perfectiora fia᷑, ipsamet corpora habent dissolutionem pati, ut iterum attenuentur & subtilientur & subtilia facta iterum redeunt in fixam, & permanentem substantiam, & sic præstantiora fiunt & nobiliora, & centuplo vires habent, & proprietates præstantiores.

Ars ad res perficiendas debet sequi naturam. Ars pariter exactè, in quantum fieri potest naturam imitari debet, & sumere res ipsas, quas ad gradũ præstantiorem & nobiliorem sublimare in votis habet, easque in subtiles spiritus, & tenues convertere habet, & cum ipsis spirituosis substantiis, corpora fixa & permanentia dissolvere habet & ipsa attenuare, & vindicare ab omnibus spurcitiis elemétaribus & postquam vindicata sunt ab omnibus his excrementis, spiritualia reddere cum spiritualibus, & demum ipsa corpora facere fixatione & coagulatione, & sic habent Chymici Philosophi, animam conversam in corpus, & corpus in animam, & iterum animam in corpus purum & subtile, cuius virtutes stupendæ sunt.

Quid intelligant Chymici per patrem, filium devorantem & sudantem propter filium devoratum.

CAP. XXXIX.

Quid sit apud Chy- CRudele admodum est, & horrendum spectaculũ apud Chymicos audire & spectare patrem filium devorantem & deinde sudantem propter filium devoratum: quis enim unquam audivit & vidit spectaculum crudelius, si ad literam hoc verum esset? mysticum istud est, & ænigma Chymicum, sub cuius cortice latet & occultatur omne opus Chymicum, nihil enim in Chymia ritè paranda fieri potest rari & miraculosi, nisi pater suum filium devoret, & deinde iterum reddat sudore elicito quammaximo, hoc autem peroptimè celebratur, dum sal nostrum fixum & permanens aquam suam spirituosam, & volatilem bibit & epotat & in ventre suo recludit, ut ipsam digerat & coquat, & sibi ipsi uniat, quam postea iterũ reddit per sudorem, dum tenuiorem & aquosiorem eius partem foras emittit per vapores & exhalationes quæ sursum feruntur dum sulphur naturæ producitur, quod quidem duplici differentia ex illa nostra materia exsurgere solet; rubeum unum est, album alterum & hæc duo sulphura unum sunt sulphur, quod est tenuissima & subtilissima materiæ nostræ quam aqua nostra educit foras ex sinu materiæ nostræ, quæ quidem dicitur pater, & illud sulphur dicitur eius filius, qui sudore educitur ex ventre & visceribus patris, seu materiæ nostræ, quem quidem filium prius deglutierat, dum aqua nostra, seu spirituosa substantia, deglutitur & devoratur ab ipsa materia nostra fixa seu sale fixo & permanẽti, quod qui-

micos pater filium devorans & sudans propter filium devoratum.

Sulphur quid propriè sit.

quidem ebibere & epotare debet suam ipsam aquam quam ex visceribus suis in prima eius præparatione foras protrudit, & perinde filius verus & legitimus censetur, quem dum iterum ebibit & epotat, vere dicitur filium suum devorare & deglutire, & deinde dum rursus emittit foras in productione sulphuris nostri tūc dicitur patrem propter filium suum devoratum desudare, & iterum filium suum fortiorem multò & robustiorem sudore suo producere.

Sic Ænigmata Chymica & Logogryphos obscuros valde & ridiculos primo aspectu & fronte ipsa horrendos post hāc explicationē naturalia esse secreta & Arcana conspicimus.

Cur dicatur apud Chymicos Lapidem Physicum aeq; divites ac pauperes habere, ac possidere.

CAP. XL.

Cur dicatur apud Chymicos Lapidem Philosophorum omnes possidere divites aquè ac pauperes.

MUltiplex & varia est huius Ænygmatis explicatio, quæ quamvis multipliciter explicetur nihilominus tamen in sua varietate verissima est, multi asserunt materiam nostram, quæ formaliter omnibus in rebus reperiri solet: est enim forma rerum omnium, ideo habere tàm pauperes quàm divites cùm ubique reperiatur in omnibus naturæ mixtis, & in omnibus naturæ elementis, unde quicquid est in rerum natura, sive magnum sive parvum, sive pretiosum & vile, id omne formaliter continet subiectum operis nostri & perinde verissimum est, Lapidem Chymicum æquè habere tam divites quàm pauperes, cum pretiosa mundi, & vilia nomine, & titulo divitum & pauperum insigniri queant.

Metalla imperfecta, cur pauperū nomine efferūtur.

Alii verò explicant hoc Ænygma de metallis solis, imperfecta metalla, ut plumbum, stannum, ferrum, cuprum & argentum vivum esse illa metalla, quæ pauperum nomine insigniri possunt quòd pauperes hæc sola possideant vel quod ipsa metalla mercurio puro Philosophorum, & sulphure item puro & nobili, paucissima in quātitate, & minimo pondere turgeant, unde pretiū & nobilitas ponderatur, ideo pauperes hæc metalla dicuntur, quod pretium naturæ, & id ex quo divitiæ mundanæ æstimantur paucū habeant & minimū: nihilominus tamen habent aliquid, quo subsistunt & inter metalla collocātur: metalla vero perfecta ut aurū & argentum, divites dicuntur, quod nobilia & perfecta sint metalla & quod plurimo turgeant mercurio puro & sulphure, quæ sunt sola in natura ipsa pondera nobilitatis & divitiarum; ex mercurio siquidem puro & sulphure, cum sale eorum itidem puro, exsurgunt omnia pretiosa in terris, & secundum gradus puritatis eorum principiorum, exsurgunt rerum mixta nobilissima & pretiosa, in quocumq; rerum genere, sive animali, sive vegetabili, sive minerali.

Me-

Qua viatur ex metallis lapis Philosophorum educatur.

Metalla ergo omnia sive perfecta & imperfecta sint, sive nobilia sive vilia, cùm habeant omnia lapidem nostrum, sive subiectum lapidis nostri, ideo allegoricè dicitur, lapidem nostrum habere tam divites quam pauperes, hoc est metalla tam perfecta, quam imperfecta, ex quibus solis debent perpendere artis alumni, qua ratione & via ex metallis sive perfectis & imperfectis educere habeant lapidē hunc tam exoptatum: Similia similibus gaudent, naturam natura sequitur, & natura naturam continet, & natura naturam vincit & superat, clamant omnes Alchymiæ Patres; hinc colligere possūt artis Tyrunculi, qua via & qua ratione ex metallis Lapis noster educi queat. Et clarius adhuc ex ipso Avicenna, & ipso Aristotele, magna voce clamāte, sciant Alchymistæ species metallorum transmutari nō posse, nisi reducantur in primam materiam. Si ergo metalla in materiam eorum primam reducātur, tunc facilis est corū inter se permutatio, materia autem metallorum prima nō est illa Peripathetica materia informis, & pura rerum potentia, quæ solo mētis conatu percipi potest, sed est sal quoddam minerale, ex cuius spiritu fixo & puro metalla omnia pura & perfecta generantur, alia verò impura & imperfecta metalla producuntur ex spirituali eiusdem materiæ substantia impura, & fœtida, & non adhuc ab excrementis suis quibus naturaliter scatet, vindicata.

Materia prima metallorum qualis.

Cum hac ipsa materia spirituali pura & nitida, quam ars facili via purificare potest, extrahere Lapidē nostrum facili via possumus, cùm similia similibus extrahantur, & natura naturam sequatur & contineat, vincat & superet, modus & via regia est, solutio, putrefactio, calcinatio, & sublimatio & reliquæ similes veræ Spagyricæ operationes quæ sub una sola vera solutione & coagulatione continentur, sic paucis habes, Amice Lector, hoc uno in capitulo quicquid efflagitari potest; ut artis Spagyricæ summum culmen pertingere queas, quòd si hoc nimis adhuc obscurum tibi videatur pergamus ad reliqua Chymicorum arcana denotanda: sic quod in uno nimis obscurum est & intricatum, in alio forsan tibi erit clarius & dilucidiùs explicatum, liber enim librum explicat, & capitula in hac potissimùm arte capitulis denodantur.

Via & modus reducēdi metalla in primam materiam.

Cur Lapis Philosophorum dicatur reperiri in metallis, & item non reperiri in metallis.

CAP. XLI.

Metalla vulgi cur non sint metalla Chymicorum.

METalla nostra clamant Philosophi non sunt metalla vulgi, quòd hæc mortua sint, nostra verò sint viva, spiritum & animam habentia, ex his colligi potest metalla vulgi nō habere in se Lapidem Philosophorū cùm sit lumen naturæ, &

ſpiritus vitæ mundi, ubicumque ſit vitales infundit ſpiritus & actú germinandi & pullulandi introducit, unde cùm metalla vulgi nullam habeant germinandi & pullulandi virtutem, nec ullum vitæ actum, nec ullos vitales ſpiritus, ideo rectè dicuntur non habere Lapidem Philoſophorum, nec ex illis ulla arte educi poſſe cùm nemo dare poſſit, quod in ſe non habet actu vel potentia: atqui metalla vulgi nec actu nec potentia habent Lapidem illum Phyſicum noſtrum, ſeu artem vitæ & vitales ſpiritus ut experientia ipſa cõprobatur. Ergo rectè videntur & doctè concludere nonnulli Philoſophorum metalla vulgi verè mortua eſſe, & non habere in ſe Lapidem Philoſophorum, & perinde ex ipſis educi nullo pacto poſſe.

Metalla vulgi cur dicantur mortua.

Alii contra aſſerunt & probant ipſamet experientiâ metalla vulgaria, & communia mercurio & ſulphure & ſale metallico & minerali turgere & abundare, hæc enim ſola principia metallica in metallis ſolis reperiri neceſſe eſt, aut nullibi reperiri poſſent, cùm mercurius, ſulphur & ſal animalis, in animalibus ſolis reperiantur, mercurius verò, ſulphur & ſal vegetabilis in vegetabilibus, mineralis verò in ſolis mineralibus & metallicis corporibus reperiri habeant. Ergo ſi ex principiis metallicis Lapis phyſicus confici debeat, & principia hæc metallica, in metallis ſolis reperiantur, rectè & doctè concludunt nonnulli Chymicorum Lapidem Philoſophorum reperiri in ſolis metallis, & ex hisdem ſolis exhauriri debere.

Lapis Philoſophorum cur in metallis ſolis ſit.

In tanta authorum graviſſimorum alteratione quid ſit ſtatuendum ut omnes verum dixiſſe & aſſeveraſſe probemus, non exiguum eſt mentis opus, nam veriſſimum eſt, veroque verius, Lapidem Philoſophorum ex metallis vulgi educi debere, & ex hisdem perfici poſſe. & veriſſimum etiam eſt, Lapidẽ eũdem ex metallis vulgi educi nõ poſſe nec ex illis perfici debere cum Lapidem Philoſophorum ex metallis vulgi educi debere & perfici poſſe aſſerunt hoc intelligunt de ſale fixo & principio metallico fixo, quod in ſolis metallis vulgi copioſum reperitur ab ipſa natura ipſis metallis inplantatum eſt: hoc autem principium metallicum, lapis dicitur & cenſetur verus Philoſophorum Lapis, & corpus Lapidis, quod in ſolis metallis vulgi copioſum habetur & præcipuè in metallis perfectis. Dum vero aſſerunt in metallis vulgi Lapidem Philoſophorum non reperiri nec ex his educi poſſe, hoc intelligi volunt de ſpirituoſa lapidis Philoſophorum ſubſtantia, & volatili parte, quæ nullo pacto in metallis eſt, nec ex his educi poteſt cùm in ipſis non reperiatur. Ipſa enim ſpiritualis ſubſtantia, quæ verus etiam Lapis dicitur Philoſophorum, abit in auras, dum metalla ſeu eorum fodinæ igne liquantur, remanente tantùm metallorum fixa ſubſtantia, unde hæc ſub-

Quare verò ſit lapidem Philoſophorum eſſe in metallis & non eſſe in metallis.

Principiũ metallicum Lapis dicitur Philoſophorum.

ſtan-

Quæ substãtia metalla in fodinis accrescant.

stantia mortua dicitur cùm sit privata eius spiritu & anima, in quibus solis substantiis, vita metallorum consistit, seu virtus germinativa & accrescendi facultas, ea enim sola spirituali substantia, metalla in mineris seu fodinis accrescunt & germinant quicquid in contrarium asserant Peripathetici. Sic explicatæ Philosophorum mentes non inter se contrariæ reperiuntur, & in his sic explicatis patet, ex quibus substantiis metallicis componatur Lapis Philosophorum.

Qua ratione lapis Philosophorum sit omnium rerum vilissima & pretiosissima res.

CAP. XLII.

Cur lapis Philosophorum sit rebus omnibus vilior.

Nihil vilius lapide Philosophorum, seu subiecto ex quo educi habet, in rerum natura haberi potest, cùm sit pulvis & cinis & præcipuè verus ille pulvis, qui in veteribus & antiquis domibus pavimenta consternit, eaque inficit ac deturbat, ita ut fœminæ servi & ancillæ, ut detergant domos circa hunc pulverem occupentur, ut hunc pulverem tanquam recrementum domus foras ejiciant, ac protrudant. Quid ergo vilius est quàm recrementum nauci & quisquiliæ domuum, & ædificiorum veterum & antiquorũ: hoc autem recrementum, & pulvis excrementosus qui per se decidit in pavimenta imò aliquando efflorescit super ipsa, esse subiectum lapidis nostri, satis clarum & manifestum habent qui spiritum nitrosum & ipsum nitrum in ipso pulvere turgere & abundare sciunt, in quo nitro latet & occultatur maxima in copia, spiritus igneus, & luminis ipsius naturalis, imo ex ipso pulvere veteri, fieri nitrum sciunt ferè omnes tam infimæ quàm nobilis notæ homines, non tamen hinc asserere vellem pulverem hunc esse accipiendum ad Elixir nostrum præparandũ quia sunt & alia in rerum serie in quibus igneus ille spiritus & luminis magis elucet & floret. Sed hæc dicta sunt ut ostendamus, qua ratione lapis noster vilis admodum sit, & vilissimis in subiectis occultetur & latitet, imo & in stercoribus & fimis ipsis turget & abundet, perinde tamen circa hæc vilissima occupari non debemus, sed res quærere habemus incorruptibiles, in quarum ventre & visceribus occultetur & lateat spirituosa hæc luminis, & ignis naturalis substantia, cum simili & eadem fixa & permanenti & incorruptibili substantia, si enim Lapis Philosophorum omnia vivificare debeat, & cõservare omnia ab omni putredine & corruptione, ex eo quod est incorruptibile & vitæ plenum fieri habet. nihil autem in rerum natura incorruptibile est, & verè permanens quã spiritus hic luminis, seu ignis cœlestis & naturalis aura & eius corpus, quod salis ignei naturã sapit & redolet, in omnibus autem rebus tam vili-

In nitro latet summũ arcanum.

Lapis Philosophorum est res vilissima.

vilibus quam nobilibus; hic spiritus luminis reperitur, & eius corpus, & sic verissimum dicunt & asserunt Philosophi Chymici Lapidem Philosophorũ vilissimam esse rem, cùm subiecta sint ex quibus hic spiritus & eius corpus educi queat, vilissima & abjectissima.

Ratione verò ipsius spiritus ignei & luminosi suique corporis nihil in rerum natura preciosius haberi potest, est autem hic spiritus cum suo corpore, propriũ & immediatum subjectum lapidis Philosophorum non excrementa & quisquiliæ rerũ, in quibus quamvis hic spiritus luminis & igneus reperiatur, ratione subjecti sui quo clauditur non est subjectum lapidis sed ratione sui ipsius tantùm, hic autem spiritus cùm reperiatur in aliis rebus præstantioribus & incorruptibilioribus metallicis hæ solæ sunt eligendæ, & pro subiecto nostro accipiendæ, inter quas habetur aurum & argentum Philosophorum vivum & vitæ plenum, quod arte nostra elicimus ex sale nostro minerali & metallico. Quod quidem ultimum subjectum est rerum omnium creatarum anima excepta humana & angelis, nobilissimum & præstantissimum, quod ex ipso subiecto immediatè, & proxime fiat lapis Philosophorum, & perinde istud subiectum, seu aurum & argentum Philosophorum dicitur lapis. Unde clarum & apertum habemus qua ratione lapis Philosophorum res vilissima & abjectissima, imò & præstantissima & nobilissima dicatur absq; ulla Philosophorum Chymicorum contradictione.

Quales sint substantia in rerum serie ex quib9 lapis Philosophorũ educi inabet.

Magnesia & Lunaria Chymicorum quid sit & qualis, & quâ viâ metallorum omnium semen ex his solis educatur.

CAP. XLIII.

MAgnesia & Lunaria Chymicorum, est corpus & spiritus luminis nostri ex quibus solis præparatur lapis. Corpus dicitur Magnesia ab ipsis Chymicis, quod in ipso corpore verè Magnalia Dei, & naturæ recludantur & occultentur, Lunaria verò dicitur corporis ipsius spiritus, quòd hic spiritus in virtute & potentia sua Lunam cœlestem imitetur, & perinde Lunaria est apud Chymicos hic spiritus, humidus enim & calidus est & calorem cœlestem seu vitalem, & lumen naturæ in se recipit, & sua humiditate radicali, & naturali pascit & nutrit, & fovet alia cuncta naturalia, quæ illo indigent ut conserventur: Quæ quidem sunt Lunæ cœlestes; Luna siquidem calida & humida est & plus humida, quam calida, ut ratione suæ humiditatis radicalis & naturalis, calorem cœlestem & vitalem à sole descendentem accipiat in sinu suo, eumque uniat ac conjungat humiditati suæ naturali, ut hinc exsurgat calidum innatum rerum

Magnesia & Lunaria Chymicorũ qualis & quare nuncupetur.

Luna proprietas & virtus.

rerum, quòd à Luna influxu suo & radiis per elementa inferiora omnia dispergitur, & hinc mixtis omnibus quæ in elementis reperiuntur: sic Sol cœlestis dicitur pater rerum omnium & Luna mater, & præcipuè Lunariæ, & magnesiæ nostræ quod influxu & radiis horum duorum luminum præcipuè calidum istud innatum & humidum radicale rerum, corpus suscipiat in ipsis terræ visceribus, salis naturã & essentiam redolens, ex quo solo corpore, calido innato & humido radicali metallico, turgido & plenissimo præparatur nostra magnesia & Lunaria, magnesia est corpus præparati nostri salis metallici fixi, & omnino permanentis, & Lunaria est corporis ipsius humidum radicale volatile, cuius humidi radicalis volatilis ope, corpus fixum & permanens magnesiæ nostræ volatile efficitur & hinc præparatur Sol & Luna nostra ex quorum coniunctione & præparatione, fit vera aqua nostra permanens, quæ verissime permanet in metallis, eaq; alterat & perficit si perfecta sit, & omnibus perfectionis suæ gradibus dotata.

Sol & Luna cur dicatur pater & mater rerum omnium.

Magnesia Chymica ut volatilis fiat

Corpus autem istud fixum, & permanẽs salis nostri mineralis, dicitur magnes vel magnesia, nõ solũ quod magnalia Dei contineat, ut supra diximus, sed quòd verissimus sit rerũ omniũ magnes, hoc est attrahat summa cum potẽtia & virtute rerum omnium humidũ radicale, nam mixta omnia radicalia dum putrefiunt & dissolvuntur, ut hinc nova & recens fiat generatio, magnes iste sive corpus istud fixum salis nostri mineralis quod ubiq; terrarum & locorũ naturali via implãtatum reperitur, attrahit humidum radicale, & conservat ipsum ad generationem rerũ alioquin generationes, & rerũ productiones fieri non possent nisi hic magnes ubiq; esset generationis cuiuslibet verum & proximum subiectũ, unde necesse est ut habeant corpus permanens, & omni ex parte fixum, ut alterationes omnes, ad productiones omnes necessarias pati queat sine ulla sui ipsius, ex loco generationis dimotione, ut adhuc clarius erit, & fiet Chymiæ alumnis omnibus capitulo sequenti, dum Hyle & Azoth Chymicum explicabimus, hæc enim Synonima sunt & similia re & essentia.

Corpus salis fixum est magnes rerũ quo attrahitur humidũ ad generationem.

Quid Hyle sit & Azoth apud Chymicos, & cur variis nominibus rem eandem donarunt.

CAP. XLIV.

Hyle est prima materia, sal Philosophorum, Azoth & mercurius eorumdem, & semen metallorum proximum & immediatum, quod arte nostra & præparatione educimus ex magnesia nostra & lunaria, confunduntur aliquando hæc omnia nomina & unum & idem semen metallorum immediatum & proximum, seu sulphur naturæ & terram foliatam indicant. Dicitur Hyle

Hyle quid sit & Azoth.

Materia Chymica cur dicatur hyle.

Hyle hæc materia propter elementa & qualitates confusas, quæ insunt huic materiæ, nihil enim distinctum est sed omnia in hac materia confusa sunt, & quòd nigerrima & obscura valde sit ideo Hyle nuncupatur, quasi sylva, calidum enim & siccum, frigidum & humidum, & omnes calores in hac sylvosa materia concluduntur.

Materia Chymica cur dicatur Azoth.

Azoth autem dicitur, propter humiditatem & mercurialem substantiam quæ inibi etiam est; Unde Azóth argentum est non commune & vulgare, sed Philosophorum, quod est interna & radicalis magnesiæ nostræ humiditas, cum qua Laton abluitur & magnesia nostra & fit alba vel rubea, & à suis omnibus excrementis vindicatur & in sulphur convertitur. Itaque in solo Azoth Philosophorum, seu mercurio consistit tota Alchymia, per Azoth autem intelligi habent omnes artis alumni, tum materiam fixam radicalem, metallicã, tùm vitalẽ eiusdẽ ma-materiæ partẽ: quæ quidem materia in duas partes divisa, est verus & legitimus Philosophorum mercurius, in quo solo consistit tota Alchymia, unde clamant omnes Philosophi; est in mercurio quicquid quærunt sapientes, de hoc autẽ mercurio physico, hoc habent intelligi qui quærunt secreta Alchymiæ, non de mercurio vulgari, & vendibili ubiq; sed de nostro qui nullibi vendibilis reperitur etsi omnibus in rebus, & omnibus in locis reperiatur: gratis

Qualis sit verus Philosophorum mercurius.

habetur potiùs, quàm pretio, etsi suę partes & membra sua seorsim separata antequam cõponantur & misceantur ad productionem Spagyrici veri & legitimi partus & fœtus, ubique reperiantur vendibilia vili pretio, etsi tamen unusquisque sine pretio, levissimo labore sibi talẽ materiam comparare queat, quæ verũ Hyle Philosophorum & Azoth constituit: sunt enim hæc verba synonima, & unam & eandem rem diversis his duobus indicant nominibus. Quæ quidem synonima, crebro sunt in usu apud Chymicos omnes, tùm antiquos tùm recentiores, quòd soleant eludi his locutionibus plebei homines & vulgaris notæ: odium enim quammaximè Chymici omnes profanum vulgus & arcent, & juste & summa cum causa, quòd ipsum vulgus Chymicos odio habeat, & irrideat ipsos, cum eorum lapide. Itaq; injustum esset valde, & iniquum hanc nobilem artem, & ingenuam valde irrisoribus & ipsiusmet contemptoribus claram tradere & manifestam, ideò synonimis infinitis, logogryphis, ænigmatibus obscurissimis tradi solet, quæ non nisi summo labore, & summo cum studio intelligi possunt; verissima tamen sunt omnia, nec ullo pacto fictitia ut ego ipse Divina cum gratia, & auxilio expertus sum ut cuique docto & nasuto collectu facillimum est. Ea enim Ænigmata explicare non possem, & authoritatibus Chymicorum comprobare ipsa, nisi eorum

Materia lapidis ubiq; vendibilis.

Quare ars Chymia & scientia obscure tradatur.

rum veritatem & manifestam vidissem ipse, & clarius adhuc manifestũ fiet sequentibus in capitulis, in quibus quamplurima arcana Chymica fient manifesta, non tamen quæso existimet quivis me tam clare & manifeste scribere & loqui hisce in cartis, ut quivis sciolus & latinum idioma capiens me percipi possit, egebit non solum ingenio suo, & labore sed etiam Divino auxilio, sine quo me capi non posse quamvis percipi videat, sciant omnes, non enim adeo scripsi clare & dilucide, ut sygilli Hermetici sim fractor, & immemor maledictionis Spagyricæ, quam incurrere nec debeo nec volo.

Vidit author veritatem Alchymiæ intellectu & ratione.

Quid sibi volunt Spagyrici dum asserunt matrem filio inimicari & hoc necessarium fore ut filius glorificetur & bibere possit de animabus animalium & plantarum.

CAP. XLV.

Quid velint Chymici dũ asserũt matrem filio inimicari debere.

SAtis superq; superiùs declaratum est, quid sit pater, mater & filius apud Chymicos, jam verò superest explicandum matrem hanc filio suo inimicari debere & contrariam esse, ut filius ex hac inimicitia sublimior fiat & excelsior, inimicitia & contrarietate filium debere ita exaltari, ut ad supremam gloriæ suæ dignitatem perveniri habeat, nec ad tantum dignitatis gradum pervenire potest hic noster filius nisi hoste, & inimica matre: Est autem inimica mater Chymica filio Chymico suo, dùm mater filium suum putrefacit, corrumpit & destruit, ac denigrat ipsũ, mater interim etiam corrumpitur, destruitur & vere moritur. Et nisi moriatur mater Chymica, hoc est terra Chymicorum, filius eiusdem terræ, hoc est spiritus qui hinc extrahitur exaltari nõ potest ad supremum puritatis gradum, quod summopere est necessarium: Tinctura enim alioquin Physica apparere nõ potest, nisi enim corpus, quod est terra, quæ vera mater est, diruatur, cõfringatur, putrescat & moriatur, nõ potest illa virtus occulta extrahi nee corpori commisceri, & alibi corruptio unius est generatio alterius, hęc autem fieri non possunt, quin mater illa Chymica seu terra inimica sit filio suo, cùm hæc omnia fiant à filio solo suo, filius qui destruit matrem suam & enecat ipsam, peramari non potest à matre sua, nihil enim amat inimicum, & destructorem suum, quocirca dicitur recte, matrem inimicari filio suo, quòd filius qui est aqua huiusce terræ, quòd extrahatur ex ventre, & visceribus huius terræ destruat omnino terram hanc, dùm per coholationem & repetitam distillationem hæc aqua copiosè superinfunditur terræ suæ, & sic dissolvit terram suam, putrefacit ipsam & enecat, dum in aliam mutat substantiam, variis ac diversis omninò à primis suis qualitatibus, & proprietatibus exornatam. Vnde dicitur à Phi-

Filius Chymicorum ad perfectionem pervenire nõ potest, nisi inimica matre.

Tinctura Physica ut fiat.

Nihil amat inimicum & hostem.

Mater Chymica ut occidatur à filio.

Philosophis hæc substantia enecari & occidi à filio suo hoc est ab aqua sua, quòd aqua sola auxiliante igne, mutet hanc terram adeo, & tam insigniter ut terra nova videatur, & novis & recentibus qualitatibus exornata, quod quidem verissimum est: Et hoc fieri non potest, quin terra versus, & prima primis qualitatibus exornata verè moriatur & occidat, & sic dicitur matrem filio suo inimicari, quòd filius suus ipsam mutet & alteret, & alterando ipsam, enecet & occidat.

Filius matrē Chymicā occidens ad perfectionem supremam conducitur.

Hoc autem ita fieri necesse est, ut fili⁹ hoc est aqua mercurialis nostra, in supremum perfectionis gradum evehi possit & ita dicitur exaltari, & ad supremam gloriam evehi quòd hinc ex morte matris hoc est terræ nostræ, aqua mineralis nostra cōgeletur, suum corpus solvendo, & ita fiat sulphur naturæ & terra foliata nostra, quæ sola deinde coctione supremum perfectionis gradū acquirit, & sic dicitur glorificari filius hic, ex morte matris: tunc bibit de animabus animalium, & plantarū, & comedit ipsas, & crescit in infinitū, tùm quantitate tùm qualitate: Dicitur autem bibere de animabus animalium & plantarum, dum irroratur hoc sulphur naturæ, seu terra foliata, aqua simili & eadem, ex qua ortum duxit & enata est: hæc aqua dicitur anima animalium & plantarum, quod hæc contineat, & coërceat in se animas & spiritus animalium & plantarum, continet autem animas & spiritus animalium & plātarum, quòd in se coerceat maxima in copia, spiritus cœlestes, & radios cœlestes, & igneos; qui ab omnibus dicuntur Philosophis animæ animalium & plantarum, unde Virgilius igneus est illis vigor & cœlestis origo seminibus. Et sic paucis habes qua ratione præparandus est lapis & etiam multiplicandus.

Bibere de animabus animalium & plantarū quid sit.

Quod solutio Chymica ritè intellecta sit Principium tincturæ faciendæ.

CAP. XLVI.

Solutio Chymica perfectè intellecta est tota ars.

PErmulta hactenus dicta sunt de materia tincturæ Philosophorū faciendæ. Jam ut huius voluminis pensum absolvamus, quæ dicenda supersunt circa hanc eandem tincturæ materiam præparandam, & perficiendam opus mihi esse perquirēdum jam videtur. Asserunt ferè omnes melioris notæ & doctrinæ Philosophi, principium tincturæ perficiendæ, & ritè præparandæ esse solutionem quam definiunt rei siccæ, & rei duræ in mollem, tenuem, subtilem & liquidam conversationem, conservata & salva facta eius integra, interna & specifica natura & essentia, quæ si destruatur & corrumpatur non est vera solutio Chymica secundum normas & leges Chymicorum. Vt autem hæc fiat secundùm normas & leges artis necessariū est, ut fiat cum humiditate radicali mer-

Solutio Chymica quid sit propriè.

tcr-

terna eiusdem materiæ, quę solutionem patitur, nam si cum aliena & diversa humiditate solvere tentas, in cassum laboras, nam materia fixa & permanens solvi nō potest, nisi cum sua propria humiditate: Materia siquidem fixa, rudis & cruda solvi quidem habet, ut attenuetur, & rudem & agrestem suam naturam, & crudam ab igne penetrari possit & sic percoqui ab eo, & in materiam mollem, & tenuem & coctam permutari queat. At solvi non potest proprie secundùm leges artis, quæ sunt in ipsa definitione contentæ, nisi ab humiditate propria, quæ sola potest penetrare corporis & materiæ nostræ duritiem eamq; attenuare, ut enim naturaliter inclusa erat intra poros, & meatus occultos ipsius materiæ ad eius materiæ naturam, & essentiam conservandam, sic via facili, & quasi naturali ad eosdē poros introducta, eos aperit & reserat, nec ipsos lædit, cùm si de natura ipsorum, sed conservat & nutrit.

Materia fixa solvi non potest nisi cū humiditate radicali.

Sic corpus nostrum, & naturam nostram mineralem, quam de scire ac cognoscere non dubito', solvere habes, Amice Lector, cum humiditate propria sua, quæ est mineralis, & ejusdem materiæ cum corpore suo, differunt tantum quòd corpus coctionem maiorē passum sit quàm aqua sua, quæ nondum corpus facta est ex debiliore sua coctione, tamen successu temporis fiet corpus, nam corpus prius aqua fuit, & coctione interna caloris sui, & externa caloris Solis, & Stellarum, & terræ ipsius (qui fovetur & conservatur Solis & Stellarum calore, & influxu) fit tandem corpus, quod quidem semper & continuo, suam ipsam humiditatem continet attrahendo ipsam ex aere, & ab aqua ipsa, ut ea ipsa nutriri queat, & sic crescere & augmentari possit, & nunquam deficere valeat, hæc ergo humiditas, ex ipso corpore minerali nostro extrahenda est, in quo solo inest per simplicem distillationem, & cum humiditate septies rectificata præparare habemus corpus suum, in qua sola humiditate solvitur corpus, putrescit & attenuatur, & mutatur in sulphur naturæ, verū & legitimum & ex hoc sulphure, cū eadem aqua seu humiditate radicali, fit aqua nostra mercurialis & permanens, solvens omnia corpora metallica & præsertim Solem & Lunam, ex qua deinde solutione, & coctione simplici exsurgunt soles nostri & Lunæ nostræ, miræ virtutis & stupendæ proprietatis.

Materia fixa Chymicorū & eius aqua volatilis qua ratione differant.

Humiditas seu mercurius Philosophorum ex quo educendus & præparandus.

Ex hac ergo nostra humiditate, ex corpore proprie minerali suo extracta, fit verum Chymicum matrimonium Gabritii & Bejæ sororis suæ, Regis & Reginæ coniugium, in qua sola humiditate coëunt, concipiunt, impregnātur. Deinde fit ortus, & ultimò nutrimētū, ita ut hac nostra sola humiditate, cū corpore suo, igne auxiliante, omnia arti nostræ ne-

Ex mercurio Philosophorum ritè præparato omnia fiunt.

cessaria fiant, itaque modò scias solutionem Chymicam & modos suos omnes ritè pernoscas, habes certissimè omnia quæ tibi sunt necessaria ad artem nostram complendam & certissimè perficiendam: stude ergo, Amice Lector, solutioni Chymicæ, & fac omni mentis tuæ conatu, ut ipsam pernoscas, & modos suos omnes & vias, quæ quidem cùm sint multiplices & variæ, nihilominus tamen sub una & eadem operatione, solutione putà comprehenduntur: de his omnibus in gratiam errantium, de singulis dicemus ut verā solutionem Chymicam notissimam habere queant & percipiant, & intelligant sensus & mentes antiquorum Philosophorum, qui multos fallunt, modò ritè intelligātur: sunt autem Solutionis Chymicæ viæ, & portæ amplæ septem: Distillatio putà, corporis desiccatio, seu calcinatio, inhumatio, ablutio, divisio, reductio & sublimatio, de quibus singulis nobis dicendum erit, ut perfectam solutionem Chymicam demōstrare valeamus: absque enim his modis & operationibus, vera solutio Chymica absolvi non potest nec ullo pacto corpus nostrum solutum dici potest, quin sit sublimatum, & cum aqua sua perfectissimè unitum, hoc autem fieri non potest sine distillatione, sine calcinatione, inhumatione, & reliquis aliis enarratis artis nostræ operationibus, quæ ad unguem ut dicitur pernoscendæ sunt ut solutionem Chymicam perficere & absolvere valeamus. Ad distillationem ergo tanquam ad primam solutionis nostræ portam & viam regiam nos accingamus.

Philosophi Chymici modò ritè intelligantur non sunt fallaces.

Solutionis porta & via quot sint.

Solutio verè quãt fiat.

De distillatione Spagyrica solutionis Chymicæ prima porta ad elixir perficiendum.

CAP. XLVII.

PErmulti existimant (qui tamen summopere errant) ad elixir perficiēdum unica tantùm simplici coctione opus esse. Dum hoc asseruerunt antiqui patres nostri, intellexerunt hoc postquam sulphur naturæ factum est, & corpus nostri visceribus foras eductum & summopere ab omnibus excrementis suis quibus scatet sublimatione sua vindicatum: tunc quidem temporis habito hoc sulphure, non est opus nisi simplici nostra coctione continua & levi. At antequam sulphur istud habeamus sine quo nihil agere possumus, nec natura ipso agere potest in fodinis metallorum, multæ sunt nobis necessariæ, hæque variæ, ac distinctæ artis Chymicæ operationes, quæ primum opus constituunt, de quo quæ dicta sunt apud Chymicos valde obscura sunt: ut solvite corpora in aquas, converte corpus in spiritum, Azoth & ignis tibi sufficiunt, Azoth & ignis Latonem abluūt & mundificant. Tota operatio nostra non est aliud, nisi extractio aquæ

Errant qui existimant unica simplici operatione lapidē perfici posse.

Sulphur naturæ unica operatione Chymica haberi non potest.

Morienus Romanus in tractatu suo.

quæ à terra, & huius aquæ super terram remissio, donec ipsa terra putrescat, hæc enim terra cum aqua putrescit, & mundificatur, quæ cùm mundata fuerit auxilio divinitatis totum Magisterium dirigetur, hæc & similia reperiuntur apud antiquos Chymiæ patres, de solutione vera & legitima corporis nostri, sed valde hæc obscura sunt his qui artem nostram penitus ignorant etsi in aliis artibus & scientiis magistri peritissimi sint, hæc in actum reducere non possent, nisi vias calleant quibus incedendum est, ad iter peragendum, & tandem absolvendum: Ex Morieni Romani ergo sententia primum opus Solutionis nostræ, est extractio aquæ à terra sua, quæ quidem extractio aquæ à terra sua nihil est aliud quàm distillatio nostra simplex, de qua hoc in capitulo agere in votis habemus.

Primũ opus solutionis est distillatio.

Distillatio mercurii nostri qua vi faciẽda.

Distillatio hæc Spagyrica, solutionis Chymicæ prima & legitima porta, est humiditatis radicalis & naturalis, igneæ & aereæ naturæ, à terra sua naturali extractio, igne operante, qui in principio, distillationis huius levis esse debet, in medio temperatus, in fine verò fortissimus, ut igneæ illæ & aëreæ exhalationes qua in visceribus terræ nostræ continentur, penitus exhauriantur & foras exeant à corpore suo, & transeant in spatium amplum recipientis ibique, cum reliqua aqua jam transacta fiant aqua: hæc autem aqua est eiusdem naturæ cum corpore suo, ex quo extracta est, & multis nominibus & ferè infinitis insignitur: sed his præcipuè pars corporis volatilis, Argentum vivum, superius, aqua, fontina, beia, luna, fons, humidum, mercurius, frater uterinus vultur, vinum, anima & spiritus, cauda, cœlum, mulier candida, fumus albus, sudor corporis, nebulæ nigræ, tinctura, anima subtilis & tingens Regina, soror, pars figenda, pars servata non fixa, pars subtilis, spiritus mundatus & acetum acerrimum, ros, fluvius, & astuma, ut cum, dicitur apud Rosarium dealbabitur Arbira cum astuma, hoc est corpus cum sua aqua & humiditate. Vocatur aliis multis nominibus hæc aqua nostra, quæ omnia nihil aliud indicare volunt, quam humiditatem hanc radicalem mineralem quæ cum corpore suo sæpius coniuncta, & ab eo extracta dulcedinem miram acquirit, & ex acri & mordaci, & summopere pungenti fit dulcis & gratissima palato. At hoc non contingit simplici distillatione, ut ex verbis nostris & Morieni colligere posset incautus quidam operator, sed cum sequentibus operationibus quæ distillationem Chymicam & solutionem sequuntur. Separatur quidem hac simplici distillatione anima & spiritus corporis, sed non mundificatur, nec anima, nec spiritus, nec etiam corpus, quæ quidem omnia nisi apprimè mundata fuerint, & simul conjuncta & unita, nihil penitus huius Magisterii utile ha-

Mercurius noster quib9 nominibus insigniatur.

Mercurius noster quo modo dulcescat.

Anima & spiritus separantur à corpore per

distillationem. habemus, nec Chymicæ solutionis normas & leges tenemus, quocirca transeamus ad secundam solutionis nostræ portam, quæ est corporis nostri calcinatio, seu eius corporis fortis desiccatio, exeunte eius spiritu, & fumo albo.

De corporis nostri mineralis calcinatione seu forti eius desiccatione.

CAP. XLVIII.

Corporis nostri calcinatio nostra quomodo peragenda post distillationē spiritus & anima. POstquam spiritus & anima, à corpore nostro minerali separata fuerunt, simplici nostra distillatione superi⁹ declarata, remanet, corpus durum & forte & valdè siccum, in fūdo vasis distillatorii, quod quidem accipiendum est & terendum, ut in pulverem tenuem reducatur & novo vasi vitreo distillatorio includendum, & iterū fortissima distillatione urgendum & exagitandū est, ut ultimos exhalet spiritus & per viginti quatuor horas urgendum est, continuo & fortissimo igne, quo poteris, cavendum tamē ne materia adeo fortissimo agitetur & urgeatur igne ut vitrescat periret enim & destrueretur hæc materia, nec amplius suos spiritus & animas exhalatas ebibere posset, quod tamē est conservandum in hac materia scilicet desiderium & famem ebibendi & comedēdi suos spiritus & animas fugaces, quod fit modò ne materia vitrescat, *Materia nostra cur forti igne calcinanda.* Calcinanda solum est, & valde desiccanda ut spirit⁹ intimi & interni qui intimè adhærent corpori suo forti illa calcinatione exhalent, & in vas recipiens transeant, ibiq; permeent & penetrent poros & meatus aquæ in recipiente contentæ, & humiditate aquæ fiant & transeant in aquam, alioquin sua siccitate & ignea substantia à recipiente exirent in auras ne aqua humida in recipiente contenta, ipsos cohiberet & retineret: quod est in arte nostra secretissimum, etsi leve & triviale videatur.

Corporis nostri calcinatio multoties repetenda est. Hanc corporis nostri calcinationem & desiccationem multoties esse repetendam censent omnes Philosophi, per hæc verba multis in locis repetita, tere, tere, tere nō te tædeat prolixitatis quia una & simplici attritione, non censetur tritum & calcinatum nostrum corpus. Donec in pulverem tenuissimam est redactū, & in impalpabilem cinerem, impalpabilis autem hic civis, de qua loquuntur Philosophi, vel est aqua eorum vel sulphur naturæ, quod frequenti corporis nostri solutione & eiusdem calcinatione, ex corpore extrahitur aquæ nostræ & ignis nostri beneficio. *Sulphur naturalis ut extrahatur.* Calcinatio ergo nostra non fit solo igne, ut calcinatio vulgaris, sed etiam cum aqua nostra quæ ignis dicitur, cum eo potissimū igne calcinatur corpus nostrum & *Calcinatio nostra ut fiat.* in pulverem albissimum redigitur, quod tunc temporis censetur calcinatum, & non antea, de hoc corpore, ita loquitur Morienus Romanus, quòd si corpus immundum perfectè non mundaveris, & illud non desiccave-

Morieni Romani verba de calcinatione interpretatio.

caveris neque ipsum bene dealbatum reddideris, & in illud animam non miseris & eius omnem fœtorem non abstuleris, donec post suam mundificationem tinctura in illud incidat, nihil penitus huius Magisterii direxisti. Paucis his verbis, & brevibus, at optimis, & profundis Morienus Romanus calcinationem nostram detegit, & insinuat & filiis, & artis Chymicæ alumnis patefacit.

Calcinatio Chymica quid propriè sit.

Calcinatio ergo nostra corporis nostri mineralis, ad Elixir perficiendum, non tantùm est desiccatio forti, & arida, ut hinc exsurgat corpus infusibile, nihil habẽs quàm terram siccam & aridam, sine ulla humiditate radicali, non est hæc nostra calcinatio, sed nostra calcinatio est spirituosæ & volatilis substantiæ corporis nostri exhalatio & fixæ ejusdẽ substantiæ corporis nostri desiccatio, cum conservatione humiditatis radicalis fixæ & permanentis, quæ exhalari non debet, sed permanere & stare in rigore & vigore ipsius ignis, & hanc corporis nostri siccitatem igneam calcinatione nostra quærimus, & efflagitamus, purã & nitidam quia hæc sola tingit & maturat & perficit. Ad hanc siccitatem puram & nitidam pervenimus nostra sola calcinatione & solutione. Non una tantùm operatione, sed ambabus simul, quia non possumus calcinare nisi solvamus, nec solvere nisi calcinemus, itaque & calcinatio & solutio Chymica sunt duæ operationes ambæ conjunctę & simul colligatæ, ita ut una sine alia perfici & absolvi non possit: Sic calcinatio, nostra est Lapidis nostri summa & suprema purgatio caloris nativi restitutio, humoris innati conservatio, & solutionis inductio, unde & alias habet secum conjunctas solutionis Chymicæ portas & vias ut sequenti capite fiet clarum & apertum, cuivis legenti.

Calcinatio Chymica debet esse cũ conservatione humiditatis radicalis.

Calcinatio & solutio separari non possunt.

De inhumatione, seu putrefactione solutionis Chymica tertia porta.

CAP. XLIX.

Corpus nostrum in sua ipsa aqua liquatum & fusum perquam optimè conjungi cum aqua sua non potest, ut perfectissime attenuetur & aqua fiat, nisi inhumatione & putrefactione Chymica id fiat, hãc autem operationem excogitarunt Chymici Philosophi, ut vapores & exhalationes & fumi ignei & aerei qui in distillatione terræ nostræ, ex terra nostra exierunt & foras prærupuerunt, quiq; meatibus & poris aquæ nostrę adhuc Vigiles sunt & nondum aqua facti, levi ista digestione conclusa fiant tandem aqua, & penetrent unà cum aqua poros omnes terræ nostrę & sic pedetentim fiat solutio nostra Chymica quæ sine putrefactione & inhumatione Chymica commodè fieri non potest.

Corpus ut fiat aqua inhumari debet & putrefieri.

Solutio sine putrefactione fieri non potest.

Est autẽ inhumatio & putrefactio Chymica corporis nostri, seu terræ nostrę in aqua sua solutę, seu liquatę & fusę levis digestio, ut corp⁹ nostrũ cor-

Putrefactio quid sit.

corrumpantur & alteretur, & ad novam regenerationem promoveatur & conducatur, quod quidem commodè fieri non potest nisi prævia inhumatione & putrefactione, inhumatur corpus, dum in aqua solvitur sua, hæc enim aqua est verum & legitimum corporis sui sepulchrum, in hac enim sola aqua, & non alia quavis corpus hoc putrefieri potest & alterari, & perinde verũ est eius sepulchrum, & perinde etiam in ea sola aqua, inhumatio Chymica fieri habet, & est balneum in quo corpus solvi debet & distillari & attenuari, & in subtilissimum pulverem & impalpabilẽ converti, de hac sola aqua infinita Ænygmata Chymica facta fuerunt, quorum explicationes & enodationes dependent ex notione ipsius aquæ & corporis sui.

Mercurius noster est corporis sui sepulchrum.

Hæc enim inhumatio cum corporis nostri corruptione & alteratione non subitò fit & unica corporis nostri solutione in aqua peragitur, sed multis multoties repetitis tùm inhumationibus, tùm solutionibus, & simul desiccationibus & calcinationibus multoties repetitis absolvitur, ita ut pedetẽtim insensibili quadam via, corpus nostrum verè inhumetur solvatur, calcinetur, & putrefiat, atque corrumpatur, donec ultimo moriatur, & ultimos efflet spiritus, quod dum corpus nigerrimum ex ignis violentia & ardore egreditur, testatur & significatur. Et hæc est prima corporis nostri mortificatio, una cum suo spiritu & anima quæ quidem mortificatio prima, in eiusdem corporis & animæ ac spirit⁹ purificatione prima peragitur & absolvitur, in sulphuris nostri productione & sublimatione dum corpus nostrum in salem mirabilem albissimum exaltatur. Datur quidem alia corporis nostri puri & sublimati mortificatio, quæ est secunda corporis nostri puri & sublimati inhumatio & corruptio, quæ simplici cõctione vasis optimè clausis peragitur, de hac non agitur ibi, sed de prima quæ est omnium difficillima, & de qua nihil ferè dixerunt antiqui, nisi per Ænygmata, & Logogryphos obscuros, & intellectu omnino difficiles, quod hac sola clarissime tradita, tota pateat & niteat Alchymia in hac prima inhumatione & putrefactione facienda, errare non potes modò distilles, solvas, calcines, hæc enim fieri non possunt sine inhumatione & putrefactione nostra, dum hæc fiunt putrefacis & inhumas si ingenium habeas, & acumen. perinde hæc dicta sufficiant de inhumatione & putrefactione solutionis Chymicæ tertia porta, ad quartam solutionis eiusdem portam progrediamur.

Putrefactio Chymica ut fiat iterari debet.

Prima corporis nostri mortificatio qualis.

Secũda corporis nostri mortificatio

In prima corporis nostri mortificatione quid peragendum sit.

De ablutione quarta Solutionis Chymicæ porta.

CAP. L.

De hac operatione dixerũt multa & pulcra antiqui omnes Chymici

Ablutio Chymica ut peragatur

quid contē plandum.

mici & præceperunt ut ablutionis notitiam penitus haberemus, ut mulieres lavantes pannos consideraremus quæ quidem ut pannos suos abstergant, & à maculis crassis & inhonestis vindicent, & puros & nitidos reddant, igne & aqua abstergente indigent. Sic Chymici Philosophi materiam habent multis excrementis scatentem, eamq; nitidam & purissimam facere contendunt & peroptant, in nitiditate enim & puritate huius materiæ, consistit eorum felicitas temporalis, & huiusce vitæ verum & legitimum gaudium.

Impuritate & nitiditate materia Chymica consistit felicitas Chymicorum.

Hanc ergo materiam cùm puram & nitidam peroptēt imitari habent mulieres lavantes pannos, & cùm hæc pannorum lavatio sit opus mulierum, unde dicitur passim apud Chymicos comparatione facta, opus nostrum Philosophicum & Chymicum esse opus mulierum, cùm tamen sit opus magnum & maius magno & acutissimis & ingenio acutissimo præditis, & altissimo ac profundissimo intellectu condecoratis, & exornatis viris solis debeatur ut testatur ipsamet experientia, quæ ex millibus vix unum virum nobis exhibet. Hoc opus tenentem & habentem.

Opus Chymicum cur dicatur opus mulierum.

Non est ergo opus mulierum, nisi in quantum mulieres lavare & abstergere maculas à pannis nobis ostendunt, nosq; docent: sic & simili via, at altiori & abstrusiori, nos debemus materiam nostram obluere à maculis suis, igne & aqua uti ut & mulieres. Aqua tamen nostra, non est fluviatilis communis & vulgaris aqua, sed est aqua igne plena, igne quidem naturali & cœlesti, ex visceribus ipsius materiæ ortum & scaturiginē habens: hac quidem aqua uti debemus, ad ablutionem nostram faciendam, & dum inhumamus & putrefacimus etiam abluimus, quia dum materiā nostram post calcinationem suam & fortè distillationē aqua nostra dissolvimus, excrementa quæ nō sapiunt essentiam & naturā materiæ nostræ, non solvuntur, sed fundū vasis petunt & hypostasi facta glomerantur in unum, quod facili via per inclinationem aut filtrū separari potest, & sic materia nostra abluitur igne & aqua.

Aqua qua lavatur materia Chymica nō est fluviatilis.

Materia Chymica qua via abluatur.

Hancque nostram Chymicam ablutionem occultarunt antiqui, sub Ænygmate Salamandræ, quam igne vivere & se purificare narrarunt, & etiam sub lino albestino quod igne albescere & maculas suas deponere contendunt, hæc quidem nostra materia igne forti & violento delavat & maculas suas omnes deponit, ita ut aqua sua, deinde eas maculas & sordes apparentes & manifestas faciat, & sic verissimum est, materiā nostram igne & aqua indigere, ut se à maculis & sordibus naturalibus suis, quibus scatet vindicare possit. Ablutio ergo Chymica nostra non differt ullo pacto à calcinatione & solutione nostra & putrefactione, & inhumatione, dum calcinamus distillamus, solvimus, putrefacimus & inhu-

Ablutio Chymica sub salamādra vita obscurata.

Ablutio Chymica nō differt à calcinatione nostra.

inhumamus nostram materiam, tunc ipsam abluimus à sordibus suis, & in quantum hæ operationes abstergunt materiam nostram à fecibus & sordibus suis, in tantum hæ operationes dicuntur ablutio Chymica, de qua tractarunt antiqui separatim, ut hinc notitiam haberemus abstersionis & mundificationis nostræ aquæ & ignis, sine quibus hanc ablutionem & mundificationem absolvere non possemus, abstergit siquidem & mundificat aqua nostra imò & calcinat, & urit magis quam ignis, at aqua ipsa qua utimur ad ablutionem nostram peragendam, mundissima esse debet, & septies aut pluries distillata, ut à nigredine sua privetur, & sic candida & albissima fiat: cum mundis enim mũdamur, & cum fœtidis & excremensosis deturpamur. Cogita ergo apud te, qua via & qua methodo Chymica, ablutionem Chymicã absolvere & perficere queas, nisi enim rectè & perquam optimè abluas, nihil in Chymica utile habebis, & maiorem notitiam hoc in capitulo habes, nostræ huius ablutionis quam in totis & integris Chymicorum omnium voluminibus, quod tibi erit ipsamet experientia manifestum & clarum si alios perlegas Chymicos: ad quintam ergo solutionis nostræ portam accedamus.

Aqua & ignis noster materiam Chymicam abluunt & mũdificant.

Sine ablutione Chymica nihil perficitur in Chymia.



De divisione quinta solutionis nostra porta.

CAP. LI.

POstquam abluta sunt corpora nostra, animæ & spiritus nostri, tunc temporis dividenda sunt, ut adhuc rectè magis ac magis abluantur per divisionem nostram, nam spiritus & anima possunt quidem à se invicem separari & distinctis & separatis distillationibus, & vasis per. optimè mundari repetitis distillationibus, inhumationibus & putrefactionibus levissimo calore factis, & hoc omne inter distillandum peragi potest. Corpus item nostrum & anima fixa ignea, quæ semper corpus comitatur, possunt etiam simul præparari & igne calidissimo calcinari, donec mundetur corpus à nigredine, quod tandem fit contritionibus & calcinationibus repetitis & tunc anima fixa, quæ est oleum incombustibile, pars illa fusibilis in corpore & corpus ipsum, mundantur à fecibus suis & sordibus omnibus & oleum fit rubeum & ignitum & corpus item, quod quidem tunc temporis fixat animas fugaces, seu oleum citrinum quod quidem cum spiritu albo & tenui potest præparari, vel separatim: in fine tamen distillationis possunt à se invicem separari, & seorsim custodiri quia in reductione hæc omnia fiunt unum cum corpore & figuntur perfectissime cum corpore

Divisio & separatio quid facitur in Chymia peragenda.

Corpus & anima vos sunt simul praparari.

Divisio Chymica ut fiat.

corpore puro & nitido, sed separatim & non confusè sunt illi corpori propinanda, ut albedinem summam & fixam habeamus, corpori fixo & nitido propinâdus est spiritus albus & nitidus, postquam autem hæc simul fixa sunt & urget ignis calor fortis, apparente colore citrino in corpore propinandum illi est oleum citrinum, ut urgente calore, hæc citrinitas transeat in rubedinem quam auro communi, deinde soluto fermentamus, ut ad ultimam perfectionem terram nostram hac fermentatione perducamus, dividimus ergo substantias nostras quæ etsi plures sint, tamen ab una & eadem substâtia prodeunt in principio operationũ nostrarum, quæ quidem substantia cum mineralis sit, & cruda valdè & indigesta, etsi multum in se ipsa contineat ignem & aërem, quæ coctionem & maturitatem in omnibus efficiunt, nihilominus tamen in hac nostra substantia minerali tantum est æquæ crudæ & indigestæ & terræ crassæ & ponderosæ, ut ignis & aër quæ in ea sunt non possint naturali via, hâc cruditatem & indigestionem vincere & superare: Quare hæc substantia indiget arte, & operatore optimo docto & subtili, & laboris summi patiêti, ut industriâ suâ hæc substâtia possit percoqui & maturari. Et ut hoc cõmodè fieri possit, indiget laborator divisione Chymica. Nã aqua cruda & indigesta', quæ separatur unà cum aëre facili via cum aere, cum quo separata est, coquitur & maturatur, aer enim adiuvat coctionẽ, quòd si nõ separaretur à terra sua, terra sua ꝑpter grossitiẽ, frigiditatem & siccitatem impediret hanc coctionem & perinde depurationem & mundationem.

Spiritus corpori quo modo iungendus.

Aer & ignis maturitatẽ faciunt.

Summa est adhibenda patiẽtia in materia Chymica præparanda.

Terra Chymica ut præparanda.

Terra similiter nisi separaretur ab aqua sua, aqua sua propter frigiditatem & humiditatem suam, crudam & indigestã impediret etiam ne terra sua frigida & sicca, & grossa & indigesta perveniret unquã ad coctionem & debitam digestionẽ, ad quam pervenire habet ut perficiatur. Cùm autem terra separata est ab aqua sua & aëre, manet cum igne suo: facili via præparatione nostra, calcinatione purâ & solutione, pervenit ad ultimam suam & absolutam coctionem & maturitatem, & perinde ad ultimum suum perfectionis gradum.

Hinc colligere facillimum est, quãtæ sit necessitatis divisio hæc nostra, ad opus nostrum perficiẽdum. Clamant tamẽ nonnulli nihil esse dividendum, nec addendũ operi nostro, sed materiam nostram vasi includendam, & Hermetico sigillo clausam & obturatam Vulcano esse tradendam. Quòd asserant ipsi materiam nostram se ipsam solvi, sed ipsam distillari, se ipsam dividi, se ipsam inhumari, putrefieri, calcinari, occidi & tandẽ se ipsam à mortuis suscitari, quod verissimum esse scio, sed hoc de secundo opere intelligẽdum est, nam in hoc opere materia nostra pura & nitida, & verè nostra est,

Cur dicant nonnulli nihil in opere nostro esse dividendum.

 in pri-

in primo autem opere antequam sit pura & nitida, tunc temporis non est adhuc nostra, sed naturæ, & præparatione nostra efficienda est nostra. Et tunc temporis verè asserere possumus materiam nostram nihilo indigere, quam ut recludatur in vase optimè clauso & tradatur Vulcana custodienda & digerenda. In illa enim sola digestione se ipsam verè perficit, nullo addito alio. Quare estote prudentes & verba Chymicorum summa cum prudentia ponderate, ne ab eorum æquivocatione seducamini, & hæc vobis, Amici Lectores, sufficiant de divisione nostra Chymica, ad Elixir perficiendum summopere necessaria. Transeamus jam ad reductioné Chymicam, sextam solutionis Chymicæ portam.

Materia Chymica in quo operationis gradu dicatur esse materia Philosopohrũ

De reductione Chymica Sexta solutionis Chymicæ porta.

CAP. LII.

Reductio est optima solutionis porta, & quare fiat

QVamprimum omnia pura facta sunt candida & nitida per divisionem nostram superiori in capitulo traditam; Chymici deinde Philosophi solent, ea ipsa divisa iterũ in unum conjungere, & illam coniunctionem, reductionem dicũt, quam etiam matrimonium appellant, & sub eo multa allegorica de reductione sua enarrant, quę quidem reductionis Chymicæ naturam & proprietatem ostendunt artis Chymicæ alumnis. Reducuntur autem in unum omnia postquam per divisionem pura facta fuerunt candida & nitida, à sordibus suis mundata omnibus, ut tingant & permaneant in tinctura, hoc est in tingendis & perficiendis metallis imperfectis. Alioquin enim tingere non possent, & tingendo permanere & stare & persistere fixa. Quia spiritus & anima terræ nostræ, in quibus potissimum penetrationis & tincturæ consistit facultas & proprietas, non possent persistere in violentia ignis, nisi haberent terram fixam & fundentem secum annexam in qua sola terra consistit fixio & permanentia, ideo sola in præparationibus nostris omnib⁹ semper terra manet in fundo vasorum & ignis violẽtiam quãcumque patitur, ita ut si spiritus & anima iterum reducantur in terram suam ex qua extracta sunt & separata, postquam unita sunt & coniuncta forti unione & nexu, ut separari non possint, terra tingit & penetrat spiritu suo & anima, & quia ipsa solet in ignis vigore persistere, tinctura deportata per terram semper permanet & pſistit, & est æterna & perennis, figuntur autem anima & spiritus terræ nostræ in terra sua facili via, quia sunt de natura & essentia terræ, indigent tantùm depuratione sua & reductione in terram suam puram itidem & mundam, quia alioquin uniri non possunt & perfectè coniungi, nisi perquam optimè pura sint omnia quæ reductionem nostram pati habent, excrementa siquidem

Nisi omnia quæ ex materia nostra separantur, in unã substantiã purã & candidã reducantur nihil proficiunt.

Terra semper manet fixa ut reliqua fixet elementa.

Excrementa impediunt perfectam unionem animæ & corporis.

quidem impediunt illam perfectam unionem & reductionem, quia partes non possunt immediatè se tangere, quòd excrementa intermedient, & perinde facili negotio dum urget ignis separantur à se invicem, quia quæ fixa sunt in tali composito, non possunt defendere volatilia à violentia & impetu ignis, cùm excrementa quæ permixta sunt impediant illam defensionem & tutelam: Postquam verò pura facta sunt nitida & candida, ab omnibus excremẽtis vindicata, tunc temporis purum terræ fixum & permanens defendit omninò animam & spiritum à violẽtia ignis quia anima & spiritus nõ possunt exhalari & evaporari quin secum trahant terrã cui intime annexa sunt, terra autem cùm sit fixa, & impetus ignis soleat negligere, retinet animam & spiritum suum, & docet ipsos cum igne præliari.

Reductio Chymica ut fiat.

Conjunctio ergo illa terræ nostræ cũ anima sua & spiritu suo, est reductio nostra, quæ secundùm leges & normas Chymicorũ solet fieri postquam omnia pura facta sunt: terra ponitur albissima, aut saltẽ subpallida, in alembico vitreo aut in retorta vitrea, & irroratur pauca aqua seu spiritu perquamoptime puro, & rectificato septies saltem & ponitur in digestione levi per octo dies, vase optimè clauso, ut circulatione & rotatione spiritus seu aquæ pars ignea istius, aquæ remaneat in terra & uniatur terræ. Deinde irroratur iterum pauca aqua, & iterum digeritur & circulatur per octo dies vase clauso, ut iterum terræ uniatur spiritus, & si quid est in ipsa aqua, quod non redoleat naturam spirit⁹ ignei, sed aquæ fontis sapiat naturam, ipsũ separandum est & evaporandum, non oportet enim ut aliquid remaneat in terra, quod non sit igneum vel saltem æthereum, ut terra nostra fiat verus ignis & æther. Tunc enim habemus ultimum Alchymię intentum, dùm terra nostra conversa est in ignem, hoc autem obtinemus per spiritus & animæ unionem cum terra sua, quod reductione nostra Chymica peragimus frequenti irroratione terræ, & desiccatione & calcinatione eiusdem post imbibitionem & frequentem irrorationem terræ cum spiritu suo & anima sua, donec terra hæc, quinquagesimam partẽ sui ebiberit animæ suæ vel spiritus. Et hoc ex mente & sententia omnium practicorum Chymicorũ, quos consulere habes super reductionem nostram, si hæc tibi non sufficiant, jam ad ultimam solutionis nostræ portam deveniendum est, quæ est sublimatio Chymica.

Terra Chymica ut fiat ignis.

De sublimatione Chymica septima & ultima solutionis Chymica porta.

CAP. LIII.

Soluta quæ verè dicantur.

Quæ verè soluta sunt ex vigore Chymicę artis vere soluta dicũtur, ea tantùm sublimari possunt

 nec

nec prius veram nostram sublimationem pati quæunt, quin verè soluta sint, sunt auté vere soluta, cum perfecte cójuncta sunt, divisa & reducta in unum, & pura omnia facta, non possunt enim, uti superiori in capitulo probavimus in unum reduci & conjungi, nisi pura sint & candida omnia & tunc temporis etiam sublimationi nostræ sunt idonea & vere volatilia facta sunt, & corpus factú est spiritus & anima, & completum est quod asserunt Chymici dum clamant si fixum solvas faciasq; volare solutum & volucrem figas faciam te vivere tutum: fac ergo agnitioné, inquit Arnaldus Villonovanus inter clarum & limpidum eius, quoniam cum albissimú, ut nix ascenderit, tùnc completum erit. Colliges ergo eum caute, ne evolet, in fumú, quoniam ipsum est quæsitum bonum, terra alba foliata, congelans congelandum & mundificans arcenicum, & sulphur album, quod Aristoteles asserit, quòd sit res optima, quá recipere possunt Alchymistæ ut ex ea faciant argentum. Ex his Villonovani verbis satis clare colligere possunt artis nostrę alumni, quid sit sublimatio nostra Chymica, & qua ratione, via & methodo fieri habeat. Postquam enim corpus nostrum minerale quod assumimus ad Elixir Arabicum perficiendum, purum & candidum factum est, anima item sua & spiritus purissima facta sunt hæc omnia, & coniuncta simul & reducta in unum, tunc inquam, temporis vasi vitreo, seu alembico vitreo imponenda sunt, & vulcano satis forti robusto committéda, ut actione istius Vulcani hæc omnia in vase vitreo urgeantur & sursum ad partes superiores vitrei vasis deferantur, relictis in fundo vasis scoriis & fecibus huiusce nostrę materię quæ nihil prorsus valent, si puræ feces & scoriæ sint quod ita cognoscimus, si feces hæ non adhæreát vasis fundo sed volubiles sint tanquá pulvis lenis & aëreus, qui lenissimo sufflatu evanescit in auras. Quòd si adhæreat fundo vasis sublimatorii & ponderosus sit signum evidens est, quod in tali materia restat aliquid adhuc boni, quod non potuit sublimari, quod adhuc perfecte solutum non sit, ideo eget solutione, ideo corpus istud iterum solvendum est, & purificandum à fecibus suis, quæ non possunt solvi aqua nostra, quòd non sint de natura & essentia eius, & postquam solutum est & desiccatum, sublimationi nostræ tradédum, ut totum deferatur ad partes superiores alembici nostri, in formá nimis albissimi, hæc est terra foliata nostra, & sulphur album naturæ solutum, perfectum, & absolutum, quo solo egemus ad perficiendum & complendum elixir ad album, cui soli debemus conjungere ad abbreviandum opus, argentum commune & vulgare, aqua nostra mercuriali solutum, ut melius & fortius cum sulphure nostro cóiungatur, & inseparabiliter semper adhæreat, & tincturam summam, & per-

Sublimatú Chymicum quid propriè sit.

Folia terra quid propriè sit.

Terra foliata ut perficiatur quo egeat.

perfectam suã illi communicet, hoc autem sic conjunctum non eget nisi simplici coctione in vase optime & hermetice clauso, de qua quidẽ coctione simplici ænigmatica multa dixerunt Philosophi antiqui sub nomine & titulo fixionis & perfectissimæ cógelationis, quæ est finis & corona totius Alchymiæ, ut capite sequenti fiet manifestum.

De fixatione seu congelatione perfecta animæ & spiritus cum corpore puro.

CAP. LIV.

Finis ultimus Alchymiæ qualis.

FInis ultimus totius Alchymiæ, corona & gloria absoluta est habere corpus purum ab omnibus suis excrementis & fœcibus elementaribus vindicatum cum anima sua & spiritu conjunctum, hoc est purissima astrali & cœlesti sua substantia quæ illi anima & spiritus dicitur, actuatum & informatum hoc quidem corpus minerale, & metallicum ita præparatum Chymica arte est verus finis, & ultimus scopus totius Alchymiæ, ad illum finem, & scopum vergit Chymistarum omnium conatus & labor, & est vera & legitima totius artis Spagyricæ corona & gloria, quocirca antiqui omnes Philosophi, ut illam coronam & gloriam ultimam indicarent, hominem cum gloria & luce & sepulchro mortis resurgentem depinxerunt: Nam corpus nostrum Chymicum Microcosmus dicitur, & verus homo, non quod anima rationali & intellectuali actuetur, sed quod hominem verum ab omnibus morbis defendat, & tuatur ipsum ab omni miseria & calamitate, & quòd virtutes omnes cœlestes & elementares in ipso sint tanquam in compendio reductæ, ideò dicitur Microcosmus ut homo, & perinde etiam verus homo, cum ab ipso solo corpore, homo perfectè vivat & intelligat, sensus enim omnes acuuntur, & perficiuntur usu huiusce corporis: Quidni ergo jure meritò hoc corpus etsi minerale & inanimatum, vera anima, insigniri poterit nomine & titulo hominis & Microcosmi. Cùm autem homo verus non possit à morte & miseriis quibus obnoxius est in hoc sæculo vindicari, nisi in alio sæculo post suam resurrectionem, ideo per hominem in hoc sæculo viventem, & miseriis & calamitatibus plenum, non possumus perfectionem istius corporis nostri mineralis, & gloriam ipsius ostendere & manifestare, superest ergo & per hominem gloriosum, lumine plenum & à morte surgentem id ipsum indicare, & commonstrare valeamus, non ergo temere fecerunt antiqui, ut ostenderent hanc perfectissimam, & summã totius naturæ perfectionem, dum hominem à mortè surgentem, & lumine & gloria circumdatum depinxerũt, nihil enim homine glorioso, & à morte surrecto perfectius inveniri potest, nec excogitari in rebus crea-

Cur antiqui Chymici resurgentem hominem depinxerunt ut indicarent fixationem perfectam Chymicam

Materia Chymica cur dicatur Microcosmus

creatis, ut ergo hanc naturalem perfectionem verissime demonstrarét, non perfectius indicare potuerunt, quam indice, in rebus omnibus perfectissimo, homo siquidem est mensura & regula rerum omnium.

Homo mensura rerum omnium.

Congregatio & fixi. Chymica quid.

Hanc ergo perfectionem, summã & supremam, à Chymicis omnibus tantopere decantatam, habere non possumus nisi congelatione nostra Chymica, quæ est operatio Chymica, qua corpus nostrũ, anima & spiritus, reducta in unam substantiam puram & nitidam & sublimata & elevata vi ignis, in corpus unum volatile summopere purum, coctione continua & perenni fit fixum & permanens contra omnes vulcani impetus, & penetrans & tingens ac omnino perficiens: hęc autem operatio quam fixationem & congelationem dicimus sola tantùm coctione indiget & igne lente agente & perenniter, de qua clamarunt antiqui coque, coque, coque, & iterũ coque nec te tædeat prolixitatis, tota enim in coctione præsenti consistit perfectio Chymica. Ex hac enim sola coctione & elixatione exsurgit corpus nostrum gloriosum, & lumine plenũ quod hominem dixerunt ex morte & sepulchro surgentem incorruptibilem, & immortalẽ ut enim homo ante resurrectionẽ suam, morbis omnibus est obnoxius & mortẽ ipsam pati debet ut fiat immortalis, sic & homo Chymicus, hoc est corpus minerale nostrum antequam præparetur, & arte nostra acquirat summam illam sui ipsi⁹ perfectionem morbis omnibus, hoc est alterationibus & corruptionibus est obnoxium, post verò suam præparationẽ, dum corruptionẽ suã & mortis causas deposuerit omnes, est imortalis & incorruptibilis, hoc est perenniter durat, nec ullos timet ignes, nec alias elementorum aliorum alterationes, sic homini & mortali, & incorruptibili facto potest comparari. Vnde rectè & sapienter Morienus Romanus Eremita Hierosolymitanus, nobis asserit hunc lapidẽ assimilari homini & mundo & mundi compositioni, quod mundus hic, & homo ut sunt perpetuis agitentur & urgeantur corruptionibus, & alterationibus, sic & Lapis noster ut est à natura ipsa, est perpetuis alterationibus & corruptionibus obnoxius. Et ut mundus & homo postquam omnes has passi fuerint alterationes, & ultimum ignis & Dei ipsius Creatoris judicium veluti cæmentum transierint, fiét incorruptibiles & inalterabiles, sic & lapis noster quadantenus & symbolo quodam umbratili mundi huius & hominis fabricam & alterationum suarum aleam & permanentiam repræsentat.

Materia nostra Chymica cur assimiletur homini.

Lapis assimilatur mundo & homini & quare.

Persistit adhuc Morienus in symbolo lapidis nostri, & hominis nobis declarando, asseritq; Lapidem Chymicum creationi hominis & vitæ ipsi⁹ assimilari, ut enim homo habeat esse & vivat necesse est ut homo & fœmina simul coëant, & ex coïtu illo impregnetur mater & concipiat.

Deinde

Lapidis assimilatio cum hominis creatione.

Deinde legitimo tempore pariat & tandem partum suum nutriat, ut ipso alimento ad ætatem perfectam deveniat. Si enim, inquit, non fuerit coitus, non erit conceptio, & si non fuerit conceptio non erit pręgnatio, & si non fuerit prægnatio, ortus & partus nullo modo sequetur & ita non producetur homo. Sic & lapis noster nullo modo erit, nisi materiæ duæ assumantur, quæ patri & matri assimilentur, & simul jungantur, & ex illa conjunctione concipiat mater & impregnetur, & tandem pariat, & nutriat partum suum, donec ad ætatem perfectam devenerit. Quod quidem valde obscurum est nisi interpretetur, & ut Colophonem ultimam imponam huic volumini in gratiam filiorum Hermeticorum, hanc Provinciam suscipiam, ut percipiant artis alumni, miras has similitudines omnino quadrare cum operationibus Chymicis, antea declaratis & expositis.

De coitu Chymico Morieni, & cui Chymicæ operationi respondeat ad lapidem Philosophorum producendum.

CAPUT LV.

Interpretatio Morieni Romani de coitu Chymico ut inde lapis producatur.

ASserit nobis Morienus, nisi mas & fœmina Chymicorum simul coëant & concipiat fœmina, impregnetur & pariat lapidem eorum qui est partus hujus fœminæ exsurgi nō posse, qualis quæso loquendi & scribendi modus, quis vidit mineralium coitum, conceptionem, prægnationem, & partum & ultimò nutricationem quales masculos, quales fœminas & nutrices alit, & habet aqua & terra, quæ sunt origo & scaturigo vera omnium mineralium & metallorum, quis sexus vidit unquam distinctos inter mineralia & metalla, ex quibus mas & fœmella Chymicorum desumi habent: hoc prorsus allegoricum est, & similitudine quadā desumptum ex animalibus, quæ tantùm coitu prodeunt conceptione, prægnatione & partu & tandem nutricatu perficiuntur.

Sic & materiæ Chymicorum, quæ ad Elixir conficiendum assumi debent, non possunt separatæ & sejunctæ hoc elixir, quod est harum materiarum verus & legitimus partus in lucem edere & producere, quin conjungantur simul, & earum rerum conjunctio respondet similitudine quadam animalium perfectorum coitui; ut enim animalia perfecta ad multiplicationem simul coïre necesse est, & in tali coitu necesse est, ut emittant sperma & semen suum, quod permisceri debet in ventre & utero fœminæ, ubi tepido calore naturali ipsius fœmellæ foveri habet & menstruo enutriri, ut accrescat & germinet, & tandem perficiatur fœtus qui ex commixtione seminum horum ortum habuit.

Materia Chymica qua mare & fœmina distinguuntur.

Pari ferè modo materiæ nostræ, quæ qualitatibus suis & proprietatibus masculo & fœminæ animalium perfectorum quadantenus cor-

respon-

tur coire inter se debent ut progignant lapidem.

respondent, & perinde mas & fœmina dici & nuncupari solent, assumi debent & præparari & vestibus exornari perpulchris & nitidis, tanquam sponsus & sponsa, ut sibi placeant, & amicitiam contrahant: Inimici enim possunt difficili cum ratione simul coire, & in amplexus ruere amoris, ut inde exoriatur conceptio & fœtus. Amicitia ergo contrahenda est prius inter ipsas materias, ut simul jungi possint & coire. Contrahitur autem amicitia & amor inter ipsas materias, dum simul præparantur & in præparatione sua vindicantur ab excremẽtis omnibus, quibus si asent quorum excrementorũ ope, inter se inimicantur, postquam autem excremẽtis suis omnibus expoliatæ sunt vel vestibus puris & cãdidis exornatæ, tunc temporis facili via matrimonium contrahere possunt & simul jungi & coire, & hæc conjunctio & matrimonium & coitus respondet reductioni Chymicæ superiùs capite LII. declaratæ in aliis siquidem operationibus Chymicis, Coitus hic Morieni celebrari non potest cum ante hanc operationem impuræ sint materiæ, & corruptioni obnoxiæ, & perinde inimicæ, quæ dum inter se inimicantur, amorem inter se contrahere non possunt, nec perinde inter se coire ut fœtum Morieni producant & ipsum nutriant.

Materia Chymica antequam simul junguntur excrementis suis expoliari debent & quare.

Cogita ergò apud te, Amice Lector, qualis debeat esse hic Morieni coitus, & quo tempore celebrandus, ut hinc exsurgere possit fœtus ejusdem Morieni, quem videre & possidere tantoperè exoptas, non quovis in tempore, & quavis materia, quovis modo præparata fieri & celebrari nõ potest hic coitus, quo non peracto, perit tota Alchymia sive ejus fructus. Quocirca, Amice Lector, te admonere volui, ut perpendas summo cum judicio, hunc Morieni coitum. nam ex hoc dependet felix omnis totius Alchymiæ successus, & eventus, nec hic coitus solus prodest tantum nisi post coitum hunc materia nostra, quæ fœmellæ respondet, concipiat, de qua conceptione jam tibi secreta pandenda & demonstranda sunt, ut Morieni Allegoriæ tibi sint omninò notæ & manifestę.

Qualis esse debet Morieni Chymicus coitus & quo tempore fieri habeat ut perfectio Chymica habeatur.

De conceptione Chymica Morieni & cui operationi Chymicæ respondeat.

CAPUT LVI.

Desponsatæ materiæ nostræ hoc est rectè & perquamoptimè præparatæ ad coitum & matrimonium disponuntur, & dum inter se perfectissimè uniuntur emittunt purum sui, quod est earum semen & aqua nostra, quæ dicitur fœmina nostra recipit semen sui viri hoc est recipit purum sulphuris, vel rubei, vel albi, & intra se in visceribus tanquam in utero suo custodit & fovet calore suo, Quod quidem sulphur album vel rubeum, permiscetur in ventre aquæ, cum puro aquæ, & illud purum aquæ censetur semen fœmellæ quod

Conceptio Chymica ut fiat quid agendum.

Fœmina Chymica qualis.

quod quidem permiſcetur cum puro ſulphuris albi vel rubei, & ex hac permixtione, modò fœmella noſtra concipiat, hoc eſt retineat illud purum ſulphuris albi vel rubei, & calore ſuo foveat, exſurgit fœt⁹ ille Chymicorum, qui cenſetur lapis ille tantopere decantatus. Concipit autem fœmella noſtra & retinet facili via ſemen viri ſui, hoc eſt ſulphuris albi vel rubei, modò pura ſit & ab omni ſorditie vindicata, ſi enim adſint ſordes & maculæ, ita ut his coinquinetur fœmellæ uterus, concipere non poteſt, fœmella hæc ideo purganda eſt & balneanda & diſtillanda ſæpe ſæpius, ut his purgationis viis, fiat apta & idonea, ad concipiendũ & retinendũ viri ſui ſemen, niſi enim cõcipiat & retineat ſemen illud, parturire nõ poteſt, & perinde fruſtra sũt omnia: Quocirca pernotandæ ſunt purgationis & depurationis noſtræ viæ & methodi ſuperiùs declaratæ, ut materiæ noſtræ perquam optimè depurentur, alioquin conjũgi & inter ſe coire non poſſunt, nec perinde concipere, ut ergò perquam optime concipiat fœmella noſtra, quæ eſt aqua noſtra mercurialis, ſepties eſt diſtillanda, donec candorem omninò cœleſtem acquiſiverit, ſulphur etiã noſtrum ſepties eſt etiam ſublimandum per ſe & ſine fecibus ullis, donec etiam nitorem habeat ſummum, tunc temporis conjungendæ ſunt hę materiæ, aqua pura noſtra & ſulphur noſtrum, una pars ſulphuris ſumopere puri cum quatuor partib⁹ aquæ noſtræ itidẽ puriſſimæ, & vaſi vitreo immittẽdæ, & firmiter ſigillo Chymico concludendæ, & Vulcano levi & debili, per novẽ menſes committendæ. Per hoc tempus coeunt & conjunguntur hæ materiæ & aqua noſtra cõcipit virtutẽ ſulphuris noſtri, & ſignum primũ concepiſſe fœmellam noſtram, eſt nigredo hujuſce materiæ & coagulatio quędam aquę noſtrę, per virtutẽ ſulphuris noſtri: & hæc omnia fiunt in reductione noſtra, dum partes naturæ noſtrę ſimul ſeparatę, propter earum depurationem, iterum ſimul conjunguntur, ut in coctione ſua purũ ſui quod eſt earum ſemen, ſimul emittant & inde exſurgat conceptio noſtra, quã ritè peraget modò exactè ac rigidè ſequaris ea omnia, quæ tibi dicta ſunt in ſeparatione & depuratione materiæ noſtræ, hæc enim conceptio non eſt opus artis & artificis, ſed ſolius naturæ, quæ modo ritè præparata ſit, & diſpoſita ad conceptionem illam peragẽdam, ipſamet ſponte ſua facili via fertur ad conceptionem, modò ne impediatur. Impeditur autẽ multis modis, ſi debito calore externo, calor internus non foveatur: extinguitur enim tunc temporis actio interna naturæ, qua ceſſante ceſſat & ejus opus. Si locus ſeu uterus in quo debet fieri illa conceptio non ritè claudatur, ita ut evaporet ſpiritus ille caloris interni quo intrinſeca perficitur actio, tunc enim temporis abſente cauſa illius actionis, ceſſat & actio talis,

Mas Chymicus qualis ſit.

Fœmella Chymica ut concipiat qua ratione præparanda ſit.

Sulphur chymicum & aqua qua ratione præparanda ſunt.

Quo in pondere materiæ Chymicæ præparatæ ſint conjungendæ.

Conceptio vera & perfecta Chymica materia non eſt opus artis ſed opus naturæ & quot modis impediatur illa cõceptio.

Si nimis etiam urgeatur ignis & calor externus, quo foveri debet & conservari calor internus, tunc etiam temporis cessat illa actio cùm adurantur & destruantur materiæ internæ, ex quibus oriri debet talis actio, hæc præcipuè præcavere debet cautus & doctus Operator, debite enim & rectè præparata materia & suo vasi inclusa, & reclusa & externo adhibito levi calore continuo & perenni nihil aliud pertimescendum est, natura siquidem prudens & docta modò docte & prudenter conducatur, docte & prudenter omnia peragit, & semper ad scopum intentum pertingit & collimat. Dispone ergò naturam docte & prudenter, & natura deinde ipsamet sponte sua perveniet ad opus, ad quod tendit nec te ullo modo frustrabit, sed te labore tuo beabit.

Natura semper tendit ad intentum suum nisi impediatur.

De prægnatione Chymica Morieni, & cui operationi Chy[mica] respondeat.

Caput LVII.

Prægnatio Chymica quid sit.

Post conceptionem sequitur prægnatio, quæ nihil aliud est, quam manifesta incrassatio, & coagulatio aquæ nostræ, dum enim aqua nostra perfectè conjuncta est cum suo sulphure, sulphur vi ignis sui coagulat aquam, & aqua incrassescit & congelatur in substantiam crassam & pinguem, picis liquatæ similem & hæc est prægnatio Morieni: quæ quidem prægnatio ut & conceptio, est operatio naturæ intrinsecus agentis in se ipsam ut se perficiat adjuta calore ignis externi suavi & lento, ut lentitudine & suavitate sua moveat tantum calorem internum, & ignem naturę ad motum suæ perfectionis, ad quem naturaliter tendit suis variis alterationibus, unde videmus materiam nostram, nunc hoc, nunc illo colore variegatam, quod est signum certissimum suæ variæ alterationis. Quod quidem videmus præcipuè in prægnatione nostra, dum aqua mercurialis nostra (quæ est subtilior & aquosior pars terræ nostræ, in forma aquæ limpidæ & candidæ, ponderosæ, pinguis & glutinosæ & acetosæ qualitatis, unde acetum dicitur acerrimum) coagulatur & condensatur in substantiam crassam, pinguem & glutinosam nigri coloris, quæ magis ac magis agente calore, tum interno, tum externo crassescit & condensatur, variantibus coloribus, nunc flavo, nunc viridi, nunc nigro, subnigro & nigerrimo, quæ omnia variam illam, quam interius patitur alterationem materia nostra satis superque indicat atque commonstrat; sulphur nostrum agens in aquam sui similem, vult eam sibi ipsi omnino similem reddere, & in suam ipsam substantiam convertere: quod tamen fieri non potest subito, cum adsint qualitates in ipsa aqua, quæ illud nolunt, unde vincendæ sunt, & perinde alterandæ pedeten-

Aqua mercurialis ut perficiatur quales in ea superandæ & vincendæ sint qualitates.

pedetentim levi externo calore adhibito, ut tandem qualitates illæ aquæ nostræ quæ sulphuri contrariantur occultentur & petant centrum aquæ, & aliæ similes, quæ omnino occultæ erant, fiant manifestæ & jungantur sulphuri nostro, & tunc aqua nostra facta est verissimum sulphur, & verissime imprægnata est, ut ita loquar à sulphure nostro. Et hoc fit dum materia nostra vasi nostro reclusa Leucophæo exornata est colore, & subalbido vestita indusio. Tunc verè prægnans est mulier nostra, & vivit fœtus, si allegoricè ita loqui valeam, Philosophorum, qui quidem lente & suavi cum igne est fovendus, ne nimio igne pereat & occidatur. satis habet alimenti intrinseci, nihil adhuc opus habet, quam solo igne levi & dulci extrinsecus adhibito. Quæ enim intrinsecus administrari debet, & pater & mater, quæ illi præstò adsunt, abunde ministrant. Hæc est ergò prægnatio nostra Chymica, quam Morienus nobis brevissimis describit verbis, differt à conceptione, quod in conceptione aqua nostra incipiat coagulari, & condensari in substantiam crassam & pinguē subnigram, hic verò in pregnatione nostra, aqua nostra condensetur, in subcandidam & Leucophæam substantiam, & hoc fit in uno & eodem vase, & in eodem furno & igne. & hæc operatio, coctio vocatur simplex & elixatio quod res quæ coquuntur adhuc madidæ sint & humidæ: Et hæc de pregnatione Chymica Morieni dicta sufficiant.

Aqua mercurialis ut impregnetur à sulphure.

Fœtus philosophorū quo igne fovendus.

Pregnatio & conceptio qua ratione differant.

De partu & ortu Chymico Morieni & cui Chymica operationi respondeat.

CAPUT LVIII.

QVamprimum adoleverit fœtus Chymicorum in ventre matris suæ, parturiat mater necesse est & exoriatur fœtus, qui adeo ferus est & crudelis ut quamprimum exertus est & à ventre matris exclusus, matrem devorat & patrem. & ipsos assumit in alimentum, & moritur pater & mater propter filium enatum, quem enutriri suo sanguine & carne coguntur parentes? ex horrendus certè partus & ortus, & horrendum alimentum. Qua autem ratione id fieri possit & qualis sit hęc allegoria, jam nobis est disquirendum ut partus & ortus Chymici fœtus nobis naturalis videatur, demonstratum superiùs est, materiam nostram quæ nobis assumi habet, ad Elixir perficiendum, duplici esse in differentia, & duplici nomine insigniri & tamen unicam esse materiam duobus nominibus nuncupatā: Patris scilicet & Matris, Regis & Reginæ, fratris & sororis, mariti & uxoris, viri & fœminæ, & aliarum similium vocum titulis synonimis & similibus, qui unam tantùm essentialiter substantiam connotant: Cui quidē substantiæ cùm diversæ qualitates

Partus Chymicus qualis.

Fœtus Chymic. rū natus comedit patrem suū & matrem suam & qua via id fiat.

litates conveniant, secundum illas varias proprietates, nomina propria his proprietatibus quadrantia dederunt Philosophi. Cùm illi proprium sit & naturale, progignere & producere & visceribus suis substantiam puram, candidam, penetrantē, & tingentem metalla, & perficientē cuncta imperfecta, eatenus in ea substantia excogitarunt nomen Patris & Matris, Patris præcipuè nomen ratione ignis naturalis & aeris, quem in ea substantia copiosum viderunt, & cũ ignis naturalis & aer sit rerum omnium pater, eã ipsam substantiam, patris nomine donarunt. Cum autem in eadem substantia aquosum quid & terrestre percipiatur & separetur arte Chymica, ratione aquosæ illius substantiæ & terrestris etiam & pari ratione & pondere cum igne naturali in ea substantia simul prędominantis. Matris nomen eidem substantiæ tribuerint, cũ aquosa illa substantia & terrestris sit mater rerum omnium.

Chymici antiqui cur materiam Chymicam in patrem & matrem diviserunt.

Ignea ergò & aerea, aquosa & terrestris substantia, quæ in tali mixto vigent & florent Patris & Matris nomen à Philosophis sortitæ sunt. Cum autem ex his substantiis per putrefactionem & mortem & corruptionem harum substantiarũ exsurgat nova quædam substantia purissima à prioribus substantiis distincta, hæc substantia de novo exorta dicitur filius exortus ex præcedentibus substantiis, quæ cum alterentur & corrumpantur in exortu & partu hujusce novæ substantiæ, ideo dicũtur emori in partu hujusce filii, & cũ hæc substantia de novo producta, ex putrefactione illa vivat & accrescat in dies, donec tota præcedens substantia conversa sit in hanc novam substantiam, ideò finxerunt Philosophi, emori patrem & matrem ex nativitate filii, quem sanguine & carne ipsorum enutriri coguntur parẽtes, ne intereat, sed ad perfectionem devehiat, sic enutritus & educatus hic filius, nisi enim tota præcedens substantia, in novam & recentem convertatur, perfectio Chymica hæc exoriri non potest. Sic allegoriis variis transponũt Philosophi Chymici eorum arcana, quæ stultis divulgare nolunt.

Filius quid propriè dicatur apud Chymicos.

Sic partum & ortum Chymicum Morieni nostri patentem & manifestum fecimus, qui nihil aliud est quã productio sulphuris nostri albi, vel rubei fixi & constantis, tingentis & perficientis cuncta imperfecta, quæ simplici coctione nostra & elixatione peragitur in furno secreto, vase optimè clauso post purificationem ultimam & supremam materiæ nostræ quam assumere debemus, ad illud sulphur nostrum album vel rubeum perficiendum, quod est verus & legitimus Chymicorum Philosophorum filius, quem enutriri habẽt sanguine patris & matris suæ, de quo jam alimento & nutricatu, nobis est dicendum, ut Morieni allegoria notissima sit cunctis artis Chymicæ alumnis.

Partus & ortus Chymicus qualis & quid sit.

De

De alimento & nutritione fœtus Chymici, & cui Chymicæ operationi respondeat.

CAPUT LIX.

Alimentum fœtus Chymici qualc.

POstquam fœtus Chymicorum exortus est & enatus, & postquam totum sanguinem patris & carnem Matris suæ ebiberit & comederit, dum incarceratus est unà cum Patre & Matre sua in carcere Philosophico. Dum inquam parentes suos integros comederit nihilq; superest ex his comedendum: tunc temporis aperiendus est carcer, & novo sanguine patris & matris enutriendus est & epotandus, ut roboretur magis ac magis, & sic ad supremam suæ virtutis energiam deveniat, crescit enim tunc temporis illo potu & cibo, & mole corporis, & virtute & energia agendi, & quo magis sanguine Patris & Matris proluitur, tanto magis crescit, & mole corporis & virtute agendi ita ut ad infinitam virtutem, & agendi potentiam devenire possit.

Fœtus Chymicorum quo magis sanguine Patris & Matris perpotetur eo magis fortior est.

In alimento illo & potu administrando, cauti & prudentes admodum debent esse artis Chymicæ alumni & Operatores, ne plus alimenti & potus administrent, quam coquere & digerere potest verus natus, alioquin supervenit cruditas, quam quidem corrigere possumus, cum tempore & coquendi diuturnitate, & hoc opus retardat & hæc retardatio fallit incautos, cum materiam suam fixam & permanentem credentes, eam ipsam volatilem & aeream reperiunt & adhuc crudam & indigestam, quod quidem ex copia potus & sanguinis paterni & materni evenit & contingit, qui cum crudus sit & indigestus copia sua totam materiam nostram, etsi coctam ac perfectè digestam reincrudat & incoctam reddit, sanguis autem paternus & maternus, quo uti debemus ad enutriendum fœtum nostrum & alumnum, est aqua mercurialis, quæ est pars volatilis summoperè depurata, materiæ nostræ sulphure volatili albo, vel rubeo, ejusdē materiæ impregnata, hæc substantia ita præparata dicitur sanguis materiæ nostræ & cū materia nostra sit pater & mater, fœtus nostri, ut antea probavimus, ideo hanc substantiam aquosam, sanguinē paternum & maternū asserere possumus, quo enutrire & cibare debemus fœtū nostrum: hæc cibatio & enutritio inter Philosophos Chymicos multiplicatio nuncupantur, cùm accrescat fœtus noster & multiplicetur tali potu & cibo, qui quidē potus & cibus summoperè purus esse debet & ab omnibus excremētis suis vindicatus, alioquin cibus & potus verus nostri fœtus esse non potest, nā si non sit summoperè purus non cōverteretur in substantiā fœtus nostri, imò retinet ipsū & hydropisi laborabit fœtus noster, qua curari nū poterit nisi purgatione, & harum aquarum impurarum ablutione. Quare, Amice Lector, a[illegible]tissima

Aqua mercurialis qua est verus sanguis paternus & maternus filii Chymici recrudat materiam coctā quoties adhibetur

Cibatio Chymica sive multiplicatio.

Fœtus Chymicorum qua

ratione hydropisi laborare possit.

sima mentis tuæ lance pondera ea omnia, quæ tibi dicta sunt, his ultimis quinis capitulis, in quibus, in gratiam tui ipsius, Morieni Philosophi Allegoria demonstrata est & explicata, nam in his solis capitulis habes quicquid ab Alchymia integra desiderare & exoptare potes. Quocirca Lauda Deum Gloriosum & Bendictum, qui nobis tempus & ingenium dederit, ad hæc Ænygmata & Logogryphos obscuros Chymicos tibi explicandos & ad absolvendum & perfectè complendū hoc primum Panchymici mei, cujus conclusionem jamjam Deo agente habebis in qua sola percipiet compendiosè, quicquid in hoc volumine, fusè admodum de omnibus Dei Creaturis, secundùm ingenii mei tenuitatem & imbecillitatem dictum & certis his exaratum est.

Sub allegoria Moriesni tota ars Chymia concluditur

Conclusio totius huiusce primi voluminis Panchymici nostri.

CAPUT VLTIMUM.

Quid in toto volumine concludatur compendiosè

HAbes, Amice ac benevole Lector, in hoc volumine primo Panchymici nostri, totam naturam denudatam & fonte lotam Dianam veram, tum eam ipsam quæ in animalibus reperitur, & occultatur cunctis, tum eam ipsam naturam seu Dianam quæ vegetantibus inest, jam tùm ipsam quæ in mineralibus & metallis cunctis jacet, & sepulta est, quæ etsi triplex videatur natura unica tantum est triplici corona exornata, ac triplici sceptro tanquam triplici potentia ac virtute circumdata, sentiendi, vegetandi ac existendi puta facultate decorata, hanc unicam naturam (quantum in seipsa differat, & distinguatur in individuis omnibus, quæ ipsa producit, & ex occulto sui ipsius in lucem edit) vides, Amice Lector, in hoc Volumine, quibus principiis, & quot utatur ad tam varia ac diversa producenda, & qua ratione hæc principia & elementa misceat, ut ex mixtione varia ac diversa illa omnia, quæ miratu sunt omnibus ex tenebris & nocte oriantur in lucem, & postquam ævum suum peregerunt & theatrum luminis sui exornarunt, dum pereunt, quò tendant & quibus in tenebris & noctibus occultentur ut nusquam appareant cùm tamen sint materialiter in ventre ipsius materiæ primæ ubi occultantur, & qua ratione non iterum exsurgere possint, & theatrum iterum existendi occupare, undenam sit quod individuorum plurima longissimi sint ævi & durationis multæ ac longæ, quamplurima verò transeundo theatrum naturæ, in transitu ipso pereant & evanescant. Quare generationes multæ & productiones infinitæ ferè, prodeāt in lucē, ex occulto naturæ, ut species & genera conserventur in individuis & quare natura per multiplicationes varias & productiones mundum hunc exornet, & an quiescet unquam à mul-

enarrat Auctor Diana quòd sit triplex est & tamen una.

Quibus & quot principiis utatur natura.

multiplicationibus suis, cessáte motu suo natura desierit, vel perfectior fuerit, cum multa bruta animalia, multa vegetantia nec mineralia ac metalla, nec lapides ullos pretiosos habuerit.

Singula elementa & singula naturæ illius principia perquisivimus & quicquid est in ipsis miratu dignum, notum fecimus & manifestum cœlum elementorum omnium primum principium propter compactam in ipso lucem, copiosius quam in quovis alio pervagati sumus, & quicquid in ipso est, ab ipso creatore immissum, illud saltem quod in cor hominum ascendere potest, patefecimus: Lumina singularia inquisivimus, & quicquid ipsa infundunt & communicant reliquis elementis, suis radiis & lumine, liberali calamo, cartis his exaravimus, ubi quamplurima secreta & arcana naturæ nondum omnibus cognita patefacta fuerunt. Et quicquid antiqui Philosophi fabulis suis obumbrarunt naturam astrorum & proprietatem Mythologicè scribendo, perfectissimè & clarissimè detectum est, ita ut cœlum, jam non videatur cœlum, sed apertum quid, & manifestum, omni ex parte reseratum: fateor tamen quamplurima, & ferè infinita superesse, tum in cœlo, tum in reliquis elementis arcana quæ adhuc non reserata sunt, quæ soli Deo reservantur detegenda, quæ quidem scire & cognoscere mallem, quam ea ipsa omnia quæ jam reserata sunt, majora enim sunt quæ ignorantur, quam quæ cognoscuntur, unde in dies crescit & augetur hominum scientia & cognitio, quod ex his quæ non cognoscuntur, quædam manifesta fiunt, & id ipsum additur priori hominum cognitioni.

Post cœli portas apertas, & omnium quæ in cœlo sunt reseratos pessulos habes (Amice Lector) & elementorum omnium claves, quibus reserantur elementa, & omnia quæ in singulis vivunt elementis, aëris corpus primò evisceratur & quicquid in ipsius aëris intimis inest: machinæ mundi inserviens, in lucem protruditur: Meteora omnia declarantur Aves omnes, & plantæ, ac arbores omnes quæ in medio ipsius aëris vitam suam sustentant, plus ex ipso intimo aëris balsamo, ac nectare, quam ex reliquis materialibus alimentis, palam fiunt, & quicquid habent in ipsis absconditum rarum & mirum, ex ipsa natura, & Dei summi misericordia, foras in lucem emittitur.

Aquæ deinde corpus, in intimis suis visceribus perquiritur, unde fontes, unde flumina, unde lacus, unde mare ipsum ortum habeat, & unde sint, & unde vivant & conserventur ea omnia quæ in aquarum ventre quiescunt, ac reperiuntur virtutes eorum omnium manifestantur, & quicquid est in ipsis occultum, pari ac simili ratione, ac ea ipsa quæ in ipso aere reperta fuerunt,

runt, declaratur ac manifestatur: Pisces omnes, conchilia & rara omnia aquea, lapides omnes, & metalla, ac mineralia cuncta, quæ ex spiritu aquæ enascuntur, & conservantur, cute externa & corpore opaco spoliantur ut eorum interiora viscera & occulta, palam sint omnibus.

Terræ ultimo corpus suscipitur explicandum, & quicquid ex arte Pyrotechnica, & anatomia Vulcanica ediscere potui, ex hoc infimo machinæ mundi firmamento palam feci, sua omnia bruta animalia perquisivi, & rara cuncta alia, & mira quæ stupori sunt hominibus, in terræ superficie, & ejus visceribus indagavi, & undenam sint, & conserventur demonstravi, vires, proprietates & energias terrenorum omnium ut & reliquorum omnium elementorum, palam facere non recusavi, in gratiam Chymiæ candidatorum, ut erga ipsamChymiam amore exardescant, cum tanta rara & mira ac utilissima hominibus declaret & demonstret.

Natura tendit ad unitatem sic & ars.

Et tandem ut colophonem, & finem ultimum, huic volumini imponerem, terræ & terrenorum inquirendo naturam, Lapidem Philosophorum ausus sum explicare, perquirere ac demonstrare, ex ipsamet natura. Et cùm omnia tendant ad unitatem ut quiescant in æternum, ex qua ortum habuerunt. Sic & ars imitando naturam, tendit vi sua, & industria omnia naturæ elementa, vires & proprietates eorum, in unam homogeneam substantiam redire & cogere, quæ quidem substantia, ex omnibus elementis compacta & adunata, est lapis ille Philosophorum, tantoperè decantatus, quem alii Elixir Arabicum, & Ægyptiacum dixere & nuncupavere, cum sit suprema & summa rerum omnium medela ab Arabibus & Ægyptiis dictante Deo excogitata, quam ego calci hujus operis apposui, tanquam naturæ & artis supremum, & ultimum opus, volui etiam & ita justum ac æquum mihi visum fuit, ut quod claudit naturam & artem, clauderet & volumen, naturam & artem continens ac complectens.

Subſtantia ex omnibus elementis producta qualis sit.

Elixir Arabicum quale.

Volumen hoc continet quicquid & in rerum serie creati propter hominem.

Ita ut hoc volumen brevissimè, etsi satis diffuse complectatur, quicquid Deus summus Creator, ac misericors fecerit, & creavit, in hac inferiori ac visibili natura, in gratiam & misericordiam ingrati hominis, qui tanta ac magna, rara ac stupenda, in gratiam sui ipsius solius facta, & creata non agnoscit, ac laudum & gratiarum actione Deum ipsum benefactorem suum non prædicat & summis ac supremis amoris vinculis non Deo ipsi alligatur, at quo potest genio illi inimicatur, & illum miris modis offendit; De quo ingrato homine, multa & quicquid de eo excogitari potest, Deo dante ac benedicente in secundo tractatu Panchymici nostri dicemus, ubi integra medicina sive

Quod in secundo tractatu tradituras sit Author.

ars

ars, & scientia medendi, Spagyrica arte erit renovata, cum morbos hominis ejusque pathemata omnia, tum corporis, tum animi sui disquiremus, ac palam faciemus. In his enim voluminibus tot & tanta quæ de eo homine dicenda sunt, coërcere non potuimus, aut in grandius, ac majus quam par sit excrevisset utrumque volumen, sufficit nobis, demonstrasse, benevolis Lectoribus, ea omnia quæ creata & facta sunt, propter ipsum hominem, quæ cum ante ipsum in creatione mundi facta, & creata fuerint. Justum & æquum videtur naturam creatam perquirendo, ut quæ facta fuerint prius, prius etiam disquirantur. Laudate & bendicite Deum, qui mihi otium & ingenium dederit, ad tot & tanta sua mirabilia vobis patefacienda, & si hæc grato vobis sint animo, orate Deum & ex ipso impetrate precibus luminis, ut me illuminet, & sua gratia collustret, ad ea quæ supersunt de ipso homine dicenda & scribenda vobis brevi tempore possim. Et sic totam naturam, creatam, integram & absolutam, Spagyrica arte denudatam habebitis, quod adhuc à nullo authorum peractum & absolutum fuisse puto Chymica methodo.

FINIS.

Deo Trino & Vno laus, honor & gloria in sæcula sæculorum.





PROTESTATIO AUTHORIS ORTHODOXÆ FIDEI FIDELIS ASSECLÆ.

Protestatio Authoris Ecclesiæ Romanæ Orthodoxæ.

POndus & momentum rerum naturalium, quæ his in Volum nibus distribuuntur, cum conformitatem quandam, & symbolum habeant cum Divinis arcanis, in quibus comparandis forsan forsitan ex imbecillitate ingenii mei, et doctrinæ infirmitate in scopulos quosdam erroris incidisse potuerim, qui fidei Orthodoxæ Ecclesiæ Romanæ inimicari possent, id testor non ex animo fuisse et id pertinaciter non assero, si Ecclesia Romana idem sentiat imo si quid est erroris quod non sapiat ac redoleat ejusdem Ecclesiæ fidem, id litteris Doctorum ejus omnino submitto, et ut fidelis servus, et Orthodoxus Christianus, opus hoc, et mea omnia, piis et sanctis, ac devotis ejusdem Ecclesiæ voluntatibus. Do, dico ac devoveo,

PETRUS JOHANNES FABER
MONSPELIENSIS DOCTOR
Medicus.

INDEX



INDEX RERVM OMNIUM QUÆ IN HOC TOTO OPERE PANCHYMICO CONTINENTVR.

A.

¶ Necessi-

Arasa-

B.

Beiæ

C.

Calci-

Cervus

An ex

D.

E.

Entele-

F.

Ferrum

Minera-

G.

H.

I.

M.

Quid

Scara-

Experi-

T.

V.

Venti

FINIS.



PETRI JOHANNIS FABRI

Medici atq; Philosophi acutissimi.

SAPIENTIA

UNIVERSALIS

Quatuor libris comprehensa.

Videlicet

1. Quid sit Sapientia, & de mediis ad eam perveniendi.
2. De Cognitione Hominis.
3. De Medendis morbis Hominum.
4. De Meliorandis Metallis.



M. DC. LVI.

FRANCOFURTI
Sumptibus JOHANNIS BEYERI.



Ad Lectorem benevolum,

Lector Benevole.

OPera *Petri Iohannis Fabri* Medici ac *Philosophi acutissimi duobus voluminibus, collecta in tui gratiam ante annos paucos divulgari curavimus. Hisce cum postmodum Author tractatum præsentem superaddiderit, nec in hoc divulgando deesse tibi voluimus, ut omnia coniunctim habeas, quæ Author p.mem. frustillatim edidit. Pervenit autem tractatus prædictus ad manus nostras mendis innumeris scatens, unde factum, ut & typus hic noster ab iis omnino depuratus non prodeat. Hoc igitur pro candore tuo æqui bonique consule, atque Errata ipsemet, quod tibi facile fore puto, emenda. Vale.*



VNIVERSALIS SAPIENTIÆ LIBER PRIMVS.

Quid sit sapientia & quare dicatur Alchymia, & quibus aliis nominibus insigniatur.

CAPUT PRIMUM.

Quare sapientiam experant omnes.

SAPIENTIAM expetunt & peroptāt omnes, pauci verò ipsam inquirunt, cùm naturæ non solùm vniversalis sed & particularis cuiusque notitiam in se contineat & coërceat. Hanc notitiam & scientiam antiquorum multi Alchymiam dixerunt, sed malè: cum Alchimia tantùm metalla respiciat, & adhuc reperiuntur multi chymicorum, qui Alchymiam assumant pro sola & vnica transmutatione metallorum, eamq; definiāt artē quā metalla inter se mutantur: hoc est metalla imperfecta & impura, in pura & perfecta vt est argētum & aurum. At pace eorum dixerim hæc definitio non comprehendit totam proprietatem & energiam hujus vniuersalis sapientiæ, sed particularem, & adhuc valde strictam. Nam sapientia vniuersalis est vera, quæ totam naturam à Deo creatam cognoscere docet, & ab ipsa natura nota, ad Deum ascendit, non solum metalla impura & imperfecta in perfecta & purissima metalla transmutat, sed omnes res quæ imperfectæ & impuræ in rerum serie reperiuntur caloris viuifici defectu, adaucto eodem calore viuifico & humido radicali, in perfectas res, & puras & omni puritate absolutas transmutare docet. *Sapientia quid sit*

Vnde generaliter potest definiri

hæc sapientia, vniversalis notitia cujuscunque naturæ, ex quibus componatur & in quæ tandem resoluatur hæc natura, siue sit vniuersalis siue particularis, vt ex resolutione & cōpositione rerum singularum, purum & impurum cujuscunq; naturæ cognoscatur vt hinc perfectionis & imperfectionis seminia verè nota habeamus: quibus notis facilis datur aditus ad res imperfectas perficiendas, non solùm metalla, sed & res alias omnes: & sic hæc sapientia non solùm Alchymiam comprehendit, sed & medicinam omnem in seipsa coërcet & continet, morbos enim curare, & sanitatem perfectam & absolutam dare, est verè res imperfectas perfectas facere.

Sapientia quid.

Hæc est vera & generalis Sapiētiæ vniuersalis definitio cuius ambitu Alchymia & Medicina comprehenduntur: Sic Animalia cuncta, & vegetabilia & mineralia hujus sapientiæ legibus submittuntur, vt perfectionem naturalem ad quam naturaliter tendunt & inclinant consequi valeant. Animalia primò omnia, perfectionē suam naturalem huius sapientiæ beneficio consequuntur, cum sapientia hæc sola purum naturæ animalis, ex centro naturæ animalis sciat, & doceat elicere, cujus ope & virtute animalium omnium natura perficitur. Eodemq; modo & artificio vegetantiū & mineraliū ac metallorū omniū natura perficitur, habito illo puro vegetantis & mineralis ac metallicæ naturæ: Quod quidem purum ab hac sapientia præparatum, vegetantibus, mineralibus ac metallicis corporibus administratum ad perfectionem absolutam vegetantia, mineralia ac metalla conducit: Sic animalia, & vegetantia à morbis omnibus vindicātur, vigentque vigore summo, adeo vt fructus perfectos & absolutos quocunque tempore ferre possint, & sic viles lapides & ipsum vitrum in adamantes & carbunculos, aliosque lapides pretiosos mutari possunt, cum purum naturæ mineralis, hoc naturaliter agere soleat, facit enim lapides pretiosos ex seipso, & aurum & argentum ita vt habito illo puro naturæ mineralis habeatur & causa efficiens & mineralis auri, & argenti, & lapidum pretiosorum, & habita causa habetur & ejus causæ effectus, sic tota virtus & efficacia hujusce Sapientiæ consistit in possessione ipsius puri naturalis: modò enim habeamus purum creaturæ habemus & totam efficaciam & energiam naturæ vniuersalis. Sic magna & mirabilis est hæc sapientia & omni labore & pretio est acquirenda, ea enim adepta melior est omni possessione & nihilo magis in rerum natura dum vivimus, opus habemus. Deum enim totum habemus per ipsam naturam, & Deo ipso noto & ipsa natura, nihil optabilibus est in rerum serie: ex notione Dei pēdet eius timor & amore Diuino nostra vera salus dependet, & ex ipsa natura nostra dependet & exsurgit felicitas vitæ temporalis, nihil ergo optabilibus est ipsa sapientia, quæ Deum & naturam cognoscendos

Purum naturæ mineralis quid agat.

gnoscendos

gnoscendos exhibet, naturam potissimum præbet colligendam & internam & intimam eius virtutem & & energiam, quę quidem solius istius sapientiæ operibus haberi & obtineri potest, vnde à multis antiquorum & recentium Philosophorum dicta est hæc sapientia & nuncupata multis & variis nominibus, nunc enim Alchymia dicta est ἀπὸ τῦ ἁλὸς καὶ τῦ χύμυ, quasi à Salis succo, nam tota virtus naturæ dependet ex salis interni succo & spiritu: In succo siquidem salis cujuscunque rei consistit purú naturæ, in quo puro residet virtus interna cujuscúque rei. Vnde non imerito dixerunt aliqui hoc artificium quo succus salis centralis separatur ab impuritatibus suis Alchymiam, Alij verò Spagyriricam artem à verbo Græco σπάω quod est separo & eligo, nam dum impurum naturæ separatur, eligit hæc ars purum ipsius naturæ. Alij vero Cabalam dixerunt quod antiquitùs per traditionem tantum traderetur: melius tamen & convenientius dicitur sapientia, cum qui hanc calleant verè sapiant & intelligant.

Sapientia dicitur Alchymia.

Sapientia cur cabala.

Quibus operationibus indigeat sapientia ad cognoscendam naturam.

CAPUT. II.

Cognitio naturæ quid expetat.

COGNITIO naturæ dependet ex cognitione ipsius puri interni, quod quidem purum adeo permixtú est impuritatibus quàm multis, vt difficili admodum via & methodo possit separari ab ipsis impuritatibus, vt inde separatum per se elucescat, vt cognósci possit. His de causis excogitarunt antiqui huiusce sapientiæ proceres, & authores, & veri patres, multas & varias operationes, quibus purum illud naturæ habetur ab omnibus excrementis separatum, & vindicatum, imprimis calcinationem, solutionem, distillationem putrefactionē & sublimationem, & vltimo vnionē coagulationém seu fixationem excogitarút de quibus generaliter & particulariter dicemus in capitulis subsequentibus, vt purum illud naturæ haberi possit purum putumque. Sine enim his operationibus Alchymia verè deficeret in seipsa, nihilque haberet virtutis & efficaciæ in essentiis & arcanis suis peragendis: mixta enim naturæ seu composita naturalia in seipsis permanerent integra & cú suis excrementis permixta, ita vt purum naturæ quod in cētro eorum latet, inefficax & quasi mortuum permaneret, nisi his operationibus chymicis ab excrementis suis expoliaretur, quæ ipsum purú inefficax reddunt & quasi ab actionibus priuatum, quamuis sit actionum omnium fons & scaturigo: excrementa siquidem quæ naturę mixtæ adnascuntur, purum illud naturæ ita consopiunt vt inefficax efficiatur, cum vero per calcinationes solutiones, distillationes, putrefactiones & sublimationes separantur excrementa illa, tunc temporis purum naturæ, ab excrementis suis expolia-

Alchymia quibus indigeat.

Purum naturæ in centro latet.

Vnde ab excrementis ægrotat purū natura.

tum valde potens sit & efficax ad operandum, cùm nihil impediat actiones suas, itaque necessariæ sunt omninò Alchymiæ faciendæ operationes supradictæ, cum his solis mixta omnia & naturæ compositæ ad naturæ puri si purum reducantur, quod Aristoteles vocat materiam primam, quæ quidē sola est actionis capax, cum sit formæ veræ radix, in qua sola consistit actionis principiū, ergò sine reductione rerum, vsque ad materiam primam, hoc est sine reductione rerum vsque ad purum centrale earum non videri & haberi potest actio mira & præpotens in rebus Physicis, itaque Alchymiæ faciendæ necessariæ sunt operationes supradictæ, cum his solis res omnes naturales deducantur ad reductionem materiæ primæ, hoc est, puri centralis cujuscumq; rei, in quo solo consistit mira & potissima actio, vnde arcana chymica potentissima sunt cum ex solo puro naturę seu materia rerum prima constent.

Quid est prima natura rerum.

De operationibus ergo hisce chymicis nobis est dicendum, in genere, & in particulari, & qua ratione, & via faciendæ sint, nobis manifestandum, vt percipiant chymicæ artis alumni artem integram & absolutam callere queant, & medici queant morbos curare, cum sine puro isto naturæ morbi curari nequeant.

De calcinatione in genere quid sit & qua methodo fieri posit.

CAPUT. III.

Calcinatio Alchymiæ necessaria.

CALCINATIO est totius Alchymiæ fundamentum & basis & columna, sine enim calcinatione perit & inutilis est tota Alchymia, puri enim ab impuro separatio nullatenus fieri potest sine calcinatione, ergo Alchymia inutilis est & verè sterilis sine calcinatione, cum tota Alchymia consistat in separatione puri ab impuro, vt ex eius definitione superius tradita constat. Calcinatio ergo Alchymiæ faciendæ est summopere necessaria, quam vt probè intelligant Alchymiæ candidati, ejus virtutem proprietatem & efficaciam sua definitione palàm faciemus, quam sequētibus verbis in genere definiemus.

Spiritu solvente calcinantur res omnes dum solvuntur.

Calcinatio est alicuius rei in calcem seu cinerem reductio igne potentiali vel actuali, alii definiunt calcinationē chymicam caloris primigenii restitutionem, humidi innati conseruationē & solutionis inductionem, hæc autem verba indicant virtutem & proprietatē calcinationis, quia quicquid calcinatur seu in cinerem reducitur, calor innatus illi restituitur & in illo augmentatur, & humidum radicale illi etiam conservatur, cum in cinere illo & calce latitet sal in cujus centro, copiose latet humidū radicale, & solutio inducitur, cum calcinata omnia, Gebro dictante salis habeant naturam quod solum solui potest. Itaque hæc tria in omni calcinatione perficiuntur calor innatus augmētatur, humidum radicale conseruatur & solutio inducitur, quæ in arcanis chymicis peragendis sunt omnino necessaria, & ad finem laudatum cōduci nequeunt sine calore naturali

Humidum radicale in sale latet.

turali augmentato, sine humidi radicalis conseruatione, & solutionis inductione. Qua ratione autem, res omnes calcinentur ex definitione calcinationis facile percipitur, ita vt non ingenio insigni & acuto sit opus, ad res omnes calcinandas, modò igne violento res omnes incinerẽtur, quod solo igne actuali fieri potest, imò & metalla ipsa possunt igne violento & continuo incinerari, & aurum ipsum & argentum quamuis fortissimæ sint compositionis, modo enim amalgamentur argento viuo, & ipsi perquã optime permisceantur, argentum vivum sua subtilitate & tenuitate substantiam auri & argenti dividit in tenuissimas partes & in atomos, quæ si calore continuo & leuiter moderato foueantur, ita vt ne fluat auri substantia, verè tunc temporis in cineratur & calcinatur aurum ita vt solvi possit, hæc calx sola aqua: communi & vulgari, & ita in salem conuertitur vt nunquam in aurum iterũ redire possit. Sic solo igne actuali violẽto continuo & moderato, res omnes possunt calcinari, & incinari, vt capitulis sequentibus fiet omnino manifestum.

Res omnes vt calcinentur:

Purum vt communi aqua solui possit.

Melius spiritu solvente fit calcinatio auri & argenti. sic verè in Salẽ convertitur.

De calcinatione animantium CAPVT IV.

ANIMALIA cuncta vt & reliquæ naturæ compositæ possunt calcinari, & in cinerem reduci, eo quòd purum animalium seu calidum innatum eorum & humidum primigenium, malleabile est & incorruptibile, etsi enim destruantur corpora animalium, dum ipsa calcinantur, in calce & cinere tamen eorum remanet sal fixum in centro calcis & cineris, quod quidem continet calidum innatum, & humidum primigenium animaliũ vt sensu ipso patet, nam sal cujuscumque animalis ex suo cinere seu calce extractum, habet calidum innatum suum, quod exsiccat summopere, & à corruptione præseruat; nihil enim exsiccat & à corruptione prẽseruat, quin calidi innati habeat naturã & essentiam, nam sola conseruatio, & rerum duratio, à calido innato depẽdet habet etiam & humidum primigenium: nam omne sal funditur & in igne liquatur: veluti metallũ, quæ fusio & liquatio ab humidi primigenij natura dependet, solum enim humidum primigenium liquationem & in igne fusionem constituit, cum ita adhæreat partibus calidi innati, vt nõ in auras abire possit, ita vt maneat cũ partibus calidioribus calidi innati, & sic cum non abeat, sed permaneat liquationem & fusionem constituit, sic metalla potissimum & vitrum liquãtur propter humidi radicalis abundãtiã, & copiam. Calcinantur ergo animalia, & in cinerem reducuntur vt ex cinere eorum & calce, habeatur sal eorum, aquæ communis & vulgaris solutione & evaporatione. Quod quidem Sal sic præparatum, continet in se calidum innatum & humidum primigenium animalium: sic sola calcinatione habetur calidum innatum animalium omnium in quo consistit

Animalia vt calcinentur.

Conseruatio rerum à calido innato dependet.

Virtus animalium qua in substantia consistit.

virtus & efficacia eorũ fixa & permanens: Sic ex prædictis calcinationem animalium definire possumus, reductionem in Sal fixum & permanens, quod extrahitur ex cinere & calce animalium igne violento facta, vt inde exsurgat purum putum, calidum innatum animalium, & humidum eorum primigenium, quibus simul vnitis & permixtis, possunt adhuc vniri, & permisceri Sal volatile & spiritus volatilis animalium, vt virtus integra & absoluta perficiatur & absoluatur Salis fixi supradicti. Sal enim fixum animalium continet quidẽ virtutem quandam miram & stupendã animalium ex quibus extrahitur, sed si admisceatur & vniatur Sali volatili animalium & eorum spiritui, (qui est aqua spirituosa quæ latet in animaliũ sanguine, quæque extrahi potest per distillationem, putrefactione prius peracta, sanguinis animalium) Si admisceatur inquam Sal istud fixum purum putum factum Sali puto puto volatili mirabiliorem adhuc habet virtutem, & potentiorem: sequenti ergo methodo extrahuntur hæc duo Salia, cum spirituosa sanguis animalium substantia, occiditur animal & gladio extrahitur totus eius sanguis, & dum calet Alembico vitreo imponitur & clauditur suo coopertorio, deinde tota caro animalis accipitur & mundatur ab excrementis tantum intestinorum, & intestina mundata & viscera cuncta & cerebrum & ossa omnia cum medullis, contunduntur & in frustula parua inciduntur, & vna cum sanguine in Alembico vitreo supradicto ponuntur, & collocantur in fimo calido per quadraginta dies, deinde distillãtur fortissimo calore balnei, & aqua illa quæ distillatur calore balnei optime custodienda est in vasis vitreis optime clausis nam in illa latet spirituosa animalis substantia. deinde postquam nihil distillat per balneum, mutandus est Alembicus à balneo ad cineres, & ibi per gradus ignis primo moderatos distillandum est quicquid distillari potest, ascendit aqua fœtida & Sal volatile & oleum rubeum sanguinis & carnis animalium, hęc omnia simul custodienda sunt, caput mortuum quod reperitur in fundo Alembici, calcinandum est aperto igne violentissimo, in vase fictili testaceo, donec albescat.

Sal volatile animalium augmentat virtutem Salis fixi animalium

Cineres illi perfundẽdi sunt liquoribus omnibus qui vltimo distillati sunt per cineres, & in retorta distillandi sunt fortissimo igne, vt egrediãtur omnes liquores, & Sal volatile ascendat in collo retortæ, quod liquore egresso soluendum est, & collo retortæ sic extrahendum, caput iterum in fundo retortæ remanẽs, iterum aperto igne vt prius calcinandum est, vt vindicetur ab fœtore suo, & empyreumate, & toties hæc operatio iteranda est, & per cohobationes plures iteranda est affusio liquoris distillati, vna cum suis omnibus partibus, vt tandem deponat fœtorem suum, & clarescat liquor, & caput mortuum, quod quidem cum factum est, affundenda est aqua, quæ per balneum egressa

egressa est, capiti mortuo claro sed cineribus candefactis, & ex hac aqua clara & limpida extrahendum est Sal fixum, capitis mortui, & multis solutionibus, filtrationibus, multoties iteratis purificandum est, ad summam puritatem, hoc quidem tandem purum factũ conjungendum est liquori supra dicto, & multoties distillata super caput mortuum, vna cum aqua sua, sic omnia hæc conjungenda sunt in vno & eodem Alembico vitreo satis capaci, & putrefacienda sunt per mensem integrum in fimo calido, & vltimo distillanda per balneũ fortissimo igne, ut superbulliat balneum, hac distillatione separabitur spirituosa animalis substantia, & Sal clarum & limpidum volatile animalis, quæ simul poterunt vase optime clauso custodiri, reliqua quæ supersunt in Alembico distillanda sunt igne cinerũ, & stillabit oleum rubeum, & pars reliqua salis volatilis, quæ erunt rectificanda septies in novis retortis, vt deponant feces, & feces reperientur in fundo retortarum erunt coniungendæ cum Sale fixo, quod quidem tamdiu erit calcinandum in retortis, & aqua fontis septies distillata soluendum & depurãdũ filtrationibus, & distillationibus, donec optime candescat, & nullas in solutione emittat feces. Tunc temporis erit conjungendum Sali volatili, & spirituosæ animalis substantiæ, & rubeo oleo rectificato sequenti modo, primo Sal fixum dissoluetur cũ aquosa spirituosa substantia, & dissoluto Sali fixo annectetur Sal volatile & vltimo oleum imponetur, & matratio vitreo optimè clauso imponẽtur ad circulandũ per quindecim dies, his transactis imponetur matratius balneo bullienti, & calore balnei extrahetur humor aquosus superfluus, quantum poterit extrahi. Quod in fundo remanet, est arcanum seu clysus, & verum elixir animalis, curans morbos omnes animaliũ & vitã ipsã conservans & prorogans, vltra communes vitæ terminos. Dosis est ℈j. vel ʒß. in jusculo vel aqua cinnamomi. Simili methodo & via, possunt extrahi arcana animalium omnium, quæ extra virtutes communes vitæ animalis cõseruandæ, & prorogandæ, virtutes peculiares & singulares habent animalium singulorum ex quibus extrahantur, præsertim si ex ceruo extrahatur fit arcanum vitæ mirum.

Sal autem fixum vsque ad rubedinem est purificandum & deinde convertendum cũ sale volatili vt arcanum perficiatur.

Arcani animalis virtus & efficacia.

De calcinatione vegetantium.

CAPUT V.

VEGETANTIA cuncta, & illa omnia quæ ad vegetantia pertinent possunt calcinari simili modo & via, ac animalia calcinata fuerunt superiori in capitulo, vt inde extrahatur Sal volatile, & fixum, & spirituosa vegetantium substantia, & proinde dum separata sunt purificari possint conjungi, vt arcanum mirum & stupendum vegetantium confici possit. Calcinatio siquidem vegetantium hæc potissimum tendit, vt extrahatur Sal volatile & fixum & spirituosa substantia & oleum extrahantur

Ratio cur vegetantia calcinentur.

hantur

hantur & purificentur, & pura & nitida facta simul conjungantur in vnũ & hac secunda vnitione & mixtione potétior multo exsurgit virtus quàm in priori, quia in hac sunt excrementa maxima in copia, in illa vero nulla sunt excrementa, & proinde ratione excrementorum, vel absentium, vel præsétium mutatur virtus & proprietas compositi, nam præsentia excrementorum minuit virtutem, & absentia eorundem adauget, sic per Alchymiam seu separationem excrementorum adaugetur virtus vniuscujusque mixti; sic calcinatio est omnino necessaria ad separationem faciendam excrementorum, sic vegetantia egẽt calcinatione vt eorum excrementa separari possint ab eorum puris substantijs, quam sequentibus verbis definire possumus.

Virtus cujuscunque rei augetur vel diminuitur ratione excrementi.

Calcinatio vegetantium est eorum incineratio & in calcem reductio: quę quidem vera & legitima esse non potest, nisi vegetantium Sal volatilis, & eorũdem spiritus volatilis conservetur, vt his puris factis fiat eorumdem vnitio & conjunctio cum eorumdem vegetantium sale fixo, itidem puro. Quæ quidem calcinatio fieri nó potest, sine distillatione, sublimatione, putrefactio, & conjunctione. Vnde hæc vera & legitima calcinatio comprehendit sub se omnes alias operationes supracitatas, ad separationem puri ab impuro faciendã necessarias, vt vidimus superiori capite in calcinatione vera & absoluta animalium vbi ad hanc perficiendam calcinationem factæ sunt simul & aliæ omnes operationes, quæ ad separationem puri ab impuro sunt necessariæ, si pariter in calcinatinne vegetantium facienda faciemus, & alias omnes operationes scilicet distillationem, sublimationem, putrefactionem, & conjunctionem, postquam partes calcinati mixti, & dissoluti omnino fuerint puræ factæ. Quod sequenti methodo obtinere poterimus.

Calcinatio vegetantiũ quid sit.

Accipitur qualecumque in votis erit vegetabilium, idque recens & recenter contundetur & prælo exprimetur succus ejus, & oportet habere copiam succi, & in illo succo ponere magma illius succi, certa in quãtitate & copia, ita vt succus supernatet magmati, deinde illa omnia imponenda sunt & indenda vasi vitreo optimè clauso ad putrefaciendum per duos méses aut tres in fimo equino vt ferveat & putrescat materia hæc, & appareat spiritus, qui lentissimo igne est à materia reliqua separandus per balneum, & custodiendus in vase vitreo optimè clauso, postquam rectificatus erit & ab omni flegmate vindicatus, tum demum est conservandus, reliqua verò materia quæ in fundo remanet Alembici, est distillanda fortissimo igne vt inde exeat quicquid stillari poterit olei vel liquoris, & caput mortuum in fundo remanens est calcinandum aperto igne in vase fictili testaceo, ad candorem vsque, huic sic candefacto, deinde affundendum est quidquid est egressum per distillationem sive liquoris, sive olei, & iterum

Vt spiritus vegetantiũ appareat quid agendum.

Si hoc fiat in cedro vel quercu vel pino, fit potentissimum arcanum vitæ proroganda.

iterum in noua retorta distillandum est, & caput mortuum iterum calcinandum ad candorem vsque, & huic affundendum est quidquid egressum liquoris, & toties iteranda est hæc operatio, donec caput mortuum remaneat, in fundo retortæ albũ & liquor qui egreditur per distillationem non fœteat sed bene oleat, tunc temporis caput mortuum est dissoluendum cũ flegmate superius vna cum spiritu distillato, quod si flegma non sufficiat, habenda est aqua vulgaris distillata, & cum ea dissoluendum caput mortuum per ebullitionem illius cũ aqua illa, quæ dum ebullierit cum capite mortuo, tunc temporis filtranda est, vt clarificetur & quicquid est Salis fixi in capite mortuo transeat per filtrũ vna cum aqua in cuius poris continetur. Sal fixum: quod per distillationẽ ipsius aquæ in cineribus remanet in fundo retortæ, vel alembici. quod igne cinerum est valde desiccandum & sic calcinatur, & purificatur à fecibus terreis suis, modò sæpe sæpius dissolvatur cum aqua sua, filtretur, distilletur & calcinetur, donec in dissolutione sua nullas emittat feces, tũc temporis ipsum Sal fixum sic purum factum est conuertendum, cum spiritu suo rectificato & oleo & Sale volatili, si reperiatur in separatione spiritus, nam aliquando non repetitur, quia transit vna cum spiritu, & fit spiritus, & tunc temporis dum conjungimus spiritum, & conjungimus etiam Salem volatilem: dum hæc fuerint omnia conjuncta, putrefaciẽda sunt per mensem in fimo equino, & deinde leuissimo calore balnei distillandũ erit quicquid stillari poterit aquosi humoris & superflui, quod remanet coagulatum in fundo vasis distillatorij est arcanum vegetantis illius ex quo extractum est, conservans vitales omnes facultates & functiones, & virtutes possidet ingentes & stupendas illius mixti ex quo extractum est, dosis est grana viginti in aquis cinnamomi, aut jusculis, aut in spiritu vini.

De calcinatione mineralium

CAPUT VI.

Calcinatio mineralium magni est momenti.

TANTI ponderis fecerunt antiqui Philosophi calcinationem mineralium, vt eam ipsam collocarint inter eorum arcana summa, quia in ipsa sola consistit veræ artis Alchymię secretum totum, nam in calcinatione mineralium latet calidum innatum & humidum primigenium mineraliũ, quod quidem tanti est momenti in Alchymia facienda vt sine ipso nihil perfici possit in secretis chymicis absoluendis, illud enim calidum innatum & humidum primigenium mineralium continet spiritum vitæ copiosum, quòd spiritus vitæ (seu radices luminis cœlestis) copiosè figatur & coaguletur in centro mineralium: nam mineralia omnia in terræ visceribus generantur, vbi copiosè admodum spiritus ille cœlestis descendit, & firma compagine adunitur cum pura elementorum omnium substantia, quæ corpus salis cujusdam mi-

neralis constituit, & ab hoc corpore exeunt vapores & exhalationes quę continent in se multum illius spiritus vitalis seu cœlestis, & ex quibus vaporibus & exhalationibus in visceribus terræ cōdensatis & retentis fit vera & legitima mineralium omnium generatio. Vnde mineralia omnia tunc merito possident & continent multū illius spiritus vitæ. Sic mineralium calcinatio jure etiam merito chymicis omnibus est pluris facienda, eo quòd calcinatione sola spiritus illos minerales habere valeamus qui continent copiosum spiritum vitæ, ex quo solo potest fieri arcanum vitæ conseruandæ & prorogandæ, nec sine causa antiqui chymici omnes calcinationem hanc totius Alchymiæ secreta continentem miris obtegunt vmbris & ænigmatibus, nam secretum illius calcinationis charactere obscurarunt quem simili figura depinxerunt. ♀, semicirculus enim sive luna superior indicat humidum radicale quod in calcinatis latitat, & crux inferior indicat passionem & coctionem, quam subire debet humidum illud radicale antequam perfectionem acquirat. Acquirit autem perfectionem sola coctione, seu circulatione humidi radicalis & tandem illa sola coctione perficitur semicirculus ille & luna, & in circulum perfectum seu solem absolutum convertitur. Vnde habemus manifestum calcinationis arcanum sola istius characteris explicatione, nā calcinata modo reducantur in salem

Calcinationis mysteriū in charactere suo latet.

fixum & humidum radicale illius Salis fixi extrahatur, & cum illo Sale fixo tamdiu coquatur donec cum illo vniatur, & figantur ambo, & sic verè luna illa seu circulus imperfectus tādem perficitur, & in solem convertitur totius Alchymiæ verus scopus. Sol autem in chymia est calidum innatū rerum purum putum factum & Luna chymicorum est humidum radicale earundem rerum. Vnde dicitur verā Alchymiam consistere in conjunctione Solis & Lunæ, & nisi Sol & Luna conjungantur non datur Alchymia, hoc est nisi calidum innatum rerum & humidum radicale earundem quod est Sol & Luna connectantur simul, Alchymiæ arcana nullatenus perficiuntur, per calcinationem autem nostram, calidum innatum rerū, & humidum radicale earumdem separantur ab inuicem & ab excrementis suis perquamoptime expoliantur, deinde coniunguntur, & vniuntur perfectissime adeò vt nunquam separentur, sic per calcinationem nostram fit conjunctio Solis & Lunæ, & sic etiam per eandem calcinationē fiunt arcana chymica perfectissima, & totum opus chymicum perficitur quam calcinationem vt perquam optime eam comprehendere valeamus, his sequentibus verbis definiemus. Calcinatio chymica mineraliū omnium & metallorum est eorundem in calcem reductio, vel per ignem naturalem seu elementarem, vel per aquā metallicam, & mineralem ejusdem omnino

Sol & Luna quid sint & tota Alchymia in vnione eorum consistit.

Calcinatio mineralium quid sit.

omninò substantiæ cum ipsis metallis quæ dissolvuntur, & proinde calcinantur per ipsam eandem aquam quæ ignem naturalem continet, cujus ope & beneficio, metalla calcinãtur cũ conservatione calidi innati sui, & humidi radicalis, & sic per calcinationem hanc calidum innatum metallorum, & humidum radicale eorumdem habetur, & ab impuritatibus suis vindicatur & deinde pura facta & pura, conjunguntur, vera & legitima coniũctione, quæ nunquã amplius separari potest, sed firma manet in sua puritate.

Quæ quidem calcinatio metallorum cum conservatione calidi innati eorum & humidi radicalis sic habet fieri. Accipitur Sal terræ virgineæ, & purum factum spiritu vini communis & vulgaris dissolvitur, vel aqua pluviæ distillata, & post filtrationem, dissoluitur demum aceto suo septies distillato, & per quadraginta dies in calore tenui collocatur ad putrefaciendum seu digerendum, transacto digestionis tempore, tunc distillatur acetum levissimo calore, donec pulvis fiat in fundo vasis distillatorii, tũc temporis huic substantiæ spissæ, addendi sunt silices calcinati sufficienti in quantitate vt salis fluxus impediatur, dum stillatur eius spiritus, qui non potest stillari nisi fortissimo igne, & proinde ne Sal fluat cavendum est, si enim Sal non emittit spiritus suos, vt ergo emittat, imponendi sunt silices calcinati, & sic peragẽda est distillatio, quæ dum peracta fuerit, illud omne quod in recipiẽte suo reperitur cum aqua comuni distillata quæ in recipiẽte adesse debet, vt spiritus Salis subtilissimi egrediẽtes ex fortissima distillatiõe inveniãt refrigeriũ & se recipiant in centro aquę & portu ejus. Illud ergo quod reperitur in recipiente accipitur, & ponitur in alẽbico vitreo ad distillandũ ad medietatis consumptionẽ seu distillationẽ quod in alembico remanet collocandũ est in frigido loco vt fiant inde lapilli clari & cristallini, qui eximendi sunt affusa aqua liquida per inclinationem, in alium alembicum & iterum distillãda mediocri calore ad medietatẽ; & iterũ in frigido loco transponẽdus est alẽbicus, vt fiant iterũ in fũdo cristallini lapilli quod fit sex aut octo dieb⁹ & hoc iterandũ est toties, donec nulli lapilli amplius fiãt, & quod remanet est flegma salsum & spiritus acidus Salis, qui multiplici distillatiõe rectificãdus est, vt vindicetur à salsedine sua & aliis excremẽtis, & sic purificatus spiritus est conservandus, & lapilli etiã sunt purificandi sequenti methodo. Dissolvẽdi sũt in aqua pluviali distillata, & vt prius distillãda est illa aqua ad medietatẽ & reponẽdus est alembicus in frigido loco, vt appareãt cristalli, & continuãdum est opus donec nõ amplius fiunt cristalli, tunc tẽporis dissolvẽdi sunt lapilli illi in spiritu Salis rectificato suo & aurũ calcinatũ imponẽdũ quod facile solvitur in hoc mẽstruo & circulatione cõvertitur in quintã essentiã evolatilẽ, quæ denuo circulatione perenni & continua fixanda est & in salẽ fixum cõvertenda, quæq; iterũ & solvenda est cũ eodem spiritu & iterũ fixanda donec in Salẽ facile solubilẽ & sun-

Mas illius illi coniungendus vt mas & fœmina pariant spiritum igneum qui est eorum filius.

Mas est colorum cœli, & salis etiã naturam habet.

fundentem ac penetrantem cõuertatur & hoc summum est vitæ humanæ restaurandæ arcanum, cujus dosis est Grana decem. in aquæ cinnamomi ℥ j, vel in jusculo, vel restauranti aliquo, tamen hæc superflua si arcanum scias Salis generalis quod consistit in aceto suo & vnione corporis sui cum ipso aceto verè puro cum vasculo suo.

De solutione Chymica in genere.

CAPUT. VII.

Solvere quid propriè sit. SOLVERE propriè sonat à vinculis liberare, vnde chymici dum materiam suam seu calidum innatum, & humidum primigenium rerum omnium à duris substantiæ claustris liberant & vindicant & in aqueam substantiam & liquidam convertunt solvere dicunt, vere dicunt. Vnde *Solutio quid sit.* solutioné chymicam in genere sic definiunt, solutio chymica est, humidi radicalis & calidi innati rerum omnium à vinculis suæ naturalis coagulationis reseratio, in aqueam substantiã & liquidam conversio, hæc autem *Solutionis instrumentum quale.* conversio fit aquæ cujusdam beneficio, non enim aqua simplex elementaris est proprium solutionis instrumentum, sed est spiritus vitæ elementis omnibus infusus in forma aquæ, quæ quidem tanta cæli virtute pollet, & eius influxibus delibuta est & imprægnata, vtætherea & ignea videatur, estque propriè humidum radicale cujuscumque rei volatile, & infixum alimentum imẽdiatum calidi innati fixi. & permanentis. Hujus aquæ beneficio habetur apud *Solutio vera quibus fiat.* chymicos vera solutio, nam alterius aquæ auxilio haberi non potest, cum jungi nequeat calido innato, vt extrahat illud ex excrementis & fimis quibus inuoluitur, & deturpatur, nequit autem conjungi cum non sit eius substantiæ, humidũ autem istud radicale de quo loquimur est ejusdé substantiæ cum calido innato fixo. & permanenti, & proindè solvit optime calidum innatum suum, & ab eo abigit sordes illius, cum non solvat nisi quod ipsius est naturæ & substantiæ, excrementa autem non sunt ejus naturæ & essentiæ, & proinde non solvuntur ab ipso soluente. Soluens autem istud est miræ inquisitionis, quamvis vbique locorum reperiatur, nihilominus tamen difficillimæ est extractionis ab ipsis qui ipsum ignorant, quamvis sit facilis ad- *Facilis est extractio veri solventis.* modum extractionis his, qui norunt ipsius naturam, nam simplici distillatione potest extrahi cum sit æthereæ substantiæ, quæ levissimo igne sublimatur & in aërem convertitur, quæque si retineatur in vasis vitreis in aquam abit, hæc aqua dicitur mineralis cum naturam mineralium habeat, hoc est humidum radicale mineralium volatile constituat, dicitur etiam vegetabilis cum humidũ radicale vegetabiliũ constituat, vnde vinum Lullianum efficit: dicitur etiam animalis, cum humidum radicale

dicale animalium componat. Vnde tria rerum genera animalia, puta vegetabilia & mineralia, conservationem & vitam habent ab ipsa hac aqua, imo non solum tria illa rerum genera, sed & cœlum ipsum, & tota natura cœlestis & terrestris habet esse & conservari ab illo spiritu seu spirituosa aquosa substantia, quæ apud antiquos ea ratione dicebatur spiritus & anima mundi, vnde illud.

Hoc caput mirum est totum enim Alchymiæ arcanum in se continet

Principio cœlum & terras compesque liquentes.
Lucentemq; globum Lunæ Titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Ex illa spirituosa substantia quæ in aere est, æthere, & cœlo, aqua terraque? omnia radicaliter vivunt & ea difficiente moriuntur, in hac sola spirituosa substantia nostra solutio chymica realiter & physicè constat & fieri potest, in alia verò non, cum reliquæ omnes aquæ sint hæterogeneæ calido radicali & innato, & cum sint heterogeneæ, si habeant vim solvendi, convertunt solutum in suam substantiam, & proinde in alienam cum solvens non sit ejusdem substantiæ cum soluto, sed contra naturam. Alia ergo non quærenda solutio est in arcanis chymicis peragendis, cũ non detur alia quam hæc, quę fit cũ spirituosa rerum omnium substantia, quæ in omnibus rebus reperitur, cum sit fomes vitæ, & actionum omnium & functionum & facultatum principium, & hæc dicta sufficiant de solutione in genere, jam de particula solutione agẽdum & qua methodo & via fieri debeat.

In omnibus rebus reperitur solvens & solvendũ.

De solutione animantium.

CAPVT VIII.

ANIMANTIUM solutio admodũ difficilis est apud chymicos, cum solo & vnico animantium spiritu fieri possit, qui quidem spiritus in viuis tantum animantibus videtur reperiri, nihilominus tamen post mortem etiam reperitur, non in tanta quantitate & tanto vigore vt in vivis reperitur animantibus. Quia dum vivunt animantia spiritus tunc temporis copiosi & turpentes esse debent ad actuandas animæ seu formæ animãtium facultates & potentias. Est enim spiritus ex Philosophorum & medicorum omnium consensu animalium facultatum verum & vnicum organum, sine enim ipso spiritu anima nullas potest ex se ipsa in lucem prodere actiones, & ratio in promptu est, quod anima purus sit ignis cœlestis seu vera lux ab elementarijs materij & substantiis omnino segregata, qua propter nullum commercium cum ipso corpore elemẽtari habere potest, nisi mediante media natura, seu anima, quæ est spiritus de quo loquimur, qui cum constet ex purissimis & subtilissimis elementorum substantiis & luce cœlesti, ideo vocatur media natura, &

Quare dissolutio animantium difficilis.

Anima quid sit & quare egeat spiritu.

media anima, eo quòd sit mediũ vniendi & conjungendi animam seu puram putamq; lucem cũ corpore ipso, puro elementari: & cũ actiones corporis sint veræ corporales & materiales & visibiles & palpabiles oportet, vt fiât à principio partim corporali, & spirituali. Corporeum enim simpliciter sine spirituali illa substantia agere non potest, cũ corporeum simpliciter habeat esse & ex parte materiæ quæ sẽper passiva est & nullo pacto activa, vnde actio in omnibus naturæ rebus, est ex parte formæ, & nõ ex parte materię. forma autem cũ sit omnino spiritualis respectu materiæ etsi sit materialis & habeat esse suum ex centro materiæ, cum tamen sit aliquid tenuissimum & subtilissimum materiæ, ideò ipsam formã dicimus spiritualẽ, vnde etiam habere necesse est organa suarum actionum purè spirituosa. Vnde Deus creavit in omnibus rebus spiritum illum, qui esset actionum omnium vnicum & verissimum organum; quo solo actiones formarũ prodirent in lucem. Vnde evenit in chymicis peragendis arcanis nihil aliud in rerum natura inveniri posse, ad habendam illam naturam seu animã & formam rerum, quàm spiritum illum qui particeps est formæ seu animæ, & corporis quod actuatur & informatur anima, cum enim sit spiritus ille eiusdem substantiæ, ideo radicaliter & substantialiter vnitur cum forma & corpore, & extrahit ipsa ex barathro excrementorum quo immergũtur, vnde potentiora & virtuosiora emergũt cum habeant copiosiorem & potentiorem spiritum, cujus ope & beneficio actiones omnes peragũtur. Quid autem sit spiritus ille in animantibus cujus beneficio actiones perficiuntur in animantibus, & quo corpore & visibili substãtia includatur est jam nobis declarandum, vt haberi possit ad arcana chymica peragenda. Est autẽ spiritus ille in animantibus post mortem ipsorum tenuissima illa substantia ætherea, quæ elicitur ex humidis & liquidis substantiis quæ in animalibus post mortem reperiuntur, quæq; elicitur post putrefactionem earum in forma & substantia spiritus vivi, & Salis volatilis, quæ possidet majorem aquæ elementaris portionem dicitur spiritus, quæq; majorem obtinet terræ portionem, dicitur Sal volatile, sed vnum & idem sunt & vnum potest fieri aliud facili via: solutione enim simplicis aquæ puræ, & circulatione, Sal volatile fit spiritus, & spiritus sola coctione & circulatione fit Sal volatile, hæc ergo est sola, & vnica substantia chymicis necessaria ad solutionẽ animantium peragendam, quæq; vt facilius intelligatur sic peragenda est chymica methodo: accipiendũ est aliquod animal quodcumq; volucris & occidendũ est, nec est ab excrementis suis omnib. pilis, plumis, & vnguibus & aliis rebus heterogeneis depurgandum quia in fine arcani peracti hæc melius peraguntur, & fiunt igne & operationibus chymicis, quàm manibus: addo quòd pili, plumæ, vngues & reliqua quæ in animalibus censentur excrementa, non vere sunt excrementa, sed aliquid habent formæ animalis

Vnde spiritus sit tam necessarius in arcanis chymicis peragendis.

Spiritus quid sit.

Via extrahendi spirituosam substantiam ex animalibus.

malis, & spirituosæ ipsius animalis substantiæ, cum verè nutriantur & crescant per digestionem alimenti sui & non per juxta positionem. Nā quāvis crescant pili & vngues in mortuis, tunc verè nutriuntur & vivunt vita vegetabili, nō vita animali sensitiva, quia substantia vitæ vegetabilis superest in cadavere animalium mortuorum, hoc est spiritus ille æthereus, qui in cadavere animalium mortuorum suscitare potest actiones vitæ sēsitivæ & animalis, quia in morte animalium evanuit gradus lucis illius puræ cujus beneficio actiones animales peragebantur cum spiritu suo, & remansit alius gradus illiusmet lucis, cujus beneficio actiones vegetantis vitæ & formæ cum eodem spiritu peragi possūt, vnde in cadaveribus mortuorum vegetantis formæ seu animę, actiones peragi possunt, vnde crescūt eorum vngues & pili. Non auferenda ergo sunt animalium excrementa in eorum arcanis chymicis peragēdis, sed vna cum corpore animalis vasi imponenda & cum sanguine multo & copioso aliorum similium animalium irroranda, vt quamoptime eo sanguine madefiant & inebrientur, illud omne fimo equino calido imponendū est vasi vitreo optimè clauso per quadraginta dies vel plus, vt deferveant, deinde distilla lenissimo calore quicquid stillari poterit, cave tamen ne cōburātur, & ne hoc eveniat distilla per balneum, sic eris tutus à combustione harum rerum & cohoba multoties donec appareat aqua spirituosa in forma aquæ ardentis, & Sal volatile ascendat vna cum spiritu, quæ simul sunt conjungenda, & simul circulanda vt vnum fiant corpus aquosum cujus aquosi corporis beneficio perfecta solet fieri solutio in animalibus. Hæc enim aqua spirituosa extrahit quicquid est humidi radicalis & calidi innati in animantibus & singulis, & custodit illæsas eorum virtutes & proprietates, & verus est Mercurius animalis, qui si fixetur cum calido innato fixo animalium fit arcanum animale potentissimum ad morbos omnes animalium curandos, & ad prorogandam vitam eorum vtilissimum. & efficacissimum Dosis est Granorum in jusculis.

Corpora mortuorum qua vita vivant.

Mercurius animalis qualis sit.

De solutione vegetantium.

CAPUT IX.

Ex capite superiori satis admodū clarè colligi potest solutionem vegetantium fieri debere ex spiritu volatili vegetantium, qui admodum clarus & manifestus est in omnibus vegetantibus: nam succus vegetantium omnium plenus est spiritu illo, consistere enim non possunt sine illo spiritu, vivūt enim, crescunt & habēt virtutes suas & proprietates ex fonte illius spiritus, vnde in vegetātibus facillimæ est cognitionis, quia se ipsum separat dum ebulliūt vegetantium succi per se separati, vt apparet in vino quod succus est racemorū, qui per se separatus ab uvis suis & racemis, & vasis ac

Vegetantiā habent virtutes ex spiritu suo

Solutio vegetantium vt fiat.

ac dolijs inclusus ebullit per seipsum, suscitato calore innato suo & archeo naturali, qui vult seipsum conservare, & materiam putrentem quæ in ipso est separare, & proinde irascitur quasi, & excandescit & sic ebullire facit materiam & substantiam in qua est, sicque separatur ab ipsa materia, & major pars ipsius petit regionem suam, aerem nempe, ex qua descenderat in vuas vt ipsarum esse constitueret: destructis autem uvis iterum separatur, & nō potest separare quin ebulliat, ebullitio autem excitatur ab ipso, vt se queat separare ab heterogeneis excrementis quibus in mixtione inuolvebatur. Pars illius evanescit in auras, pars remanet in ipsa substantia vini, quæ iterum potest integraliter separari adhibito calore externo, qui ipsum spiritum sua ipsa naturam volatilem suscitet ad sui separationem. Hic spiritus jam notus est lippis & tonsoribus, ejus virtus tamen & proprietas, & mira ac stupenda efficacia, & energia paucis nota est, & manifesta, eo enim ipso mediante Sal fixum volatile fieri potest, & ita cum ipso Sale fixo vniri, & vinculari potest, vt nunquam ampliùs separari possint, vnde arcana mira fieri possunt, & facta sunt apud antiquos, puta lampadum perennium, quæ lucent & radiant, curatio morborum fere omnium. Nam quod vix curentur febres continuæ & interpolatæ, hecticæ & quartanæ ac pestilentes, hoc dependet ex defectu remedij adæquati, quod non possit subigi & alterari à calore nostro, & quod sit ejusdem substantiæ cum calido innato nostro, & sic sine læsione pervadat omnes partes corporis nostri, fovendo calidum innatum cujuscumque partis & reserando earundem partium obstructiones omnes, & euacuando per insensilē transpirationē per vrinas & sudores omne illud, quod calidum nostrum mutatum infestat, & ad sui ipsius ruinam excitat, dum excandescit ad separationem excrementorum suorum, spiritus ergo ille solus est in rerum natura cujus ope & ministerio miranda & stupenda patrari possunt modo acuatur cum sale suo & vniatur cum ipso. Datur etiā & alius volatilis spiritus in vegetantibus & aliis rebus omnibus, qui in ipso vino potentius & copiosius latitat, quàm in reliquis vegetātium succis, & sic quidem spiritus latitat in tartaro vini, ac tartaro succorum vegetantium, qui quidem spiritus extrahetur sola simplici hujus tartari distillatione. Exhalatur enim quædam aquæ acida quę strias facit velut aqua ardēs, hæc est spiritus acidus tartari, quæ si separetur ab omni flegmagte aquoso, & acuetur Sale volatili summum ac potentissimum esse arcanum in curādi morbis tartareis omnibus, qui omnium morborū difficilimi curatu sunt, cùm non reperiantur medicamenta, quæ post primam stomachi digestionem illæsa permaneant & totum corpus suasque regiones omnes pervadant, vt hostiles morborum horum

Spiritus ex astru in aërē descendit.

Vinum cur ebulliat.

Quid spiritu vini & sale suo fixo vnitis fieri potest.

Lampades perennes vt fiant.

In tartaro vini latitat etiam spiritus.

rum focos & fomites destruere queant. Hic spiritus acidus, est salis esurini pars volatilis, quæ naturam omnem fovet & conservat, illiq; virtutē & energiā condonat se ab hostibus suis tutandi & conservandi & se prorogandi, vnde nostrę naturę à morbis & causis morbificis profligatæ est sūmum auxilium, cum destruat hostes naturæ, eosque dissolvat & in alienam transmutet essentiam quæ inimica naturæ nostræ tantopere non est, vnde facili via inde per excretricem facultatem foras eiicitur, cùm non tam potenter resistat ac antea, jam priùs ab ista auxiliatrici natura devicta. Istis ergò spirituosis substantiis, quæ in vegetantium succis post fermentationem eorum & naturalē ebullitionem reperiri solent, egent summopere chymici, vt solutionem chymicam vegetantium perficere possint vt calidum innatum & humidum radicale vegetantium habere queant purum putum, in quo solo consistit virtus & energia vegetabiliū omnium. Habetur autem hæc spirituosa vegetantium substantia modo & via sequenti, exprimitur succus vegetantium torculari aliquo & expressus succus magna in copia deponitur ad defervendum seu fermentandum per se in cella vinaria in dolio optime clauso, & postquam deferbuerit seu fermentatus fuerit ponitur ad distillandum lenissimo calore & quicquid striꝭ as facit colligendum est, hoc tamen non est spiritus seu oleum vini, datur alius spiritus acetosus qui in tartaro

Acida spirituosa hæc substantia, est verus spiritus nō aqua ardens. est potius oleum vini quàm spiritus.

latet, & qui post hoc oleum extrahitur, qui ab excrementis sui aquosis & aliis omnibus vindicatus solutionem vegetantiū facit, & extrahit eorū veras omniū essentias & quidē ditates, eoque solo spiritu vel puro, vel impuro cum suo phlegmate conjuncto, & cum parvo succo ejusdem speciei vegetantis copulato citissimè fermentatur succus & ebullit, & sic copiosùs extrahitur spiritus vegetātium, qui tūc temporis potest depurari perquā optime & Sali fuso & volatili ejusdem speciei conjungi & vinculari, & sic perfectum & absolutum vegetantis ex quo extrahitur, perficitur arcanum potentissimum, cuius dosis est grana decem in spiritu simplici vegetantis eiusdem speciei, vel in aqua stillaticia sua. At in spiritu, est majoris virtutis & efficaciæ, quàm in aqua simplici stillaticia sua, quòd illa aqua nihil fere habeat virtutis vegetantis ex quo extrahitur, cùm non sit de essentia & natura vegetantis, sed tantum est pars aquosa alimenti vegetantis, quod quidem nō sit adhuc mutatum in partes substantiales vegetātis, non adhuc est pars eius & perinde nihil habere potest virtutis, & energię vegetantis illius ex quo extrahitur, vnde colligitur quam vanæ sint & frustraneæ aquę pharmacopolarum, quibus vtuntur medici ad curandos morbos, & hæc sufficiant de solutione vegetantium cum solvente spiritu acido, sale suo acuto & acri acuminato. De solutione autem cum spiritu acido, & Sale suo itidem acido jam nobis dicendum, est ergo adhuc

Modus extrahendi acetosum spiritū solutionis instrumentū.

in vegetantibus succis spiritus alius acidus, qui quidem potest extrahi beneficio aquæ illius alimentariæ de qua jam dictum est: hic autem spiritus acidus, habet radicem suam in Sale esurino quodam acetoso, qui adhuc latitat in magmate succorum vegetantium. Et hæc extractio huius spiritus, fieri potest sequenti methodo, distillatur aqua, illa infertilis & aquosa omnino vsq; ad siccitatem magmatis residui, & illud dissolvendum est & diluendum aqua illa alimentitia jam extracta, & levi ebullitione id peragendum, deinde omnia dum adhuc calent filtranda, vt quicquid est Salis volatilis, in magmate dissolvatur, quodque iterum dissolvendum est ad siccitatem vsque, & cum sua iterum aqua dissolvendum ebullitione levi, & iterum filtrandum & clarificandũ, & hoc toties agendum est donec dissolutum clarescat & nitidum omnino appareat, & coaguletur in tartarum nitidum & clarum tunc temporis distillandus est tartarus ille fortissima distillatione, cum loricata optimo luto retorta, & tunc distillatur spiritus acetosus & oleum, spiritus acetosus separandus est per infundibulum ab oleo, & separatim vtrumque est distillatione multiplici rectificandum, donec vindicentur, ambo ab excrementis quibus inuolvuntur, & in hac distillatione habetur Sal volatile vegetantis, & oleum quod continet sulphur ejusdem, & in fece seu capite mortuo, quod remanet in fundo alêbici, est sal fixum, quæ omnia depurata secundum leges protechniæ, & vltimò coniuncta constituunt potentissimum vegetantium arcanum, cujus dosis eadem cum superiori, & eadem virtus, sed maior & efficacior multò, propter Salis esurini & eiusdẽ spiritus conjunctionem, & præsentiam, suique sulphuris connexionem: imo cum solo spiritu acido Salis esurini, modo eodem Sale esurino acuato, & fermentato, possunt fieri multa alia arcana, vt solutio auri & argenti & mercurii, quæ mira est & stupenda in morbis curandis, quod sequenti capite fiet clarius. Hæc tamen solutio cum hoc spiritu acido facta est vera solutio: nam cum spiritu ardenti vini fieri non potest.

De solutione mineralium.

CAPUT X.

Qvàm difficilis sit mineralium dissolutio, sciunt omnes qui circa ipsam occupati fuerant, qui sæpissime totum vitæ suæ cursum consumpserũt in indaganda illa solutione, nihilominus tamen nunquam ipsa noverant, nec solventis essentiam & materiam vnquam intellexerunt, nec nimis viderunt, eo quod cum humido radicali mineralium fieri habeat, illud tamen humidum radicale cum in omnibus mineralibus & metallicis corporibus insit & reperiatur, cum solum ab ipso solo mineralium esse & metallorum dependeat, nihilominus tamẽ ab omnibus cognosci nõ potest: nec vllo pacto comprehendi, etsi fundantur

Difficilis mineralium solutio.

dantur & liquentur metalla in igne ab ipso humido radicali, & conserventur illæsa in ipso igne, nihilominus tamen, inquam, non potest comprehendi quid sit illud humidum: & quia illud apud chymicos omnes antiquos & recentes dicitur & nuncupatur mercurius & argentum vivum, non possunt aliud sibi imaginari quā vulgarem illum mercurium & argentum vivum comune & vulgare, quod palàm divenditur, quod quidem continet suum argentum vivum & humidum radicale suum, de quo non est sermo, quod argentum illud vivum, quod continetur in argento vivo cōmuni & vulgari, non sit argentum vivum necessarium arti nostræ & solutioni faciendæ, cum illud sit individuatum quid & volatile nimis & fugax, & sulphure corruptibili infectū, nostrum vero argentum vivum non est adhuc individuatum, sed commune omnibus naturæ generibus, quo solo indigemus ad faciendam nostrā solutionem arcanis chymicis peragēdis necessariam, volatile quidem partim est, sed partim est fixissimæ substantiæ, vnde facili viā manet in igne & gaudet in ipso & est vera & legitima Salamandra antiquorum, vivens in ipso igne, & perseverans, cujus sanguis igne coctus, & perfectus theriaca vera est morborum omnium: cum tamen in omnibus mineralibus & metallis reperiatur hoc humidum radicale imo & in omnibus naturæ rebus vegetantibus, & animantibus; nihilominus tamen arti nostræ & solutioni faciendæ est omnino inutile, propter sui individuationem quam recepit in omnibus naturę generibus mixtis, inest tamē subjectum aliquod in terra ipsa conclusum non adhuc individuatum, in quo quidem subjectū, copiosum admodum est illud humidum radicale, nobis solū vtile, omnibus notum est, & cognoscunt omnes, & tamen tale, & ad quid inservire posset, pauci admodum sunt qui illud cognoscant, & extrahere sciant. Est enim lapis noster, qui tamen non vere lapis est, sed potius terra quædam salinosa, pinguis, in cujus centro latitat oceanus verus & vniversalis totius naturæ ex quo separatus est oceanus externus visibilis & navigabilis, alius vero est invisibilis totam terram occupans suisq; poris, porisque aeris invisibiliter inclusus, vnde verè & legitimè vocatur ab ipsis Philosophis aqua Oceani, aqua vitæ, quòd omnibus rebus inserviat ad vitam & esse earum conservandum, non tamē est aqua communis, & vulgaris alicujus scaturiginis, sed crassa quædam aqua Salinosa, atque sicca quę manus non humectat, nec tamen est Sal communis qui terræ inest & aquæ, sed est alius ex quo sal commune, & nitrum, & alia omnia Salia habent originem, in quo solo ignis naturæ, & verum sulphur mercuriusq; & Sal Sapientum & naturæ reperiuntur, estque crassa pituitosaq; quædā aqua, è salinosa terræ pinguedine ortū habens, igne plena, mercurio & Sale, vnde terna dicitur hæc substantia, & vna, cum hæc tria vnum quid in compositione naturali constituant.

Argentum vivum commune non est humidum radicale metallicum.

Salamandra antiquorum qualis & qua sit.

Datur in terra subiectū in quo abundat humidum radicale metallicū.

Vera descriptio mercurii Philosophorum & humidi radicalis metallici.

Ex omnibus autẽ aliis trium generũ rebus, sive sint ex genere animalium, sive ex genere vegetantium, sive ex genere mineralium & metallorũ, non potest educi hæc substantia quã vis his insit propter ejus individuationem quam in vnoquoque genere suscepit, in qua individuatione particularem invidui sui induit virtutem & indolem, cujus fermento, omnem communem naturam, & cum rebus omnibus convenientiam exuit, & sic non est aptus mercurius ille seu humidum radicale ad genera omnia, sed est quid particulare ad speciem tantum illam, in qua & sub qua individuum illud collocatur, vnde arcanum quod inde paratur non generale quid est, sed quid particulare. Lapis autem Philosophorum ex sententia omnium & ex veritate ipsa est arcanum generalissimum continens in se vim & proprietatem perficiendi res omnes qualescunque sint. Ex subjecto ergo generalissimo extrahi debet, quod nullatenus individualitatem patiatur sub mixto alicujus generis, ergo ex nullo metallo, nec ex vllo minerali, nec ex vllo animali, nec item ex vllo vegetanti educi potest ergo superest, vt ex solo subjecto supradicto confuso & hyleali, vbi confusa sunt elementa omnia & principia rerum omnium, eliciatur. Illud autẽ subjectum ex quo extrahitur illud generale humidum radicale verum cõmune & vniversale rerum omnium alimentum, esse commune & vniversale quid, rebus omnibus conveniens inde colligitur: Quod natura vna & simplex, ex multis ac diversis cõposita, non potest esse vna & simplex quin multiplicia illa ac diversa ex quibus componitur fiant & redigantur in vnum, vt videre est in homine qui etsi cõponatur ex diversis, illa omnia tamen rediguntur in vnũ quid & simplex, nempe in vnum homogeneum simplexque semen, ex quo diversa omnia ex quibus componitur homo fiunt & componuntur, item nutritur ex diversis alimentis, quæ tamen non sunt alimenta quandiu varia & distincta sunt, sed postquam cõversa sunt in vnum & vltimum homogeneum alimentum ex quo partes illæ diversæ & distinctæ omnes nutriuntur & conservantur. Sic pariter fit in macrocosmo & vniversali natura: cœlũ & planetæ omnes cum stellis variis ac distinctis & quatuor elementa, ex quibus componitur natura nutritur & conservatur, fiunt quid vnũ & simplex, & deponunt pluralitatem illam & diversitatem, vt fiant vna & simplex natura homogenea. Cœlum enim omne, quod sui est, deponit in elementa, & elementa omnia quid quid habent virtutis & energiæ, cum semine suo deponunt in centrum terræ, quod est centrum naturæ, vbi digeritur illud omne & coquitur, & coctione ac digestione illa deponit pluralitatem illam & convertitur in alimentum vnum & simplex vltimum rerum omnium, quod quidem alimentum vltimum, vt res omnes naturales co nutriri queant, necessarium.

Ex quo educatur mercurius verus.

Qua ratione fiat spiritus mundi seu media natura.

Centrum terra est centrum natura.

rium.

riumomnino est, vt sit quid, vniversale & commune rebus omnibus naturalibus, & tamen sit quid simplex, & vnum homogeneum: vt clarum est in omnibus naturæ mixtis, tum vegetantibus animalibus & mineralibus, quæ vt nutriantur & conserventur in esse suo, alimenti sui digestione & coctione alimentum qualecunque sit necesse est vt convertatur in vnum & simplex homogeneum alimentum, vt partes eo nutriri queant & conservari, alioquin si in sua heterogeneitate persisteret, partem similarem & homogeneam nutrire & conservare non posset; oportet ergo vt deponat heterogeneitatem omnem, & induat homogeneitatem simplicem, vt partes homogeneæ & simplices & nutriri & conservari possint, similibus enim & homogeneis fit nutritio eo cõservatio rerum. Datur ergo in rerum natura, alimentum vnum & homogeneum & simplex, ex quo partes omnes vniversæ naturæ nutriuntur & conseruantur. Quod quidem alimentum nullibi reperiri potest, quàm in sola terra, vbi virtutes cœlestes omnes & elementares confluunt, ibique digeruntur & coquuntur in illud alimentum, quod philosophi antiqui hermetici mercurium dixerunt calidum innatum, & humidum primigenium rerum omnium, quod quidẽ cum ignem naturæ cõtineat, sulphur dixerunt incombustibile & vivum, & animam mundi; & cum contineat pabulum & radicalem humorem illius ignis naturalis & vivi, dixerant mercurium & humidum radicale, & cum contineat etiam siccitatem quandam & duritiem beneficio cujus videtur & palpatur, Sal dixerunt Sapientum, & centrale naturæ. Et hæc tria vnũ constituunt homogeneum & simplex quod nos meliori Titulo alimentum vniversale rerum omnium, dicere possumus. Quod quidem vt habere valeamus ipsum purum putum, sequenti methodo, insistendum est, ad perficiendam solutionem nostram mineralium & metallorum. Accipienda est ergo terra nuda & simplex spiritu cœlesti & elementari imprægnata & turgida, estque terra pinguis & argillosa, quam Galli vocant Marne, Latini Margam, qua vtuntur Galli & Britanni, ad agros stercorandos, fœcundat enim copiosissimè agros infœcundosq; & steriles, propter spiritum fertilitatis quo turget, est alba, rubra, russa, & cinerea. At alba & rubra præstat omnibus, accipienda est terra illa & diluenda est rore majali, vt Sal illius dissolvatur in ipso rore, deinde postquam gustu percipitur rorem imprægnatum esse copioso illo Sale acido putre faciendus est ros ille imprægnatus in vase vitreo optimè clauso in fimo equino per quadraginta dies his transactis distillandus est liquor levissimo calore, ad spissitudinem mellis, & per cohobationes varias & multiplices dissolvẽdum est illud quod in fundo remanet, & filtrandũ & feces omnes filtrandæ sunt & custodiendæ, vt calcinari possint tãdem cum capite mortuo. Et post subtractionem, & clarificationem

Spiritus natura est quid simplex.

Alimentum verũ omnium est vnicum & simplex.

Varia nomina spiritus mundi.

Vide Plin. lib. 17. c. 6. 7. & 8.

Modus extrahendi sal in quo latet spiritus acidus totius solutionis instrumentũ.

cationem, distillare oportet, ad spissitudinem mellis vsque, & tandiu hoc iterandum est, donec clarum & limpidum maneat in fundo, sal illud facilè vt cera fluens, acidum hoc tandē demum dissolvendum cum spiritu vini optime rectificato, & per distillationem levem abstrahendus est vini spiritus, & hæc solutio cum spiritu vini multoties est iteranda, donec candidissimum habeas Sal fluens & fundens vt cera, tunc temporis præparata est natura tua, vt ex illa cor suum & animam seu spiritum extrahas, & hoc sola simplici distillatione per alembicum aut retortā in cineribus fieri potest, hæc conservanda sunt & custodienda ad rectificationem, sunt enim rectificanda septies antequam jungantur sali fixo, quod quidem ex capite mortuo, & fecibus omnibus in prioribus purificationibus reservatis extrahi potest, modo calcinentur omnia aperto igne in vase fictili, & deinde dissoluantur rore antea sæpius distillato ad purificationē illius, & bulliant simul, & deinde filtrentur, & clarificentur & distillentur donec omnino candidetur Sal & dissolvatur sine fecibus vllis, quod quidem tunc temporis est dissolvendum cum spiritu vini. & abstrahendus est spiritus vini ab ipso Sale fixo ter aut quater donec omnino dissoluatur Sal in spiritu vini sine fecibus vllis. Tunc temporis abstrahendus est per distillationem spiritus vini & optime desiccandus est Sal iste, & cum suo rectificato spiritu priùs extracto & anima est conjungendus, & tunc temporis vniuntur verè, & conjunguntur solvitur tunc temporis corpus & congelatur spiritus, & constituunt ambo aquam siccam manus non madefacientem, mercurium verum philosophicum ex quo immediate metalla in venis terræ producuntur, & quamvis, natura non ita purificet hanc materiam, quia non vtitur spiritu vini, cum non habeat ipsum in intimis cellariis suis, & thalamis, nihilominus tamen vtitur spiritu roris cuius solius beneficio hæc substantia ad perfectionem exaltari potest. Tunc temporis huic mercurio seu humido radicali metallico, connectendum est aurū purum putum nullo pacto alteratum in pulverem tenuissimum redactum ad decimam tantùm partem & hoc omne includendum est in vase vitreo hermeticè clauso, & lenissimo Vulcano & blando, vitalem calorem cubantis gallinæ imitanti committendum est per novem menses continuos donec siccetur omnino hæc materia, & rubescat vltimo instar carbunculi, tūc temporis habes secretum secretorum & verissimum arcanum metallorum, quo solo lepra metallorum & hominum verè curatur, Dosis est granum vnum in aqua communi vel vini, ad restaurationem vitæ & curationem morborum omnium. Et Arcani hujus virtus & energia potest multiplicari in Infinitum, si dissolvatur iterum atque iterum cum aqua sua, & spiritu suo mercuriali, & iterum coquatur ad siccitatem, vsque, & fixationem.

tionem. Tota difficultas in præparando hoc arcano consistit in præparatione & extractione Salis istius ex terra illa virginea quæ est vera mater istius salis in quo corporificatur vt ita loquar, spiritus mundi qui solus est primus motor rerum omnium, & energia & efficacia totius naturæ, & ratione illius spiritus, Sal iste possidet infinitas omnes totius naturæ virtutes, & quamvis sit in omnibus aliis naturæ rebus, nihilominùs copiosior est in ista terra, in centro cuius calore suo innato producit Salem istum, qui antea purus spiritus & substantia omnino invisibilis, fit in ipsa terra verum & solidum corpus, nempe Sal qui continet in se reliqua duo rerum principia, nempe mercurium & sulphur: sulphur est calidum innatum Salis illius; & mercurius est humiditas radicalis ipsius & Salis, & Sal dicitur corpus illud visibile terreum diaphanū quod humido solvitur, et calido tenui congelatur, in hoc ergo corpore Salis, qui in terra illa virginea reperitur, sunt tria rerum principia simul unita et conjuncta vt in cæteris omnibus totius naturæ compositis, in hoc autem potissimus elucet præ aliis omnibus spiritus mundi, ratione cujus hic Sal est eligendus ad spiritum nostrum eliciendum cujus ope, & ministerio solutio nostra mineralium commodè fit et alio quovis modo, fieri non potest, cùm alia omnia naturæ mixta non tantum possideant spiritus mundi, nec adhuc sit individuatus ipsemet spiritus in ipsomet Sale.

Quæ diximus de marga est ad occultandum verum nostri Salis terram & materiam.

In hoc ergo Sale tantum fusibili quærendum est, quidquid exoptatur, ad solutionem chymicam nostram minceralium perficiendam et absolvendam, sed cogita qualisnam sit terra illa pinguis ex qua extrahi debeat et Sal et spiritus acidus ejus, et magnus erit Apollo.

De putrefactione rerum in genere.

CAPVT XI.

IN arcanis chymicis peragendis, tāti est momenti putrefactio, vt sine eâ perfici nullatenus possint. Animalia siquidem, neque vegetantia vlla, nec minus mineralia possunt vllo modo depurari et ab excrementis suis, quibus scatent, vindicari, quin putrefiant priùs: Putrefactio enim separat ac dividit res homogeneas ab heterogeneis, excrementaque quæ in compositione rerum ex impuritate elementorum exorta sunt, perfectissimè dividit ac separatim deponit, vnde à philosophis antiquis chymicis divisio dicitur ac separatio, mortificatio atque corruptio, eo quòd in putrefactione rerum, ea quæ separantur ac dividuntur mortificantur omnino et corrumpūtur, separata e. ac divisa spiritu vitali et æthereo privantur, vnde mors eorum, cùm spiritu illo, vitæ veræ vero fonte et scaturigine, denudentur. Vnde solent definire et chymici philosophi putrefactionem, humidi radicalis et calidi innati rerū

Putrefactio quid proprie sit.

omnium,

omnium, ab omnibus suis excrementis, quibus scatet ex prima elementorum mixtione, separationem ac divisionem. Præcipuus enim chymiæ scopus finis, est purificatio calidi innati & humidi primigenii rerum omniũ. Non potest autem calidum innatum & humidum primigenium ritè & optimè depurari, quin separetur ab excrementis elementorum suorum quibus scatet. Separatio autem illa excrementorum non potest fieri sine putrefactione, nec spiritu vitæ ipsius potest vllo pacto agere, vt seipsum spoliet & vindicet ab excrementis quibus scatet, nisi corpus suum, in quo latitat, putrescat & corrumpatur, testante ipsomet Christo Iesu nostro Redemptore, qui cùm verus Deus & verus homo sit, naturam omnem, quã vt Deus creavit propter ipsum hominem, perfectissimè cognovit. Dixit ergo Christus nisi granum mortuum fuerit & corruptum, ipsum solum manet, hoc est nisi corpore rerum putrefiant & corrumpantur, vt separetur eorum spiritus & vindicetur ab excrementis suis; nullam de se dant germinationem & multiplicationem, quia solus est spiritus vitæ, qui separatur à corpore suo, & depuratur ab excrementis suis, & corpori iterum suo puro vnitus germinationem & multiplicationem ex seipso promit, vt quam plurimi chymicorum videtunt ipsâmet experientia, Sales vegetabilium optimè depuratos & spiritu suo vegetabili impraegnatos, terræ creditos & mandatos germinare ac pullulare, & fructus ferre ejusdem speiei ex qua sa erunt extracti, imo & in phiala vitrea ampla inclusos, & hermeticè clausos levissimo calore tepefactos exsurgere in arbores & flores miros flore & foliis viridantibus exornatas, quod capite de vegetãtium putrefactione, qua ratione & quâ methodo id fieri possit, clarissimè ostendemus. Sed hæc levissimi momenti sunt in putrefactione rerum, in ea enim latet aliquid aliud majoris multò ponderis quàm germinatio hæc vegetantium, quæ vulgaribus tantùm hominibus est admirationi, qui tantum mirantur quæ ignorant; at scientibus & philosophis veris hęc non sunt admirationi, quòd videant & sciant longè plura ac majora, preciosiorisque momenti in natura ipsa latitare, & occulta esse, quæ ab ipsis possunt fieri manifesta, vt apparet in hacce rerum omnium putrefactione, quæ si ritè fiat, virtus stupenda & certè mirabilior multò germinatione & pullulatione illa, quam vulgus admiratur hinc exsurgit. Nam perfecta & absoluta rerum omnium perfectio hinc descendet, quæ consistit in sanitate perfecta, prolongatione vitæ vltra terminos communes & vulgares, cum transmutatione rerum omnium imperfectarum in perfectas & omnibus in partibus absolutas, hinc cura perfectissima omnium morborum dependet, & transmutatio metallorum imperfectorum in perfecta metalla, & lapidum trivialium in lapides pretiosos, & malleatio ipsius vitri, originem ducit, & transmutatio sterilium

Germinatio & multiplicatio est à spiritu.

Mira dependent ex putrefactione chymica.

sterilium hominum & animalium omnium & vegetantium in fœcundos consistit, & longissima & fausta hinc vita dependet, quod multò est pullulatione & germinatione nobilius & præstantius, hæc ergo naturæ miracula & stupenda dependent, ex putrefactione chymica ritè celebrata, quæ fieri habet dum succus naturalis & innatus humor rerum omnium copiosus contunditur cum corpore suo, & permiscetur optimè, veluti in vino & cerevisia fit. contunduntur pyra, poma & racemi, & claudūtur omnia cū eorū succis naturalibus in suis vasis, & in cellis reponūtur vt ebulliant & ferveant: & ebullitio & furor ille parit nostram putrefactionem. Nam tunc temporis putrescit & corrumpitur racemus & pomum, & generatur ex illa corruptione vinum & cerevisia, & sine illa racemorum & pomorum corruptione nullo pacto vnquam produceretur vinum & cerevisia, nec partes heterogeneæ separarentur ab homogeneis, vnde nec vini spiritus haberetur, nec Sal suum fixum & volatile cū eorum tinctura & sulphure radicali vllo pacto extraherentur, in quibus solis puris factis & ab omnibus excrementis vindicatis & deinde vnitis consistit renouatio vini cujusvis impuri, in perfectissimum vinum, imo guttula hujus arcani in cyathū vnū aquæ communis & laudati fontis injecta cōvertit & mutat in vinum optimū, aut saltem imponit qualitates & substantiam puram & laudatam vini optimi in aquam ipsam, vt appareat vinū optimum, vt clarissime videbitur capite de vegetantium putrefactione, postquam putrefactionem particularem animantium patefecerimus.

Putrefactio chymica vt fiat.

Aqua qua via fieri potest vinum.

De putrefactione animantium.

CAPUT XII.

QVICQVID est in corpore humano, (excepta anima rationali, quæ diversæ est indolis ab ipsomet suo corpore) quod actuat & informat est totum alterabile & mutabile vt apparet ipsâmet experientiâ. Nam post mortem ipsius hominis, quæ sola cōsistit in separatione ipsius animæ rationalis ab ipsomet corpore, ipsummet corpus cadauer tunc temporis factum, est totum mutabile & alterabile, & sponte sua corrumpitur: hæc autem spontanea animantium omnium, & ipsius corporis humani corruptio, originem habet ex discessione & separatione prioris formæ, quæ dum discedit & separatur à corpore suo, statim introducitur alteratio quædā & mutatio, quæ disponit materiam hanc ad aliam formam suscipiendam, hæc autem alteratio & mutatio in cadaveribus omnibus fit ab interno aliquo agente, quod cadaveribus inest, & nunquam ea relinquit, donec novam formam sibi propriam & peculiarem in ipsam materiam putrentem introduxerit, hoc autem agens internum & intimum materiæ putrentis est cœli & elementorum reliquorum, quę corpus fecerūt, subtile quid et purissimum, quod est principium motus & quietis in rebus omnibus, & dicitur spiritus naturæ, & cum natura ipsa

Corpus humanum ex seipso corruptibile est.

Corruptio & alteratio in rebus omnibus vnde fit.

ipsa sæpissimè confunditur, quamvis differant omnino, natura & ipsius spiritus. Natura siquidem est actus primus ipsius motus & quietis, primũ & immediatum subjectum ex quo oritur motus & quies: spiritus verò est secundus actus & mediatum subiectũ ex quo motus & quies oriuntur. Est enim spiritus instrumentum naturæ, quo solo vtitur natura ad agendum, non posset enim natura vllo pacto agere, cùm sit omnino cœlestis spiritualisque substantia, nisi haberet instrumentum illud, quod est media substãtia, cœlestis puta, & elementaris, beneficio cujus agere potest in ipsa elementa, & ex ipsius infinita componere, sola ipsiusmet spiritus actione, vnde spiritus dicitur media natura, & natura dicitur absoluta & pura natura, et est vera anima et forma rerum omnium, spiritus verò est ipsius animæ et formæ instrumentum et organum, quo anima et forma vtitur ad agendum. In putrefactione animalium faciẽda, necessarius omnino est spiritus ipsorum animaliũ, & non anima ipsorum vllo pacto est necessaria, quocirca necesse omnino erat hunc spiritum notum facere, chymiæ candidatis, alioquin facere non possent animalium putrefactionem, quæ tanti est momenti in arcanis animalium faciendis, vt absque ipsa peragi ac perfici nullo modo possint, hic ergo spiritus omnino est necessarius in putrefactione animalium peragenda, residet potissimum hic spiritus in humido radicali animalium, et sæpè sæpius ab Alchymiæ patribus confunditur cum calido innato, quia ipsamet anima et forma rerum residet in calido ipso innato rerum, quod est sal fixum cujuscumque rei, vt humidum radicale, est Sal volatile, in quo potissimum elucet ac floret spiritus rerum omnium. Hæc duo Sal fixũ et Sal volatile cum eorum tinctura seu sulphure et oleo, quod est tertium in compositione & mixtione rerum sunt omnino necessaria ad putrefactionem faciendam, nõ enim separãda simul putruerint: nam quamvis simul sint in corpore illo, quod putrefactionem patitur, nihilominus tamen in putrefactione separantur ab invicem, vt deinde per distillationem, postquam putruerint, separari possint. Vnde putrefactio animaliũ, de qua jam est sermo sic definiri potest, vt ejus efficacia ab Alchymiæ candidatis inde dignosci possit. Putrefactio est in animantibus partium, ex quibus componũtur animalia, separatio naturalis, quæ à spiritu animali seu humido radicali & sale volatili peragitur, vt à partibus heterogeneis & excrementitiis vindicari & spoliari possint. Dixi putrefactionem naturalem partium homogenearum ab heterogeneis, quòd hæc putrefactio fiat sponte naturæ, & sui spiritus naturali inclinatione, vt compositionem naturalem tandem fortissimã & durabiliorẽ inveniat, in qua quiescere queat. Facit enim spiritus naturæ, has separationes & rerum putrefactiones, ad generationẽ novã inde moliendã priori perenniorẽ & durabiliorẽ multò, cũ in hac putrefactione & separatione heterogenea separentur

Natura ipsa & spiritus vt differant.

Spiritus vnde media natura dicatur.

Spiritus naturæ cur cognoscendus.

Vbinam resideat spiritus animalis.

Putrefactio quid sit.

rerum ab homogeneis, impuraq; à puris mixtionis & cōpositionis substantiis, quæ dum vnita sunt & permixta per eundem spiritum, potentissimam hinc inde propter puritatem partium vnitam obtinent mixtionem & cōpositionem, & proinde priori mixtione durabiliorem. Vt ergo spiritus naturę durabiliores: & fortiores nanciscatur rerum mixtiones & cōpositiones, putrefactiones has generat, & molitur ac suscitat, tanquā generationū novarum nova primordia: nō potest enim nova generatio fieri quin præcedat nova putrefactio, cùm hæc sit principium generationis, vnde rite diximus separationem illam partium purarū ab impuris, quæ in putrefactione celebratur & suscitatur à spiritu naturæ, verè esse naturalem, cùm fiat è causa naturali, nēpe è spiritu naturæ, & propter generationem & compositionē novam, quæ merè est naturalis. Quali autem methodo fiat, & via chymica hæc animalium putrefactio superioribus in capitulis de calcinatione animalium, & eorum solutione, jam sufficienter diximus & patefacimus, ideò ad putrefactionem vegetantium declarandam jam procedendum est.

De putrefactione vegetantium.

CAPUT XIII.

PVtrefactio vegetantium solet fieri in arcanis vegetantium eliciendis, arte pyrotechnica, vt purum vegetantium calidum innatum, & humidum radicale haberi possit vindicatum ab omnibus heterogeneis suis excremētis, quæ actionem calidi innati & humidi radicalis obtundūt ac obumbrāt. Putrefactio autem cum fiat per separationem puri ab impuro, impurum non potest separari ab ipso puro, quin purum elucescat in sua virtute & nobilitate, qua autem ratione & via, putrefactio separet partes impuras à puris id adeptis philosophis est apertum per putrefactionis vegetantium definitionem, quæ cùm sit calidi innati & humidi radicalis vegetantium ab omnibus excrementis, quibus scatent ex prima elementorum suorum mixtione, separatio ac divisio, à spiritu vitali facta: spiritus enim vitæ facit hāc divisionem cum nunquam moriatur verè & propriè, cùm radicatam in se habeat lucem seu vitam quæ ipsum semper comitatur, vnde nihil vere in rerum natura moritur, cùm in se vitam radicatam habeat, quod quidem novit Hippocrates lib. 1. de diæta: nihil, inquit, fit, quod prius non erat, neq; quicquā perit, sed permixta & discreta alterantur; homines verò arbitrantur, hoc ex orco in lucem auctum generari, illud verò ex luce in orcum imminutum perire ac corrumpi: Animalia sunt tam illa quàm hæc, nec vllum animal mori potest, nisi vniversa pariter corruant, vnde enim morerentur? neque quod non est generatur, cùm non sit vnde generetur. Ex doctissimis his verbis ac sententiis Hippocratis clarum & apertum est spiritum vitæ res omnes vniversæ naturæ agitare & commovere, ratione cujus nihil reperiri posse in rerum serie, quod vere moriatur ac desumatur sed tātùm alterari, permisceri, putrefieri, & generari

Putrefactio qua via, pe[r] purum ab impuro.

Mixta qua via resuscitentur.

iteratis & repetitis multis vicib., vt sic rerũ ordo naturalis propagetur, hoc meditantes philosophi adepti, & per acuta mentis acie penetrantes, excogitarunt chymiæ artis operationibus vulcano operante, mixta omnia resuscitare ac renovare in novum naturæ ordinẽ virtutibus ac proprietatibus insigniorem ac lucidiorem quam antea, quod spiritus vitæ seu lucis in hisce resuscitatis mixtis, & renovatis compositionibus lucidior multò ac fortior & potentior inclusus esset, quàm in prioribus naturæ compositionibus. Spiritus enim lucis, cùm ex vera luce sit, & subtili elementorum omnium materia, nihil aliud agere potest, quàm naturales & spontaneas actiões, & ad hoc potissimũ inclinãtes habet virtutes & proprietates: vitales autem sunt hę omnes, cùm lux nihil nisi vitã producere valeat, cùm hâc nisi calorẽ calor autem nil nisi vitam agat, vita siquidẽ nihil aliud est, quàm caloris lucidi in humido radicatio & fixatio seu conjunctio, lux enim ex superioribus in inferiora descendit & humiditatem inferiorum elementorum imprægnat & vnitur cum ipsa, ibique vt in superioribus naturalem excitat motum, est enim lux in superioribus principium motûs, & sic etiã dũ lux vnita est, & conjuncta cum inferioribus elementis nihil aliud producere potest, quàm naturalẽ & spontaneum motum, qui per se vitam producit, sic vita seu forma vitalis producitur in mixtis inferioribus, & præcipuè in vegetantibus: lux descendit cœlestis in inferiora elementa & radicatur in ipsis, ibiq; motum suum naturalem & spontaneum implantat, ex quo exsurgit & elucet vitalis radius, qui forma in rebus dicitur, dans esse rebus singulis, quæ cùm variæ ac distinctæ sint & ferè infinitæ in rerum serie, etiam radii cœlestes infiniti sunt fere, qui varias distinctas, & ferè infinitas elementorũ inferiorũ partes impręgnant & informant, hinc semina rerum infinita, & formæ rerum innumerabiles ortum habent.

Lux est vita & quare calorem innatum habeat.

Vita qua via producatur & in inferioribus.

Spiritus ergo cœlestis cùm ex seipso moveat generationes omnes in rerum serie, & proinde putrefactiones etiam facere necesse est, cùm nulla sit generatio, quin putrefactio entis generandi præcesserit, separationem perinde ac divisionem partium heterogenearum facere etiam necesse est. Cùm ergo se separaverit ab excremẽtis primæ mixtionis, quæ actionẽ eius ac virtutem obumbrabant, nullo pacto dubitandum est, quin eius virtus proprietas ac energia sit centuplo major quam in priori mixtione. Vnde mixta sic renovata & regenerata, arcana dicuntur chymica, eò quòd arte chymicæ artis ad tantam energiam & efficaciam fuerunt evecta, vt miraculosa videantur mixta. Vt ergo ad tãtam energiam evehantur beneficio putrefactionis chymicæ, sic procedendum est.

Arcana chym cacur sint fortissima.

Putrefactio in vegetantibus cur facienda.

Contundãtur vegetabilia quævis, & succus eorum exprimatur torculari aliquo, expressus succus magna in quantitate reponatur ad putrefaciendum in fimo equino, in vase optimè clauso vitreo, per quadraginta

dies

dies aut sexaginta, donec deferveat: postquam deferbuerit, distilletur superposita cappa vitrea vasi in quo facta est putrefactio. & fiat distillatio in balneo Mariæ. & quod stillat per balneum, recohobetur ter aut quater super id quod remanet in fundo vasis distillatorii, & fiat in singulis recohobationib. putrefactio per octo dies, & sic ascendit copiosus spiritus ardens & Sal volatile, quod si nō ascendat, fiat purificatio materiæ ascendentis aquę cum non ascendente, & misceantur simul & filtrentur, & postquam filtrata sunt omnia, & clarificata, magma quod remanet super filtrum calcinetur ad albedinem vsque, his cineribus addatur aqua quæ per balneum ascendit, & bulliant simul & filtrentur, & cum per filtrum clarificata fuerint conjungātur simul cum aqua seu succo clarificato, qui ascendere non potuit per balneum, deinde distilletur omnis lento cinerū calore ad spissitudinem mellis, huic addatur & conjungatur iterum quód stillaverit, & iterum filtretur & clarificetur & toties hoc iteretur, donec quod remanet in fundo alembici, sit gummi clarum & limpidum, tunc temporis forti distillatione pellendum est, omne quod fortissimo calore ascendere poterit, & tunc temporis Sal volatile & Spiritus ardens ascendunt & oleum, quod quidem empyreuma redolet, quod quidem oleum rectificandum est donec empyreuma non redoleat, in novis retortis super feces quæ remanent in fundo quæ calcinandæ semper sunt in singulis recohobationibus olei, vt empyreuma ipsius olei remanens in fecibus dispereat forti illa calcinatione, & ea etiam calcinatione purificetur Sal fixum, quod remanet & latet in ipsis cineribus seu fecibus, quod quidem est extrahendum ab ipsis fecibus cum aqua, quæ primo ascendit post ascensionem spiritus, quod quidem sal postquam erit purificatum ab omnibus suis excremētitiis substantiis, quæ non sapiunt Salis indolem quod non in aquam soluātur, tunc temporis conjungendum est cū aqua sua optimè rectificata, & postquam solutum est cum ipsa aqua, addendum illi spiritus ardens suus, & deinde Sal volatile, & vltimò oleum, & omnia simul circulanda sunt in vase optimè clauso, lento calore per mensem, & simul agitāda bis in die donec confundantur & permisceantur postquam confusa sunt & mixta, in balneo mariæ distillanda sunt vt abstrahatur superfluum liquoris aquosi, & remaneat tantum gummi quoddam spissum, quod quidem quo magis coquitur eo magis etiam induratur, donec lapidis induat naturam. Quod si hæc non eveniāt & permisceri nolint hæ partes, postquam sic purificatæ fuerint, signum est clarum & evidens, partes has nō rite purificatas esse, quocirca iterum separandæ sunt & purificandæ, donec conjungantur, & simul figantur in lapidem pretiosū, qui virtutes & proprietates habet omnium vegetabilium. Nam quicquid natura posuit & Deus in natura vegetantiū, illi lapidi inest summa cum potentia, & ratio in promptu est, quia supra de-

Ex hoc arcano possunt fieri lampades perpetuo ardentes & inextinguibiles dum Sal volatile & fixū una cum spiritu uniuntur in substātiam fixam.

clarata methodo & via, vegetans qualecumque reducitur usque ad ens primum seu materiam primam vegetantis naturæ, in qua materia prima, absque dubio ullo, inest natura tota & absoluta vegetantium, unde nullo pacto dubitandum est, quin in tali arcano, sint potentissimæ virtutes & proprietates totius naturæ vegetantis. Quod si in arcano mineralium ad certe experientia ipsa liceat, quid ni & in arcano vegetantium id etiam fieri necesse erit. Dosis hujus arcani est, si ad summum perfectionis gradum evectum fuerit, granum unicum, cū parum vini aut jusculi, hæc enim arcana potentissima sunt & habent fixum ignem naturæ, cuius nimia quantitas & dosis, posset extinguere & suffocare ignem nostrum vitalem, propterea cavendum est in eorum dosi, maximus enim & potens ignis minorem extinguit.

Ex fixo isto igne fit radiatio perennis & ignis inextinguibilis arcanum natura mirum.

Et hæc de putrefactione vegetantium dicta sufficiant, mineralium vero putrefactionem persequamur: & arcanum mineralium unde perfici possit.

De putrefactione mineralium,

CAPUT XIV.

Putrefactio mineralium difficilis.

Difficilis admodū est putrefactio mineralium, cum nihil ferè habeaut secum quod putrefieri possit: humidum enim eorum, quod est putremidum enim eorum, quod est putrefactionis præcipua causa agendo in calidum, non potest sua actione calidum illud alterare, ut putrefactionē in illud introducere queas, quod calidum mineralium sit ita igneum, & ita potens, ut reliqua cuncta mutet & alteret potius quàm mutetur & alteretur, nihilominus tamen chymiæ professores invenerunt artem putrefaciendi mineralia cuncta, imo & metalla ipsa, perfecta & imperfecta, quæ elementis resistunt, & incorrupta permanent elementorum fortioribus actionibus. Via autem & methodus quâ metalla & mineralia cuncta ad putrefactionem reducuntur, hæc est, quâ potissimùm metalla & mineralia reducuntur in primam suam naturam: non possunt siquidem putrefieri absque reductione illa, non possunt autem reduci usque ad materiam primā nisi habeatur prima illa rerū omniū materia, quæ admodum inventu est difficilima, quamvis in rebus omnibus singulis reperiatur, & sine ipsa cōsistere nequeant, cū tamē nō cognoscatur nec subjectum in quo resideat notum sit, ideo inventu dicitur difficillima: cùm oculis nostris nihil aliud videamus in compositione mixtorū quàm mixtum illud, quod ante oculos est, oportet autem mixta resolvere, in ea ipsa ex quibus ortum & compositionem habuerunt mixta ipsa. Resolvuntur autem dum vel ab igne artificiali & naturali, vel ab ipsa natura destruuntur, dum enim destruuntur vel ab arte, vel ab ipsa natura, abeunt in aquam & in terrā, si quid aliud est, quod in destructione mixtorum abeat in auras illud etiam est terræ & aquæ, nam quod subtile admodum est in auras transiens, aquæ & terræ remanentis sapit ac redolet naturam & indolem, si quid sit aëreæ naturæ, & igneę in his rebus quæ evolant in destructione mixtorum illud idem est, quod

Metallo vi putrefiant quid agendū

Hac est fal- phuresaemer

quod in aqua & terra remanēte subsistit. Nam in aqua remanente reperitur aliquid quod aereæ naturæ est, similis omnino substātiæ, illi ipsi quod evaporatum est, & etiam in terra reperitur aliquid quod igneę est indolis similis omnino substātiæ illi ipsi quod etiam evaporari potuit: hinc certissimum est in destructione mixtorum naturali vel artificiali, reperiri tantùm duo elementa, manifesta quæ alia duo latitantia in centro continent. Ergo etiam hinc inde concludere possumus materiam primā rerum omnium in ipsa aqua & terra latitare, cùm in resolutione & destructione vltima rerum omnium reperiatur aqua & terra: quæ enim vltima sunt in resolutione sunt prima in compositione, ex ipsomet philosophorum omnium axiomate. Sed aqua illa terra quæ reperiuntur in destructione rerum nō est aqua simplex & terra itidem nō est simplex, sed sunt duo elementa visibilia & palpabilia, quæ reliqua duo elemēta invisibilia spiritum puta & ignē & Salem cōtinent; spiritus siquidem in visceribus ipsius aquæ continetur, oleum & Sal autem in terræ illius centro latitant & occultantur. Ita vt in ipsis duobus elementis reliqua tria cōtineantur, imo & in vno ipso elemento sunt sæpe reliqua quatuor. Nam sæpe vnum tantùm apparet elementū, nempe aqua solùm, in qua sola latitāt reliqua quatuor, vel terra in qua sola occultantur & reliqua imo etiam in ipso solo elemento, quod in vltima rerum resolutione superstes est, quinta essentia latitat, quæ est spiritus luminis & cœli; qui quidem spiritus reliqua quatuor elementa seminaliter continet, ita vt in vno illo quatuor contineantur, & sit vnum & quinque spiritus enim luminis & cœli, qui est purissima luminis essentia, non potest rebus inferioribus permisceri, & compositionem ipsam rerum omnium facere, nisi prius admisceatur subtilissimis elementorum omnium essentiis, & sic in si habet quicquid est illi necessarium ad generationem, & productionem rerum omnium. Et cùm sit primus motor generationis & corruptionis, sic etiam erit vltimus resolutor, imo & ipsummet resolutum vltimū erit. Quocirca cùm sit vltimū resolutum in quod omnia resolvuntur. Cum ipso vltimo resoluto, puro puro resolvemus omnia in ipsum vltimum resolutum.

curialis natura, nam ignis & aer nō sunt propriè elementa nisi in quantū sulphuris & mercurii naturam redolent.

Spiritus est primus motor, sic est vltimus resolutor.

Vltimum resolutum hoc est vltimum resolutionis elementum.

Itaque spiritus iste cœlestis cum purissimum & subtilissimis elementorū omnium essentiis imprægnatus, erit vltima rerum natura, & cùm sit vltima, erit etiam & prima, itaque cum prima ista materia reducemus omnia in primam vsque materiam, quam purificatam, & ad supremum puritatis gradum conductam, sola deinde coctione ad supremum & absolutum pefectionis gradum ipsam conducemus, & sic habemus Dianam ipsam seu naturam fonte lotam, vltima perfectione dotatam, sic mineralium & metallorum omnium habemus primam materiam quę aliter, aliáque

Et cùm spiritus sit vltimum resolutionis prima natura compositionem.

Diana quid sit.

viâ

viâ & methodo haberi nequit. Nam quamvis sit in metallis & mineralibus, ibi non est materia prima in suamet essentia sed in metallicam substantiam & mineralem reducta, oportet ergo reducere ipsa metalla & mineralia in primam materiam, & non possumus facere illam reductionem, nisi cum materia ipsa prima. Materia autem prima in sua pura essentia non adhuc compositionibus & mixtionibus rerum conspurcata latitas & occultatur in ipsis elementis visibilibus. Ergo ex ipsis erit ejicienda, & elicietur quidem in forma puri salis dulcis, & volatilis, vnde dicitur avis hermetica, & philosophorū mercurius, propter volatilem, & facilimam adhærentiam cum ipsis metallis: melius enim & fortius adhæret metallis quam ipsemet mercurius vulgi, qui propriè non adhæret metallis cum ipsa relinquat; si fortissimo igne pellatur ab ipsis, spiritus autem noster nunquam relinquit ipsa metalla quibus conjungitur, sed semper adhæret ipsis & in continua & perenni eorum coctione cum ipso, ad perfectionem vltimam ipsa reducit.

Prima materia quidpropriè sit.

Itaque mineralium & metallorū putrefactio fieri nullo pacto potest absque isto spiritu qui in ipsa aqua & terra latitat, haberi autem isto solo spiritu: qui est rerum omnium prima materia facilis est admodum mineralium & metallorum omnium putrefactio, cum ipso enim solo spiritu, metalla reducuntur vsque ad materiam primam in qua sola reductione, metalla facile putrescunt & spoliantur excrementis suis omnibus quibus scatent in prima sua compositione, & postquam vindicata sunt ab omnibus suis excrementis, vna cum eorum vindicatore & spoliatore, ponuntur ad coquendum, & inter coquendum quia pura & puta sunt, cóvertuntur in substantiam metallicam omni numero absolutam, quæ quidem substantia metallica, cùm habeat copiosam & purissimam rerum omnium primam materiam, hoc est spiritum illum cœlestem rerum omnium primum motorem & authorem naturalem|ideo nullo pacto ambigendum, nec suspicandum est quin hæc materia sic præparata perficiat & absolvat omnia, quibus adjicitur. Et hæc dicta sufficiant de mineralium & metallorum putrefactione chymiæ veris & legitimis alumnis. Nam hoc solo capitulo, tota natura mineralium & metallorum, imo & vegetantium & animalium omnium reseratur, qua reserata, nihil superest occulti & arcani in tota rerum serie, hæc ergo sufficient cum & maiora revelari nequeant.

Spiritus metallicus vbinam latitet.

Vnde nam prima materia metallorum habeat tantas vires & energias.



Vniver-

De distillatione in genere, CAPUT XV.

Distillatio cur inventa

CUM natura puris & candidis gaudeat, & in his solis quiescat, ideo Alchymiæ professores postquam rem aliquam calcinarint e-amque soluerint & tandem putrefecerint, ut eam ipsam rem ab excrementis vindicare possent, distillationem excogitarunt, qua sola operatione excrementa ex rebus naturalibus actu separantur. Separantur quidem in rebus calcinatis solutis & putrefactis, ex compositione & mixtione rerum, nihilominus tamen non actu adhuc separata sunt, quia adhuc sunt permixta excrementa cum rebus ipsis calcinatis solutis & putrefactis, una cum menstruis soluentibus & putrefactionem facientibus, itaque realiter separanda sunt ab ipsis soluentibus & rebus solutis, ut purificentur ab ipsis. Quo circca distillationem excogitarunt Alchymiæ patres, qua sola purum ab impuro separatur: nam si verè & legitimè res chymicæ calcinatæ fuerint solutæ, & putrefactæ, à solvente legitimo & naturali, tunc tẽporis res chymicæ verè ascendent & distillabuntur puræ & nitidæ, relictis in fundo alembici & excrementis, quæ compositionem deturpabant ac inficiebant. Vnde distillationem definire possumus humidi radicalis puri & puti rerum omnium separationem, & sursum eleuationem in forma primo vaporis qui pedetentim refrigeratus in capite alembici transit in aquam, hæc aqua dicitur propter varias & insignes suas proprietates mercurius. Luna, Iupiter, aër, & infinitis aliis nominibus, nam tot virtutes & proprietates habet, quot habet nomina, virtutes enim ejus indicantur & demonstrantur ejus nominibus, non enim frustra ea sunt ejus nomina, ac inutilis prorsus, & fictitia, at sunt indita & excogitata, ut virtutes & proprietates mercurii chymicę Alchymiæ veris alumnis demonstrentur.

Distillatio quid sit in arcanis.

Nominum varietas nõ est inutilis sed indicat virtutes mercurii.

Nihil enim magis propriè & conveniẽtiùs, auri nomina, argenti, mercurii, plumbi, stanni, hominis, bovis, calendulæ, rosæ, vitrioli, Salis & sulphutis, & similium rerum omnium naturalium nominibus insigniri potest, quàm illud quod virtutes & proprietates harum rerum insignes habet. Perinde Alchymię patres ne notum & manifestum fiat omnibus vulgi hominibus, illud argentum vivum meris ænigmatũ umbris obscurarunt & jure merito, nam si notus esset & manifestus mercurius ille, omnibus, omnes essent æquales & doctrina & sapientia, sanitate & divitiis, ne tanta erga rerum confusio fiat, non probat Deus hanc tanti secreti revelationem omnibus fieri debere.

Quare Alchymia est obscura.

Perinde secretum Alchymiæ est verum Altissimi donum quod solis Dei amantibus demonstratur, ab ipso solo qui corda hominum & cogitatio-

Alchymia scientia & verum Dei donum.

gitationes eorum verè novit, nihilominus expectare non debet homo ut dormiendo tantum secretum illi communicetur, at laborare & orare debet quotidie, & singulis horis, ut tanti secreti fiat particeps, laboribus enim & precibus vendit omnia Deus, & tantum secretum posuit solo labore parandum: operationibus chymicis summopere incumbendũ & præsertim distillationi, eá enim solâ mercurius noster, & humidum radicale rerum omnium fit manifestũ & palpabile, ac visibile, Natura etiam ipsa ut generationes suas in lucem edat, distillationi præcipuam suam navat operam, & nisi suas quotidianas faceret distillationes nihil generaretur in tota rerum serie. Distillationes autem, quibus perenniter incumbit natura, sunt, rores pluviæ, vapores, exhalationes, venti, quibus exaltatur & elevatur humidum radicale rerum, & mercurius mundi, ut purificetur ab excrementis suis, & subtilietur valde, & tandem conjungatur cum calido innato suo fixo, seu sulphure, & sic & simili via nutriuntur res omnes, in natura ipsa, fiunt & conservantur. Quæ enim ascendunt a terra in cœlum seu in spatium aëreum vaporibus, exhalationibus, ventis, & similibus meteoris, sunt ejusdem speciei & substantiæ, earum rerum quæ remanent in terra ipsa, sunt enim volatilia fixorum in terra remanentium, quæ in aërem evehuntur ut ibi circulentur, & circulatione illa mul

Distillationes naturales quales sint.

Aer perinde non est elementum sed solum est gremium naturæ, aer ut circuletur in eo spiritus mundi & sic perfectionem acquirat, & hoc fiat necesse est in spatiis ubi non sit elementum.

toties iterata, purificentur ubi purificatur, & accipit vim vitalem, seu lucis spiritum in ipso aëre volitantem, & tandem sic vivificatus & purificatus cum rebus fixis in terra permanentibus conjungitur sic corpora fixa in terra remanentia fiunt nutriuntur & conservantur, adventu rerum volatilium quæ à terra, in aërem ad purificationem ascenderunt, & tandem iteratis ascensionibus & descensionibus figuntur in terra, id quod Hermes Trismegistus in sua tabula smaragdina doctissime asserit, & eloquentissimis hisce verbis testatur. Quod est superius est sicut quod est inferius & quod est inferius est sicut quod est superius, ad perpetranda miracula rei unius ascendit à terra in cœlum, iterumq; descendit in terram, & suscipit vim inferiorum & superiorum, vis ejus integra est si versa fuerit in terram. Hactenus Hermes de rerum generationibus, quod fere omnes chymiæ alumni interpretantur de generatione illa miraculosa filii solis, hoc est lapidis philosophici, quod tamen de generatione rerum in genere potest interpretari, quod hæc generatio particularis filii solis debeat fieri instar generationum aliarum, quæ non aliter fiunt, quàm ex spiritibus rerum seu seminalibus virtutibus sublimatis & tandem fixatis seu in corpore rerum coagulatis. Et hæc naturalis rerum omnium distillatio in toto orbe celebrata, fuit verus typus & exemplar chymi-

chymicæ distillationis ut humidum radicale rerum à fecibus suis, & excrementis vindicaretur & deinde purum putum factum conjungeretur calido innato suo, & ex conjunctione illa exsurgeret mixtum, mixto priori fortius & potentius, cum purius & nitidius fuerit, actio enim fortior & potentior à puritate & nitiditate dependet, quod in sequentibus capitulis fiet clarissimum & manifestum.

Actio fortior unde sit.

De distillatione animantium.

CAPVT XVI.

Omnes actiones animales sunt à spiritu.

ANIMANTIA qualiacunque sint habent spiritum, quo vivunt & quo solo actiones suas & functiones peragunt, & hic spiritus est omnino distinctus ab ipsa vera animalis forma seu anima, qua actuatur & informatur ipsum animal, & est corporale quid, quamvis sit spiritus, nam est tenuissima pars corporis lumine cœlesti imprægnata ratione cujus motum habet unde Græcè dicitur ἔνορμον impetũ faciens nam quod in corpore animali motum facit & impetum spiritus est, hic spiritus animalis, sive hæc substantia, ubi residet lumen illud cœleste, post mortem etiam animalis cujusvis in ipso cadavere reperitur & superstes est, non tamen tali vigore & robore præditus quia post mortem animalis multum disperditur luminis illius cœlestis, quod in vita copiosum est, unde vita est, cũ ergo maneat post mortem animalis in cadavere refractus & diminutus, sufficiens est tamen ad arcanum animale peragendum, & potissimũ, ad distillationem animalium peragendam, quæ summo pere necessaria est ad hoc arcanum animale absolvendum: non enim potest absolvi sine distillatione. Quæ nihil aliud est, quam spirituosæ hujus animalis substantiæ sursum elevatio, ac in forma liquoris aquosi aereæ qualitatis stillatio in vas recipiens subjectũ. Distillatio hujus substantiæ spirituosæ in animalibus fit post calcinationem subcinerationem & putrefactionem partium omnium animalium, ut partes hæ omnes ab excrementis vindicentur, & potissimum hæc spirituosa substantia, ea enim purificata cæteræ & reliquæ animantium partes facili via purificantur, cum hæc substantia alias omnes sua puritate & subtilitate ab excrementis vindicet, & puras reddat, quod experientia ipsa in corpore humano videre est, spiritus enim humani corporis quò puriores sunt & subtiliores, eò purius & nitidius est corpus & actiones ejus omnes sunt etiam puriores, & nitidiores: dum enim hæc substantia spirituosa ab hepate in cor transit, fit à corde subtilior, & sublimior multò, unde & in corde actiones parit nobiliores, quam in hepate: dum vero à corde in cerebrum amandatur, ibi adhuc sublimiorem & subtiliorem acqui-

Spiritus vitalis in cadavere adhuc superest non in tanta copia & eo gradu ac in viuente corpore.

Stillatio animalis quid sit.

Perfectiones omnes animalium dependent à spiritu puro & perfecto.

acquirit perfectionis gradum, ibi etiam perfectiores edit vitæ animalis actiones, audit, sentit, videt, gustat, odorat, recordatur, imaginatur, & tandem intelligit & indicat res omnes, & hoc ex perfectione, subtilitate & puritate spirituosæ animalis substantiæ. Non ergo dubitandum est, quin ex perfectione & subtilitate ac puritate spirituosæ animalis substantiæ dependeat perfectio absoluta animalis. Vnde etiam pariter non dubitandum est, quin ex puritate, & subtilitate ejusdem substantiæ spirituosæ, dependeat perfectio absoluta animalis arcani. Quocirca distillatio summopere est necessaria, hac enim sola purificatur & subtiliatur hæc animalis spirituosa substantia. Fit autem sequenti via & methodo: postquam putrefacta est materia arcani animalis per quadraginta dies in fimo equino, tunc temporis eximenda est ex fimo, & collocanda est in cineribus aut in balneo mariæ & lenissimo calore si sit in cineribus, & bullienti balneo si sit in balneo, distillanda est spirituosa animalis substantia, quæ in forma spiritus vini ascendit, postquam ascenderit tota hæc substantia, quàm cognosces distillavisse, cum striæ in capite alembici non apparebunt amplius; tunc temporis mutandum est vas distillatorium ex balneo in cineres aut multiplicandus & augendus est gradus ignis, donec tota aquosa substantia ascenderit & fumi albi in capite alembici apparuerint, tunc temporis augendus est iterum ignis donec cessent fumi, & nihil olei stillet, caput mortuum in fundo alembici residium auferendum est, & calcinandum est aperto igne in vase fictili, donec incineretur, & albescat, tunc temporis contundendum & vasi novo imponendum, cui superponendum est quidquid stillatum est aquosi humoris & olei empyreuma redolentis & tunc distillandum erit iterum fortissimo quo poteris igne, & in fine stillationis caput mortuum iterum calcinandum erit fortissimo igne, in vase fictili donec iterum candescat, & iterum imponendum est novo vasi & superponendum quicquid stillaverit aquosi humoris & olei, & hoc toties repetendum est, donec aqua & oleum quæ inde egrediuntur nullum sapiant empyreuma, tunc aqua separanda est ab oleo, & oleum distillandum est per retortas novas septies, mutatis retortis in singulis distillationibus, postquam erit clarum & lampadum oleum servandum est in vase optimè clauso, & veniendũ est ad distillationem aquæ, quæ septies pariter erit distillanda, donec clara ut limpidissima sit, tunc temporis cum cineribus calcinatis connectenda erit, & permittere ut bulliat parum in vase vitreo clauso. Deinde filtranda est, quicquid erit salis in cineribus solvatur, & transeat per filtrum una cum ipse aqua, tunc temporis distillanda erit aqua per retortam

Qua ratione distilletur spiritus animalis.

tortam ad ſiccitatem, & Sal quod remanet in fundo calcinandum erit & eadem ipſa aqua ſolvendum & filtrandum & iterum hoc idem ipſũ toties erit repetendum donec Sal ſolvatur in ipſa ſua aqua ſine fecibus & clareſcat Sal & ipſa aqua, tunc temporis veniendum eſt ad diſtillationem ſpirituoſæ animalis ſubſtantiæ, quæ erit ſepties rectificanda in novis retortis, & in ſingulis diſtillationibus erit à flegmate ſuo vindicanda, quod factu facillimum eſt cum flegma maneat in fundo retortæ, & aſcendat primò ſpirituoſa illa animalis ſubſtantia, relicto flegmate in fundo retortæ, poſtquam puram & nitidam habueris ſpirituoſam illam ſubſtantiam, connectenda erit cum aquoſa ſuperiori ſubſtantia Sale fixo imprægnata, & ultimò erit oleum imponendum & omnia ſimul mixta putrifacienda erunt ultimò per menſem integrũ, & tandem diſtillanda in cineribus leviſſimo calore, ut ſpiritus primò aſcendat, qui ſeparatim eſt cuſtodiendus, ſecundò ſtillat aqua ſuperflua quæ tandiu erit diſtillanda donec nihil ampliùs aſcendere poſſit, tunc affunde ſpiritum primo diſtillatum, & iterum diſtilla, & cohoba multoties donec non ampliùs aſcendat, ſed maneat conjunctꝰ in fundo retortæ una cum oleo, & Sale, quæ omnia poſtquam erunt unita & ſimul conjuncta conſtituent arcanum animale potentiſſimum ad vitam animalem roborandam & prorogandam.

Doſis ejus eſt Grana 10. in juſculis roborantibus aut aquis ſtillatitiis cinnamoni & aniſi, & ſimilibus.

De diſtillatione vegetantium.

CAPVT XVII.

POSTQVAM vegetantiũ ſucci vel eorum decocta pluribus infuſionibus iteratis facta putrefacta fuerint, tunc diſtillanda ſunt, ut eorum ſpiritus aereus purificetur & ab excrementis omnibus vindicetur. Eſt enim ſpiritus vegetantium pars ſubtilior & tenujor cui lux cœleſtis præeminet & dominatur, & hic eſt ſolus, qui vitam agit in vegetantibus, & omnes proprietates & virtutes vegetantium ab ipſo ſolo dependent. Quocirca hic ſolus ſpiritus in arcanis vegetantium peragendis eſt præcipua pars, nec ullo pacto perfici, & abſolvi poſſunt abſque illo ſpiritu, perinde habendus eſt & ſummopere purificandus, ſine enim illius ſumma purificatione non poteſt uniri cæteris partibus quæ in compoſitione vegetantium reperiuntur, quæque itidem purificationem ſummam expoſtulant, ut cũ ipſo ſpiritu purificato uniri queant: non poſſunt ſummopere purificari hæ omnes partes compoſitionis mixtorum vegetantium abſque diſtillatione, quæ tanti eſt momenti, & ponderis in purificatione ipſarum partium vegetantium ut conſideratu ſit digniſſima, ejusque naturam

Nota quòd ex omnibus hiſce capitulis ex reſolutione rerum omnium colligitur, & manifeſtum fit quinque eſſe elementa in compoſitione rerum omnium, cũ in ultima reſolutione quinque reperiantur elementa, & in conjunctione etiam ut arcanum fiat & perficiatur, quinque iterum reponantur. Spiritus hic eſt acidus & non ardet, qui vero ardet eſt oleum & ejusdem natura cum oleo, ſic quinque ſunt elementa in rerum reſolutione Aqua, terra, oleum ſpiritus & Sal.

curam, & essentiam virtutes & proprietates scire & cognoscere summè est necessarium chymiæ veræ alumnis. Ideo ut eius naturam & quidditatem manifestemus, ejus definitionem propalabimus sequentibus verbis. Distillatio vegetantium in arcanis eorum chymiæ peragendis, est partium liquidarum omnium, quæ in vegetantibus reperiuntur, post putrefactionem earum sursùm in alembico vitreo, elevatio, relictis siccis & aridis partibus in fundo alembici, partes liquidæ vegetantiũ sunt vel spiritus aereus vegetantiũ, vel aquosus humor & phlegmaticus & oleum, quæ solùm ascendunt per distillationem nostram, reliqua manent in fundo alembici, hæc autem sunt summopere purificanda iteratis & repetitis distillationibus, & postquam pura sunt & perlimpida, custodienda sunt in vasis vitreis optimè clausis, donec quod remansit in fundo aridum & sic cum per calcinationem fortem sit incineratum & candefactum, tunc temporis cineri tali infundendus est aquosus humor multoties distillatus ut superiùs dixi, & ut bulliant parum simul conjuncta permittere oportet, deinde filtrare oportet & sic extrahitur Sal fixum quod latitat in cineribus, quod summopere est purificandum solutionibus multoties iteratis cum aquoso illo humore, & distillationibus illius humoris, ut Sal fixum his desiccationibus calcinetur in fine distillationis, & sic vindicetur ab excrementis terreis quibus scatet, quod cum purificatum est cum spiritu suo convertendum est, ut eo ipso spiritu volatili, fiat & ipsum volatile, hoc autem secretum est summũ in arcanis omnibus peragendis, nam nisi hoc Sal fixum fiat volatile, cum spiritu volatili, purificari optimè non potest, & perinde arcanum quod inde paratur, non habet tantũ virtutis, ac istud quod habet Sal fixum volatile factum, & vltimò fixatum, unde axioma chymicum undique resonat. Si fixum soluas faciasque volare solutum, & volucrem figas faciam te vivere tutum. Perinde volatilitas ipsius salis fixi est summopere necessaria in arcanis omnibus peragendis, quod si in omnibus arcanis peractis id omnino non observatum fuerit id brevitatis causa peractum est, sunt enim multi chymicorum qui arcana hæc floccipendunt propter longitudinem temporis quæ impenditur ad præparationem eorum veruntamen veros & legitimos chymiæ alumnos admonere volui ne prætereant salem fixum volatilem facere cum spiritu suo volatili, nam hac sola præparatione, oleum sic conjungitur sali fixo volatili facto, alioquin supernatat, nec unquã conjungitur, unde si oleũ non connectatur sali fixo, privatur Sal fixum anima sua; quòd oleum sit quasi anima salis, eo enim tingitur solo cùm in eo solo sulphur potentissimè reperiatur, quod est tincturæ vera causa, quod in se ignem

Distillatio quid sit.

Fixum est semper volatile cum volatili faciendum.

Oleum non potest conjungi cum sale fixo nisi sal fixum volatile fiat.

nem cœlestem seu lumen vitæ contineat, ex quo solo coctio naturalis & perfectio dependet reliqua cuncta cruda manent, & imperfecta nisi ab ipso igne seu lumine coquantur & maturentur. ideo summopere est necessarium oleum quod in se lumẽ vitæ seu sulphur naturæ continet, cujusque reliqua cuncta quæ in mixtione sunt vivificantur, non possunt autem vivificari nisi perfectè cum oleo illo uniantur, non possunt uniri, nisi perfectissimè depurentur & ab excrementis omnibus quibus scatent spolientur, non possunt depurari nisi Sal fixum quod est fundamentum basis & vera columna arcani, volatile fiat, quid quidem obtinetur si multis iteratis conjunctionibus cum spiritu suo conjungatur, spiritus tandem iteratis illis conjunctionibus cum sale suo fixo, Sal illud fixum tandem sit volatile, & sic verè & perfectissimè depuratur, & tunc temporis oleo suo connectitur, & hæc duo tunc conjuncta, tria coniuncta continent, hoc est Sal volatile, Sal fixum, & oleum, hoc est sulphur, Sal & Mercurium: oleum siquidem verum est sulphur, Sal fixum est verum Sal, & Mercurius est verus spiritus, sic etiam corpus, anima, & spiritus vere connectuntur: corpus est Sal, anima est oleum, & Mercurius, est spiritus. hæc autem tria conjuncta & in unũ redacta potentissimum arcanum constituunt vegetantium, cuius potestas & virtus in infinitum est multiplicabilis, si. postquam unitum est, & fixum factum simplici & perenni coctione, iterum dissoluatur, spiritu suo vel alio spiritu vegetabili pura vini vel alterius, nam arcanum fixum convertit spirituosam illam substantiam in sui naturam & fixat ipsam, Quod si spirituosæ illius substantiæ beneficio & auxilio totum arcanum fixum volatile fuit, & iterum coctione simplici, & perenni figatur, mill enas maiores habet quã antea virtutes, sic vini arcanum potest ita præparari, & exaltari ut guttula una istius arcani vini pessimi maximam quantitatem in optimũ vinum convertere valeat, & in maximam aquæ quantitatem vini optimi qualitates & conditiones introducere queat, sic arcana cuncta animantium, vegetantium & mineralium possunt in infinitum multiplicari, spirituosa illa substantia, ex quotunq; subiecto sit elicita, quod magnum est, & summum totius alchymiæ arcanum, quod & sequenti capite de mineralium distillatione fiet luce clarius.

Corpus spiritus & anima quid sunt in chymia.

Qua via multiplicentur arcana chymica.

De mineralium distillatione.

CAPVT XVIII.

MINERALIVM distillatio scitu & factu est difficillima, cum distillatio in genere sit elevatio spirituosæ substantiæ in mineralibus autem spirituosa illa substantia separatu est difficilima, etsi sit eiusdem essentiæ & qualitatis

taris cum ſpirituoſa animalium & vegetantium ſubſtantia, & ſi non ardeat & flagret ut animalium & vegetantium ſpirituoſa ſubſtantia, quia ignis & aer non prævalent in ejus compoſitione, ut prævalent in ſpirituoſa animalium & vegetantium ſubſtantia, oleum enim & ſpiritus ibi præeminent & reliqua tria elementa, aqua, Sal & terra ſubjiciuntur: in mineralibus & metallicis corporibus aqua Sal & terra prælucent cæteris duobus elementis, nēpe oleo & ſpiritui, & hæc duo ſubjiciunter aquæ Sali & terræ, quocirca cùm lateant oleum & ſpiritus in mineralibus & metallicis corporibus, & appareant tantum manifeſtaque ſint aqua, Sal & terra, ideo ſpirituoſa mineralium ſubſtantia in intimis eorum thalamis latitat & occultatur, & perinde id quod occultatum eſt, & latitans, manifeſtū & apertum facere oportet, occultū autem facere manifeſtū, hoc opus, hic labor eſt, & totius diſtillationis mineralium & metallorum cardo & unicus ſcopus. Qua autem ratione & via occultum manifeſtum fieri poſſit ſatus ſuperque demonſtratum eſt capite decimo de ſolutione mineralium: Solutio enim ſola mineralium & metallorum, occultum illorum manifeſtum facit, & cùm occultum metallorum, & mineralium ſpirituoſum & ſulphureū ſeu oleoſum ſit ſolvens proprium & innatum, ſpirituoſum & ſulphureum eſſe debet, ut ſolvere poſſit metalla cum conſervatione internæ eorum eſſentiæ, quæ ſpirituoſæ & oleoſæ eſt conditionis & ſobolis, cū tali ergo ſoluente ſolvenda ſunt metalla, & mineralia ut verè diſtillari poſſint, ſic enim extrahitur ſpirituoſa metallica ſubſtantia quæ à ſolvente ipſo cum ſit ſpirituoſum & ſulphureum, fit ſpirituoſa & ſulphurea, & ſic verè diſtillatur, & per diſtillationem illam vindicatur ab excrementis ſuis omnibus, quæ cum vindicata eſt, tandem coctione ſimplici & continua figitur, ita ut in igne permaneat & fluat in igne ſine ulla ſui deperditione, & tunc temporis & ſulphur fixum metallicum, anteà tamen dicebatur mercurius, propter ejus volatilitatē, jam verò ſulphur, cum ſulphuream & calidam poſſideat virtutem & proprietatem, hinc arguitur quantæ ſit difficultatis mineralium & metallorū diſtillatio in arcanis eorum peragēdis, Nam primò habendum eſt ſolvens metallicum & minerale, quod ſit ejuſdem ſubſtantiæ & qualitatis cum interna & radicali metallorū ſubſtantia, alioquin metalla & mineralia in ſuam primam naturam reduci nequeunt, & niſi reducantur diſtillari nequeunt, & ſi non diſtillentur, depurari non poſſunt & ab excrementis ſuis quibus ſcatent vindicari, ideo manent in ſuo eſſe materiali terreo & aqueo, & perinde nullius ſunt efficaciç & virtutis quòd eorum occultum manifeſtum factum non fuerit, & manifeſtum

Occultum facere manifeſtum quod ſit.

Metalla ut ſolvantur quo ſolvente egeant.

Metalla ut diſtillentur ſolvi debet.

stum occultum, ab ipsorum solvente: occultum enim tantùm rerum omnium virtuosum est, & efficax, manifestum autem & externum nullius est virtutis, quocirca præcipuus totius Alchymiæ scopus est, illud manifestum & externum occultare, & occultum manifestum facere, cum sola virtus & efficacia consistat in illo solo occulto, intentio siquidem artis nostræ & præcipuus ejus cardo, in hoc potissimùm vertitur ut metalla & mineralia ex quibus arcana chymica perficienda sunt è morte sua, hoc est ex inefficacia sua, qua in præsentiarum subiiciuntur, resuscitentur hoc est, in efficacissima, & virtuosa transeant arcana, quod quidem fieri non potest, quin metalla & mineralia distillentur, non possunt autem distillari, quin priùs ipsa destruantur & dividantur in partes, ex quibus natura ipsa metalla & mineralia composuit. Oportet ergo compositum illud destruere, hoc est in partes constitutivas dividere, hoc enim non est propriè destruere, sed unionem cõpositionis præsentis perdere, reservatis integris & salvis partibus omnibus, quæ compositionem illam & unionem faciebant, ut partes sic separatæ possint purificari & vindicari ab excrementis & impuritatibus quibus scatent in ipsa hac compositione. Ideo ut hæc fieri possint, excogitarunt antiqui chymiæ patres & professores has omnes supradictas operationes, & præcipuè

Occultum facere manifestum est totius chymiæ cardo & scopus.

Distillatio cur inventa

distillationem; cujus beneficio & auxilio, partes metallorum & mineralium quæ in eorum compositione reperiuntur, possunt summopere purificari & exaltari ad tantum puritatis gradum, ut exinde compositum fieri possit mirandæ, & stupendæ virtutis. Unde autem hoc eveniat, quòd metallum seu minerale, qualecunque sit, in sua principia resolutum, principiis purificatis & iterum in compositum redactis, in hac secunda compositione fit tantæ virtutis & efficaciæ, ut stupẽdas omnino habeat proprietates. Ratio in promptu est, & causa evidens & manifesta. In prima siquidem compositione principia metallica, inefficaciora prælucent, putà terra & aqua, quæ sunt elementa manifesta, in compositione metallorum & mineraliũ & prædominantia cæteris tribus occultis principiis seu elementis, oleo, sali & spiritui scilicet. In secunda autem compositione, oleum, Sal & spiritus prædominantur cæteris duobus elementis terræ & aquæ putà, quæ cũ sint efficacissima rerũ naturaliũ principia ideò efficacissimã præbent & ostendunt virtutẽ & efficaciã in cõpositionibus chymicis quibus prædominantur & lucent. Prædominari autem necesse est, cum prima metallorum & mineralium compositio solui non possit in sua prima principia, nisi beneficio & auxilio solventis alicujus, in quo solo oleũ Sal & spiritus sunt summa in poten-

 tia

ria & virtute, alioquin enim solvere non posset, & reserare metalla in principia sua, nisi solvens haberet principia metallica in se potentiora, & efficaciora ad solvendum & reserandum. Principia autem metallica potentiora ad solvendum sunt oleum, Sal & spiritus; nã aqua & terra nullam habent solvendi potentiam: superest ergo, ut elementa & principia metallica solventia sint oleum Sal & spiritus, cùm ergo solvens elementa habeat prædicta hæc tria in summa potentia, additur solutione illa naturali metallis solutis oleum, Sal & spiritus: itaque hæc elementa actionum principia in metallis solutis crescunt & multiplicantur, & quoties solvuntur magis ac magis crescunt & multiplicantur hæc tria elementa, ex quibus solis virtus & proprietas solent emergere: itaque his adunctis elementis, ex quibus virtus & proprietas crescit & multiplicatur, necesse est virtutem & proprietatem adaugeri, & multiplicari. Vnde non mirum est, quòd alchymiæ professores clamitent eorum arcana in tantum multiplicari posse, ut infinitas ferè possideant virtutes & efficacias, hoc enim dependet ex multiplicatione principiorum metallicorum ex quibus virtus metallica dependet, multiplicantur autem hæc principia solventis beneficio, cùm in solvente realiter & materialiter reperiantur: hine duo potissimum arguuntur, summopere ad Alchymiam necessaria.

Quare virtus & energia in arcanis chymicis crescat in infinitum.

Vnde nam solvens metallicum elici debeat, & ex quanam materia, & ex quo fonte scaturiant metalla & mineralia, cum ex tali solvente radicaliter in naturam suã primam reducantur, Solvens enim primò arguitur elici debere, ex materia prima metallorum, cum solvens habeat potentiam ipsa metalla in materiam primam reducendi, nõ potest enim reducere in materiam primam nisi ipsummet solvens sit ex materia prima & habeat ipsam pro essentia sua, eò quòd solvens convertat metalla in seipsum, si ergo convertat in seipsum alioquin non solveret, & convertat in materiam primam, ergo necesse est solvens ipsum esse materiam primam. Hinc etiam secundò arguitur unde nam metalla originem habeant ex natura & essentia ipsius solventis. Nam si solvens sit materia prima metallorum, ex eodem fonte metalla educentur, ex quo solvens eorum educitur. Solvens autem educitur ex centro ipsius aquæ ut capite decimo superiori de solutione metallorum & mineralium declaratum est. Ergo etiam metalla ex eodem centro aquæ educentur, & scaturient. Aqua siquidem calore centrali terræ sublimatur per poros terræ, & secum rapit & sublimat tenuissimam partem reliquorum quatuor elementorum, sunt enim elementa singula elementa & tandem sublimatione continua, & perenni coctione, ex his omnibus fit Sal volatile quod

Solvens unde eliciatur metallicum.

le quod tandem & in sublimatione sua dissolvitur tenuissima aquæ elementariis portione, & fit liquor subtilis & penetrans spirituosæ & calidæ indolis, qui dicitur mercurius Philosophorum, ex quo immediatè fiunt metalla, nam liquor hic seu mercurius innato suo calore, & calore externo centrali terræ coquitur perpetuò, & tandem coctione illa perenni figitur & coagulantur, in terram quandam metallicam fusibilem, & tunc temporis mutat suum nomen peculiare mercurii, & dicitur sulphur, & tamen est una & eadem materia, quæ primò dicebatur mercurius propter volatilitaté, & jam dicitur sulphur propter coagulationem, ex quo quidem secundùm puritatem ejus fiunt metalla pura, vel impura, secundum gradus puritatis ipsius terræ sulphureæ. Quòd si supremam attigerit puritatem, ex sublimatione sua dum erat mercurius, ex illa immediatè fit aurum si puro utero terræ aliquo includatur dum coagulatur & figitur in sulphur metallicum. Sic metalla ex aqua ipsa reliquis elementis imprægnata, & luce cœlesti fœcundata fiunt & generantur. Sic solvens etiam ipsorum metallorum proprium & innatum ex eodem fonte habere necesse est, arte nostra. Quia ex natura ipsa nullatenus, purum & putum reperitur & nullibi jacet, propter impuritates elementares quibus ubique locorum contruncatur, in fodinis quidem aureis puris & putis reperiri posset, dum sunt quidem in ente primo & in natura sua prima, sed rarissimæ sunt illæ fodinæ, & quamvis sint, clausæ sunt & non apertæ; quòd si aperiantur ad aurum eliciendum tunc evanescit spiritus ille volatilis aureus, & remanet materia auri coagulati & fixata in aurum, in qua quidem jacet minima quantitas illius spiritus, ad nutritionem & accretionem ipsius auri, ex quo quidem posset per distillationem elici spiritus ille aureus ut aurum solveret in naturam suam primam. At melius est fontem adire qui ubicunque locorum est, nec opus est adire montes Indianos & Garamanteos, cùm fontes & putei & terra vulgaris & communis, sint nobis sufficientes. Ex quibus possumus imitando naturam filtratione & clarificatione elicere materiam ex qua mercurium nostrum & sulphur simul elicere possumus, & coctione deinde perenni, & sublimatione continua, in vase optimè clauso nostrum perficere mercurium, & sulphur nostrum, quibus simul junctis & unitis ex lege naturæ progeneratur infans physicus, qui veros Philosophos, & naturæ alumnos tanquam ejus patres nunquam deserit nec calamitatibus & miseriis hujusce mundi, obnoxios esse permittit, ut capitulis inde sequentibus fiet sole clarius.

Mercurius metallorum ut fiat ab ipsa natura & sulphur.

Utrum reperiri possit spiritus metallicus.

De unione & fixatione rerum in genere.

CAPUT XIX.

Vnio & fixatio quando fieri debeat.

POSTQVAM partes mixtorum & principia eorum separata fuerint & operationibus chymicis anteà celebratis purificata steterint, tunc temporis ad unionem & fixationem devenire oportet, ut compositum novum ex his partibus & principiis iterum fiat. Qua autem ratione, unio ista fiat & fixatio, illud solū dependet ex ignis temperie & partium puritate. Partes siquidem purę & limpidæ se invicem penetrant, ita ut non detur pars sine parte alterius, itaque perquàm optimè miscentur inter se, & cum inter se misceantur, ignis valde temperatus nō ipsas partes inter se permixtas separat, imo magis ac magis conjungit ita ut igni assuescant primò leni, deinde fortiori, ultimò fortissimo sic partes & principia, mixtorum quæ ante unionem separatæ erant, & numero multiplici distinctæ percipiebantur, tandem fiunt unum quid, inseparabile & homogeneum, fixū enim, quod est in hac secunda unione, fixat volatile, & convertit in suam ipsammet naturam & essentiam, & sic nihil est in ipsa compositione, nisi fixum quod in se convertit reliquum omne quod erat in eadem compositione volatile, nec fixi conditionem & qualitatem sapiebat, unde non superest nihil nisi unum fixum & homogeneum: quod enim erat volatile nō discrepebat a fixo; substantialiter & essentialiter, sed tantùm accidente, unde dempto illo accidente & evanescente remanet una substantia fixa, & permanens & homogenea, quod ex definitione ipsius unionis & fixationis facillimum collectu est, quæ sequentibus verbis sic definiri potest: unio & fixatio in arcanis chymicis peragendis est humidi radicalis volatilis puri & nitidi cum humido eodē radicali fixo, itidem puro, & nitido conjunctio super ignem lentum ut tepore ignis lenti, volatile fiat fixū & ex illis duobus fiat unum fixum permanens & homogeneum. Quod idem ipsum turba philosophorum testatur multis in locis & præcipuè in scala philosophorum capite de conjunctione, ubi vnionem describit brevissimè his verbis, & dicit ipsam esse qualitatum commixtionē, complectentium copulationem, dispersorum replicationem, principiorum coæquationem, repugnationis dispositionem, quæ omnia fusè satis explicantur in palladio meo capite 22. De unione in genere, & satis clare testantur unionem & fixationem fieri debere, ut omnia rerum principia chymicis operationibus separata, iterum uniantur & fiant unum fixum in igne permanens ac persistens. Vnde unio non potest fieri fixatione, nec fixatio sine unione quamvis enim sint operationes diversæ, fiunt tamen uno & eodem tempore & in eodem vase & eo-

Volatile, & fixum non differunt, substantialiter.

Vnio & fixatio quid sit.

& eodem igne leni & continuo, eodemque artificio. Et quamvis in Palladio meo, diversa, ac distincta capita fecerim de unione & fixatione, nihilominus in rei veritate & in ipsa arte, possunt confundi hæ operationes, & verè confunduntur cum in eodem vase, igne, & furno, eodemque artificio fiant. Ignis enim lentus fovet illas partes simul sumptas & in uno vase positas puras & putas, & ignis internus earũ partium excitatus ab externo illo igne lento, coquit ipsas & coquendo pedetentim incrassantur & spissiores fiunt, donec tandem penitus figantur, nec ampliùs in auras seu in spatium vasis in quo includuntur evolent, & spatientur, at in fundo ejusdem vasis permanent fixæ, & stabiles, Terra siquidem & Sal quæ ibi sunt cùm sint fixæ & permanentes & habeant secum in centro suo fixum oleum, ratione cujus agunt in reliqua elementa volatilia, & cùm de natura & essentia agentis cujusvis sit convertere in suam ipsammet naturam, illud omne in quod agit, ideo ipsum sulphur fixũ in terræ centro latitans agendo in ipsa volatilia elementa, sic convertit ipsa in sui naturam, putà fixam & permanentem, sic totum arcanũ hoc est principia resoluta, separata, & purificata, coctione simplici modo diuturna & continua, fiunt unũ simplex homogeneum, & fixum tendunt enim sponte sua hæc principia ad unitatem illam & fixationẽ, cum in ea sola quiescant, & gaudeant tanquam in termino suo & fine desiderato, quo adepto cessat mot9 & motus anteactus erat propter finem illum, quo jam adepto cessat motus, & advenit quies summopere desiderata. Quòd si iterum advenian de novo volatilia elementa & dissolvant hæc fixa, iterum reincipit motus, donec iterum fixa elementa vicerint & superarint elemẽta volatilia, & ipsa fixaverint, & tunc iterum cessat motus, & advenit nova quies adveniente nova coagulatione, & fixatione, & sic multiplicantur arcana quod capite ultimo hujus operis fiet manifestissimum postquam de unione & fixatione animantium, vegetantium & mineralium dixerimus.

Vnio & fixatio sunt unum & idem

Qua ratione fiat fixatio in unione elementorum depuratorũ.

Elementa sua sponte tendunt ad fixationem.

De unione & fixatione animantium.

CAPVT XX.

ANIMANTIVM partes, seu eorum principia in quæ resoluta sunt ab arte nostra, postquam purificata sunt, & vindicata ab omnibus excrementis quibus scatent, cum fuerint ab invicem separata, ut separata melius possint purificari, egent tunc temporis unione, & conjunctione ut post unionem hanc & cõjunctionẽ possint inter se vinculis adeo firmis copulari & conjungi, ut numquam amplius possint separari, & sic dicuntur fixari termino & vocabulo chymico. Antequam ergo possint fixari, egent prius ut u-

 niantur

In unione & fixatione elementa uniuntur sub una forma particulari & particularem habēt virtutem.

niantur, & matrimonio jungantur; tunc enim fiunt unum quid homogeneum. & nullo pacto distinctum & separatum; partes enim etsi in separatione illa distinctam habuerint virtutem & proprietatem, tamen cum eandem & similem habeant radicalem substantiam, facili via uniuntur, & hæ variæ ac distinctæ virtutes confunduntur, & transeunt in unum & similem virtutem, quia ab uno fonte & scaturigine prodeunt, ut enim in separatione singula principia, singularem induebant formam, ex qua singulares exoriebantur virtutes & proprietates, sic in conjunctione & unione nostra, principia illa deponunt singularem, & peculiarem suam formam quam in separatione obtinuerant, & peculiarem formam sibi induant, quæ peculiares illas formas sibi devinctas obtinet ita ut non appareant, sed famulentur uni, & inserviunt ipsi. Ita ut sit unum compositum regeneratum ac renovatum ex eisdem quidem principiis, sed depuratis, & ab omnibus excrementis quibus scatebant vindicatis: ratione cujus depurationis dicitur renovatum & regeneratum mixtum, nō quod anima vera & forma, qua prius informabatur calidum innatum & humidum primigenium animalis, ex quo præparatum est arcanum sit iterum eadem numero in ipso calido innato & humido primigenio, est tantum idem calidum innatum, idem humidum primigenium, quod erat antea, sed cū sit in diverso gradu præparationis & perfectionis ideo alia ac diversa actuatur forma, quæ quidem non est animalis, nec vegetativa actu, sed potentia tantum, & est actu veluti forma mineralis subsistere & vivens vita cœlesti. & spiritu, ut mineralia cuncta subsistunt & vivunt, unde ratione illius vitæ & spiritus cœlestis, quibus turget arcanum animale sic præparatum, potentissimum est arcanum ad vitam animalium & vegetantium omnium refocillandam & reparandam, cum vita animalis cujusvis, & vegetabilis foveatur & reparetur vita & spiritu cœlesti, qui ab aliis dicitur calor, & influxus cœlestis hic calor reperitur potentissimus & copiosissimus in arcanis animalibus, ideo potentissima sunt, ad vitam fovendam & restaurandam: ut enim in animantibus dū vivunt tota eorum virtus & energia consistit in isto spiritu, vel calore cœlesti, ita similiter in arcanis animantium tota eorum virtus & energia consistit in eodem spiritu, & calore: si enim ipse evanesceret, evanida essent etiam eorum arcana, & absque virtute remanerent, at cum fiat, copiosior, & turgidior multo, quia vindicatur primo ab excrementis, & vindicatum attrahit ex aere illum spiritum vitæ, cœlesti influxu, aeri communicatum, ut deferat omnibus naturæ rebus, quæ ipso egent ad sui conservationem & deinde attractū calore fixo fixæ suæ substantiæ tum demum

Arcana chymica, unde dicantur regenerata.

unde arcana chymica sint potentissima ad vitam restaurandam

Crescunt arcana chymica sola aeris solutione & quare hoc fiat & unde.

demũ assimilatur & unitur fixæ illi substantiæ, unde crescit calor ille cœlestis, in arcanis chymicis, quia arcana chymica fixam habent radicalem suisubstantiam, quæ calidum innatum nobis dicitur: ratio cujus fit attractio illius caloris cœlestis in flui, seu spiritus, & postquam attractus est, transit facile via in sui substantiam propter similitudinem & identitatem substantiæ. Attrahitur autem evidenter, cum si arcanum absolutum, fixum & permanens, relinquatur sub Iove frigido statim humescit & solvitur arcanum, & duplo quam antea ponderat, & etsi deinde desiccetur calore, evanescit tantum humidum aëris aqueum, & superfluum, & remanet quod est substantiæ cœlestis in ipso aëre conclusum, & sic crescunt arcana chymica substantialiter, ut capite ultimo hujus operis de multiplicatione arcanorum, inferius videbitur postquam unionem vegetantium, & mineralium patefecerimus.

De unione & fixatione vegetantium.

CAPUT XXI.

Unio vegetantium quid,

UNIO & fixatio vegetantium est, principiorum vegetantium separatorum, & ab excrementis omnibus, quibus in prima compositione scatent vindicatorum conjunctio & calore externo lento fovente coagulatio, seu firma & inviolabili compagine unitio, ut hinc resultet unum firmum, & constans stupendæ & mirandæ virtutis arcanum. Postquam enim vegetantium partes præparatæ fuerint, secundum leges & normas chymicæ artis superioribus capitulis antea declaratas, tunc egent unione & fixatione, ut iterum redigantur in unum constans & firmum arcanum, quod vegetantis virtutes & proprietates ex quo extractum est obtinet & possidet, & potentiores multo, & efficaciores quã antea, ratio in promptu est quod ea præparatione, vindicatæ sint partes omnes vegetantiũ, & eorum principia à sordibus omnibus, quæ tardam & pigram in vegetanti faciebant actionem & segnem omnino virtutem, & quod spiritus vegetantis actiones omnes faciens, post separationem excrementorum sit copiosior multo quã antea, ut capite superiori ostensum est, & declaratum, itaque partibus purificatis, & ab omnibus excremẽtis vindicatis, & adaucto spiritu actionem omnem faciente, & his omnibus simul mixtis & unitis, nullo pacto ambigendum est, quin arcanum illud, quod hinc exoritur sit potentissimum & efficacissimum, & quin in minima quantitate, totũ corpus nostrum penetret, & jungatur spiritui nostro, & fortiorem, & potentiorem reddat, ipsum; ad debellandos suos omnes hostes, & hinc verissimè ac certissimè sequatur curatio omnium morborum, habito enim uno arcanorum, vel animantium, vel vegetantium, vel minera-

Cur alchymia Medicis est necessaria. adeo ut morbi curari non possint sine chymia.

mineralium, non est opus scire, & cognoscere, undenam morbus oriatur, & qua via procedat, ad interficiendum hominem, sed est opus scire dosim arcani, & propinare ipsam cum iusculo aut vino, in quocumque morbo, tunc temporis ab ipsa propinatione, arcanum jungitur naturæ, & natura roborata, & fortior facta ab ipso arcano, tunc temporis agreditur morbum, & expellit materiam morbificam quacumque in parte residat, nam semper natura morborum est curatrix, & nunquam prævalet morbus in naturam, nisi natura sit debilis, & prostrata viribus suis, quod cernere licet, & experiri in crisibus omnibus, nam si fortis admodum & robusta sit natura ægrotantis, facili via fungitur morbo suo, si verò debilis, imperfecta est crisis natura quiescit tantillum, ut vires recuperet, & recuperatis viribus, iterum agreditur morbum, seu materiam morbificam, & sic fiunt recidivæ, & sic intermittentes febres habent tempus intermedium, aut breve, aut longum, secundum debilitatem naturæ & postrationem ipsius, dum vires omnes suas collegit tempore paroxismi, easque impendit ad debellandam materiam morbificam, & perinde morbum; Quod si non possit omnino devincere morbum, neque ipsa omnino vincatur ab ipso morbo, quiescit ab ipsa agressione donec collectis iterum viribus, morbum iterum agrediatur, hinc fiunt inquam recidivæ, & febres intermittentes habent suos iteratos & repetitos paroxismos, quod libro de febricibus, clare admodum demonstrabitur, earumq, cura brevissima, jucundissima, certissimaque in solatium generis humani omnibus Medicis propalabitur, quæ potissimũ cura fit arcanis nostris, cum ipsa roborent naturam, & reficiant ipsam omnino & tantopere, ut facili via & maximo cũ robore materia morbifica foras protundatur, ideo Medico summopere est insudandum, ut habeat aliquod arcanorum nostrorum quo uti possit ad laudem & honorem sui ipsius, cætera enim naturalia medicamenta, quæ sponte naturæ in lucem prodeunt floccipenda sunt, propter eorum segnitiem, & tardam operationẽ, & quia habent aliquid veni, quo natura irritatur, quod quidẽ Medico prudẽti est considerandum & summopere evitandum. Quod capite sequenti de mineralium unione & fixatione clarissime demonstrabitur.

Medicus rget arcanis chymicis, ut morbos curet.

❧ (o) ❧

De

De mineralium unione & fixatione.

CAPUT XXII.

mineralium unio quid. MINERALIUM unio & fixatio est, principiorum mineralium separatorum, & ab excrementis per quam optime vindicatorum conjunctio, & fovente lentissimo igne coagulatio, donec violentissimo deinde igne separari nullatenus possint, sed maneant in igne illo violento fusa & liquata, sine ulla deperditione suæ substantiæ, nec minus virtutis, imo multiplicatur virtus arcanorum mineralium permansione in igne, eo quod ignis externus, est alimentum sulphuris interni, & crescit sulphur internum arcanorum nostrorum igne externo, unde fabula illa græca, de Salamandra vivente in igne, & in mediis flammis, habet inibi locum, & non est pura fabula, sed ænigma: sub cujus cortice declaratur virtus & energia arcani nostri mineralis. Humidum radicale fixum, & humidum volatile mineralium postquam separata sunt inter se, & vindicata ab excrementis omnibus, quibus scatent, & deinde unita, & levissimo igne & continuo fixata, tunc temporis unum quid firmum, & constans in igne constituunt, quod *Salamandra quid sit.* Salamandræ Græcorum respondet, in ipso igne vere vivens, & gaudens, cujus sanguis est verissima theriaca omnium morborum, & ipso igne deponens suum omne venenum, verissimum enim est, humidum radicale metallicum, ante præparationem, & ejus perfectam & absolutã coctionem, esse verum venenum & veneno superare ipsam Salamandram vulgarem, post autem ejus præparationem quæ solo igne fit, deponit omne suum venenũ, quod in excrementis suis consistit, quæ cũ separentur, separantur etiam ea omnia quæ veneni naturam obtinent. Vnde remanet Salamandra nostra pura & absque veneno, solo igne vivens, & gaudens, & venena cuncta alia cujusvis sint generis vincens ac superans, oportet ergo ut sepositis excrementis omnibus, quibus scatet humidum radicale fixum & volatile metallicum, coniungantur simul & levi igne coquantur, donec penitus figantur, & stet in igne fixa & firma, & sic absolvitur arcanum minerale, & metallorum postquam principia eorum vindicata sunt ab excrementis, & summopere depurata, & sic habemus veram Græcorum Salamandram in igne viventem & gaudentem, & se ipsam multiplicantem, ut capite sequenti ultimo de multiplicatione arcanorum omnium clarissimè demonstrabitur.



De multiplicatione arcanorum omnium.

CAPUT ultimum.

MUltiplicatio arcanorum omniumsive animalium, sive vegetantium, sive mineralium, est dū eorum virtutes & proprietates, & substantia ipsa in quantitate & male accrescunt & augescunt, fit autem hæc multiplicatio, dum ipsa arcana perfecta & absoluta iterum dissolvuntur, cum humido eorum volatili perfectè depurato septena distillatione humidum enim radicale volatile animalium est solum illud cujus medio arcanum animale potest multiplicari, & humidum radicale volatile vegetantium est pariter via & solum medium beneficio cujus arcanum vegetantium multiplicatur, & augetur, tum in substantia, tum in virtute & proprietate, & humidum radicale volatile mineraliū est etiam via & modus solus, cujus ope arcanum mineralium virtute, proprietate & mole Augetur in infinitum. Quoties enim solvuntur arcana hæc chymica, humido volatili radicali eorum summopere depurato, toties multiplicantur eorum virtutes, & accrescit eorum moles, quia humidū radicale eorū volatile erectione perenni fit tandē fixū, & sic accrescit fixū arcanum alimento humidi sui primigenii & innati. Proprietates autem accrescunt, & eorum virtutes, quod arcanum fixum, & absolutum dum solvitur attenuetur & substilietur admodum, adeò ut beneficio volatilis humidi radicalis sui, fiat ipsum fixum volatile, & in volatu suo summam sui ipsius acquirat tenuitatem & subtilitatem itaque in tenuitate & subtilitate sua accrescit virtus & proprietas; virtus siquidem & proprietas major est, & efficacior quo subjectū tenuius est & subtilius. Vnumquodque enim arcanum multiplicatur & mole & virtute, si quoties perfectum est, & absolutum, iterum dissolvatur suo proprio humido innato volatili, perfectè & absolutè ab excrementis suis omnibus vindicato, & iterum coquatur donec figatur pars volatilis admixta, ad dissolutionem fixi. Quod si tantùm volatilis humidi radicalis admisceatur fixo, ut fixum quantitate volatilis, fiat volatile, & sublimetur totum, ter quater, aut quinquies, donec iterū totum figatur, & maneat in fundo vasis sublimatorii fixum & constans tunc habemus arcanum sic præparatum potentissimum & efficacissimum, & ex sententia Hermetis Trismegisti, hæc est fortitudo totius fortitudinis, fortitudo fortis omnem rem superans ac devincens. Sic ergo multiplicantur arcana omnia, tum mole, tum virtute, quæ in toto hoc opere manifestata sunt, & clare admodum declarata, ut cuique pateant, & facilia factu sint in laudem

Arcana chymicaut multiplicentur.

virtus ut multiplicatur.

Sublimatione multiplicantur arcana chymica.

laudem & gloriam spagyricæ artis & solatium humani generis quod tantis calamitatibus & miseriis afficitur, ut nisi soletur arcanis his spagyricis, certissimè vita humana, nullo pacto vita est, at potius vera mors unde rectè Poëta: nascentes morimur, finisq; ab origine pendet: quotidiè morimur, cum quotidie vita nostra labascat, & morbis infinitis circumdetur, à quibus tamen arcanis spagyricis vindicari potest, & ita vita, vere vitali vita frui potest: & hæc est vera Medicina quam Deus ex terra creavit & sapienti obtulit degustandam, ne ipsam abhorresceret quocirca arrigite aures Medici omnes: hic enim jacet laus & honor, Medicorum omnium, & solatium totius humani generis, credant si velint, & experiantur antequam hæc arcana rideant & floccipendát non enim risu digna sunt at exquisita disquisitione potiùs & summo labore inquirenda sunt tanquam supremi naturæ thesauri.


Conclusio totius operis.

SAPIENTIÆ hujus tractatum anteposui tractatui de morbis curandis, quod arcana quæ morbis curandis inserviunt perfici nequeant absque sapientiæ hujus ministerio, & Sapientiam potius dixi, quàm Alchymiam, quod vera hæc Alchymia, vera sit sapientia, Quid enim in hac rerum serié sapientiùs est, quam naturam integram verè cognoscere & intelligere, & ab intellecta natura auctorem naturæ Deum putà cognoscere, & ipsum glorificare, & si timor Domini sit initium sapientiæ, cognitio ejus & glorificatio unde timor exsurgit, absoluta erit sapientia, falso & impropriè dixerunt Alchymiam nonnulli antiquorum, hanc sapientiam quod transmutationem rerum, & conservationem & prolongationẽ ex ejus notitia exsurgat, quia ab effectu uno, & adhuc minimo, non meretur denominari hæc integra scientia, sed ex præcipuo, & majori suo effectu, atqui major, & præcipuus effectus huius scientiæ est cognitio integra naturæ, & operum Domini, ex quibus notis ascendimus ad cognitionem Dei. Cognitio ergo naturæ, & Dei ipsius Authoris meretur potiùs sapientiæ nomen, quàm alchymiæ. Et qui vilipendunt hanc scientiam, videant jam quid vilipendant, & quo risu digni sint, & qua misericordia cũ nesciant quid faciant. Ex his arcanis omnibus quæ hac sapientia declarantur, non solum divitiæ ingentes, & inexhaustæ possidentur, sed & vita beatissima & fœlicissima hinc inde exsurgit à morbis non solum libera, sed & serie annorum prælonga exornata: animæ & spiritus actiones omnes & functiones claræ & perfectæ hinc etiam exoriuntur,

Alchymia cur dicatur vera sapientia.

quia ſpiritus animæ organum & inſtrumentum omnino hiſce arcanis reficitur & renovatur: quia cum ex puris ſit elementis, & luce cœleſti conflatus: hæc etiam arcana pura naturæ elementa, & ipſam lucem cœleſtem puriſſimam continent; quæque cum ſint ejusdem ſubſtantiæ & eſſentiæ, ac ſpiritus humanus perinde ſpiritum humanum omnino roborant & reficiunt, hinc animæ functiones perfectisſimæ exſurgunt; unde hiſce arcanis & anima, & corpus perfectisſimè vindicantur ab omnibus quæ abſolutam eorum duorum perfectionem retardant & impediunt: ſic verè, ac certò certiùs hæc doctrina vera ſapientia nuncupari meretur potiùs quàm Alchymia cum in ea plus ſapientiæ contineatur, quam in reliquis rerum omnium ſcientiis. Sic tractatum hunc concluſum volumus in laudē, gloriam & honorem Dei. Antequam de anima humana ejus ſpiritu & corpore tractemus.

FINIS LIBRI PRIMI.



VNIVER-

VNIVERSALIS

SAPIENTIÆ

LIBER SECUNDUS.

In quo, Natura & essentia, qualitates & passiones animæ, spiritus & corporis humani secundum Chymicorum doctrinam copiosè disquiruntur.

ET

Morbi omnes & affectus, tùm animi, tùm corporis humanii spagyrice indagantur, & spagyricis remediis curantur, in laudem spagyricæ artis.



LECTORI BENEVOLO,

PETRVS IOHANNES FABER,

Doctor Medicus Monspeliensis & Regiorum Medicorum Comes & Socius

S. D.

HABES, AMICE LECTOR, AC BENEVOLE secundum Universalis sapientiæ Tractatum, quem per multos annos iandiu efflagitasti, & quidem iure merito, cum in eo tractatu, quicquid ad microcosmum, seu hominem pertinet, curiose admodum tractetur: Quicquid magi antiqui, quicquid Philosophi, Astrologi, Mathematici, *Chymici ac Medici omnes; de eo microcosmo, seu homine imaginari potuerunt, tùm fabulosè, tùm vere, habes AMICE LECTOR, compendiosè denudatum, & ad veritatis normam & lancem reductum inania futilia, ac vana quæ de ipso enarrata sunt, & cartis exarata, stylo subtili, & tamen satis noto, nigro & apparenti pernotata, ne in posterum curiosi, & qui rebus occultis delectantur, vano & inutili rerum imaginatarum fuco, detineantur. & rerum naturalium umbras tanquam veri ixiones amplectentur, ac corpora vera & naturalia, quod umbris tegantur & nube, nebulonum quorundam reiiciant, ac prætereant*

Multa sunt, & plura multis in ipsius antiquitatis rancida pixide occultata, quæ nobis ob antiquitatis reverentiam & honorem falsa, & vana dicere,

dicere, ac proclamare non licet, nihilominus si ad veritatis lancem & trutinam examinentur & præponderentur aniles nugæ & vera & ficta fabulæ reperientur: Vnde autem hoc lollium trittico permixtum & seminatum fuerit, non difficilè & laboriosum valde est perquirere cum tenebrarum princeps: lucem semper obtenebrare contendat, ac gaudeat, falsa veris semper permiscere, ne veritas nuda, cui inimicatur appareat. Ego ex præcepto & mandato, ipsius lucis creatæ & increatæ, principis & fontis unius inexhausti, & æterni, veritatem ipsam, & lucem omni qua potuit industria & animi mei, ac lucis conamine & radio, manifestam, ac lucidã, nitidamq; facere conatus sum, & ab omnibus falsitatis umbris vindicatam ostendere contendi.

Vnde magorum omnium antiquitatis, Mathematicorum, *Philosophorum, Chymicorum, ac Medicorum quisquilias, ne dicam nugas, quæ de humano corpore ac eius anima & spiritu enarrantur reieci, ac puram veritatem & lucem in quantum potuit animi mei imbecilitas delectam elegi, & electam assumpsi vobis explicandam & enarrandam; gratum fortasse vobis erit opus, cum utilitatem quam maximam habeat coniunctam & honestatem secum habeat pari filo annexam, utile & honestum, siquidem pondus est maximum ac pergrave hoc præsertim in sæculo, & ætate quo ferimur in delectabile.*

Hoc autem factum est in laudem & honorem Alchymiæ, quæ cum apud vulgus odio habeatur, & decori, cum male interpretur ab ipso, ne inposterum ergo male audiatur Alchymia, totius Philosophiæ Margarita & pretiosa gemma, cuius lumine ac igne, umbræ rerum omnium dissipantur & naturæ totius pulchritudo, nude & vere in conspectum prodit; microcosmi naturam & essentiam, spapyrica & alchymica industria perquirere volui, ut videant Viri docti, quantùm potest Alchimia in disquirendis naturæ arcanis, nihil enim igne & eius lumine occultum fieri potest, quin prodeat in lucem & in conspectum omnium. Sicut in præcedenti tractatu, naturalia rerum cuncta animalia puta vegetantia & mineralia, chymica industria & labore manifestavimus, quid & occultum haberent in centro sui ipsius planè delegim9: pari ratione, & eadem conductus via ac tramitte microcosmum præcipuam & ultimam mundi universi partem

Chymi-

Chymicis ignibus, & flammis tractavimus, ut quid in eo sit occultum & rarum manifestum fiat, & ut tandem omne quod in secundo hoc tractatu Sapientiæ universalis nostræ, comprehenditur notissimum habeat benevolus & amicus Lector, id ipsum compendiosè narramus in sequenti totius operis argumento, in quo tanquam in speculo claro & nitido, quicquid est huius operis conspicitur manifestum: de corpore humano eiusq; spiritu & anima intellectuali multa inaudita & insueta dicentur: quæ mirum in modum rapient Lectores in delitias & voluptates spirituales: quæ enim dicta sunt ab Authoribus antiquitatis nimis rancida sunt, & nullatenus sapientiam redolent: imo ignorantiam & ignavitam Authorum, ignavi siquidem & segnes, ac pigri omnino fuerunt in indagandis naturæ arcanis, quamvis apud me veniam quamdam mereantur huiusce ignaviæ, quod Chymiam ignoraverint, cuius ope, & beneficio hæc indagare tantum potuerint. Si quidenim supra ipsos antiquos valeant humeri mei, hoc Chymiæ totum debetur, & ab ea acceptum meretur: nihil enim sine Chymia occulti manifestari potest, quæ iam præsenti in sæcula inaudita videntur, & quasi miracula, quod antiquitus fuerint occulta, & penitus ignota, in præsentiarum vero manifesta, ope & auxilio Chymicæ artis: etsi apud antiquos Chymia fuerit nota, non tamen communis & vulgaris sed rara, & paucis antiquorum nota.



TOTI-



TOTIUS HUIUSCE
VNIVERSALIS SAPIENTIÆ
LIBRI SECUNDI
ARGVMENTVM.

QVÆ in toto hoc Tractatu coërcentur ad hominem solum pertinent, & cum ipse constet anima, spiritu & corpore, peculiari, & particulari, de his tribus etiam peculiariter copiosè disserimus: cumque forma hominis, seu anima ejus sit ejus principalis & nobilissima pars, tanquam ab ipsa sola dependens, à qua sola suscipit esse suum, & subsistentiam: de ipsa primum agitur ejus essentiam & originem investigando, an sequatur commune & triviale, reliquarum formarum fatum: an habeat aliquid peculiare divinum & immortale, cuius solius gratia, & beneficio distinguantur, ab aliis rerum formis, & an peculiari gratia, in gratiam solius hominis à summo rerum opifice: ex nihili fonte, per divinam potentiam creatione educatur, & cum eius formalis essentia sit lux creata peculiari ratione propter hominem solum, ideo quicquid de luce excogitarunt antiqui tum magi, tùm Mathematici, tùm Philosophi, ac Chymici, hanc lucem humanam luce creata illuminante, gubernante ac ducente, legibus ipsius fati ad normam veritatis, & ad lucem orthodoxæ fidei Christianæ, Deo dante, ac benedicente deducemus. Hinc quid sit humanæ animæ genius, an distinguatur ab ipsa, & de foris adveniat, ille, ab astris, vel à Creatore, claro stylo demonstrabimus, & nugas magorum antiquorum refutabimus, eorumque umbras; & ænygmata super genii humani scientiam & cognitionem virtutem & proprietatem luce quàm maxima diluemus. Item an duplex sit humanæ naturæ genius bonus & malus, quibus instigatur humana natura ad bonum & ad malum: An id ex naturali essentiæ suæ centro dependeat, quatenus libero arbitrio dotatur, & non ex instigatione suscitatione, geniorum suorum.

Pervestigata animæ humanæ essentia & geniorum suorum indole, deveniemus ad eius passiones, virtutes & proprietates undenam eius subtilitas, intellectus & ratio, amor & odium eveniant disquiremus & undenã distinguatur ab anima brutorum: quæ quidem cum dependeat ex luce creata mundi huius, nullo pacto rationalis & intellectualis est: etsi habeat ex natura sua, notio rerum quarundam vitæ suæ inservientium: ratio siquidem & intellectus in anima humana, est pars illius essentialis, & nullo pacto distinguitur ab ipsa anima, peculiari favore ita creata à summo opifice propter solum hominem nulla ratione à luce mundi dependens, & eatenus dominatur astris, nec ullo pacto illis subiicitur, ut clarissime demonstratur libro secundo huiusce voluminis quæstionibus capitulisque multis de ipsa re agitatis.

Post copiosam & exactam animæ humanæ inquisitorum, spiritus & corporis humani naturam & essentiam perquirimus: undenam oriantur & propagentur, nullo pacto ea ratione multiplicata eius anima & forma: sed à summo Creatore, in singulis humani corporis productionibus peculiariter creata, & in fusa, & quo tempore potissimum productionis humani corporis, & spiritus creetur & infundatur, ut corpus humanum perficiat, & regat mediante spiritu: hinc miranda de semine humano, & quo energia & virtute omnia corporis humani, & sui spiritus lateant in ipso semine, & qua via producantur in actum, ex abysso & chaos ipsius seminis: an id fiat virtute & energia humanæ animæ, vel potentia & actione ipsius lucis mundanæ, & microcrosmicæ, quæ semen humanũ primo informat & actuat, regit & gubernat, spiritumque suum constituit, ut inde sit eius spiritus, faber corporis humani.

Post seminis humani exactam & curiosam, atque utilem valde disquisitionem, partes humani corporis perquiremus tanquam veros seminis humani partus: functiones deinde & usus partium declarabimus, & tandem quicquid ad anotomem Medicam pertinet. Chymico eloquio in lucem dabimus, principiis semper assumptis eiusdem corporis humani, ex Chymicorum doctrina tanquam ex veritatis ipsius fonte ut manifesta experientia & ratione fiet manifestum & apertum.

Libro autem tertio huius voluminis morbos omnes, tùm internos, tùm externos declarabimus, qui corpus humanum afficere possunt, eorúque veram & sanationem ex medicamentorum chymicorũ fonte desumptam, palam faciemus, ac brevi, ac compendiosa methodo pertractabimus. Ibi quid valeant chymica remedia, crassis & opacis materiæ vinculis denudata, & lucis mundanæ radiis copiosè perlustrata, in morbos humanos devincendos clarè & dilucide demonstrabitur. Quarto & ultimo libro,

Vniversalis Sapientiæ nostræ, colophonem addendo, huic operi sanitatem humanam, vitæque humanæ protogandæ rationem tractabimus: præcedentia enim omnia, propter sanitatem humanam, hac in vita tuto conservandam e: artata sunt. Hic scopus & finis totius nostræ Medicinæ spagyricæ, ad quem collimare, totum & absolutum fuit intentum nostrum in hoc præsenti volumine, in quo quicquid est rari & occulti ad sanitatem humanam tuto conservandam, eamque ultra limites humani ævi communis & ordinarii protogandam, ex fontibus Chymicorum desumptum, clarè admodum, & sine fuco, ac ænigmatis umbra delineatum erit: imo quicquid antiqui Sophorum fabularum nocte opaca, hac de re occultarunt, & sub Medeæ artibus obtegerunt, nos decorticatis fabularum medullis rei ipsius veritatem, tùm rationibus multis, authoritatibus & Historiis hinc enarratis ostendemus & confirmabimus, ne vanum & utile videatur imo irritum nostrum, & Chymicorum omnium opus quod supra omne mirum in natura Deus benignus occultavit, & suis fidelibus servis revelavit in sui ipsius gloriam & honorem, unde videant & contemplentur Chymiæ alumni si hoc opus Chymicum tandem habeant & noscant, quantum Deo debeant, ne Deus ex illis rationem tanti muneris exposcat.





VNIVERSALIS SAPIENTIÆ LIBER SECUNDUS.

Quid est homo, & quibus substantiis constet.

CAPVT I.

HOMINEM definire summa est sapientia, cum notio perfecta & absoluta hominis in ejus definitione consistat, cognoscere enim se ipsum summum est sapientiæ culmen ideo qui hominẽ definierunt inter antiquos, sapientissimi fuerunt, & jure merito cum hominem definire sit totum hunc mundum universum cognoscere, & aliquid ultra divinum & supernaturale, quod quidem majus est, nobilius & præstantius toto hoc mundo universali: naturalia autem omnia, & supernaturalia cognoscere, nihil prudentius, naturalia in definitione hominis cognoscuntur: cum & Cœlum, & Elementa, & quicquid in macrocosmo est, à summo Creatore creatum, id ipsum propter hominem & in gratiam ipsius factum sit; & in ipso homine compendiosè reconditum & abstrusum fuerit; supernaturalia autem cognoscuntur, cum & ipsa hominis forma, seu anima rationalis & intellectualis in definitione hominis manifestetur & nota fiat, quæ quidem supernaturalis quædam lux est, propter hominem solum creata, & in corpus suum totius mundi compendium dum creatur infusa: quod quidem omne ex definitionibus sequentibus, ipsius hominis clarum & apertum habemus. Hermes Trismegistus Philosophos omnes antiquos doctrinæ ac sapientiæ lumine facilè vincens: hominem sic definire solet, magnum miraculum est homo, a-

Hominem definire est totum mundum cognoscere,

In definitione hominis naturalia

& supernaturalia cognoscuntur.

Homo quid sit ex hermete.

Varia hominis definitiones.

mo, animal honorãdũ: & adorandũ hic enim in naturã Dei transit, qua ipse sit Deus se ipsũ & cuncta cognoscens, unde à Synesio definitur Horizontem corporeorum, & incorporeorum hinc microcosmus: hinc totius naturæ creatæ speculum & compendium, & mensura rerum omnium dicitur & proclamatur. hinc gloria, honor & decus ipsiusmet naturæ creatæ & delectamentum ultimum habetur: hinc regius Psalmista clamat, minuisti hominem paulominus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum: hinc. Trismegistus homo autem tuus sanctitate una tecum potiri desiderat, cum potestatem illi omnium arbitriumque concesseris. Si ergo omnis natura sit homo, & omnia quæ in mundo sunt in solo homine compendiosè reducantur, ad ejus corpus solum efformandum: quid nobis erit cogitandum de eius forma & anima quæ gubernare ac regere debet, ea omnia universa quæ illi subjecta fuerunt: præcipuè cũ non educatur ipsa forma, ex centro materiæ suæ, cui immittitur ut ipsã actuet, sed deforis adveniat ex fonte divino. Si materia hæc cui immergi debet, præstantissima sit, & quasi quinta essentia totius naturæ mundanæ? Quid hæc forma erit quintam hanc essentiam præstantissimã naturæ creatæ materiam informare, ac actuare debet, & sic hæc duo mentis speculatione nobilissima sint

In Plin, c. 2.

Materia hominis est quinta essentia.

& adeo nobilia, ut mentis captum superent? Quid quæso erit horum duorum nobilissimorum compositum & adunatu.

Hominem definire arduum est.

Hoc compositum definire certissime arduum est, & nisi divinitùs gratia divina superiùs illuminante, dictata fuisset compositi huius definitio certissimè penitùs adhuc in obscurissimis ignorantiæ tenebris innolueretur, & quid esset homo, homo ignoraret. At cum sagaci mẽtis suæ acumine divina adjuvantẽ gratia, se ipsum cognoscere semper excogitet; hanc ipsam sui ipsius definitionem excogitauit. Homo est animal rationale, cuius corpus [etsi totius mundi compendium] lutum est, cinis, putredo & corruptio. Anima verò lux pura & simplex intellectualis, & immortalis peculiari favore à summo Creatore propter hominem solum creata, & corpori immissa & infusa, ut ipsum regat, gubernet & actuet. Ex hac hominis definitione, satis admodum claræ sunt & manifestæ ejus partes integrantes quæ hominem ipsum constituunt. ex quibus solis partibus, oritur illa admiranda hominis descriptio & elogium nec non & vituperium, quæ passim apud varios Authores, tùm sacros, tùm ethnicos reperiuntur, homo est putredo & corruptio, & folium quod vento rapitur, homo nihil nisi vanitas, & ad laborem natus, brevique vivens tempore, & dies eius sicut fœnum, ad elogium verò dicitur Dei

Homo quid proprie sit.

Anima humana quid.

compat, cuius precium Deus solus cognoscit cum ipsemet pro eo redimendo, se ipsum dederit. At hæc omnia non scitu necessaria sunt Medico, nisi ad ornatum & pompam hominis ad vitam autem, & sanitatem tuendam & conservandam scire, ac cognoscere debet, hominem ex semine humano materialiter concretum esse, cui scintilla lucis divinæ, rationalis & intellectualis peculiariter infusa & immissa est, ut ipsum actuet & informet, vel esse mixtorum omnium naturaliũ mixtum ultimum à summo Creatore, ex luto viscoso, seu limo terræ, seu terra rubra factum, cui omnia naturalia ipsius abyssi recondita, & abstrusa erant, hinc factum est corpus humanum, in quod inspiravit deinde Deus, spiraculũ vitæ immortalis & sic factus est homo in animam viventem, vel esse abyssum mundi peculiari divino vitæ & lucis spiraculo insufflatam, & sic divinitùs in hominem viventem & intelligentem erectam. Ex his hominis definitionibus colligimus materiam & formam, ex quibus compactus est homo, & qua via, & qua industria factus est, in principio creationis & qua via jam propagatur; cum eius materia propagationem expostulet virtute luminis sui quo semper actuatur, & ad germinationem, & productionem naturali conatu propellitur, ut libro sequenti huius operis clarissimè demonstrabitur.

Alia hominis definitiones.

Materia propagationem expostulet virtute luminis.

Forma etiam præcipua, & principalis hominis pars, ex qua sola subsistit & habet esse, in hisce allatis definitionibus satis admodum patet, & manifestetur, de qua sola jam instituendus est sermo, ut ejus essentia, virtus & proprietates eiusque origo penitus Medicis innotescat: non enim hominem cognoscere possunt Medici, quin præcipuam eius partem, formam scilicet eius, & animam qua vivit, notam habeant.

Forma est præcipua hominis pars.

Perinde animam hominis toto sequenti libro disquiremus, ejus essentiam & naturam, virtutes, & proprietates perquirendo; ut eius natura admiranda & stupenda Medicis tandem innotescat.

Anima humana quid sit & unde.

CAPUT II.

IN anima humana definienda desudarunt quamplurimi. Galenus variis in locis varias affert animæ humanæ definitiones nunc temperamentum dicit, nunc calidum innatum, nunc armoniam quatuor qualitatum & tandem se fatetur substantiam animæ penitus ignorare, nec Medico necessariam esse animę cognitionem. Quod quidem Galeno condonandũ est, cum fidei Christianæ radiis illuminatus non fuerit Non possumus enim absque Fidei lumine hoc lumen humanum penetrare, ac cognoscere.

Animam humanam ignoravit Galenus & Hypocrates.

Hypocrates etiam Medicorũ primus, & in natura rerum cognoscendarum Archyphilosophus, animam humanam non cognovit, cum ignis & aquæ habere temperamentum asse-

Aristoteles etiam ignoravit animam humanam.

asseveravit, hinc collectu facilimum est Hypocratem animam humanā confundere cum calido innato cum & hoc habeat ignis & aquæ temperamentum, & similibus nutriatur & augetur: non enim nutritur & augetur anima humana, sed solum calidum innatum suum & humidum primigenium, quo solo utitur ad actiones suas peragendas. Itaque, nec Galenus, nec Hypocrates, nec alii Medici omnes antiqui, animam humanam cognoverunt, sed in tradenda eius vera definitione aberrarunt, Vt & multi alii ex recentioribus Medicis, qui animam humanam definierunt corporis humani perfectionē & actum primum illius: nam trivialis illa animæ definitio quæ apud Peripatheticos decantatur: actus scilicet primus corporis organici potentia vitam habentis erronea etiam est cum anima, plantæ & animalis alicuius bruti, sit actus primus corporis organici potentia vitam habentis, nec ea definitione distinguatur & separetur anima humana ab anima plantæ vel bruti.

Aristotelis animæ definitio prava & erronea.

Hinc clarè patet humanā animā hac definitione non propriè definiri cum & hæc definitio omnibus plantis & brutis animalibus optimè conveniat. Est enim anima humana in corpore humano aliquid aliud præter actum primum. Alia ergo nobis est quærenda, definitio, quæ soli animæ humanæ competat, & alias omnes animas excludat.

Hebræi Doctores, ac Cabalistæ, & ego cum ipsis peculiarem de anima humana, sic tradimus definitionem: anima hominis est lumen Dei, & ad imaginem Verbi primi exemplaris creata substantia propter solū hominem, ut ipsum actuet & informet, in cuius definitione apertè videmus, quid sit anima humana, & unde sit & qualis sit eius substantia. Et qua ratione ab anima brutorum & plantarum, quæ quamvis sit species lucis à Deo creatæ non tamen est intellectualis, & ad hunc divinitatis gradum evecta & elevata, ut intellectus, rationis, prudentiæ & sapientiæ sit capax. Vnde propter hominem solum, & in gratiam ipsius est creata, ad imaginem Verbi primi exemplaris creata substantia simplex & homogenea, divina prorsus & immortalis.

Anima humana vera definitio.

Sic homo vere factus est immortalis microcosmus, verus & paruus mundus, distinctus & separatus omnino ex parte formæ, à macrocosmo: in corpore enim eius est, quicquid in macrocosmo reperiri potest, quid tum materiæ & formæ macrocosmi, & ultra est peculiaris forma informans & actuans ipsā materiam & formam macrocosmicam, quæ quamvis in macrocosmo duo sint, in homine, attamen unum quid passivum constituunt & habent rationem materiæ, ex quo factum est corpus hominis, cui deinde infunditur & creatur ipsa peculiaris forma, lumen divinum & intellectuale; corpus humanum actuans & informans, à summo creatore, ex nihilo fonteq; per creationem eductum in gratiam.

In homine est quicquid in toto mundo est.

Homo quantum creatori debeat.

gratiam & favorem ipsius hominis, ut hinc exsurgeret homo immortalis & verè vivens; hinc patet quantum laudis honoris & gratiæ debeat homo, suo Creatori, qui ipsum peculiari gratia & misericordia, intellectualem & immortalem fecetit. Hinc etiam patet, quantum virtutis & energiæ, habeat forma hæc immortalis, & æterna, in corpus suum caducum & labile, quod informat & actuet, peculiari & occulto mysterio, ut capice sequenti fiet clarius

An anima humana reliquarum formarum commune sequatur fatum. Et qua vi alias vincat & superet.

CAPUT III,

In luto viscoso, ex quo factus est homo omnia mundi inerant.

CUm corpus humanum ex luto viscoso, à summo Creatore factũ fuerit, cui quidẽ luto tanquã materiæ primæ mundi, omnia huiusce mũdi, occultè latebãt: cũ in omnib9 partibus mundi hæc omnia inesse soleant in dubium revocare possunt omnes Fidei Christianæ lumine non irradiati formam humanam ex puriori & illustriori huiusce luti viscosi parte eductam esse, quæ quidẽ pars illustrior & purior, huiusce luti, ex quo formatum est corpus humanũ cum purior lucis mundanæ pars fuisset, ex qua quidem lucis parte educuntur formæ omnes, tum brutorũ, tum vegetantium, tum mineralium observatis iisdem fere naturæ legibus, quæ in hominum productione observantur, hinc inquam suspicari possent athei, & de Fide Christiana male feriati animam humanam etiam ex illa luce mundana, in gratiã formarum omnium naturalium creata, eductam fuisse, cum sensibus externis non appareat creatio illa supernaturalis animæ humanæ, corpus siquidem humanum naturali via producitur, ac reliqua corpora naturalia producuntur. Quid ni etiam inquiunt athei illi simili, & pari modo producetur forma humana, ac producuntur aliæ rerum naturalium formæ.

Athei unde mortem animæ humanæ suspicentur.

Obiectiones atheorum in immortalitatem animæ humanæ & solutiones

Absit à Philosopho & Medico Christiano, hæc crassa prorsus & terrea mentis conceptio, totus mũdus factus est, propter ipsum hominem, ita ut mundus universus sit Domus & Palatium ipsius hominis, ut satis cuicumque contemplanti patet, cum omnia huiusce mundi homini subserviant. Si ergo naturalia sint creata, propter ipsum hominem ipsum esse supra omnia creata, meritò credendum est; ad quid enim Deus hominem supra omnia constituisset, si ipsum non fecisset immortalem. Partes siquidem integrantes, huiusce mundi, Cœlum puta & elementa, à parte post, ut ita loquar æternitatis munere dotantur, etsi in partibus suis alterationibus & corruptionibus sint obnoxia. Quod si mundus universus macrocosmus dictus æternus sit & incorruptibilis,

lis, in partibus suis integrantibus, ut fatentur omnes Philosophi, & præsentim Hypocrates & Hermes Trismegistus libro 1. de Diæta Hypocrates & Trismegistus in Pymandro quidni & homo microcosmus dict9 & factus æternus erit incorruptibilis & immortalis? Si macrocosmus materialis omnino, & primæ abyssi redolens essentiam & naturam, nulla forma intellectuali ac rationali informatus, sed simplici vitali forma & lucida decoratus, æternitate & perennitate exornetur à summo Creatore, potiori jure, & fortiori ratione, homo microcosmus rationali & intellectuali forma actuatus & exornatus, æternitatis & perennitatis dono, ac munere perlustrari ac decorari meretur, quam ipsemet mundus macrocosmus dictus; rationes hinc quamplurimæ exoriuntur.

Homo ad imaginem Dei factus perinde immortalis.

Homo siquidem primo factus est, ad similitudinem Dei, ut sacræ paginæ testantur, & ratio illud ipsũ indicat; cum forma hominis sit prorsus divina & omnes rerum formas formositate & pulchritudine vincat ac superet, non potest autem ad hanc nobilem, ac supernaturalem imaginem esse factus, quin sit æternus & immortalis, æternitas enim & perennitas Dei sunt: si quid ergo est imaginis & similitudinis divinæ in ipso homine æternitatem quodãmodo imitari habet, hinc homo ex similitudine divina æternus & immortalis, in quo enim Deo esset similis si immortalis, & æternus non esset.

Homo pariter æternus quid sit parvus mundus

Immortalis pariter, & æternus habetur, quod mundus sit parvus, distinctus & separatus à macrocosmo & universali mundo, non enim alioquin distingueretur à macrocosmo, sed esset pars ipsius, & una cum reliquis aliis mundi partibus confunderetur cum toto, nec perinde mundus alius diceretur, sed pars ipsius. At cum dicatur mundus distinctus & separatus à macrocosmo habet aliquid quo distinguatur ab ipso macrocosmo, non habet autẽ aliud, quo melius & fortius distinguatur, quam ipsam animam perennem & immortalem, cuius soli9 ratione, verus microcosmus nuncupatur, cum peculiarem hanc lucem æternam, immortalem, intellectualem, & rationalem, & perinde verè vivam & vitalem, habeat, qua actuetur & informetur eius corpus

Anima humana æterna quod sit flatus divinus.

Flavit perinde Deus, in compositione ipsius hominis dum corpus ejus ex limo terræ, compactum est, in faciem corporis humani, & ex flatu illo divino surrexit homo in animam vere vivam & vitalem, hoc est immortalem: flatus enim ille divinus vera vita est, eaque verissime vitalis, & perinde hinc arguendum est animam hominis esse immortalem æternam, nec unquam fato perituram, cum flatus sit divinus & spiraculũ vitale ipsius Dei, nihil enim ex Deo ipso, caducum & periturum est, sed omne quod ex Deo fluit, est

immortale & æternum, cum ipse Deus sit fons imo abyssus ipsius æternitatis, & immortalitatis, insuper si homo sit caput, & coripheus rerum omnium naturalium, & si omnia illi subserviant. Ad quid hæc præstantia & eminentia, ac Dominium, si caducus periturus & mortalis sit homo, frustraneum est dominium, vana præstantia & inutilis eminentia, si una cum reliquis rebus naturalibus, pereat & evanescat, mortalium enim & caducorum una & eadem sors, nec inter ipsa aliquid supremū & infimum, sed in ipso corruptionis centro æqualia & eadem sunt.

Homo cum sit caput rerū omnium est immortalis.

Non ergo ambigendum est, animam humanam mortalem esse & caducam, sed verè immortalem prorsus, & æternam fore est prædicandum & firmiter credendum, & sua immortalitate & perennitate essentiali, rerum omnium naturalium formas facilè superare ac vincere, nec easdem fati leges & normas sequi, sed incorruptam & inalterabilem permanere quod adhuc capite sequenti fiet clariùs.

Quo lucis radio anima humana distinguatur ab aliis rerum formis & animabus.

CAPUT IV.

NVllo pacto ambigendum est, quin anima humana lucis suæ radio quo peculiari beneficio, à sūmo suo Creatore dotata est distinguatur & sepatetur omni ratione, ab aliis rerum formis. Formæ enim omnes etsi sint ex luce factæ, lux tamen hæc, ex qua originem habent, non est eiusdem speciei, cum luce ex qua originem habet anima humana. Lux siquidem formatum naturaliū omnium, cœlestis est & mundana, lux autem animæ humanę non cœlestis ullo pacto, nec mundana, sed supernaturalis & divina prorsus, cū ex flatu divinæ lucis & vitæ, traxerit originem; non enim peculiariter insufflasset Deus in faciem hominis, spiraculum vitæ & lucis, si hæc lux & spiraculum vitæ mundanum fuisset & ordinarium, & in limo terrę ex quo factum est corpus humanū jam fuisset; quod enim aderat in limo, non iterum de novo fecisset & creasset Deus: creata autē erat jam lux mundana, & vita ipsius mundi, cum quarto die in Sole & Astris cœlestibus perhibetur fuisse cumulata, & in acervum quasi tracta, ut hinc, partes omnes mundi, luce & vita ipsa turgidæ & plenæ, reciperent fomentum vitæ suæ, quo persisterent ac durarent ævum suum. Quod si limus ipsius terræ, vita ipsa & luce mundana turgidus fuerit, ex quo corpus humanum exsurgit, Deus ipse in creatione ipsius hominis die sexto creationis ipsius mundi, non de novo inspirasset spiraculum vitæ & lucis, si istud spiraculum lucis & vitæ, non distinctum fuisset & separatum ab ipsa luce & vita, quæ ab ipso creationis die & quarto, elemētis ipsis omnibus infusa & immissa fuerat ab ipso Creatore.

Anima humana non sequitur fatum rerum aliarum creatarum.

Anima humana substantia non est cœlestis, sed divina & supernaturalis.

Res aliæ omnes ex luce mundana.

Hinc

Hinc luce clarius manifestum est lucem humanam qua peculiari ratione actuatum est corpus humanũ esse distinctam & prorsus separatã ab ipsa luce mundana, ex qua omnes rerum naturalium formæ originẽ trahunt, & perinde formas humanas etiam esse separatas & distinctas ab ipsis aliis omnibus rerum formis lucis peculiari radio, qui differentiam formalem inter ipsas constituit.

Forma humana est separata ab aliis rerum formis.

Lux siquidem mundi ex calore insito & naturali quo turget, & innata etiam sua humiditate, germinandi & pullulandi vim habet, & ad gradum sentiendi evehi & sublimari potest, si eius natura quam actuat & informat, subtiliori quo potest, attenuetur gradu, nam in tali gradu subtilitatis suæ materiæ & substantiæ sentiendi facultatem, & virtutem acquirit: hic enim gradus ultimus est suæ perfectionis, ad quẽ perveniri potest, ibique quiescit, nec alios quærit, cum nec ultra extendi possit.

Lux autem humana qua divinitus actuatur corpus humanum, non solùm hosce vegetantis & sentiẽtis animæ perfectionis gradus habet, sed & alios perfectiores multo ex suæ naturæ centro, expostulat & obtinet: itaque & suam materiam quã informare habet suo igne supernaturali, & divino, multo magis attenuat & subtiliat ac perficit, quam attenuat & perficiat lux mundana sua corpora, hinc cernimus & contemplamur differentiam quam maximam, & perfectionis gradum majorem inter corpora humana, & alia rerum naturalium corpora, ut enim hæc perfectionem cedunt corpori humano, sic etiam horum forma & anima cedere debet, eandem perfectionem & nobilitatem animæ humanæ: forma siquidem & anima cum det esse rei, cujus est forma & anima, suæ nobilitatis & eminentiæ gradus & charecteres imprimit, corpori, cui dat esse: sic ex præstantia corporis humani & eminentiæ suæ palma, supra reliqua rerum naturalium corpora, arguimus suæ formæ, & animæ eminentiæ palmam, supra reliquas rerum naturalium omnium formas.

Ex gradu perfectionis corporis humani colligi eius perfectionem animæ humanæ.

Hinc collectu facillimum animã humanam peculiari divino & supernaturali lucis radio, separatam esse, & prorsus differentem ab aliis rerum naturalium formis, quas omnes an ecellit suamet ipsa substantia divina, & supernaturali, immortali & æterna, ut pote ex flatu vitæ æternæ & lucis increatæ ortum habens, qui quidem flatus divinus dedit, animæ humanæ, æternitatem illam quam possidet omnem & immortalitatem, & omnes alios perfectionis suæ gradus, & divina alia aureola, quæ sequuntur suæ substantiæ nobilitatem & eminentiam, ut capite sequenti fiet adhuc clariùs.

Anima humana est separata ab aliis rerum formis peculiari lucis radio.

Anima humana undenam rationalis, intellectualis & immortalis habetur.

CAPUT V.

Lucis est scire & cognoscere.

LUcis est patefacere, demonstrare, judicare, cognoscere ac intelligere, sine luce siquidem omnia latent & occultantur, ac in tenebris jacent, non ergo possunt intelligi, ac cognosci sine lumine, ea quæ intelligi & cognosci habent: hoc clarum & manifestum habemus, ipsa experientia quotidiana, corpora siquidem brutorum animalium omnium, dum vivunt & luce illa mundi actuantur & informantur: quæ illis vitam parit, cognoscunt ea omnia, quæ illis cognitu necessaria sunt, dum verò mortua, sunt & luce illa qua vivunt privata sunt, corpus remanens, cui lux illa omnino extincta est, nihil cognoscit eorũ quæ prius cognoscebat, ex luce ergo illa dependet eorum omnium notio.

Quod si lux vulgaris & communis hujusce mundi præclaras illas omnes notiones communicet & distribuat, quas cernimus & admiramur in brutis animantibus? Quid cogitabmius de illa luce supernaturali & divina, qua corpus humanũ actuatur & informatur; Quales notiones communicabit ac distribuet, si comunis & vulgaris hujusce mundi lux admirandas admodum notiones, ac rerum demonstrationes brutis animantibus communicet.

Nullo pacto ambigendum est, quin lux supernaturalis, & divina, qua homo actuatur & informatur nobiliores multo & præstantiores notiones homini communicet, quã lux vulgaris & mundana communicat brutis: quantum enim præstat lux divina & supernaturalis luci cõmuni & vulgari, tantum etiam præstant & actus qui ex illa divina luce ac supernaturali dependent. Quod si actus lucis mundanæ sit vitam pducere caducam & labilem, cum motibus simplicibus, & quæ corticem rerum non excedunt: lucis divinæ & supernaturalis erit producere actus vitales æternos & immortales, sapientes, prudentes, rationales & intellectuales; hi enim actus lucis sunt divinæ & supernaturalis. Unde homo quatenus ex illa informatus & actuatus est, immortalis, æternus, rationalis & verè intellectualis erit, ac solus inter facta animantia dici poterit sapiens, prudens notiones enim illius, ac demonstrationes quas circa res quascumque habet, sapientiæ & prudentiæ, actus sunt, qui non aliunde scaturire, quã ex luce illa divina & supernaturali, quæ est illius forma & anima quæ inde verè arguitur immortalis & æterna: non enim tantum sapientiæ & prudentiæ animadvertimus in brutis, ac in homine ipso: vulpeculæ siquidem simiæ, & Elephanti inter bruta callidiores, non æquiparari possunt calliditate illa & astutia qua pollent, hominibus etiam simplici-

Lucis mundanæ actus quales.

Lucis divinæ actus quales.

Homo unde sapiens & prudens.

Sapientia & prudentia unde.

plicioribus, hinc collectu facillimũ est & probatu facllimũ & evidẽtissimum, lucem illam qua actuatur homo, distinctam esse & separatam ab illa luce qua actuantur bruta animantia, & perinde esse speciei, differentis, & divinæ prorsus ac supernaturalis, & perinde etiam producere actus extra naturam communem & vulgarem, qui quidem actus nihil aliud esse possunt, quam rationales intellectuales, & ex immortali & æterno fonte, scaturiginem habentes.

Mors non ex parte animæ humanæ

Quod si hominem morti obnoxium, & morbis videamus, id non ex parte formæ & animæ, suæ originem habet, sed ex parte materiæ suæ, quæ cum putredini multiplici, ad tempus aliquod, obnoxia sit, obnoxiè quærit & efflagitat, putredinis causas deponere, ut tandem forma perenni & immurtabili actuari queat, & sic tandem quiescere, â motu illo alterationum & gaudere suo fine adepto, ad quem summopere pervenire anhelat, nec erit frustranens eius conatus, cum Fide Christiana certum habeamus: mundum tandem universum quiescere debere ab alterationibus suis, & motibus, quibus divexatur: tunc temporis corpus humanum putredinis causas omnes & alterationes, una cum universo mundo deponet & immortalitatis & perennitatis donis decorabitur, & tunc anima humana, æterna & immortalis, corpori sui æterno & immortali, æterno & immutabili nexu connectetur & copulabitur nunquam in posterũ separanda, nec corpus suum relictura; tunc etiam temporis nobilitatẽ suam & præstantiam, tùm animæ, tum corporis humani claram & manifestam habebimus, & nec ampliùs de immortalitate animæ nostræ dubitabimus.

Mundus tandem quiescere habet à motibus suis

Et anima humana & corpus humanum tandẽ immortalia.

Non ergo jam ambigendum est, sed obnoxie afferendum & firmiter credendum, animam humanam, rationabilem, intellectualem & immortalem, cum ex flatu illo divino lucis æternæ & increatæ traxerit originem. Qui quidem flatus divinus ex ipso æternitatis & immortalitatis fonte, imo abyssu eductus, nihil nisi æternitatem & immortalitatem in homine ipso, cui insuflatus fuerit producere potuit, & cum in eadem abyssu sit sapientiæ, prudentiæ, scientiæ & cognitionis infinita abyssus plus ille lucis, & vitæ hinc eductus, sapientiæ, prudentiæ, scientię & cognitionis erit plenus: hinc anima humana ex flatu illo, rationalis, intellectualis, sapiens, prudens, sciens & cognoscens habenda, & æstimandu erit, & cum tanti ponderis sit facta & creata à summo Creatore capite sequenti disquiremus.

Anima humana rationalis, intellectualis, sapiens & sciens unde.

Anima human quare rationalis & immortalis à Deo Creatore facta fuerit.

CAPUT IV.

In voluntate divina rationes quærere vanum est.

IN voluntate divina, & placito rationes quærere velle, humanæ vanitatis est, cum potissima ratio sit, placitum ipsum ac voluntas divina nihil enim voluit Deus quin summopere bonum fuerit & necessarium: vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Quod si quis adhuc quærat, cur homo factus sit rationalis & immortalis, & reliqua cuncta exclusa fuerint ab ipsa ratione & immortalitate, nec illi sufficiat placitum divinum, ac voluntas suprema ipsius Creatoris, qui cum nihil fecerit sine ratione, hanc quærat scire & cognoscere rationem; animadvertat quæso opifici summo & omnipotenti consonum valde esse, & suæ potentiæ infinitæ congruum, non omnia æqualia fecisse, quæ enim illi subserviunt omnia quidem illi infima esse debere: nihilominus tamen æterna, immortalia & intellectualia esse debere, quæ illi æterno, immortali & plusquam rationali perenniter subservire debeant; alioquin creaturis intellectualibus nullatenus fuisset opus, si Deus ipse laudis, honoris & gloriæ non fuisset avidus, & ab ipsis creaturis laudari & gloriari non efflagitasset; Si ergo honor, laus & gloria, perennis & sempiterna Deo Creatori debeantur, creaturas rationales & immortales adesse necesse est, ut ab his procedat talis honor, laus & gloria, ab aliis enim irrationalibus creaturis, hæc encomia, scaturiri non possunt, cum non intelligant quid faciant; intellectus enim solius est, & rationis laudare, glorificare, atque honorem dare. Laudant quidem omnia, & glorificant Deum Creatorem, quatenus existunt at non ut homo, qui non solum mirabili existentia sua & nobilitate, una cum cæteris creaturis omnibus Deum Creatorem suum laudat & glorificat, sed & ipsum cognoscit, & ut Creatorem suum & Deum honorat & glorificat, quod solis hominibus & Angelis, & intellectualibus creaturis quadrat & competit. Sic factus est homo rationalis, intellectualis & immortalis, ut intellectu suo, ratione, & immortalitate, æternas & immortales quantum potest, Deo persolvat gratias & laudes: sic ex honore, laude & gloria quæ debetur Deo creatori, colligibus hominē debere esse intellectualē & īmortalem. Cum solus homo ex creaturis infimis debeat propriè laudare Deum, & tacitas ipsius docere laudes: Reliqua autem cuncta creata metaphorice & tacite tantum dicuntur laudare Deum: homo verò solus, soli Deo laudes ore, mente, & obsequio persolvit.

Honor laus & gloria Deo debentur ab homine.

Laudare Deum & honorare hominum propriè, & Angelorum est.

Homo est immortalis quatenus honorem & laudem æternam debet Deo.

Præterea Deus cognosci & intelligi voluit, ab ipsis hominibus, in quantum exterius cognosci & intelligi potest. ergo homines huiusec cogni-

Ex cognitione Dei immortalitas hominis colligitur.

cognitionis capaces esse voluit, ergo & intellectuales & rationales, imo & immortales cum hæ solæ creaturæ, hujusce cognitionis & scientiæ participes esse queant. Vnde ex cognitione illa divina quam ex Deo ipso habere homo potest, fit ipse quasi Deus, & perinde immortalis & æternus; justitiæ siquidem divinæ & misericordiæ valde congruit, ut quos cognitionis suæ, & amoris voluit esse participes, eosdem ipsos debere esse æternos & immortales ac intellectuales, ut ex tali cognitione, perenni & perpetuo amore, Deum ipsum persequi possint: amor enim perpetuus ac perennis firmus & constans qualis verus amor, meretur esse, ex perpetuo perenni firmo & constanti amanti ortum habens.

Immortalitas hominis unde colligatur.

Homines ergo ex cognitione & scientia Dei, & ex amore divino, quem ex scientia illa & cognitione habere debent erga ipsum Deum, & ex laude, honore & gloria quam perpetuam & perennem Deo ipsi reddere habent, immortales, perennes, rationales & intellectuales esse firmiter credendum est. Alioquin enim Creatori suo laudes illas, honorem, amorem & gloriam reddere non possent, & perinde hinc arguere possum⁹ animam humanam intellectualem, rationalem & immortalem Deum fecisse, ut ratione sua, & intellectu Deum ipsum amore perpetuo persequi posset, ipsumque laudare, honorare & glorificare valeret.

Anima humana quo vinculo & nodo amoris corpori suo copuletur.

CAPVT VII.

Anima humana & corpus humanũ dissimilia, & tamen connectuntur.

MAximæ est difficultatis & altę ac profũdæ disquisitionis quęrere & investigare, nodum & vinculum quo anima humana corpori suo connectitur, similia siquidem similibus facili via copulantur, ac junguntur, at dissimilia nullatenus inter se conjungi possunt. In rerum autem natura nihil dissimilius est, ipsa anima humana & corpore, anima siquidẽ humana, lumen Dei est, ac divina, ac supernaturalis substantia, corpus autem humanum lutũ, pulvis cinis & limus ipsius terræ est. Quid autem luto, limo, pulvere & cinere lumini divino dissimilius: nihilominus tamen summo cum amore copulantur, ac inter se connectuntur, at ægre admodum, & summa cum anxietate, à seipsis dissolvuntur. Cum ergo sint inter se tantæ dissimilitudinis non possunt, inter se connecti, ut unum individuũ cõponant, nisi medio quodam: quod quidem medium utriusque naturæ particeps esse oportet, quale autem sit istud mediũ nobis jam est disquirendum. Cum ergo anima humana sit lumen divinum & lucida supernaturalis substantia, corpus autem humanum sit quid terreum & elemẽtare, perquirenda nobis est in rerũ serie substantia, quæ horũ duorũ sit mediũ, & participet utrorũq; substantiam, in rerum autem serie nihil aliud

Lumen cœleste est medium coniungendi animam humanam & corpus.

aliud reperire habemus, quam lumen cœleste & astrale, hoc enim solum medium censemus inter animã humanam & corpus humanum, quod, quodammodo participet utriusque naturam: lumen enim est æquè, ac humana anima, non tamen eiusdem speciei, sed eiusdem generis, quod quidem sufficit, ut rationem & naturam luminis habeat, corporis autem humani participat naturam, quod & quid elemẽtare sit omnium elementorum participans naturam, ut & corpus humanum: elementa autem quæ luci cœlesti & astrali insunt subtilia valde sunt, & quo in tenuiori possunt esse & subsistere gradu, quæ verò corpori humano insunt elemẽta, crassa valde & opaca sunt, & crassiori quo possunt in animali subsistere gradu: sic tenuitate & crassitie solum inter se differunt ac distingũtur, lucis mundanæ, seu cœlestis & astralis elementa & corporis humani. Hinc clarum & appertum habemus lumen cœleste & astrale medium esse illud, & vinculum quo anima humana corpori humano connectitur, participat siquidem utriusque naturam & essentiam: Ambigere enim non possumus quin lumen astrale & cœleste sit lumen in genere, & luminis habeat essentiam, ut & anima humana, nec etiam ambigere possumus, quin idem lumen astrale & cœleste, materiæ & substantię tenuissimę elemẽtaris habeat naturam cum forma sit, ipsius materiæ elementaris, quam quidẽ formam participare oportet naturam & essentiam ipsius materiæ, cũ ex centro ipsius educatur, & in principio ab ipso Creatore educta sit, in rerum omnium productione, sic lumen astrale & cœleste verum vinculum erit, & solus naturalis amoris nodus, quo anima humana corpori humano connectitur: non im9 tamẽ inficias quin sumus Deus Creator in creatione & infusione ipsius animæ humanæ propensionem summam, & inclinationem amoremque summum erga corpus humanum infundat & impertiat qua sola inclinatione & amore, sufficienti satis vinculo & nexu satis facili & forti, alligetur corpori, adeo ut non quærendus sit alius nodus quo simul connectantur, quam inclinatio illa & amor, illis supernaturaliter infusus: nihilominus tamen nexus alius fortissimus est, & ex parte corporis reperitur in ipso corpore, & verè naturalis est, & ex illo dependet amor & inclinatio ac propẽsio, quæ inter ipsa reperiuntur. nam amor inclinatio & propensio ex sympathia & similitudine substantiæ originem habent: lux autem creata, qua informatur & actuatur materia rerum omnium, reperitur etiã in corpore humano, quatenus materia rerum prima in ipsa reperitur, ut in reliquis aliis rerum naturis, lux autem illa sympathiam quam maximam habet cum luce illa supernaturali quo informatur corpus huma-

Concluditur lumen cœleste esse mediũ coniungendi animam & corpus humanum.

Propensio & amor animæ humanæ in corpus suum unde.

Lux in luce habet sympathiam.

humanũ: nihil enim similius est luci luce ipsa, dicitur etiam media natura lux ista cælestis, quia medium est inter animam rationalem & corpus humanum, ut inter se copulentur. Non ergo ambigere debemus lucé creatam mundanam, cœlestem & astralem esse vinculum, nodum & nexum quo anima humana, lumen Dei, & supernaturalis lucis substantia connectitur & copulatur, corpori humano, quod informat & actuat.

Anima humana qua ratione & via utatur luce cælesti ad à. ctiones suas peragendas.

CAPVT VIII.

Anima humana quo medio utatur ad agendum.

ANima humana ut supernaturalis est substantia lumen Dei creatum & infusumcorpori humano, dum creatur, tantæ & supernaturalis actionis, ut actiones illas miras & supernaturales, dum corpori suo immergitur, ac veluti incarceratur, edere non possit, absque medio apto & idoneo, ad actiones illas in actum & lucem producendas, corpus siquidem humanum, crassũ nimis & opacum est, ut sua illa crassitie & oppacitate, recipere nequeat mirandas illas lucis humanæ supernaturalis actiones nisi in se contineret, aliquid subtile, ac tenue valde, cuius subtilitatis & tenuitatis ope, mirum istud agendi opus recipiat, & receptum in lucem & actum edat; illud autem subtile quod est in corpore humano est vera lux cœlestis & astralis, quæ in corpore humano constituit spiritus naturales, vitales & animales: nihil enim aliud sunt hi spiritus, quam portio lucis astralis & cœlestis, quæ purioribus & subtilioribus elementorum humanorum partibus vinculatur, ut ita loquar, seu constringitur, & sic lux cœlestis & astralis constituit in corpore humano, humidum radicale & calidum innatum, quod est ex Medicorum omnium consensu, & placito, animæ humanæ, verum & unicum agendi instrumentum, sic lux cœlestis & astralis fit verum & unicum agendi instrumentum animæ rationalis, cum fiat calidum innatum & humidum primigenium corporis humani: ex quo solo exsurgunt spiritus verè vitales, qui actionum omnium & facultatum humanarum sunt fundamentum, qui totum corpus humanum; & singulas illius partes occupant & replent una cum anima illa divina, & supernaturali substantia, quæ dũ creatur à summo rerum opifice, in gratiam solius hominis eo instanti infunditur corpori humano, & ipsum actuat, & informat, substantiamque illam æthercam elemento stellarum correspondentem lucidã & omnino cœlestem in ipso corpore adveniens eam ipsam etiam actuat & informat, tanquam partem corporis humani, eaque ipsa mediante, mirandas suas omnes actiones

Anima humana organum ad agendum.

potentias & virtutes exercet. Quod enim in corpore humano solum activum est, & agendi capax, id solū assumere habet anima humana ad agendum: lux autem cœlestis & astralis spiritus naturales, vitales & animales constituens & componens, sola est activa & actionis capax, unde illud Virgilii & Academicorum omnium Philosophorum decretum igneus est ollis vigor & cœlestis origo seminibus, unde etiam ab Hypocrate spiritus dicuntur, ὁρμῶντα impetum facientia, quod motus & agendi principium inde scaturiant hinc antiquorum quamplurimorū delusi fuere, animam humanam cū spiritu illo impetum faciente, & animæ organo, confundentes quod capite peculiari demonstrabimus postquam declaraverimus animam humanam luce astrali & cœlesti uti tanquam organo proprio ad actiones suas omnes peragendas, cum lux illa sola, in corpore humano, sit actionis edendæ capax, ut in reliquis rebus omnibus naturalibus; in quibus solis hæc lux est actionis principium & fundamentum. Ea ergo ratione & via, anima humana utitur luce cœlesti & astrali ad agēdum & operandum, jam verò videamus quam turpiter delusi sunt, qui animam humanam cum calido innato & spiritu vitali confuderunt.

Spiritus quare dicantur impetum facientes.

Lux est in omnibus rebus principium actionis.



Anima humana nullatenus est calidum innatum corporis humani, nec eius vitalis spiritus.

CAPUT IX.

CApitibus præcedentibus satis clarè demonstratum est, ex definitione ipsius animæ rationalis, & ex disquisitione ipsius essentiæ eam ipsam animam humanam nullo pacto esse, calidum innatum, neque spiritum vitalem ipsius corporis humani, cum spiritus vitalis & calidū innatum corporis humani, & reliquorum omnium animantium sit quid elementare & astrale tantum, ex fonte naturæ visibilis ortum ducens: anima autem humana est lumē supernaturale, à summo opifice, peculiariter creatum in gratiam solius hominis, nihil naturæ visibilis & elementorum habens, sed supernaturalis est prorsus ordinis, & supernaturaliter & divinitùs corpori humano infunditur dum creatur, forma tamen naturalis est corporis humani, non quod ex legibus naturæ, corpus humanum elementare suum informet & actuet, ex eius centro per se educta alterationis & productionis statuto ac decreto: sed est forma naturalis ipsius corporis humani quod formæ naturalis vires in ipso corpore agat, & formæ naturalis imperio fungatur; unde & calido innato & humido primigenio eiusque naturalibus spiritib9 imperat, nec quicquam est in corpore hu-

Calidum innatum non est natura rationalis.

Spiritus vitalis quid sint.

Anima humana quare forma hominis.

re humano, tùm ex parte Astrorum tùm ex parte elementorum inferiorum quin animæ humanæ decretis & statutis subjiciatur, ita ut nisi libere concurrat, cum instrumentis & organis suis ad agendum, ipsa & instrumenta, & organa actionibus suis propriis & innatis denudentur, ut clarum & manifestum est, ex extasi animæ humanæ, ubi corpus humanum privatur facultate comuni & ordinaria, nec tamen moritur, nec anima ejus separata est à corpore, sed tota rapta est & sublimata mēte & cogitatione in Deum, quæ sola cogitatione ita gaudet, ut functionum suarum prorsus obliviscatur, & inde instrumenta & organa agendi, ipsius corporis humani ipsamet actione privantur, donec redeat anima ex extasi sua & raptu, & suis deinde fungatur ordinariis officiis.

Anima humana calido imperat.

Extasis quid sit.

Ex eo ergo dominio & imperio quo valet anima humana in corpus suum & in omnia quæ corpori insunt collectu facillimum est, animā humanam non esse calidum innatū corporis sui, nec ejus vitalem spiritū hæc enim omnia, corporis sunt, nec illi proprie dominantur, ut cum sint corporis, corporis ejusdem sequuntur innatas & naturales inclinationes; & nisi anima humana repugnet & refrenet, ac temperet innatum illud agendi corporis humani cacœthe, totum ruit in pejus, & id ortum habet ex agendi libera sua voluntate, qua sola in utramq; ferri potest partem, ut capitulis sequentibus clarum erit & apertum.

Calidum innatum corporis sequitur naturā.

An anima humana cœlestibus subiiciatur Astrorum radiis & influxibus.

CAPVT X.

QVæ sunt infimi ordinis, non agunt in ea quæ sunt supremi ac supernaturalis ordinis, at contra ex divino decreto ac statuto, quæ sunt supernaturalis & supremi ordinis imperant ac dominant, his omnibus quæ sunt infimæ sobolis & naturalis scaturiginis, & id omne experientia quotidiana, habemus expertum, superiora siquidem inferioribus dominantur, non è contra, inferiora superioribus sunt dominio, naturalis siquidem ea ratione perturbaretur ordo, & sic mutaretur quodammodo statutum & decretum divinum, quod est impossibile Anima ergo humana cum sit superioris ordinis & supernaturalis, cœlum vero & omne astrum infimi ordinis & naturalis, non poterit ullo pacto, subjici astrorum radiis & influxibꝰ hi enim solum agere possunt in ea quæ sunt inferioris ordinis & ejusdem naturæ & ipso divino decreto & naturę ipsius lege at cœlum non est ejusdem naturæ cum anima humana imo contra diversæ est naturæ, & perinde agere non potest, in animam humanam cum nihil habeat cujus ope, & ministerio, ejus actiones in troduci queāt in substantiā ejꝰ: quiquid enim cœli habēt, ex massa prima abyssi ortū duxit, anima autem hominis nihil ex massa illa tenet, sed te novo quotidie creatur, in favorem & gratiam homi-

Inferiora non agunt in suprema, sed à contra.

Anima humana non subiicitur astris.

hominis & nihil abyssi materiæ primæ habet ut superius clare admodum demonstratum est, cum ergo nihil abyssi materiæ primæ habeat, ea quæ sunt ex abysso in ipsam agere non possunt, cum in ea nihil reperiatur, in quod agere queant.

Anima humana nihil habet ex materia prima.

Anima autem humana, nihil habere ex abyssu materiæ primæ superius satis dilucide demonstratum est eum sit lumen Dei ex flatu divino creata substantia ad similitudinem verbi primi, exemplaris: nihil autem flatus ille divinus habuit ex abyssu aut in Deo ipso fuisset aliquid ipsius abyssus per ipsum Deum ex nihili fonte, creatæ, quod est absurdum dictu & cogitatu.

Cum ergo anima rationalis nihil habeat ex materia prima, nec ex forma illius quæ lux creata est, quęque sola actionis est capax, recipere non poterit actiones & virtutes illius lucis, cum dissimilis omnino sit illi & alterius speciei, natura siquidem ex Philosophorum omnium sententia in similem & eandem naturam habet actionem, unde clamant natura naturam vincit, natura natura gaudet natura naturam continet ut similia in similia agere tantum posse ostendant ac demonstrent. Quod si naturalia tantum agant in naturalia, & extra & ultra agere nequeant peroptime concludere possumus animam humanam non subjici ullo pacto astrorum radiis & influxibus, cum sit supernaturalis ordinis in quem cælum agere nequit & cum nihil habeat lucis creatæ, mundanæ. quæ sola recipit cœlestes influxus dum inferioribus creaturis eu alligata, hinc clarissimum & apertum habemus, animam humanam non recipere influxus cœlestes cum lux cœlestis non permisceatur animæ humanæ imo contra, dum anima humana informat & actuat, corpus humanum & omnes illius partes informat & actuat ipsam lucem cœlestem. & mundanam & ad superiorem gradum vi sua supernaturali, elevat, ita ut, ipsa lux mundana quæ corpori humano inest, & eius spiritus & calidum innatum constituit, sit fortior multo & potentior, quam in brutis animantibus; ita ut resistere valeat cœli & planetarum influxibus, potentia illa divina & supernaturali actuata & informata, hinc factum est decretum istud sapientum, sapiens dominabitur astris; non enim aliquid pos sunt astra in hominem sapientem ac prudentem sed in hominem brutū qui anima sua prudenti sapienti ac rationali uti nescit at more brutorum vivit, & suam imperantem & cunctis rebus regnantem virtutem & energiam libera sua voluntate deponit & rebus sibi multo infimis subservit ut capite sequenti fiet clarius.

Concluditur animam humanam non subjici astris.

Sapiens dominabitur astris.

❧(o)❧

Ani-

Anima humana, qua via & ratione astris subiiciatur.

CAPVT XI.

Vidimus capite superiori qua ratione anima humana, ratione & intellectu suo astris ipsis & cœlo omni dominari valeat cum habeat potentiam & energiam ex intima sua supernaturali substantia in cœlos & astra jam vero perquirendum nobis est, an aliqua ratione astris subjiciatur cum experientia ipsa constet homines quamplurimos ex fati lege & astrorum influxu, morbis variis, tum animi, & corporis tentari, & affligi, quod quidem esse nō posset, nisi anima humana vitiis vel virtutibus dotata aliqua ratione astrorum influxibus & radiis subjiciatur, scimus enim ratione & experientia ipsa, natos homines sub Saturni influxu malevolo & infortunato, & retrogrado, audaces nimis & impudentes antiquos fures & avaros esse. Ac fieri si vero sub Iove nascantur fieri lætos, pulchros tenaces, mites urbanos iucundos verecundos ac generosos, si autem sub marte producantur in ariete & scorpione fieri loquaces, mendaces, latrones spoliatores fallaces & instabiles si vero sub sole in Leone prudentes, tristes, pulchros, veraces nec non sapientes esse clarum est si vero sub Luna in cancro, fortes, justos castos & vagabundos, enasi i comprobamus, hæc autem vitia & virtutes ab anima humana, dependent & ortum habent. Et si ab astris homini infundantur, cum animi humani affectus sint & pathemata non corporis, animæ non corpori, impertiri fatendum erit.

Homo qua ratione astris subiiciatur.

Homines sub astrorū radiis nati quales esse asserant Astrologi

Huic objectioni respondendum erit affectus illos & pathemata quæ animo humano imprimuntur, non immediate ab astris animo imprimi sed calido innato, & spiritibus vitalibus, animalibus ac naturalibus corporis humani, qui cum sint ex lucis mundanæ substantia, facili via recipiunt ab astris, substantias illas & energias cœlestes, quæ in corpore humano, seu in parte eius puriori & cœlestiori impressæ & impactæ & unitæ excitant & alliciunt animæ humanæ organum, & instrumentum agendi, ad ita agendum & ad similes & correspondentes astrorū influxibus actiones edendas: quæ si optimæ & laudandæ sint virtutis nomen accipiunt si vero malæ & pessimæ vitii stygmate, connotantur ac inuruntur non tamen hinc arguendum est virtutes & vitia, ab astris infundi cum astra non intelligant nec cognoscant virtutes, virtutis aut vitii conditiones at solum infundunt astra, suos peculiares radios virtutibꝰ seu energiis, & proprietatibus eorum decoratos, qui impacti & conjuncti humano calido innato, actionis humanæ principios iisdem proprietatibus & energiis astralibus & cœlestibus calidum ipsum innatum humanum imbuut, & ad similes & correspondentes a-

Astra intelligant & incitant non cogunt.

astrorum energiis, actiones edendas alliciunt, tentant & inclinant; non coguntqnia anima humana ut vera corporis forma & agendi principiũ cũ sit libera voluntate prædita, nulla astrali virtute cogi potest, hisce enim occultis astrorum illecebris sua innata virtute qua corpori suo imperat resistere potest, & ita astrorũ radiis non subjici animam humanã collectu facillimum est, quamvis sæpe sæpius & nimis hisce occultis astrorum illecebris non resistat, sed obediat mera sua & pura libera voluntate. Hisce rationibus & argumentis clarum est, & admodum manifestum, qua ratione & via, anima humana subjiciatur astrorum radiis & influxibus, & qua virtute & potentia iisdem resistere queat, ut nullatenus iisdẽ subjiciatur; non enim influunt in ipsam animam astra nec influere possunt sed tantum influũt in corpus & in principium & organum agendi suum quod est calidũ innatum & humidum primigeniũ corporis humani quibus solis imprimuntur & infunduntur astrorũ virtutes & proprietates, nunc ad bonũ & ad virtutem, nunc ad malum & vitium inclinantes & quasi tentantes animam humanam, ut hinc si eligat bonum & virtutem brabio virtutis & gloriæ, coronetur: si vero malum & vitium, mali & vitii dedecore, tamquam perenni, & perpetuo stygmate infametur, sic astra & influxus eorum ad gloriam & honorem virtuosos, & generosos, evehũt malos vero, & pessimos homines ad tartara deprimunt: non quod id, ex astris dependeat & scaturiat, sed ex pura animæ humanæ; libera voluntate, quæ nunc his, nunc illis vitiosis aut generosis, astrorum illecebris obsequitur & secundum obsequiũ suum bonum aut malum evehitur aut deprimitur, quod, capite sequẽti dilucidius multo declarabimus animæ humanæ liberam voluntatẽ investigando.

Quaratione anima humana subiiciatur astris

Anima humana unde sit libero arbitrio prædita ac decorata.

CAPVT XII.

Nihil Deo ipso liberius est, fons enim est & scaturigo totius libertatis, quicquid agit liber agit, nullo pacto coactus, & ex sua libera undequaque voluntate, emanant, & exsurgunt actiones, cum autem ex Deo ipso originem traxerit homo, & eius forma anima humana, ut demonstratum est, capitulis præcedentibus, est enim anima humana flatus divinus & spiraculum vitæ, ex ipsa vita æterna increata libera omnino ortum habens, & ad imaginem verbi primi exemplaris creata substantia. Si hinc ergo educta est anima non videmus cur illi denegandum sit liberum arbitrium, uti non cernimus cur illi non concedenda immortalitas, ratio & intellectus, sapiẽtia atque scientia hæc omnia enim sunt supremo, & infinitio gradu in fonte ipso ex quo educta est anima humana; hausit ergo anima humana ex fonte suo ex quo educta est, quidquid liberi arbitrii habet, quicquid

Anima humana libero arbitrio præditaqꝫ & unde hoc habeat.

Anima humana quicquid habet divini in fonte divino habet.

quid scientiæ intellectus & immortalitatis possidet, alioquin suspicari posset incredulus non ex fonte divino eductam fuisse si nihil fontis divini saperet ac redoleret, experientia autem ipsa cernimus animam humanam scire, cognoscere, ratiocinari, intelligere & sapere, inde etiã & liberam esse, & sui omnino iuris debere esse confitendum est, non enim hisce prædictis donis dotatam & exornatam esse confiteri habemus, quin & reliquum fateamur donum quo cœteris animantibus præcellit, & cuius solius gratia, legem habuit, à summo suo creatore rigide observandam ne morte periret, nisi enim sui juris & liberi arbitrii fuisset homo à summo creatore factus, Deus creator non illi imposuisset legem, nec adhuc posteris suis imposuerat mandata rigide observanda; qui enim non sunt sui juris & potestatis, his nõ imponenda sunt mandata, si ea observare nequeant: nequeunt autem cum non sint sui juris & potestatis. Perinde clarum est, & summopere manifestum animam humanam libero arbitrio præditã esse, ex suamet ipsa substantia, quæ ex naturali sua virtute, & innata proprietate, liberos & sui juris educit actus, & perinde non coacte, sed libere omnino astrorum influxibus & planetarum virtutibus subjicitur hoc est astrorum, illecebris libera volũtate parit, quas tamẽ illecebras cœlestes sua etiam libera potestate compescere potest & in contrariam partem vertere potest. Alioquin nihil laudis & gloriæ, vituperii & pœnæ demereri posset, si ex libera potestate non dependerent actus illi qui laudem & gloriam, vituperium & pœnam ex postulant & exigunt. Vnde cum videamus astra necessariò influere in hæc inferiora, & præsertim in hominem & tamen non cogere necessario hominem ad hos influxus insequendos.

Tertulianus in Marcionẽ.

Homo nisi esset liber frustra tentaretur.

Hinc concludere debemus animam humanam liberam esse debere ut influxibus cœlestibus resistere possit, & instigationibus mali genij & incitationes boni genii ad virtutem sequi valeat; non enim ad malũ vel ad bonum incitare possent genij animam humanam nisi ipsa esset libera, voluntate prædita, nec in utrã que ipsa verti posset partem, & perinde frustra tentaretur ad bonũ vel ad malum insequendum nisi esset sui omnino juris. Ex substantia ergo sua, ex flatu nempe divino, libero prorsus ex quo facta est, ut ex actibus liberis quæ inde depromuntur, nullo pacto hæsitare debemus animam humanam liberam omnino esse & suæ potestatis, & perinde luci omnino mundanæ imo Angelicæ & diabolicæ; vi sua propria & volũtate innata libertatis fonte, resistere posse quod omnino divinum est, & supernaturale, in ipsa anima humana, quod capitulis subsequentibus dilucide admodum perquiremus.

Concluditur hominẽ esse sui iuris.

Anima

Anima humana qua energia resistere queat, Angelicis & diabolicis conatibus.

CAPUT XIII.

Anima humana qua viresistat. diabolicis conatibus

ACtus liberæ voluntatis nullatenus cogi possunt aut si cogi possunt, non actus sunt liberæ voluntatis eatenus qua cogi possunt: liberi siquidem actus, eatenus sunt liberi, quatenus cogi nequeunt si cogantur liberi non sunt cum libertatem amittant dum ita coguntur anima perinde humana, nullo pacto cogi potest, nec Angelico vel diabolico conatu, nec ad bonum, nec ad malum insequendum nisi pura sua & libera voluntate, feratur, ad id ipsum ad quod incitatur Angelica vel diabolica suadela, & persuasione. Persuadere quidem possunt Angeli animam humanam ad bonum virtutemque insequendam, Cacodæmones verò eandem ipsam animam tentare possunt variis suasionibus & illecebris, ipsam verò cogere, nullatenus possunt, cum sit essentia sua libera, à Deo creata, ita ut nullo pacto à super cœlesti potentia ad actus eliciendos & producendos cogi possit, destrueretur siquidem eius essentia libera si cogi posset, quod supercœlesti potentiæ est imposssibile, implicat enim contradictionem esse liberum, & non liberum; resistit ergo anima humana Angelicis & diabolicis conatibus omnibus, mera sua potentia, & facultate libera, qua prædita est, à summo suo creatore, qui eam liberam libere creavit, ita ut Deus ipse, absque destructione essentiæ animæ humanæ, eam ipsam cogere nequeat, ad act9 suos edendos. Vnde illud Augustini qui fecit te sine te, sine te, te ipsũ Salvare non potest, ut liberi arbitrii potestatem & facultatem in homine demonstrare queat, tantæ esse energiæ, ut Deo ipsi resistere possit nihilominus tamen gratia divina efficaci, ut loquuntur Theologi, ita liquescit cor hominis & eius voluntas libera, ut omnino sequatur voluntatem Dei, nihilominus potentia resistendi, hoc est actus & potentia libere agendi, non destruitur at integra manet, qua mereri valeat si bonum & virtutem sequatur & torqueri etiam ipsa queat si malum quod pœnas exigit, sectetur. Perinde non culpanda sunt astra & influxus cœlestes, nec dęmones si vitiis contaminetur anima humana non enim hæc ex astris & dæmonibus; seu malis geniis in animam humanam necessario defluunt ita ut hinc male & vitiose agere debeat anima humana at ut continuo prælium agat, in vitium & malum ipsumque vincat, & superet, & victoria parta triumphet. Ad hoc solum creata est anima humana, ut in corporis sui ergastulo, conclusa, semper & continuo, dies & noctes prælietur, vita enim sua nihil aliud esse debet quã perpetua militia super terram at cũ nobilis admodum sit & nobilissima

Quid possint Angeli & dæmones in animam humanam.

Libertas anima humana cogi non potest

Voluntas humana gratia divina liquescit non tamen cogitur ad obediendum gratiæ divinæ.

Anima est creata ad prælium.

Vita humana nihil nisi perpetua militia super terram

creatura

creaturarum infimarum vincere habet, vt coronetur turpe enim est illi ac summum dedecus, vinci & superari, cum in se habeat vincendi, ac superandi sufficientem energiam. Vndequaque enim stipata est & munimentis fortissimis præmunita, vt cœlestium omnium viribus resistere possit vt inferius fiet manifestum & clarum.

Anima humana cur habeat cœlestes influxus infaustos et sibi contrarios.

CAPVT XIV.

Animæ humanæ nihil est infaustum & quare.

ANIMAE humanæ nihil infaustum, & contrarium esse potest cũ in ipsã naturale nihil agere possit cœlum enim & astrum cum sint diversi generis in ipsam animam agere nequeunt; contraria enim vt inter se agant sub eodem genere esse oportet, aqua enim & sulphur inter se agunt, quod sub eodem genere elementi collocentur: anima autem humana, & cœlum & astrũ quodvis non sub eodẽ genere sũt & perinde infausti & cõtrarii inter se habere possunt, superest ergo vt aliquid sit in corpore quod actuat, cuius ope & ministerio, anima humana persentire possit cœlestes illos sibi infaustos & contrarios influxus & radios, qui illi proprie & stricte loquendo, non sunt contrarij, cum non sub eodem genere collocentur anima siquidem humana non est lux cœlestis, sed est lux divina & supercœlestis vt probatum est sufficienter superius & perinde non sub eodem genere lucis collocentur anima humana & radii cœlestes & perinde etiã radii cœlestes nihil contrarii & infausti in ipsam animam humanam infũdere possunt, at in corpus humanum infundunt quidem aliquid infausti cũ in corpore humano reperiatur lux cœlestis corpus movens & agitans & suscitans ad actiones suas peragendas, hæc est enim lux cœlestis permixta corpori & vera permixtione illi vnita, nec tamen est forma corporis humani vera & vltima; non enim habet aliam formam corpus humanum prę ter animam rationalem & intellectualem: at solum est hæc lux cœlestis instrumentum actionis animæ humanæ, quò vtitur anima humana, vt corpus suum compellat ad agendum illud autem, instrumentum cum sit lux cœlestis, præcipuaque eius pars tota ex cœlo dependeat facili negotio suscipit impressiones cœlestes & si aliquid sit mali vel boni influxus dum corpus humanum producitur illud quidem corpori humano, tunc temporis imprimitur & vnitur, parti potissimum lucidæ, & cœlesti, quæ ipsũ corpus suscitare habet ad actiones & in posterum deinde, toto ævi tempore, dum corpus persistit cœleste illud quod impactum est suscitatur ad actiones similes edendas cœlestibus radiis, qui primo productionis tempore in corpus humanum descenderunt vt illi vnirentur & permiscerentur, vera permixtione & calidum innatum corporis humani constituerent. Sic calidum innatum verum & vnicũ animæ humanæ instrumentũ

Corpus humanum non habet aliam formam præter animam humanam.

Quid suscipiat in corpore humano cœlestes influxus.

Calidum innatum susci.

Calidum innatum suscepit influxus tanquã corporis humani organum.

mentum suscipit impressiones cœlestes, & influxus bonos vel malos, & si quid est fausti vel infausti ex astrorum radiis tunc imprimitur calido innato, vnde calidum innatum corporis humani imbuitur & inficitur vt ita loquar influxibus astrorum vnde deinde titillatur ad actiones similes astrorum impressionibus peragẽdas, et anima humana suscitatur instrumento suo, ad similia peragenda. Quod si instrumentum suum seu calidum innatum corporis imbuatur hisce impressionibus cœlestibus fieri non potest, quin anima humana titilletur et suscitetur ad hoc agendum, quod ab astris impressum est et infusum calido, innato suo, actionis suæ, instrumento, non tamen inde necessarium est, vt anima humana cogatur ad ita agendũ et sic clarum habemus et manifestum quà ratione cœlum et astra, habeant aliquid fausti vel infausti quod quidem anima humana sæpe sæpius sequitur, quod instrumenti et organi suam actionẽ inclinationẽ et propensionem sæpissimè obsecundet et hinc ortos esse bonos et malos genios, naturæ humanæ facili negotio credere possumus. Quod capite sequenti disquiremus.

An anima humana habeat bonum et malum genium. Quo suscitetur ad bonum vel malum insequendum.

CAPVT XV.

Sanctorum patrum quamplurimi nobis affirmant vnicuiq; homini datum esse geninm bonum et malum vt, bono suscitante genio virtutem sequatur homo, aut saltem suscitetur ad ea persequendam, malo autem instigante genio, ad vitia insequenda titilletur. Genium autem bonum homini datum in ipso instanti productionis ipsius hominis seu infusionis et creationis animæ humanæ, in corpus suum affirmant, eamque esse credunt ex vltima spirituum supercœlestium hierarchia Ephionia dicta ex choro Angelorum: malum autem genium eodem tempore homini datum ex eadem tertia hierarchia ex choro cacodæmonum esse opinantur. Hi genii inter se prælio continuo ac bello, dimicantur, vt hominem in consensum suum trahant suæ voluntatis, ita vt homo continuis agitetur motibus, internis ad bonum vel malum insequendum: quodquidem tanquam verissimum persentiunt animæ humanæ, quæ quidem etsi sunt nobilissimæ creaturæ, scientiæ cognitionis et intellectus ac libertatis plenæ, nihilominus ad malum potius pronę et inclinatæ videntur et ad vitia omnia insequẽda quã ad virtutẽ quod suadelæ mali genii gratiores et jucundiores ratione corporis humani, illi videantur via autem virtutis asperior multo labore et sudore parandam ex sententia ignavorũ, quod illis via virtutis aspera et dura videatur; vitii autem iter planum et molle quod tamen non ita est, imo contra, via virtutis plana et mollis, et vitii iter montuosum durum et asperum anxietate et langore

Homo ad malum potius inclinatur quam ad bonum & cur de id fit.

plenum

plenum id autẽ ex inclinatione et propensione animæ humanæ ortum habet, si enim inclinetur ad vitium vitij iter planum omnino et molle, virtutis autem iter difficile, si vero ad virtutem tendat, et inclinetur virtutis iter gratum admodó et facile illi videbitur, vitii autem è contra asperum et durum.

Propensionem & inclinationem ad bonum ad malum vnde proveniant.

Hę autem propensiones et inclinationes animæ humanæ ad virtutem vel ad vitium insequendum accendũtur sæpissime boni vel mali genii instigatione, vnde etiam accendimur et inflamamur, ad virtutem vel ad vitium suadela boni vel mali genii nostri, non tamẽ semper et perpetuo, hisce externis suadelis ferimur ad bonum vel ad malũ sed internis nostris inclinationibus et propensionibus quæ ex astris et luce mundana ortum habent quibus tamen dominari possumus virtute et proprietate innata animæ nostræ, at vt excusationem nõ habeamus vllam si virtutem non sequamur nec ex parte mali genii, nec ex parte infausti astri et constellationis malignæ, quæ calidum innatum nostrum inficit sua maligna qualitate, quod quidem calidum innatum ita male affectum titillat animam humanam ad ita depravate agendum vnde actiones animæ humanæ possunt etiam depravari et contaminari vitio organi sui, nisi virtute et magnanimitate animæ humanæ, corrigantur, et cogatur ipsum instrumentum ad depravatum illud agendi cacoete deponendum: hinc ex prava illa propensione ad malum & inclinatione ad bonum, bonos & malos genios ortum habuisse crediderunt nonnulli Philosophorum & secundum eorum sententiam ex astris ipsis investigari posse, eorum naturam & essentiam, quod calidi innati propensiones & inclinationes ad agendum ex astris ipsis auspicari valeamus. Influunt siquidem astra, calido innato, suas virtutes & energias, ipsumque disponunt ad depravatas vel optimas agendi propensiones & hoc est habere genium bonũ vel malum ad virtutem vel ad vitium insequendum: non tamen negamus sententias sanctorum patrum, quibus asseritur hominibus singulis datos esse Angelos ad eorum custodiam, quibus suadentibus feruntur homines ad virtutem non coacte sed libere, vt vice versa etiam singulis hominibus malum Angelum esse datum vt eo instigante ad vitium flecti possint non vt flectantur absolute at vt resistant ejus tentationibus & victoria hinc reportata, coronentur, singuli enim homines milites Dei & Christi sunt, & milites Dei esse nequeũt quin militent nec militare, quin hostes habeant quos vincere habent aut coronari non merentur, quo circa dati nobis sunt hi hostes & inimici non ad destructionem nostram, sed ad gloriam & coronam modo ipsos hostes & inimicos vincamus & superemus victoria autẽ ipsorum hostiũ penes nos est; stipati enim fortissime sumus

Astra disponunt calidũ innatum ad bene vel male agendum.

Dati sunt hostes hominũ vt homo vincat & non vincatur.

adversus omnes inimicos nostros, ideo non pertimescendi nobis sunt, nec vllo pacto cedēdum nobis est, sed contra fortiter nitendum vndiquaque enim expletam & perfectam habemus formam virtutis & victoriæ palmam, vt belli hujus superstites esse valeamus quod capite sequenti fiet clarius.

An anima humana vi naturali sua virtutem sequi queat, et vitium pariter reprimere possit.

CAPUT XVI.

Lucis est vincere & superare.

CVm lucis cœlestis, & mundanæ omnia vincere ac superare quæ illi inferiora supponuntur, vt experientia ipsa videmus cœlum & astra omnia, inferioribus elementis & elementatis omnibus dominari, hinc clarum & manifestum habemus animam humanam sua virtute innata, & proprietate vitiis omnibus dominari posse, cum ipsa sit lux divina & supernaturalis cum lux ipsa cœlestis & mundana, illi subalternetur, vt ita loquar & subjciatur. Itaque si lux cœlestis inferioribus omnibus dominetur jure potiori & fortiori, lux divina & supercœlestis qualis est anima humana inferioribus omnibus dominabitur vitia autem omnia qualiacunque sint inferiora sunt & abyssi inferioris sequuntur essentiam & naturam cum mali redoleant indolem vt enim bonum & malum opponuntur essentia & natura, sic & loco ac sede dissident ita vt si bonum sit superius vt vere est cum Dei ipsius sapiat naturam: malum inferius cum & satanæ diaboli sapiat naturam & indolem. Satan autem & diabolus, & quicquid Deo adversatur, in infimo loco collocatur, non ergo diffidendum est quin anima humana vitia cuncta & mala omnia naturali sua virtute & proprietate superare possit, cum & ipsa sit supernaturalis & divinæ lucis origo, cui omni infima subijciuntur; non cœli infaustos, & perversos radios non planetarum omnium malevolos influxus non mali genij malignas instigationes pertimescendas habet, hæc omnia illi infima sunt, & illi subjiciuntur dedecori illi summo est, ab infimo vinci & superari cum & suprema omnia vt vincat sint illi auxilio, Deus ipse potissimum cui omnia cedunt cœlestia terrestria & inferna, illi assidue & cõtinuo succurrit, bonus præterea genius, qui illi fidelis Achates habetur, virtutem inspirando robur supercœleste impertit, boni autem & fausti cœlorum omnium influxus & radii, non ipsam animam destituunt sed ipsam vndiquaque ambiunt & calidum innatum corporis humani, & humidum primigenium actionum suarum, organum & instrumentum, omni ex parte fortunant vt ad actiones virtutis propellatur hisce omnibus stipata anima humana, tum divinis tum naturalibus auxiliis cum innata sua virtute, nonne illi dedecori habetur,

Anima sua cum sit lux supernaturalis vincere habet.

Anima humana dedecori est si vincatur à vitiis & quare

tur ab infimo illa ipsa debiliori, vinci ac superari posse.

Concluditur animam humanam virtutem sequi posse ex virtute sua innata.

Non ergo ambigendum vllo pacto est, animam humanam innata sua virtute & proprietate, virtutem ipsam sequi posse, & malum pariter omne, & vitium reprimere cum sit divinæ prorsus originis cui virtus & bonum innatum est, malum autem & vitium innaturale & contra ipsius naturam naturale autem sequi facillimum est, & innaturale facilis est victoriæ.

An ratio intellectus voluntas & passiones animæ inter se differant.

CAPVT XVII.

Simplex homogeneum & nihil habet à sua simplicitate distinctum.

Simplex & omnino homogeneum nihil habet in seipso distinctum & separatum alioquin nó esset simplex & homogeneum si haberet aliquid quod non esset suæ naturæ & essentiæ, sciunt autem & fatentur omnes Philosophi & Medici fide Christiana illuminati animam humanam simplicem esse substantiam spiritualem & divinum, nihil ergo heterogenei habere fatendum est cum ea sit simplex substantia spiritualis & supernaturalis. Authoritates patrũ hoc confirmant & stabiliunt quod etiam ratione subfulciri potest. Anima siquidem est lucis Dei & ad imaginem verbi primi exemplaris creata substantia: lumen autem Dei est quid simplex imo quid simplicissimum & verbum, primum rerum omnium exemplar est filius Dei æque simplex, ac simplicissimus ac ipse Deus, si ergo anima sit ad imaginem & similitudinem verbi creata substantia erit omnino simplex, aut ad similitudinem Dei & ad imaginem verbi primi exemplaris non erit creata substantia. Quod tamen nobis est credendum fide Christiana & Catholica. Ratum ergo sit & ratione, & authoritate & fide ipsa Christiana confirmatum animam humanam simplicem esse substantiã eamque spiritualem & supernaturalis ordinis: hinc sequitur, intellectum, rationem, liberam voluntatem, sapientiam, prudentiam, amorem iram & odium & reliqua omnia, quæ ab ipsa substantia simplici animæ humanæ effluere solent, nosse quid distinctum, & separatum ab ipsa anima humana, at in ipsa anima esse substantiam ipsam ipsius animæ humanæ exterius tamen postquam ab ipsa anima effluxa sunt distingui & separari, interius vero vnam & eandem simplicem substantiam constituere, vt apparet in aliis simplicibus substantiis spiritualibus, in dæmonibus Angelis & in Deo ipso, quod enim in Deo est, Deus est, iustitia misericordia sapientia scientia, cognitio bonitas & reliqua omnia Dei attributa, sunt in Deo ipso, Deus externus autem à nobis ipsis distinguitur, externa autem hæc distinctio principium formale & essentiale distinctum & separatum in Deo ipso nullo pacto constituit: sic & in Angelis cognitio scientia, amor, odium

Anima humana simplex est substantia.

Intellectus ratio voluntas amor odium scientia prudentia non distinguntur in anima humana.

Hinc nullo pacto ambiguum est corpus humanum nec ex se ipso nec ex temperamento suo, aliquid perfectionis animæ suæ condonare.

Vndenam fit quod corpus videatur perficere actiones suas.

Quod si videamus & experiamur corpus humanum fortius & potentius agere, & perfectiones animæ suæ efficacius exequi & perficere, si organis optimis & temperaméto, dotetur, quam si depravatis instrumentis vtatur, & temperamentis afficiatur, intemperatis, inde arguere non possumus animam humanam agendi perfectionem suam à corpore bene dispositio recipere, sed potentius & fortius agere in corpore bene dispositio, quam in depravate organizato: organa enim & instrumenta agendi non perficiunt potentiam & facultatem agendi sed ipsam actionem sua perfecta dispositione efficiunt: nam quantum est perfecta facultas agendi & potétia in suo fonte & principio, tantum ad actum perfectum reduci potest facultas illa agédi, instrumento & organo.

Qua ratione actiones animæ humanæ recte vel malè fiant in corpore humano

Potentiæ siquidem & facultates animæ, in actum perfectum vel imperfectum reducuntur, ab organis perfectis vel imperfectis at in suo fonte &, principio perfectissimæ sunt nec perfectionem gradum obtinere possunt ab organis. Hinc clarum & manifestum habemus, subtilitatem intelligendi & ratiocinandi acumen in anima humana, dependere ab ipsius animæ humanæ substantia divina, & immortali, non à temperamento & organo corporis humani quamvis actus illi ratiocinandi & intelligendi potentior, & fortior dependeat, ab ipso animæ humanæ organo, bene dispositio, quod sua optima laudata dispositione actus illos raciocinandi & intelligendi perfectiones, ostendit quam depravata sua dispositione, & sic interpretandi sunt omnes Medici, ac Philosophi qui asserunt animæ humanæ actiones perfici ac depravari, ab ipsa perfectione & depravatione, organorū corporis humani alioquin corpus humanum perficeret animam humanam, quod est absurdissimum cogitatu: forma siquidem non perficitur à corpore suo, imo contra corpus perficitur à forma sua.

Corpus humanum perficit animum humanam imo contra.

Concludamus ergo subtilitatem intelligendi, & raciocinandi acumen ab ipsa sola anima dependere, & nihil esse in corpore humano, à quo ipse intellectus & ratio ipsa dependeant, sunt enim qualitates essentiales ipsius animæ humanæ quæ à nullo alio dependent quam ab ipsa anima humana quæ quidem subtilior & acutior vna quam alia est, ex principio sui ortus quod capite sequenti fiet manifestum & clarum.

An animæ humanæ sint inter se perfectione æquales.

CAPVT XIX.

VT corpora humana inter se differūt nobilitate & prꝙstātia sic animæ humanę, Inter se differant necesse est inter

est inter corpus enim & animam humanam est maxima sympathia atque consensus adeo vt sæpe sępius perfectum corpus humanum perfectam includat animam: Author enim rerum omnium qui peculiari studio hominem curat, dum corpus humanum perfectum cernit,& naturali fato & lege, per quam optime coagulatum, & compactum conspicit, secundum illam naturalem perfectionem materialem animam illi creando infundendo creat, ita vt corpus animatum perfectissimum & omni ex parte absolutum hinc exsurgat non quod inde perfectio animæ humanæ & nobilitasac præstantia dependeat ex præstantia & nobilitate corporis humani, quia à corpore nullo pacto dependet, sed tantum id omne quod habet, habet ex Deo creatore suo qui cum liber omnino creat animas humanas & secundum velle suum communicat illis & tribuit lucis perfectionis gradus secundum quos inter se differunt indiuidualiter, non enim sunt omnes perfectiõe & nobilitate æquales sed multo differunt vt ipsamet experientia satis constat, & comprobatum habemus omnes, videmus enim & conspicimus omnes homines inter se multum differre, non solum ex natiuitate sed etiam ex educatione quod quidẽ ex se satis indicat animas humanas inter se nobilitate & præstantia differre, cum ad virtutem & nobilitatẽ atque præstantiam facilius ferantur, aliæ aliis, nonnullæ siquidem natiuitate ipsa nulla fere arte sed ipsamet natura, ad virtutem & præclaros virtutis actus deferuntur: aliæ autem nec ex natura nec ex arte ad virtutem incitari possunt, sed ad vitium pronæ jacent, quod quidem negari non potest cum quotidiana experientia fiat manifestum. Vnde differentiam quam maximam conspicimus; inter animas humanas, quod quidem non esset, si omnes essent inter se nobilitate æquales, creãtur quidem omnes sufficienti perfectionis gradu, vt corpus humanum nobilitent & lucis radio, sufficienti dotantur vt verum & rectum sequendum intelligant vitiumque fugiendum esse sciant, vt inde perficiantur, & gratæ sunt suo creatori, non tamen omnes æquali lucis radio indiuiduali essentiali constituuntur, id autem ex voluntate creatoris libera dependet, cujus rationẽ quærere velle, stulti potius est, quam Philosophi. Voluntas siquidem diuina, Philosophis omnibus ratio suprema esse meretur cum voluntas & ratio in Deo vnum & idem sint, & simul conuertantur.

Anima humana quicquid habet perfectionis habet ex creatore suo.

Anima humana inter se nobilitate differunt.

Ratum ergo sit animas humanas differentes multo inter se esse, non solum qualitatibus & donis sed etiam ex ipsa substantia indiuiduali, quæ ita à summo creatore, velle suo libero creata est, & in corpus humanum infusa, vt in eo bene regendo, & gubernando, consequi ac demereri valeat, laudis & gloriæ æternæ brabiũ: autẽ contra si male & vitiose corpus suum regat vitii supplicium & tormẽtum æternum patiatur.

Hæc

Concluditur animas humanas nobilitate inter se distinctas esse cum & substantia individuali inter se differãt

Hæc autem differentia animarum singulorum hominum satis ex se ipsa patet, & justum & æquum est animas hominum singulorum inter se differre, cum & reliquorum naturalium mixtorum, formæ inter se differant quamvis ab vnico fonte nempe à luce cœlesti dependeant omnes quæ ra dicitus materiæ primæ inhæret, vnde formę omnes naturales mixtorum naturalium habent originem, quod si in mixtis omnibus naturalibus hæc differentia constituatur, & hæc dependeat ab ipsa forma, necesse est formas ipsas inter se differre cum ipsamet differentia, ab ipsa forma dependeat, quidni & in singulis hominibus eamdem differentiam constituemus, & perinde animas omnes humanas nobilitate & præstantia singulari inter se differre cum & forma individuali inter se differant, quæ potissimum constituit sua individuali substantia hanc differentiam & vt Angeli inter se differunt individualiter sic & anima humana inter se differre necesse est.

Anima humana vndenam amet & odiat res varias.

CAPVT. XX.

ANima humana cum sit lux divina & supernaturalis propter ipsũ solũ hominem à summo rerum creatore creata, & cum luci omni debeatur cognitio & præcipue huic luci divinæ ac supernaturali propter illum supernaturalem ordinem debetur in quam illi non solum cognitio rerum communis & trivialis at supernaturalis & divina, quæ quidem cognitio supernaturalis & divina, in hominibus vocatur ratio & intellectus: ex hac cognitione supernaturali hominibus omnibus innata, & peculiaris dependet amor & odium humanum nequeunt. Enim homines amore vel odio aliquid persequi nisi cognoscant illud quod amant vel odiunt amore vel odio esse dignum, & quo major est illa cognitio amoris vel odii, eo major & ferventior est amor & odium acerbius & crudelius. Vnde homines omnes qui acuto sunt ingeňio præditi & intellectu, & exquisita ratione illuminati magis amant & odiunt quam qui communi & triviali vel omnino sunt intellectu, putant tamen omnes & facillime credunt se summopere amare vel odio habere, quod amant vel odiunt & omnes alios se vincere, amore vel odio quod quidem verissimum est, quia amant vel odiunt in quantum cognoscunt & cum putent & existiment se perfectissime cognoscere illud quod amant vel odiunt inde putant se perfectissime amare vel odio habere, quod amant vel odiunt. Quod contingit potissimum omnibus, fœminis & mulierculis, hæc autem in parte se ipsos fallunt cum perfectissime credant se cognoscere amoris vel odii causas; cũ hæ causæ majoris sint & notiores ex

Vndenam ament vel odiant homines.

majori & notiori cognitione & intellectu, qui quidem in omnibus hominibus & singulis non est æqualis necdum pariter æquale, cum notiones amoris & odii non sint in singulis hominibus aquales, vt satis ex ipsa experientia claret & perinde, amor in omnibus non est æqualis nec odiū æquale, cum cognitio amoris & odii nō sit æqualis etsi omnes se existimēt perfectissime cognoscere illud ipsum quod amant vel odiunt: non est absoluta & perfectissima rerum in terris notio & perinde non potest earundem rerum esse in terris amor & o-odium perfectissimum & absolutum.

Vndenam amor & odiū non sunt æqualia.

Amor & odium nō potest esse perfectus & absolutus.

Bonum solum amatur & malum oditur.

Res omnes quæ aliquid boni & perfectionis ipsius bonitatis in se participant si tales cognoscantur, eliciunt ex cognoscente secundum gradum cognitionis ipsius bonitatis actū amoris, qui quidem actum maior vel minor est, ex gradu majori vel minori ipsius bonitatis qui cognitioni nostræ & intellectui obiicitur, solum enim bonum amatur, & malum oditur, & secundum gradus nationis boni ipsius & mali, exoritur amor & odium: malum quidem non potest amari, sub specie mali, quia malum sub specie mali, tendit ad destructionem boni, & illi inimicum est, & contrarium vnde bonum odit malum, tanquam inimicum suum, & malum item odit bonum tamquam inimicum & vltorem, sic nihil amare potest, destructiorem sui ipsius, sed solum conservatorem, & protectorem: bonum inde solum amari potest cum ex solo bono, conservatio & protectio vita, ac beata, exoriri queat, ex malo autem destructionem & infortunium certum & appertum scaturiri sciamus.

Hinc concludere animam humanam ex cognitione boni & mali quā elicere potest, ex variis rebus, quas bonas vel malas existimat, elicere posse actum amoris vel odii, secundum notionem quam habere potest circa ipsas res quas bonas vel malas dijudicat.

Anima humana cur modo amet modo odiat rem vnam & eandem rem.

CAPVT XXI.

Anima humana cum sit tenebris humani corporis immersa absoluta frui non potest cognitione boni vel mali, cū tenebræ corporis quibus involvitur, impediant illam perfectā & absolutam notionem, vnde cū confuse & tenebrose, cognoscat, modo bonū modo malum, sæpe sæpius malum pro bono accipit, inde amat malū sub specie boni, quod malum cognoscere perfectissime nequeat & quamdiu malum, bonum dijudicat, tamdiu malum amat, vt cum tenebræ suæ pedetentim experientia & lumine sui intellectus, dissipentur, malum tunc temporis quod illi antea per suam obscuram cognitionē bonū videbatur, malum jam est, & tunc temporis amor illius mali sub specie boni

Anima humana modo amat modo odit.

Anima humana inter mutat sententias suas & opiniones.

boni mutatur in odium & odit homo modò odit, vnā & eamdē rē, ex cognitione sua vnius & ejusdem rei, varia ac diversa, quam habere potest, ex parte, tum ipsius rei cognitæ, quæ mutari potest, tum ex ipsamet cognitione, quæ mutari etiam potest, cum perfecta nō sit & absoluta ex tenebris quibus involvitur, quibus omnino occœcatur, anima humana ita vt lumine suo innato, & supernaturali frui nequeat, ad res perfectissime dignoscendas, hinc facile mutat sententiā & opinionem suam quam concipit de rebus sibi objectis vt eas discernat, ita vt ex mutatione suæ sententiæ, modo res bonas existimat, easdem autem modo malas concipit, & ex diverso illo conceptu, modo amor, & odiū modo odium exoriri solet cum amor ex cognitione boni & mali ortum habeat.

Amor ex cognitione boni odium autem ex cognitione mali.

Hinc nullo pacto dubitandum censemus animam humanā modo amore, modo odio, rem vnam & candem persequi posse, ex cognitione varia, ejusdem rei, quam modo in bonam modo in malam partem convertere potest, cum vna & eadem res, modo bona modo mala, videri queat, & cognitio item modo falsa, modo vera esse possit: hinc mutari potest amor & odium rerum omnium cum earundem rerum cognitio mutari possit, ex labili & infirma cognitione humana, quę in hoc mundo firma constans & certa esse nequit.



Anima humana cur in ignotos feratur amore et sæpe odio.

CAPVT. XXII.

Anima humana cur in ignotos cæco feratur amore.

SÆpe sæpius anima humana nulla cognitione prævia, nec mala nec bona, ignotos homines & ignota quędā naturalia amore cæco, & aliquā do odio persequitur nulla vbi adest cognitio, nec ratione boni nec ratione mali, & perinde ex principiis nostris nullus amor, nullumque odium hinc exurgere debet, quod tamen quotidie experimur falsum. Sūt enim in fluvio, aut in mari, vel aliquo alio expositi periculo, tres aut quatuor homines vitę sua periclitantes & novus adveniat homo omnino ignotus, his qui periclitantur, ita vt etiam ipse non noscat periclitantes, fertur tamen ipse cæco quodam amoris vinculo in aliquem illorum periclitantiū & omni vitæ suæ conamine, imo cū periculo ipsiusmet vitæ, tentat aliquē particularem sibi ignotum ex periclitantibus ex periculo evellere neglectus aliis, cæcus iste amor & obscuræ & occultæ benefaciēdi illecebræ, depēdēt & scaturiūt ex simili & fere, eo dem naturæ temperamento, quod reperitur inter ignotū amantē & ignotum periclitantem. Similitudo siquidē tēperamēti aut humidi primigenii & calidi innati, parit, & producit occultos illos & cœcos affectus, similitudo autē calidi innati, dependet ex cōcursu simili astrorum quæ in nos ipsos infundunt pares aut similes lucis

Cœcus & ignotus amor unde sit.

Sympathia vnde sit.

cœlestis radios, & influxus ex quibus exsurgit par aut simile calidum innatum & humidum primigenium ex quo ortum habet cœcus & occultus amor, quo sæpe sæpius in ignotos ferimur, simpathia enim rerum potentissima est ad affectus miros eliciendos: lux siquidem cœlestis similis & eadem ex qua sola hæc dependent tendit ad vnitatem & concordiam rerum suarum quas influxu suo & radiis produxit non potest autem res ipsas concordes & fortiori nexu inter se, ligare quam ipsius amoris vinculo.

Lux cœlestis sympathia. anima.

Idem ipsum de odio cæco & occulto prædicare ac penitus dissidentia astra, quorum radiis & influxibus discordia rerum & antipathia, ortum habet, ex quibus odium cæcum, & occultum quo sæpe sæpius ferimur in ignotos scaturiri habet.

Antipathia & discordia vnde sit.

Vnde hinc facillimum est concludere, animam humanam ferri amore cæco vel odi , in ignotos quosdam homines, & in ignota quædam alia naturalia, solo corporis sui calido innato & humido primigenio simili aut dissimili, quod ex astris similibus aut dissimilibus ortum habet quæ luce sua vt ratio cœlesti, simpathiam vel antipathiam concordiam vel discordiam, amorem & odium pariunt secundum similes vel dissimiles radiorum suorum influxus non tamen cogunt hi influxus animam humanã: ad hos actus amoris vel odii eliciendos sed libere tentant & inclinant ad ipsos actus amoris vel odii, vt probatum est superius cap. 10. & 11. hujusce libri.

Concluditur animam humanam frui in ignotos odio & amore ex simi'itudine calidi innati.

An anima humana lumine suo innato et proprio aliquid habeat scientiæ.

CAPVT XXIII.

IMpossibile est quin anima humana sapiat aliquid fontis divini ex quo traxit originem: credimus autem animam humanam ex Deo per creationẽ scaturiginem habere, ex quo habet immortalitatẽ & lucem inextinguibilem vitalem, ex luce autem hac vitali æterna & immortali, propria exsurgere solet sapientia prudentia & scientia, lucis siquidem ejusmodi est sapere & cognoscere, si enim tali luci non deberetur innata & naturalis rerum cognitio & scientia nec Angelis & spiritibus supernaturalibus deberetur naturalis & innata rerum notio & scientia nemo autem ambigit quin spiritus supernaturales sint natura sua & sponte docti, & prudentes. Nemo etiam ambigere debet animas humanas sponte sua & natura sua esse doctas, prudentes & sapientes. Sicut enim ex luce supernaturali cui proprie & naturaliter debetur scientia prudẽtia & sapientia. Proprietates hæ quæ sunt luci supernaturali essentiales & & vere naturales tolli & substrahi nequeunt ex luce illa, quin semper lu-

Anima humana redolet aliquid divini fontis ex quo educta est.

Angeli & dæmones sunt sponte & natura sua docti & prudentes.

Propietates lucis supernaturalis quæ sint.

Angeli quid sint. ceant in omnibus in quibus reperitur illa lux: in Angelis & cacodæmonibus elucent & enitent hæ proprietates cum ipsimet omnes ex tali luce, supernaturali sint creati, ipsa enim lux supernaturalis divina & æterna, vere est toto Angelorum substantia & essentia ita vt Angeli non sint aliud, quam ipsa lux simplex æterna & super naturalis. vnde actus sunt simplices prudentia sapientia & vera scientia illustrati, ex natura sua, & luce illa simplici, qua sunt creati, humanæ autem animæ sunt ex eadem luce æterna & immortali, creatæ. Perinde non possumus ambigere eas ipsas animas humanas iisdem & fere similibus illustrati donis ac proprietatibus quibus dotantur Angeli & decorantur, cum & divinus vates & Propheta vos hoc doceat & confirmet, cum hominem asserat, minutum esse & disparem paulominus ab Angelis, ratione corporis sui & materiæ elementaris cui immergitur anima humana, ex qua materia liberatur prorsus Angelus non autem ratione animæ quæ ibidem simplex est substanstia lux vera simplex & immortalis & æterna, & perinde hisdem condecorari debet donis & qualitatibus ac ipse Angelus cum sunt ambo ex eadẽ luce creatæ substantiæ, cui ex natura sua debetur scientia & prudentia.

Anima humana iisdem debet dotari donis ac Angelus.


Experientia quotidiana id clarum & manifestum habemus in hominibus rudi & agresti progeniis exortis qui nulla Logica artificiali nec Physica nec Metaphysica, nec vlla juris doctrina delibuti nihilominus probant & argumentantur res suas ac essent veri Logici, ac de rebus Physicis ac metaphysicis & de jure suo peculiari & alieno, ita loquuntur ac disserunt lumine suo naturali & proprio ex ratione educto vt vincant & superent quosdam logices & Physices ac Metaphysices & juris ipsius initiatos, quod fieri non posset, nisi illud lumen quo rerum causa cognoscunt illis esset innatum & naturale.

Rustici judicant seipsos esse prudentes & sapientes & doctos.

Concluditur animam humanam rationaliter esse doctā & prudentem.

Sic ergo ratum et statutum inter Physicos melioris notæ, animas humanas omnes, lumine naturali esse delibutas, quo naturaliter scire, ac cognoscere possunt res omnes, nulla prævia doctrina aliena & externa, quam suo peculiari & interno, rationis suæ lumine, quod quidem lumẽ naturale ita accendi potest, arte & industria dilutis tenebris quibus involvitur, ita vt nihil in rerum natura scibile reperiatur, quin lumen humanum cognoscere queat quod quidem capite sequenti disquirendum erit.

Concluditur animam humanam rationaliter esse doctam & prudentem.



An ratio & lumen animæ humanæ arte et industria magis accēdi queat, ita vt majus esse videatur.

CAPVT XXIV.

Scientia & sapientia in hominem vnde suscipiat magis & minus.

RAtio ipsa & lumen ipsum supernaturale essentiale & formale quod est in anima humana nullo pacto majus ac dilucidius fieri potest: essentia enim ipsa, & substantia non suscipit majus & minus in substantia, sua hic enim est crassæ & stupidæ mentis cogitatus vt in proprietate & virtute sua, suscipere quidem potest magis & minus ita vt proprietas & virtus sua, major & minor esse videatur, & vere sit, hanc proprietatem & virtutem cognoscendi & sciendi nominū inopia, & defectu nomine & titulo rationis & luminis insig nimus & perinde lectores admonitos velim, vt quæstionem & ejuidem difficultatem audiant.

Ratio ergo seu lumē ipsū animæ humanæ vt est ejus proprietas & virtus, nō vt ejus substātia & essētia formalis, potest intrinsecus intēdi, adeo vt major in dies videatur esse & vere sit: quo enim magis anima ipsa lucidiori & puriori, concluditur corporis ergastulo, eo magis ac magis proprietates suæ, & virtutes elucescunt & nitent cum enim ipsamet lux sit vera, & veracissima, nullo pacto ambigendū est, quin radios lucis nitidiores & majores effundat, in subjecto & corpore puro, & claro, quam in obscuro & opaco: lucis modo enim omnis hoc proprium est, & innatū, lucere & nitere magis in puro & nitido subjecto, quā in crasso, & opaco, quod radios suos obtundit & ne emittant lucem suam & splēdorem impedit: corpora autem humana purāt vna esse aliis lucidiora & puriora, ex materiæ, enim puritate, & candore, quo inter se facile excellūt: est enim materia corporis humani vna purior & cādidior altera imo spiritus naturales vitales & animales qui sunt præcipua pars, materialis corporis humani, quibus solis vtitur anima humana, ad agendum, & in quibus solis spiritibus elucet & nitet radius & lumen, animæ humanæ hi in quam spiritus puritate & nitore inter se, certant sunt enim puriores & nitidiores in vno corpore quam in alio. Vnde etiam ratio & lumen animæ humanæ nitidius erit & fortius, in vna anima quam in alia vt patet ipsa met experientia.

Corpora humana sunt vna aliis puriora vnde vt anima actus puriores & fortiores.

Vndenam spiritus fieri possunt subtiliores.

Hi autem spiritus humani corporis cum sint partes materiales ipsius corporis humani, & quotidie ex alimentis, reparentur & novi quasi fiāt, arte & industria in dies puriores candidiores copiosiores & fortiores effici possunt alimentis assumptis quæ spiritus fortiores copiosiores & nitidiores efficere possunt horum autem alimentorum copia maxima est, & numerosa in rerum natura, Euchyma omnia & quæ bono succo prædita sūt calidique sunt temperamēti, hoc præstare solent & inter cætera est vinum optimum, quod quidem cor lætificare solet

re solet, propter spiritus copiosos & fortes quos producere potest.

Concluditur vim cognoscendi accendi posse in anima humana.

Hinc concludere facillimum est, rationem & vim intelligendi, ac res cognoscendi in anima humana, posse arte & industria ita intendi, vt majorem & fortiorem ac potentiorem esse experiamur, cur autem in omnibus hominibus hoc fieri non possit, & cur aliqui reperiantur homines hebeti omnino ingenio capite sequenti discutiemus.

Cur in omnibus hominibus ratio & vis intelligendi intendi non possit.

CAPVT XXV.

Vndenam animæ humanæ hebetes sint.

EXperientia quotidiana compertum habemus quam plurimos homines adeo stupidæ esse ac stolidæ mentis, vt nihil rationis & intellectus in ipsis esse conspiciatur. Mentē ipsam & animam intellectualem & natura & origine rationalem conspicimus & experimur, adeo obrui tenebris ipsius corporis vt fere nullas insignes & præclaras divinæ mētis actiones habeat, at omnes brutales cujus rei cōquesti sunt philosophorum quamplurimi, nescientes quantum potest, limus ipsius terræ ex quo concretum est corpus humanum, ad obscurandum & obtenebrandum ipsū lumen humanum etsi divinum sit, & supernaturale, quod nisi claro & perlimpido, lumini naturali & mundano ipsius limi præcipuæ parti infundatur & permisceatur non potest claras & insignes habere actiones etsi potentialiter seu ex origine sua, & ex innata sua natura habere debeat, miras & stupendas agendi proprietates, cum sit lumen divinū & supernaturale cujus esse debent mirandæ agendi proprietates, nihilominus tamen, vt illam miram supernaturalem agendi proprietatem & virtutem obtineat necessarium illi est, lumen illud mundanum cœleste, & naturale quo delibutus est ipse limus terræ ex quo corpus humanum traxit originem. Si limus hic, qui est origo & natura ipsa, ipsius corporis humani pauco turgeat lumine, eoque multis limi ipsius tenebris & excrementis scatenti, hinc fit vt anima humana etsi sit tota lumē divinum & supernaturalē, non posse suis vti naturalibus donis, quod organum suum, quod est lumen naturale creatum & limo suo permixtū, nō sit multum & copiosum. Videt enim anima audit sapit, odorat, tangit imaginatur recordatur, ratiocinatur, & vere intelligit lumine illo corporali & cœlesti quod primo, & immediate, res omnes per sensus corporales sensibus internis ipsius animæ objicit ac repræsētat, nō possēt enim res exteriores objici, & repræsētari animæ humanæ, nisi mediante illo, lumine corporali quod cœlestis est originis etsi ex veritate, ipsa ex materia rerum prima, tanquam vera & vnica ejus ejus forma traxerit originem cœlestis tamen dicitur originis quod materiæ primæ tenuissima pars, vna cum subtiliori ejus forma, ad cœlum efformandum.

Limus terræ ex quo concretum est corpus humanum obtenebrat animam humanam.

Quid necessarium sit animæ ad optime agendum

Quo medio vtatur animi vt sensibus suis vtatur tum externis tum internis.

Influxus coelestes quid sint.

mandum se sublimaverit, & hinc adhuc per influxus, & radios lucis, qui sunt ejusdem materiæ primæ, volatiles spiritus seu emanentes & eructantes ejusdem materiæ flatus, vt tandem deorsum tendant & materiæ rerum infernarum vniantur vt sua subtilitate & tenuitate ipsam materiam infernam atteneunt & subtilent & sic virtutem & proprietatem rerum cœlestium materiæ infimæ communicent.

Lumen naturale crescit in homine ad aetatem.

Sic attenuatis & subtilitatis hujus corporis humani luce cœlesti, dũ deinde actuatur & informatur anima humana, tanquam propria sua forma, crescit ejus lumen seu splendor & candor, adveniente candore & nitore illius luminis supernaturalis & sic roboratum lumen ipsius corporis humani facili via nec naturales omnes objicit & repræsentat animæ humanæ: solius enim luminis naturalis est res naturales cognoscere cũ sit rerum naturalium forma & res naturales solum cognoscantur, eo solo quo subsistunt & habent esse, subsistunt autem, & sunt lumine illo naturali: lumine ergo solo illo naturali cognoscuntur.


Luminis est naturalis res cognoscere & quare.

Quo plus ergo erit luminis illius naturalis in corpore humano, eo magis erit cognitionis seu aptitudinis rerum cognoscendarum in corpore humano, & vice versa quo minus erit illius luminis eo minus erit aptitudinis & capacitatis rerum intelligendarum.

Unde subtilitas & acumen ingenii

Hinc fit anima humana corpus crassum terrestre & fœculentum actuans & informans sit quasi hebete, & omnibus radiis suis raciocinandi & intelligendi sæpe sæpius denudatur ad tempus aliquod, in quibusdam, in aliis vero, toto ævi sui, tempore quod in illis lumen naturale tandem crescat, & vincat, crassitiem & fœculentiam corporis humani, in his vero crassitiem & terrestreitatem superare nequeat etsi lucis sit attenuare & subtiliare, propter calorem, quem secum conjunctum habet: materia tamen corporis humani, in quibusdam adeo tenax & viscosa est, excrementis devincta permultis, vt nullo naturæ attenuari possit, ætatis decursu, ope & auxilio luminis sui naturalis, quod est ejus calidum innatum & ignis insitus & perinde tenebris obruitur cymmeriis adeo obscuris & densis, vt nihil percipere possit cũ in tenebroso & obscurissimo carcere cõcluditur, vbi nihil luminis est clari & lucentis sed obscuri & opaci, quod illi res cognoscendas clare & dilucide demonstret, & inde animæ humanæ ratio in quibusdam intendi nequit quod lumen naturale corporis humani non intendatur, & crescat, quo solo virtutes & proprietates animæ rationalis intenduntur, & crescunt via naturali, quod capite sequenti clarè admodũ disqueremus.

Unde quidã homines sint in dies subtiliores



An

An lumine naturali ipsius animæ humanæ anima ad prophetiam evehi possit.

CAPVT XV.

Anima humana ex se ipsa ad prophetiam evehi nequit.

PErperam certo certius excogitarũt quamplurimi Philosophorum animam humanam ex se ipsa lumine suo naturali ad Prophetiam evehi posse, cum divina sit, & supernaturalis lux cui Prophetia, & rerum futurarũ prænotio debetur luci quidem divinæ supremæ & independenti, hoc quidem illi deberi verum, est luci vero divinæ infimæ, & dependenti minime, cum futurorum prænotio, & Prophetia soli Deo debeatur, cum præsentia soli ipsi, & futura & præterita, vere sint: creaturis autem suis, etsi supernaturalibus, & intelligibilibus, futurum tempus, & præteritum, illis sunt futurum & præteritum, & propterea quod illis temporibus occultum est, cum jam non existat, nisi in solo Deo percipere non possunt, nisi ipsum Deum, & intima ipsius Dei percipiant: Deus enim est formale principium temporis, & rerum omnium, quæ cum tempore decretis, & statutis ipsius Dei fieri habeant ideo in Deo ipso idealiter existunt, antequã sint, ideo solus Deus, quæ præterita, & futura sunt, tanquam præsentia habet cum omnia in Deo sint, & præstantiori modo, quam in ipsomet suo esse, exteriori, quod in tempore occupant.

Soli Deo debetur futurorum notio.

Deus est temporis principium formale.

Non est hominis futura prædicere nec præterita, scire cum vix præsentia cognoscat, cum nullum formale, & reale rerum naturalium faciendarum secum habeat principium, ex quo de rebus ipsis faciendis, & factis prædicere possit. Hoc soli rerum creatori debetur, & omni creaturæ negatur, cũ principia rerum faciendarũ nulli creaturæ insint, ideo rerum notio, imperfecta est omnibus creaturis, cum in nullis earum principia reperiãtur, præterquam in solo Deo, ideo solus Deus perfectè, & absolutè, scit, & cognoscit, omnia, cum in solo ipso sint omnia & perfectiori multò modo quàm existant in se ipsis.

Homo futura cognoscere nequit

Homo ergo cum essentiam præsentem & cum subsistentem perfectè & absolute cognoscere nequeat, cũ eius animæ formale & principia suæ existentiæ, exteriores sint & extra se ipsum, radicem habeant multo minus cognoscet, ea omnia quæ nondum sunt & subsistunt in rerũ natura qualia futura sunt lumen enim humanũ etsi sit superioris ordinis, & ipsum lumen naturæ gradu perfectionis existentiæ vincat ac superet, nihilominus existentiam rerum futurarum quæ nondum sunt, videre non potest, nisi divinam essentiam ipsam contemplari queat, in qua sola, res futuræ tãquam præsentes, vere subsistunt hæc autem visio divinæ essentiæ hac in vita fieri non potest nisi peculiari divina gratia & favore hæc permittatur. Et si qui sunt & fuerint homines, vel Angeli vel dæmones futura præscientes & annuntiantes ex fonte divino hoc habuerunt & exhauserunt & non ex fonte luminis sui proprii & essentialis, sed ex solius Dei lumine quod nihil pręsẽtis pręteriti & futuri latere potest.

Vndenam fit quod aliqui homines futura prenunt tunt.

Futura ex astris, non sunt vere futura.

Quod si ex astrorum decursu futura & ventura prædici possint & anunciari hoc non invertit conclusionem nostram & opinionē cū hæc futura & ventura ex astrorum decursu, futurorum verorum qualitates & conditiones non possideant cum eorum causæ præsentes sint & vere subsistant, effectus tantum earum causarum futuri sunt & venturi, modo causæ persistunt. Quis enim negare poterit, ex causis positis, & potenter agentibus non inde sequi effectus veros & reales grano frumenti in terram debito tempore projecto cum cæteris causis rite positis & conditionibus quis negabit inde frumentum, nasci debere, quis etiam astronomiæ peritus tempus pluviosum & ventosum non prædicet, si Saturnum Iovem vel martem, in piscibus conspiciat; vna cum Luna, sunt enim hi planetæ in piscibus collocati, verissimæ causę pluviosæ tempestatis.

Saturnus Iupiter & Mars in piscibus pluviam indicant.

His ergo positis causis, inde necesse est exsurgi & suscitari effectus tales, quales promittunt & expostulent causæ: hæc autem futuri prænotio non est vera rerum futurarum cognitio & scientia, cum earum futurarum rerum causæ præsentes sint & vere tempore præsenti existunt cum ex motu infallibili & ex legibus divinis ordinato, tali tempore esse præsentes debeant in quo effectus suos producere habent: hæc futuri prænotio ex causis veræ existentibus & apprime notis dependens non impedit quin concludamus.

Animam humanam lumine suo naturali & innato ad Prophetiam & futuri veri cognitionem evehi nō posse, cum causa nota, & manifesta rei alicujus futuræ rem futuram, non futuram sed præsentem constituunt existentia præsenti causæ suæ.

Concludit, animam humanam ad prophetiam evehi non posse lumine suo naturali.

An lumen naturale animæ humanæ à genio humano distinguatur.

CAPVT. XXVI.

Lumen naturale animæ humanæ distinguitur à genio suo.

SI genius humanus ex sententia Patrum sanctorum, sit angelus bonus, vel malus ex lege divina singulis hominibus datus, vt in vita sua homines singuli instigante genio suo, ad virtutem, vel ad vitium propellentur, nullo pacto dubitandum est, quin genius humanus homini datus, bonus, vel malus distinguatur, & differat à lumine naturali, & insito, quo vtitur anima humana ad agēdum: lumen enim naturale est tenuissima pars, & subtilissima pars naturæ primæ, & est ejusdem generis cum lumine cœlesti, & astrali, ex qua tanquam forma vna omnes componuntur, quod quidem lumē nullo pacto est intellectuale, nec vlla intellectuali virtute, et efficacia præditum, sed sola simplici cognitione, et rerum externa apprehensione, exornatum, vt ex brutis animantibus expertum habemus, quæ quidem cū sint tali lumine naturali, et cœlesti, vt forma propria et innata naturali decorata, et actuata, cognitiones simplices et rerum externas apprehensiones.

callere

callere cernimus, et de his rerum simplicibus notionibus ratiocinari, et interius loqui, et vere discernere nequeunt, cum eorum lumen, quo actuantur, et informantur non sit intellectuale, et rationale, et simplex quid, sed quid compositum ex materia et forma, genus autem humanus si sit Angelus ex hierarchia infima deprompstus, est verus spiritus simplex intellectualis, ex lumine simplici, divino creatus vt formatus peculiari divino favore, absque vlla materiali, et formali mundana, substantia. Lumen autẽ naturale corporis humani, quo vtitur anima humana ad agendum est quid compositum, vt sępe diximus, et probavimus, ex lumine mundi, et tenuissima parte elementorum, quæ materiæ primæ insunt.

Lumen brutorum non est intellectuale.

Genius humanus quid sit.

Vnde clarissimè apparet, eorum duorum vera differentia: sunt enim diversi generis luminis creati: genius siquidem humanus est lumen peculiare creatum simplex, intellectuale, et liberum: lumen autem naturale corporis humani est particula lucis mundi, materialis, et composita ex substantia materiæ primæ, et forma illius, cũ nihil est intellectus rationis, et sapientiæ quod à creatore summo rerum opifice, non destinetur ad perfectionis tantum fastigium.

Genius humanus ex astris investigari nequit.

Falso ergo et perperam quærunt nõ nulli Philosophorum genii humani naturam ex astris, tamque adinvenire putant adinvento ac reperto Domino primæ domus & ascendentis cujusvis nativitatis, aut vndecimæ domus cũ genius humanus sive bonus aut malus non dependeat ex astris, sed ex creatore solo, qui libere et ex pura sua voluntate, independenti, genium bonum et malum cuique animæ humanæ communicat, et impertit ad gloriam et honorem humanæ naturæ ali qui autem quorundam Philosophorũ delusi sunt hac in parte, super genii humani naturam, confundentes eam cum calido innato, et lumine naturali ipsius corporis humani, quod calidum innatum constituit: quod quidẽ lumen cum dependeat ex astris et animæ humanæ vigorem impertiat, cum sit vnicum eius instrumentum et organum ad agendum, ideo ex astris et ex Domino primæ, vel vndecimæ domus tempore nativitatis et conceptionis, ipsum lumen augeat multiplicet conservet: vel ipsum deprimat et obnubilet secundum planetæ proprietatem: hinc augurantur genethliaci formam, ingenium & animi mores cujusvis hominis, cum calidum innatũ animæ humanæ instrumentum & organum, fortunam ingenium & animi mores aliqua ratione inmutet, si anima humana omnino libera & præpotens instrumẽti sui corruptis illecebris se gubernare patiatur & se libere instrumẽto & organo se submitat ac subijciat quod dilucidius multo c. 8 9. 10. & 11. hujus libri enarravimus & ad vnguem probavimus ex his concludere debere lumen naturale quo vtitur anima humana ad agendum distinctum et separatum esse omni ex parte à genio humano quo custode vel hoste dotatur anima humana dum vivit ex decreto summi opificis, quod capite sequenti diligentius disquiremus.

Calidũ innatum ex astris investigari potest.

Cõcluditur lumen naturale distinctum esse à genio humano.

N 2 Cur

Cur ainma humana Angelo custode, & hoste dotetur.

TAnti pretii in rerum natura, est anima humana, vt Deus summus rerum omnium creator, eam ipsam pro præmio, & brabio, sibi soli præponat, non quod *Deus* vllo pacto egeat anima humana, ad sui gloriam, vel perfectionem, nihilo siquidem habet opus Dei sibi soli sufficit, si res creatas videatur exposcere, hoc est ex mera sua misericordia, & benignitate: si videatur ergo hominem amare, ipsumque deperire, hoc non est, quod homine egeat, Deus, sed quod ex mera sua misericordia, & benignitate, in hanc creaturam debilem, & infirmam vt creator & conservator summo feratur amore, id satis, & plusquam satis jam manifestum dedit, & fecit hominibus omnibus, cum propter ipsos solos mũdum fecerit vniuersum, & filium suũ proprium, & vnicum morti tradiderit, & perquam multa fere infinita acerba & amara valde, propter ipsos homines redimendos ab ipso mortis barathro, & vita æterna, & vere immortali donaret, quam transgressione legis suæ amiserant: non poterant eũ ipsi homines post peccatum vitam æternam, & beatam mereri nisi Deus ipsa vita sua mortem ipsam, quam homines peccando in mundũ introduxerant, destrueret; transgressio autem legis diuinæ facta est, ab ipso homine, Angelo hoste tentante, & suscitante transgressionem. Permisit Deus autem illam tentationẽ, non vt homo vinceretur, & peccaret in legẽ suam, sed ut vinceret, & tentationẽ superaret id suscitante, & suadente Angelo custode, vt in tanto, & acri prælio, victoriam reportaret homo, & vita æterna, & summo bono coronaretur.

Deus cur tanti faciat animam humanam.

Cur Deus amet hominum.

Post peccatũ non poterãt homines vitam aeternã mereri.

Cur Deus permittat tentationes.

Quod in primo homine factũ est, id ipsum in singulis hominibus quotidiana experientia factitari, cer‑imus virtutem sequi suadente ipsa virtute, & bono Angelo internis persentimus, refragante tamen aliquo alio: internis contrarium suadente experimur: id autem Angeli hostis est, nec alterius esse potest, id autem fit, & fieri necessario debetur, vt vincat homo, & in victoria coronetur: summum enim bonum, quod homini objicitur consequi nõ potest homo quin summopere prælietur, & in prælio vincat, non potest autem præliari & vincere, quin reluctantes hostes habeat, cum autẽ potentissimi sint, justum & æquum esse videtur, Angelum custodem datam illi esse, vt sit illi subsidio, ad devincẽdos hostes internos hostes sues, qui invisibilibus armis eum ipsum persecuntur, nihilominus tamen vincere habet, & coronari, & ad hoc natus est homo, vt semper vt assidue prælietur, & vincat vita enim hominis nihil aliud quam perpetua & assidua, militia super terram: si sit ergo miles homo, ad hoc miles est, vt vincat, cum vir dicatur à vincendo, & à robore & virtute qua pollet, vt omnia vincat, non potest autem vincere quin habeat hostes inter quos datus est illi Angelus hostis qui assidue internos alios hostes incli-

Angelus custos suades bonam Angelus hostis malum.

Cur Angelo custode datur homo.

Homo natus est ad praliũ & victoriam vnde vir dicetur à vincendo.

inclinationes & propensiones ad malum pura, fulcitat, & impellit vt virum ipsum victoriæ natum perdat & vincat, quod ne eveniat, creator rerum summus sua misericordia & benignitate pura, tanta fertur in hominem, vt ipsum robore quammaximo & virtute præmuniverit, animam æternam & immortalem illi communicando, Angelo custode fortissimo præmunitam & circumdatam, vt tanto custode vincat, et superet omnia, quæ illi obsunt hostes etiam dat, vt habeat aliquid, in quod prælietur ad quid enim tanta virtus, et energia nisi vt ipsa talis appareat, et emineat.

Virtus hominis maxima est vt omnia vincat.

Concludendum ergo est animã humanam Angelo custode, et hoste dotatam esse, ad strenue præliandũ hac in vita, vt summum bonum, ad quod enata est consequatur sine prælio summo. Nemo enim coronabitur nisi quis strenue certaverit.

Homo non coronatur nisi strenuus certet & vincat

Vndenam anima humana gaudeat vniri corpori suo, & ab illo separari sit illi tædium.

CAPUT XXIX.

UNaquæque forma gaudet vniri corpori suo quod cum ad hoc habeat innatum, et peculiare à creatore summo: imperfectum enim est quid naturale forma nisi vniatur corpori suo, vt et corpus etiam est quid imperfectum et mortuum, nisi habeat annexam suam peculiarem formam: forma siquidem destinatur corpori suo, vt corpus inde agat, agere enim non potest, nisi suam habeat formam, & forma perinde cum agere debeat, & sit fons & scaturigo actionũ & actiones illæ debeantur corpori, ideo vnio corporis, sui est intentum suum & scopus præcipuus quo tendit vnde supremũ est illi gaudium vniri corpori suo habet etiam aliud anima humana, quo tendit vniri corpori suo, præter istud commune formis omnibus, est enim lux supernaturalis, quæ naturali sponte cupit & amat lucem sive naturalem sive supernaturalem: est autem in corpore humano lux naturalis, ex cœlesti lumine scaturiens, huic permisceri gaudet, & vniri tanquam suo proxime simili: lux siquidem lucem amat, & in sequitur, & hæc lux nodus est verus & vnicum vinculum, quo anima humana corpori suo, devincitur quo vinculo gaudet tanquam medio suo, quo fruitur amore suo, nempe vnione corporis humani, sive enim luce illa cœlesti, non posset vniri corpori suo, lux enim illa cœlestis est, medium, quo corpus humanum animæ suæ supernaturali devincitur, et copulatur, cũ enim anima humana sit lux supernaturalis, et tantæ tenuitatis et subtilitatis, vt vincat omnino subtilitate sua corpus humanum, quod crassum, et fœculẽtum omnino est, et ideo per se tenuissimo, et subtilissimo vniri, et copulari non potest, quin medium habeat subtile et tenue valde, quo crassities corporis humani devincatur, vt tenuitatem illam supernaturalem in se suscipere queat: lux autem cœlestis est pars corporis humani et est subtile illud

Forma est quid imperfectum nisi corpori vniatur & corpus etiã est quid imperfectum nisi assignetur forma.

Lux naturalis est nodus & vinculũ animæ humanæ & corporis humani.


Anima humana non querit separationem corporis sui.

quo craſſities corporis humani attenuatur, & ſic fit aptum ad vnionem illam, illamque expoſtulat tanquam finem vltimũ, & ſcopum ad quem tendit: adhoc enim creatur & à ſum̃o creatore ad hanc vnionẽ deſtinatur, & perinde hãc quærit, & efflagitat, ab ea etiam ſeparari, & diſiungi ſum̃o eſt illi tædio, non ſolum ſibi, ſed corpori ſuo, quod tunc temporis mortem patitur, quam ſummopere abhorret, & ſi corpori humano mors eſt horrẽda ſic, & animæ humanæ, quod ea privetur vnione corporis ſui, & ſeparetur ab eo cujus ſeparatio eſt æque animæ, ac corpori horrenda, ſcimus autem quantum corpus horreat mortem, & hinc etiam colligere debemus quantum anima humana mortem etiam horreat propter ſeparationem corporis & animæ quam mors indicit.

Mors quare corpori & animæ horrenda.

Ex naturali ergo propenſione quã anima humana habet, erga corpus ſuum, & corpus humanum erga animam ſuam pendet gaudium illud, & amor, quo fertur anima humana erga vnionem corporis ſui, in illa enim vnione fruitur fine ſuo, ad quem tendit, ex natura ſua, vnde etiam ſi vnionem ſummo gaudio expoſtulet, ſeparationem cum ſummo tædio patietur, cum ex illa ſeparatione, vnione expoſtulata privetur.

Anima humana cur gaudeat corpori ſuo vniri.



Anima humana dum infunditur corpori ſuo, patiatur aliquid detrimenti in ſua innata nobilitate.

CAPVT XXX.

PLatonicorum nonnulli exiſtimarunt animas humanas pati aliquid detrimenti in nobilitate ſua naturali & innata ex vnione ſua cum corpore humano, quod ex vana Philoſophorum noſtrum interpretatione Platonicorum multi exiſtiment animas omnes humanas cognitionis eſſe plenas, & rerum omnium ſcientiis imbutas dum creantur à Deo, & in ipſa infuſione pati rerum omnium oblivionem vnde pati ſummum detrimentum ex ipſa corporis humani vnione, qui ſic crude interpretantur platonicos errant & ſummopere allucinãtur, quod Platonici non ita nude & crude, exiſtimant animas humanas ſciẽtiarũ omnium lumine, & luce eſſe actu delibutas, ſed tantum credunt animas humanas quod lucis æternæ & im̃ortalis ſint participes, quę eſt notionis & ſcientiæ omnis principium & fundamentum, eſſe eatenus ex luce illa, fundamentaliter, ſcientiæ omnis lumine delibutas, non quod actualiter, & realiter ſit omnis ſcientia in anima humana, ſed tantum potentialiter ex fundamentali luce ſupernaturali, qua præditæ ſunt animę humanę: hinc capaces ſunt omni ſcientia, & ſic interpretati Platonici non ſunt reiiciendi, ſed attentiùs audiendi, nam ſi anima hu-

Vera Platonicorum ſententia de anima ſcientia.

humana, eo ipso temporis instanti, quo creatur & infunditur, corpori suo statim non sciat, non sapiat, non ratiocinetur sed multo deinde subsequentis temporis intervallo, & quo diutius vivit, eo sapientius ratiocinatur, & loquitur videtur eo tempore sapientiæ & rationis scintillas esse vere extinctas, aut saltem crasso & molli corporis ergastulo sepultas, & tunc temporis etiam, improprie saltem potest dici pati animam humanam oblivionem sapientiæ, & rationis suæ cũ etsi potentialiter habeat, actualiter nõ possideat, defectu corporis sui organorum, quæ sunt adhuc in illa tenella ætate, incapatia sapientiæ, & ratiocinationis edendæ, at si eo ipso instanti, quo creatur & infunditur corpori, ab ipsomet corpore separatur, vt multoties, & sæpe sæpius quam par sit, contingere solet, tunc temporis vero sapit, & intellectu, & ratione vtitur ac si multùm temporis fuisset corpori humano juncta, nec enim dubitandum est animas illas intellectu, & ratione, & sapientiæ dotibus esse prædictas & exornatas, ac reliquæ aliæ hominum animæ, quæ multum temporis fuerunt cum corpore humano junctæ, vnde collegerunt Platonici animas humanas detrimẽtum pati in sua ipsa nobilitate, ex conjunctione earũ cum corporibus humanis, quod non vtantur ratione, & intellectu, quo præditæ sunt, sed multo longiori subsequenti tempore, quod admodum non est absurdum etsi non sit verum animas humanas multã detrimẽtum

Qua ratione anima humana videatur pati detrimentum, dum infunditur corpori.

Anima humana quæ citissimè à corpore separantur, perinde non ignaræ sunt.

pati, dum creantur, et infunduntur corporibus humanis. ad hoc enim creatæ sunt, et finem dum consequuntur, quo creatæ sunt, nullum detrimẽtum patiuntur imò gaudent, et lætantur fine adepto.

Perinde concludendum est, animas humanas nullum detrimentum pati, dum creantur; et infunduntur corporibus suis imo perfectionem innatam, ad quam destinantur, consequuntur, nec creatæ sunt ante infusionẽ, et corporis coniunctionẽ sapientes et scientes, omnes scientias, sed dum infunduntur corporibus humanis, eo ipso instanti, creantur, et quo instanti creantur, eodem instanti infunduntur, et rationales sunt, et intellectuales, et perinde ex radice suæ essentiæ intellectuali, et rationali, sunt sapientiæ, et scientiæ capaces subsequentis longo tẽporis intervallo, & spatio, quod eo tempore organa corporis fiant robusta, et capacia rationis edendæ.

Hæc sufficiant de anima humana ratinali, et intellectuali, quorum pondus, et momentum adeò maximum est, vt forsan ex debili ingenio meo, vt defectu scientiæ potuerim errores quosdam incidisse, qui orthodoxæ fidei meæ Catholicæ, et Apostolicæ Romanæ, quam profiteor, contrariari possent omne lecturis, et correctioni.

Protestatio authoris omnia hæc submittẽtis ecclesiæ Doctoribus.

Doctorum Ecclesiæ Romanæ, submitto et Deo trino, et vno, et omnia mea, meque ipsum consecro, dico, ac dedico.

FINIS.

DE



DE SPIRITV HVMANO animæ humanæ inſtrumento.


SECTIO II.

HVIVS II. LIBRI

Spiritus quid ſit in corpore humano.

CAPVT I.

Spiritus humanus quid ſit.



PIRITVM in corpore humano latitantem non animam humanam intelligimus immortalem & æternam, ſed quid aliud mortale & caducum & corporis humani ſubjicere ſortem & fatum, medium quidem conjungendi animam humanam vere immortalem cum corpore humano caduco, labili & mortali: medium autem hoc, & nodus ipſe jam nobis eſt diſquirendus, & quid ſit, qualiſque, ſit nobis eſt patefaciendum.

Spiritus quid proprie ſit in corpore humano.

Spiritus ergo humanus in corpore humano latitans, eſt portio tenuiſſima, & ſubtiliſſima, ſeminis humani, ſeu ſpermatis ex luce cœleſti ortum ducens, & tenuiſſima elementorum omnium portione: vnde quod ſpirituoſum eſt in ipſo ſpiritu, eſt lux cœleſtis, & elemento ſtellarum, cœli correſpondens, quod autem corporeum eſt in ipſomet ſpiritu, elementare eſt, ſeu elementorum inferiorum portio tenuiſſima, ſeu materiæ primæ inferioris pars tenuior; quod autem ſpirituoſum eſt materiæ primæ ſuperioris pars ſubtilior: vt hinc cœlum, & elementa non diſtingui colligant lectores, ſed eſſe ejuſdem ſubſtantiæ, diſtingui tantùm ſubtilitate, & tenuitate ſubſtantiæ, & ſic etiam pari modo, & ratione,

colligant spiritum humanum nō distingui ab ipso corpore humano nisi tenuitate substantiæ: nam quicquid habet corpus humanum habet, & spiritus, & quicquid habet spiritus habet, & corpus substantialiter, & essentialiter, spiritus tenuior est, & subtilior valde ipsomet corpore, quod crassitiei, & corporalitatis, vt ita loquar, spissitudine vincit spiritum, & necesse est spiritum subtilitate, & tenuitate sua substantiæ corpus ipsum superare, quia subtilitate & tenuitate suæ substantiæ corpus ipsum superare, quia subtilitate, et tenuitate sua animam humanam lucem immortalem, & æternam, corpori humano, & crasso, & caduco connectit, lux enim in lucem habet ingressum. Anima humana, cum sit lux æterna, & immortalis penetrat spiritum, qui cum sit lux celestis & mundana, suscipit ipsam, & nectit, & copulat ipsam vniversis, & singulis corporis partibus, quia ipsemet spiritus nectitur & conjungitur illi cum sit ejusdem substantiæ vti diximus, & capite sequenti clarius multò disquiremus quærendo virtutes & proprietates spirituum humanorum, & differentias ipsorum cum corporibus humanis postquam concluderimus.

Spiritus est corpore tenuior

Spiritus est in singulis corporis partibus vt & anima.

Spiritum humanum in corpore humano latitātē, & actiones omnes corporis humani molientē esse portionem subtiliorem seminis humani ex quo corpus humanum compingitur, ex luce mundana, & cœlesti ortū ducentem, & corpori humano innatum, vt seminū primæ materiæ, cui incubabat in principio creationis rerum omnium: & hinc vt prima materia inest corpori, sic & eius spiritus qui nihil aliud est, quam portio lucis creatæ, primæ materiæ rerum incubans, ad formas rerum varias, ex materia ipsa educendas, & hic spiritus est quid compositum, & nō quid simplex elementare vt videbimus infra tractatu peculiari de elementis singulis res omnes componentibus.

Spiritus humanus est quid compositum elementare.

Qualis sit spiritus humanus, & qua ratione differat à corpore humano.

CAPVT II.

VIrtus, & proprietates spiritus humani quam plurimæ sunt, & ferè infinitæ sunt, cum quicquid corpus humanum agat, & agere possit id ipsum est virtus, & proprietas spiritus humani: est enim spiritus hic principium omnis actionis, & facultatis in corpore humano, sentit primo, odorat, tangit olfacit, gustat, imaginatur, concipit, recordatur intelligit, & ratiocinatur, & quicquid pertinet ad hos externos, & internos sēsus, id ipsum est virtus, & proprietas innata ipsius spiritus humani. Anima enim humana etsi intellectualis & rationalis immortalis, & æterna nullas ex se ipsa in corpore humano educere potest actiones, & facultates, nisi mediante spiritu humano est: enim ipse organum verum & solum, & vnicum instrumentum quo vtitur anima humana ad actiones omnes suas peculiares, & proprias, edendas, & in actum producendas: vnde quicquid est virtutis & proprietatis

Virtus spiritus humani.

Quatenus instrumentum has actiones habere dicitur nō tamen essentialiter habet nisi cum anima humana.

Scientia omnis capacitas est ab spiritu.

eratis in corpore humano, id ipsum est vt spiritus: scientias omnes, & artes quas acquirit homo has acquirit mediante spiritu suo, & qualis est spiritus, cœlestis essentiæ in homine inclusus, talis est capacitas & animi subtilitas, ad scientias omnes & artes tum liberales, tum mechanicas, addiscendas, & sic quãtum sit, virtutis & proprietatis spiritus humani hinc facile colligitur, beati ergo homines & fœlices, terq; quaterq; beati, qui tali spiritu cœlestis essentiæ, & subtilissimæ materiæ, substantiæ fausto cœlestium planetarum influxu dotantur, in principio suę formationis & conceptionis, in vtero materno, semen quidem paternum, & maternum conferunt, quia eodem spiritu cœlesti largitur, & influxu cœlesti benigno, & potenti multiplicatur, & crescit hic spiritus seminis paterni, & materni, vnde et corpus inde formatum vires habet, et proprietates innatas agendi, energias miras, et efficaces, quas quidem non haberet si tali planetarum influxu fausto, et benigno, ac præpotenti, privaretur, in principio suæ formationis et hoc patet, et clarissime elucet, in filiis fere ejusdem patris, et matris: sunt enim vni alii ingenio et acumine animi præstantiores et nobiliores vt in me ipso sum expertus, fratres habui ingenio dispari omnes, et filios etiam habeo ingenio etiam dispari multũ, et inæquali, et hoc omne ex diverso, et disp ri planetarũ influxu. Ex his omnibus claret, et manifesto patet differentia ipsius humani spiritus, cum corpore suo corpus siquidem humanum, vt sectione tertia hujusce libri declarabitur, est portio seminis humani crassior, et materialior, vt ita loquar, spiritus autem vt videmus est portio seminis humani tenuior, et subtilior: sunt quidem eiusdẽ substantiæ, et essentiæ in radice sua: at differunt tenuitate, tantum, in spiritu humano plus ẽst lucis mũdanæ, et cœlestis volatilis et infixę, et perinde est tenuior, et subtilior, ipso corpore, corpus habet plus lucis fixæ, et radicatæ, in ipsa natura elementali inferiori, quã ipse spiritus vnde corpus est materialius, et crassius multò, quam ipsemet spiritus, et hæc sola est distinctio, et differentia spiritus humani, et corporis sui, vt capite sequẽti fiet clariùs materiã, et scaturiginẽ spiritus humani perquirendo.

Spiritus cresc. & fortior est planetarum influxu benigno.

Differentia spiritus, & corporis humani.

Vnde nam materia, & essentia spiritus humani oriatur, & scaturiat.

CAPVT III.

Corpus humanum ex limo terræ sic & spiritus.

Diximus capite superiori spiritũ humanum esse portionem subtiliorem, et tenuiorem corporis humani: hæc ergo portio subtilior et tenuior, habebit eandem originem, et scaturiginem cum corpore suo: corpus autem humanum integrum, et absolutũ in primo ortus sui lumine originẽ duxit ex limo terræ: fecit enĩ. Deus corpus humanum, ex limo cujusdã terræ rubræ vt sacræ paginæ fidẽ faciunt, limus au:ẽ huius terræ rubræ, quid erat certissimis quasi cõjecturis id colligimus ex eisdẽ sacris paginis: creata enĩ erãt omnia, et facta, cœlũ, et elementa, omnia superiora, et infe-

et inferiora, ex quibus manu et voluntate divina facta fuerunt omnia, quę in rerũ serie jam reperiuntur ex multiplicatione seminis sui, in centro materiæ suæ latitantis, cujus virtute, et energia ad nos jam pervenerunt, et ad posteros pervenient quæ jam extant, et extitura sunt.

Limus terræ ex quo erat compositus.

Limus ergo, ex quo compactum est corpus humanum habebat in se portionẽ materiæ primæ, ex qua facta fuerant omnia, vt reliqua cuncta quæ facta sunt habent portionẽ suã materiæ primæ, materia autẽ prima ex qua factus est mundus erat quid confusum, et inordinatũ, in quo cœlum, elementa omnia et ipsum lumẽ erãt cõfusa, et indistincta, vnde chaos, et hyle, dicta est materia illa prima: limus ergo terræ illius rubræ ex quo factus est Adamus noster primus parens, erat materię primę portio, in qua erant confusa omnia elementa tã superiora, quã inferiora, totius naturæ vniversalis. Corpus ergo humanum colligimus factum, et compactũ fuisse manu, et voluntate divina, ex confusis, et indistinctis naturæ vniversalis elementis, et principiis, cũ ex ipso limo terræ factum sit, si ergo corpus humanum ex illis indistinctis, et confusis naturæ principiis, et elementis cõpactũ fuerit, spiritus ejus cum sit ejusdẽ materiæ, et essentiæ ex ejusdẽ naturę elementis, et principiis cõpactus erit: ibi lux tãquã cœlũ naturæ, et reliqua elementa, cõponent et constituent ejus essẽtiã at materiam, at lux erit in hac cõpositione aliis elementis copiosior, et turgentior, vt materia, et essentia spiritus humani sit tenuior, & subtilior ipsa natura, & essentia corporis humani, quæ crassior est multo ipsamet natura ipsius spiritus spiritus est ille, qui corpori suo dat motũ, et actionem omnẽ, vnde etiã ejus materia luce copiosiori debet esse perflata, cum lux sit motus principiũ, et actionis et si corpus humanũ habeat motum, et actionẽ omnẽ ab ipsomet spiritu, spiritus luce maxima, munitus erit, cũ ex luce sola oriatur motus, & omnis actio.

Hinc jam colligimus verũ et esse, & certissimũ, quod de luce diximus in panchymico nostro, scilicet lucẽ esse veram substantiam, non qualitatem, & accidens, cum componat corpus humanum & ejus spiritũ motus & actionis omnis principiũ, qualitates. & accidens non componunt, & constituunt substantias, sed substantiæ componunt, & constituunt accidentia, & subsistere ipsa faciunt.

Ex his rationũ momentis concludimus, spiritum humanum ex iisdẽ principiis naturalibus cõpactũ esse, ac corpus humanũ compactũ est, & cũ corpus humanũ cõpactũ sit, ex indistinctis, et confusis totius naturæ createę elemẽtis, quę in limo terræ inerant, quo factũ est corpus humanũ manu, et voluntate divina, sic et spiritus humani corporis vna cũ corpore suo, ex iisdem naturæ elementis conflatus erit, quæ deinde virtute seminis humani in quo latitant ipsamet principia, & elementa in nos ipsos propagata sunt, et à nobis ipsis per

eandem virtutem, & energiā seminalem multiplicativam in posteros nostros traducetur & propagabitur.

Quot & quantis nominibus insigniatur, Spiritus humanus, & quare sit variis vocetur nominibus.

CAPVT. IV.

Spiritus cur tot & tantis insigniatur nominibus.

INfinitis fere nominibus insignierūt antiqui sophi spirituosam hāc substantiam, eo quod infinitas fere possideat virtutes: spiritū primo dixerunt, eo quod corpora penetret & singulas eorū partes, sine vlla læsiones, eo quod tenuissimæ sit substantiæ: deinde calidum innatum vocarunt eo quod omnia ab ipso naturaliter incalescant; calidum etiam vitale dixerūt eo quod ab ipso omnia vitam habeant, internum etiā solē dixerunt, eo quod vt sol visibilis in mūdo omnia vivificet, foveat et conservet, sic et sol iste internus, omnia in omnibus vivificat, fovet & cōservat, internum etiā elementum nuncuparunt, quod omnia cōponat, & elemēret, substantiā etiā facultatum, et virtutum vocavit ipse Galenus lib. 2. ad glauconē, quod facultates omnes, et virtutes ab hoc spiritu depēdeāt, vocarunt etiā hunc spiritum antiqui, et potissimū Plato totius formæ custodē, et propugnatorē, eo quod custodiat formas omnes, et pugnet pro eis, pro ipsis cōservādis, et custodiendis. Dicitur etiā viriditas, eo quod omna ipso præsente virescāt, & vivāt: humidū etiā dicitur primigenium et radicale, quod primitùs radicetur in corporibus omnib. quęq; omnia nutriat, foveat, et cōservet, humiditati radicalis essētiā & naturā habere debet dicitur etiā Iupiter, Neptu Pluto, quod juvet omnia, quod regat, et gubernet aquas, et quod divitiarū omniū sit radix, et vnicus fons, dicitur Saturnus, quod omnia saturet. Mars quod omnia roboret, & vincat, Mercurius, quod motus, & actionis sit principiū, Luna, quod humiditates radicales, & virales regat, & custodiat, quod suscipiat in se tāquā in subjecto, vltimo virtutes omnes cœlestes, & influxus, sic variis rerū nominib., virtutes insignes, & proprietates ipsius spiritus, oculatis, & limpidos oculos habentibus, patefecerunt; insipientibus vero, & ignaris occultarūt: non en. digni sunt ignati & stulti, tāta, & tali insigni totius naturę cognitione. Cognito enim spiritu, rerum omnium cognoscitur virtus, & proprietas: an autē in omnib. rebus cum animantib. vegetantib., & mineralibus rebus omnib. sit vnus, et iidem, qui hęc omnia regat gubernet, et cōservet, & qui hęc omnia cōponat, capite sequenti nobis est disquirendū, vt completè spiritus hujus naturam & essentiam, ac absolutè notam, manifestam habeant chymiæ alumni.

Spiritus cur nomine planetarum singulorum insigniatur.

Spiritus cur dicatur Mercurius.

Cognito spiritu, cognoscetur tota natura.

An in rebus omnibus, sit vnus, & isdem, spiritus.

CAPVT. V.

Abyssi spiritus seu primæ naturæ tenuior pars est in omnibus rebus.

ABysti, seu primæ materiæ spiritum communem, & generalē habent omnia sed in mineralibus est vnius generis, in vegetantibus alterius, & in animantibus autē est etiā alterius generis, & vt lux abyssi seu materiæ primę fuit vna, & eadem, & dum ex natura illa prima, facta sūt

omnia vegetantia animantia, & mineralia, quæ in natura illa confusa erant, & indistincta, & dum solum separata sunt manu, & voluntate divina, tunc distinctioné ex separatione acceperunt sic spiritus rerum omnium, qui vnus, & isdem erat in abysso seu materia prima, distinctus fuit, & separatus, dum genera, et species, & individua, distincta fuerunt, & separata ab ipsamet abysso, seu natura prima; itaq; animantia, vegetantia, et mineralia, distinctú, et separatum inter se habent spiritú particularem & peculiarem, hoc est animantia habent suum peculiaré spiritum distinctum, ab spiritu vegetátium, mineraliú, & vegetátia itē habent peculiaré sibi propriú spiritum distinctum ab spiritu animantium, & mineraliú & sic mineralia etiā habent peculiaré et distinctú spiritum ab spiritu vegetantium, et animantium sic singula hęc genera distinctú, et separatú habēt spiritú vt ipsámet rerú anatomia et dissolutione fit clarú et manifestú.

Animantia vegetantia & mineralia distinctū habent spiritum.

Singula etiā rerú individua singularé et particularé habent spiritum, quo datur, et insignitur rerú singularum substantia, et vt corpora, et formæ inter se individualiter differunt, et distinguūtur, sic et earum rerú spiritus individualiter inter se differūt, et distinguuntur vnde et particulares virtutes, et proprietates originé habent, sic salvia hęc distinguitur ab alia, et habet maioré vel minoré virtuté, quia ab spiritu particulari majore vel minori dotatur, et abundat. Sic certissime cōcludemus in rebus singulis, omnibus esse particularem et distinctum spiritum, à quo descendunt, et originem habent virtutes singulares et particulares majores vel minores rerum omnium, quod capite sequenti clarius discutietur.

Singula etiā individua particularē habent spiritum.

Vnde individua distinguūtur inter se.

An in omnibus hominibus sit particularis spiritus, à quo ingenii acumen dependeat.

CAPVT VI.

Vt corpora singula, singulorum hominum, inter se differunt sic, et eorum spiritus singuli quibus dotantur, ipsa corpora distinguentur et non vnus, et isdē spiritus alioquin actiones omnes, et proprietates, et virtutes eædem essent, et prorsus similes cum ab vna, et eadem causa, individuali originem haberent. Videmus autem, et experientia quotidiana compertum est homines omnes et singulos actiones habere diversas et inter se distinctas, quod enim vnus amat, alter odit; si quis virtutem sequatur, alter odit, et vitium amore persequitur, si quis hominum acumine ingenij valeat prudentia, & sapientia, scientiisque navare operam cupiat et ardeat, alter est qui multo ingenii acumine præditus est, et multo minus sapientia, et prudentia dotatus est imo omnio stultus, et insipiens, et imprudens est et sciētias omnes abhorret, pigritiam colit, et amat; et vere jumétis, et equis ac multis insipientibus cōparatur, et est similis, et æqualis: si effectus hi sunt omnino differentes, et toto cœlo distinguantur, causæ horum

Vt corpora singula differunt sic & spiritus singulorum corporum.

Effectus diversi, animas diversos indicant.

horum effectum erunt etiam differentes, & toto cœlo distinguentur. Spiritus autem humanos, quo dotatur corpus humanum est vere causa horum effectuú diversorum qui in hominibus singulis reperiuntur, spiritus ergo humanus erit diversus, & non erit vnus, & isdem in singulis hominibus sed plane diversus & distinctus à quo facultates & actiones animæ humanæ nobiles & ignobiles ortum habent: si nobilis clarus, & candidus sit spiritus, nobiles erunt, & candidæ ejus actiones ex nobilitate enim, & claritate spiritus humani, dependent actiones claræ, & nobiles, si autem spiritus sit crassus, & elementorum infernorum spurcitis sepultus, & conspurcatus, actiones illius erunt in nobiles, & obtusæ, non secus ac lumen et ignis cornu opaco conclusius obtenebratur & lumine sui claritatem, et nitorẽ amittit, sic pariter, & spiritus humanus etsi sit ex luce cœlesti conflatus, si immergatur corpori crasso & opaco, elementorum infirmorum crassitis nimia conspurcato, obtenebrabitur, et lucẽ suam radiantem, & nitentem amittit, vnde actiones erunt hebetes vnde homines sunt hebeti ingenio, & obtuso, alii vero subtiles admodum & acuti, et hoc omne ex spiritu claro et nitido, obtuso, et opaco, dependet, et scaluriginem habet.

Spiritus humanus diversus, & distinctus in singulis hominibus.

Actiones nobiles ab spiritu nobili, & claro dependent

Concludimus ergo spiritum humanum particularem esse, et distinctum in singulis hominibus ex cujus subtili, et tenera substantiæ dependet acumen ingenii diversum, et varium, quod in singulis hominibus reperitur secundum enim majorem vel minorem subtilitatem, et crassitiem spirituosæ illius substantiæ dependet majus vel minus ingenii humani acumen.

Acumenis genii dependet ex subtili spiritu.

Vndenam dependeat distinctio illa, & differentia spirituum humanorum.

CAPVT VII.

CORpora humana omnia suscipiunt differentiam suam ex semine vario ac diverso ex quo cognomen habent semen autem variatur, et distinguitur, in vno, et eodem homine ex diversis alimentis quibus vtitur in vita sua, et ex variis astrorũ influxibus, et radiis cœlestibus quibus dotantur hæc varia, et distincta alimenta, vt vnum, et distinctum fiat alimentum vltimum, ex quo partes omnes corporis humani, nutriuntur, et ex quo vltimo alimẽto partibus seminalibus demandato, fit semen deinde aptum, et capax progignendi, corpus humanum. Sic vt semen variatur, et distinguitur, tum ex influxu cœlesti cujus radiis impregnatur semen, tum ex variis alimentis, ex quo vltimum illud fit alimentum: quodque cum vnum et idem, et omnino simile esse nequeat, omnibus

Humana corpora vndenam suscipiant differentiam.

nibus in temporibus, sic, et semen inde productum, vnum, et idem esse non potest, sic corpora humana inde producta, vna et eadem esse nequeunt, et omnino similia, sic et spiritus humanus inde etiam productus, et ab hisdem causas dependés suscipiet, suam omnem differentiā, et diversitatem quo plus enim corpus humanum suscipit lucis cœlestis eo majori etiam, et copiosiori tunc cœlesti, dotatur spiritus vnde præclaras, et nobiles ac insignes actiones nobiliores, et præstantiores, esse asserimus, cum et substantia sua nobilior hinc exurgat tota ergo spirituum humanorum differentia dependet, ex luce cœlesti maiori vel minori, qua substantia eorum spirituum exornatur imo conflatur.

Vnde nam spirituum differentia.

Concludimus ergo tanquam verum, et certissimum, destructionem et differentiam spirituum humanorum quibus dotantur homines dependere omnino ex semine vario, & differenti humano, quo componitur spiritus humanus substantialiter, & semen humanum suam assumere differentiam & distinctionem tum alimentis variis, & differentibus quibus vtitur homo, tum etiam ex variis, et distractis, planetarum, et aliorum astrorum influxibus, et radiis, quibus peculiariter dotatur, semen humanum vt hinc exsurgat spiritus varius ac distinctus qui corpus humanum eo semine fabricat, et constituit, quo constituto, et perfecte organizato Deus infundit sua benignitate, et misericordia immortalem et intellectualem animā vt ipsum corpus regat, et gubernet mediante illo spiritu quo solo depēdent corporis humani actiones omnes, et facultates tanquam à vero et vnico, animæ humanæ instrumento sine quo anima humana agere non posset quod capite sequenti clarissime discutiemus.

Anima et corpus mediante spiritu.

An ab spiritu humano dependeant actiones omnes, corporis humani tum vitales tum morbosæ.

CAPVT VIII.

ASserunt omnes Philosophi, peripatetici actiones omnes corporum omnium dependere, ab ipsa forma, at si hoc examinetur, invenie mus actiones non dependere immediate ab ipsa forma, eo quod ipsa forma, sit quid fixum, et radicatum in intimis materiæ thalamis, actio autem debet esse ab aliquo fluente, volatili, et non absolute fixo. Istud autem est spiritus qui est solus in corporibus omnibus volatilis, et non absolute fixus, habet quidem fontem, et permanentem, et perennem à quo fluit perpetuo, et perenniter. Ergo cum actio sæpe sæpius fit extra corpus, et externis ex interiori fonte, peragatur, et exeat forma autem nunquam exit

Omnes actiones immediate non dependent ab ipsa forma.

exit foras,

exit foras, extra corpus suũ vt agat in exteriora necesse hinc est, vt actio sit ab spiritu: spiritus siquidē solus est qui foras exit extra corpus suum, corpus suum, quamvis fundamentaliter, & radicaliter maneat in corpore, et sic ex corpore exiens agit in exteriora, vnde patet actionē omnes esse ab ipso spiritu, nã si externa subjecta tantum attulimus, hoc tantum est, vt clarissime pateat, actionē esse ab spiritu, nam etiam dum internis agit, in intimis corporis meatibus, subiectum in quod agit: est semper illi externum: oportet ergo, vt exeat, ex fonte suo radicali, & permanenti, & subjectum suũ in quod agere vult aggrediatur, & sic clarum, & manifestum habemus actiones qualescũque, sint, dependere, ex fluenti, et vitali spiritu, et non ex permanenti, et radicali atq; fixo qui cũ correspondeat formæ: forma perinde nõ erit immediatum actionis principium sed eius spiritus volatilis, et influxus, Vnde datus est spiritus, in rebus omnibus beneficio cuius res omnes in rerum serie agere solent.

Omn. actio fit ab spiritu.

Quocirca si in rebus omnibus detur spiritus, actionis principium dabitur etiam in homine spiritus qui erit actionum omnium principium vnde autem sit talis spiritus tum in rebus omnibus in quibus est, tum in homine ipso, actionum omnium principium, jam nobis est perquirendum diximus multis in locis operum nostrorum, et id ipsum probavimus multis rationum momẽtis lucem cœlestem esse principium motus, et quietis in rebus omnibus; naturam esse asserunt Philosophi peripathetici at natura in rebus omnibus, nihil aliud est, quem ipsemet lucis spiritus, lux ergo erit principium motus, & actionis, in rebus omnibus, videmus etiam cœlum moveri, & astra, quia luce illa creata abundent et fulgent, & inferioribus rebus impertiunt, & spiritus lucis hisdem communicant, & perinde motum, et principium actionis: naturam autẽ esse in rebus omnibus spiritum lucis creatæ, hinc probatur, quod per naturã intelligatur forma intrinseca, rebus omnibus insita, corpus enim externum visibile nunquã interpretati sunt antiqui philosophi naturam, nec enim vllus vnquam, philosophorum existimavit corpus principium motus, & actionis, cum materiæ redoleat sobolem, & indolem cuius proprium pati potius quam agere, inde formam tantum internam invisibilem pro natura sumendam esse colligendum erit. Si corpus naturæ nomen proprie suscipere nequeat forma ergo si proprie sit natura, cum sit invisibilis essentiæ, erit proprie spiritus lucis, cum hic etiam sit invisibilis naturam ergo spiritum lucis creatæ, infallibilis est conjecturæ, & certissimæ veritatis, hoc etiam existimarunt sophi antiqui dum fomas omnes seu naturas rerum omnium invisibiles, ex cœlo esse eductas proclamarunt teste Virgilio ingẽns est ollis vigor, & cœlestis ergo, seminibus.

Actiones vitales, & morbosa, dependent, ab spiritu.

Natura quid sit.

Corpus non est natura, & quare.

Natura est spiritus lucis.

Prim-

Principio cœlum, & terras camposque liquentes,
Titaniaque astra spiritus intus alit.
Totamque infusa per artus mens agitat molem.

Cur spiritus sit principiũ motus, & actionis.

Spiritum & mentem omnia agitantem naturam, & spiritum illum vocarunt: & si materia, in rebus omnibus sit ille spiritus lucis, non ambigendum erit, spiritum in reb9 omnibus esse principium actionũ omnium, quod si sit principium origo, & fons actionum, in rebus omnibus naturalibus, erit etiam fons & scaturigo actionum omnium, in homine ipso, unde actiones omnes vitales, & morbosæ dependent ab ipsomet spiritu: vitalis enim actiones, & morbosæ, habent unum, & idem principium, nec diversum, & distinctum habere possunt.

Spiritus humanus in corpore humano quam, & qualem suscipiat differentiam.

CAPVT IX.

Quare trinus & unus dicatur spiritus in corpore humano.

TRinus, & unus est, in corpore humano spiritus unus in substantia trinus in qualitate, & operatione ac facultate. Vnus est in substantia, & essentia, quod ex luce mundana, & cœlesti, & elementorũ omnium tenui, & subtili substantia sit, compactus, & adunatus: trinus autem in qualitate, & facultate, quod tres facultates in corpore cõstituat, naturalem facultatem, in hepate vitalem facultatem in corde, & animalem facultatem in cerebro perficiat ac constituat unde naturalis vitalis, & animalis dicitur, & nuncupatur, propter illas diversas tres facultates quas perfecit in tribus diversis corporis humani partibus. Sunt autem hi tres spiritus ex una, & eadem substantia externa compacti, & differunt tantũ tenuitate, & subtilitate, essentiæ unde crassior est naturalis spiritus, vitali & animali: vitalis autem, qui in corde perficitur & elaboratur crassior est animali. Vnde animalis qui in cerebro perficitur est omnium subtilior & spiritualior ut ita loquar propter tenuitatem maiorem quam obtinet supra reliquos duos spiritus. Naturalis autem qui in hepate elaboratur est omnium aliorũ spiritum fundamentum, & basis, nam naturalis fit vitalis in corde, qui in corde magis ac magis attenuatur, & vitales facultates, in corde, & in toto corpore sua tenuitate perficit, & peragit deinde vitalis ad cerebrũ ascendit ibique miro modo attenuatur, & subtiliatur, & fit attenuatione illa ex vitali animalis qui facultates animales constituit, & sic subtiliatur spiritus naturalis in hepate constitutus, & sua sublimatione variatur quamvis in ventriculo ex cibis ordinariis primo originem habeat ultimo autem perficitur in hepate ut capite sequenti declarabimus, quia per multi medicorum spiritus naturales negant, & admittere nolunt, quod non impetum faciant

Spiritus cordicatur animalis vitalis naturalis.

Ex spiritu naturali alii omnes fiunt spirit9 & qua via fiunt & perficiantur in corde & cerebro.



DE SPIRITV HVMANO animæ humanæ instrumento.


SECTIO II.

HVIVS II. LIBRI

Spiritus quid sit in corpore humano.

CAPVT I.

Spiritus humanus quid sit.



PIRITVM in corpore humano latitantem non animam humanam intelligimus immortalem & æternam, sed quid aliud mortale & caducum. & corporis humani subjicere sortem & fatum, medium quidem conjungendi animam humanam vere immortalem cum corpore humano caduco, labili & mortali: medium autem hoc, & nodus ipse jam nobis est disquirendus, & quid sit, qualisque, sit nobis est patefaciendum.

Spiritus quid propriè sit in corpore humano.

Spiritus ergo humanus in corpore humano latitans, est portio tenuissima, & subtilissima, seminis humani, seu spermatis ex luce cœlesti ortum ducens, & tenuissima elementorum omnium portione: vnde quod spirituosum est in ipso spiritu, est lux cœlestis, & elemento stellarum, cœli correspondens, quod autem corporeum est in ipsomet spiritu, elementare est, seu elementorum inferiorum portio tenuissima, seu materiæ primæ inferioris pars tenuior; quod autem spirituosum est materiæ primæ superioris pars subtilior: vt hinc cœlum, & elementa non distingui colligant lectores, sed esse ejusdem substantiæ, distingui tantùm subtilitate, & tenuitate substantiæ, & sic etiam pari modo, & ratione, colli-

colligant spiritum humanum nō distingui ab ipso corpore humano nisi tenuitate substantiæ: nam quicquid habet corpus humanum habet, & spiritus, & quicquid habet spiritus habet, & corpus substantialiter, & essentialiter, spiritus tenuior est, & subtilior valde ipsomet corpore, quod crassitiei, & corporalitatis, vt ita loquar, spissitudine vincit spiritum, & necesse est spiritum subtilitate, & tenuitate sua substantiæ corpus ipsum superare, quia subtilitate & tenuitate suæ substantiæ corpus ipsum superare, quia subtilitate, et tenuitate sua animam humanam lucem immortalem, & æternam, corpori humano, & crasso, & caduco connectit, lux enim in lucem habet ingressum. Anima humana, cum sit lux æterna, & immortalis penetrat spiritum, qui cum sit lux celestis & mundana, suscipit ipsam, & nectit, & copulat ipsam vniversis, & singulis corporis partibus, quia ipsemet spiritus nectitur & conjungitur illi cum sit ejusdem substantiæ vti diximus, & capite sequenti clarius multò disquiremus quærendo virtutes & proprietates spirituum humanorum, & differentias ipsorum cum corporibus humanis postquam concluderimus.

Spiritus est corpore tenuior

Spiritus est in singulis corporis partibus vt & anima.

Spiritum humanum in corpore humano latitātē, & actiones omnes corporis humani molientē esse portionem subtiliorem seminis humani ex quo corpus humanum compingitur, ex luce mundana, & cœlesti ortū ducentem, & corpori humano innatum, vt seminū primæ materiæ, cui iucubabat in principio creationis rerum omnium: & hinc vt prima materia inest corpori, sic & eius spiritus qui nihil aliud est, quam portio lucis creatæ, primæ materiæ rerum incubans, ad formas rerum varias, ex materia ipsa educendas, & hic spiritus est quid compositum, & nō quid simplex elementare vt videbimus infra tractatu peculiari de elementis singulis res omnes componentibus.

Spiritus humanus est quid compositum elementare.

Qualis sit spiritus humanus, & qua ratione differat à corpore humano.

CAPVT II.

Virtus, & proprietates spiritus humani quam plurimæ sunt, & ferè infinitæ sunt, cum quicquid corpus humanum agat, & agere possit id ipsum est virtus, & proprietas spiritus humani: est enim spiritus hic principium omnis actionis, & facultatis in corpore humano, sentit primo, odorat, tangit olfacit, gustat, imaginatur, concipit, recordatur intelligit, & ratiocinatur, & quicquid pertinet ad hos externos, & internos sēsus, id ipsum est virtus, & proprietas innata ipsius spiritus humani. Anima enim humana etsi intellectualis & rationalis immortalis, & æterna nullas ex se ipsa in corpore humano educere potest actiones, & facultates, nisi mediante spiritu humano est; enim ipse organum verum & solum, & vnicum instrumentum quo vtitur anima humana ad actiones omnes suas peculiares, & proprias, edendas, & in actum producendas: vnde quicquid est virtutis & propri-

Virtus spiritus humani.

Quatenus instrumentum has actiones habere dicitur nō tamen essentialiter habet nisi cum anima humana.

Scientia omnis capacitas est ab spiritu.

etatis in corpore humano, id ipsum est vt spiritus: scientias omnes, & artes quas acquirit homo has acquirit mediante spiritu suo, & qualis est spiritus, cœlestis essentiæ in homine inclusus, talis est capacitas & animi subtilitas, ad scientias omnes & artes tum liberales, tum mechanicas, addiscendas, & sic quātum sit, virtutis & proprietatis spiritus humani hinc facile colligitur, beati ergo homines & fœlices, terq; quaterq; beati, qui tali spiritu cœlestis essentiæ, & subtilissimæ materiæ, substantiæ fausto cœlestium planetarum influxu dotantur, in principio suę formationis & conceptionis, in vtero materno, semen quidem paternum, & maternum conferunt, quia eodem spiritu cœlesti largitur, & influxu cœlesti benigno, & potenti multiplicatur, & crescit hic spiritus seminis paterni, & materni, vnde et corpus inde formatum vires habet, et proprietates innatas agendi, energias miras, et efficaces, quas quidem non haberet si tali planetarum influxu fausto, et benigno, ac præpotenti, privaretur, in principio suæ formationis et hoc patet, et clarissime elucet, in filiis fere ejusdem patris, et matris: sunt enim vni alii ingenio et acumine animi præstantiores et nobiliores vt in me ipso sum expertus, fratres habui ingenio dispari omnes, et filios etiam habeo ingenio etiam dispari multū, et inæquali, et hoc omne ex diverso, et dispari planetarū influxu. Ex his omnibus claret, et manifesto patet differentia ipsius humani spiritus, cum corpore suo corpus siquidem humanum, vt sectione tertia hujusce libri declarabitur, est portio seminis humani crassior, et materialior, vt ita loquar, spiritus autem vt videmus est portio seminis humani tenuior, et subtilior: sunt quidem eiusdē substantiæ, et essentiæ in radice sua: at differunt tenuitate, tantum, in spiritu humano plus ēst lucis mūdanæ, et cœlestis volatilis et infixę; et perinde est tenuior, et subtilior, ipso corpore, corpus habet plus lucis fixæ, et radicatæ, in ipsa natura elementali inferiori, quā ipse spiritus vnde corpus est materialius, et crassius multò, quam ipsemet spiritus, et hæc sola est distinctio, et differentia spiritus humani, et corporis sui, vt capite sequēti fiet clariùs materiā, et scaturiginē spiritus humani perquirendo.

Spiritus cresscit & fortior est planetarum influxu benigno.

Differentia spiritus, & corporis humani.

Vndenam materia, & essentia spiritus humani oriatur, & scaturiat.

CAPVT III.

Corpus humanum ex limo terra fit & spiritus.

Diximus capite superiori spiritū humanum esse portionem subtiliorem, et tenuiorem corporis humani: hæc ergo portio subtilior et tenuior, habebit eandem originem, et scaturiginem cum corpore suo: corpus autem humanum integrum, et absolutū in primo ortus sui lumine originē duxit ex limo terræ: fecit enim Deus corpus humanum, ex limo cujusdā terræ rubræ vt sacræ paginæ fidē faciunt, limus autē huius terræ rubræ, quid erat certissimis quasi cōjecturis id colligimus ex eisdē sacris paginis: creata enim erāt omnia, et facta, cœlū, et elementa, omnia superiora, et infe-

et inferiora, ex quibus manu et voluntate divina facta fuerunt omnia, quę in rerũ serie jam reperiuntur ex multiplicatione seminis sui, in centro materiæ suæ latitantis, cujus virtute, et energia ad nos jam pervenerunt, et ad posteros pervenient quæ jam extant, et extitura sunt.

Limus terra ex quo erat compositus.

Limus ergo, ex quo compactum est corpus humanum habebat in se portionẽ materiæ primæ, ex qua facta fuerant omnia, vt reliqua cuncta quæ facta sunt habent portionẽ suã materiæ primæ, materia autẽ prima ex qua factus est mundus erat quid confusum, et inordinatũ, in quo cœlum, elementa omnia et ipsum lumẽ erãt cõfusa, et indistincta, vnde chaos, et hyle, dicta est materia illa prima: limus ergo terræ illius rubræ ex quo factus est Adamus noster primus parens, erat materię primę portio, in qua erant confusa omnia elementa tã superiora, quã inferiora, totius naturæ vniversalis. Corpus ergo humanum colligimus factum, et compactũ fuisse manu, et voluntate divina, ex confusis, et indistinctis naturæ vniversalis elementis, et principiis, cũ ex ipso limo terræ factum sit, si ergo corpus humanum ex illis indistinctis, et confusis naturæ principiis, et elementis cõpactũ fuerit, spiritus ejus cum sit ejusdẽ materiæ, et essentiæ ex ejusdẽ naturę elementis, et principiis cõpactus erit: ibi lux tãquã cœlũ naturæ, et reliqua elementa, cõponent et constituent ejus essẽtiã at materiam, at lux erit in hac cõpositione aliis elementis copiosior, et turgentior, vt materia, et essentia spiritus humani sit tenuior, & subtilior ipsa natura, & essentia corporis humani, quæ crassior est multo ipsamet natura ipsius spiritus spiritus est ille, qui corpori suo dat motũ, et actionem omnẽ, vnde etiã ejus materia luce copiosiori debet esse perflata, cum lux sit motus principiũ, et actionis et si corpus humanũ habeat motum, et actionẽ omnẽ ab ipsomet spiritu, spiritus luce maxima, munitus erit, cũ ex luce sola oriatur motus, & omnis actio.

Hinc jam colligimus verũ et esse, & certissimũ, quod de luce diximus in panchymico nostro, scilicet lucẽ esse veram substantiam, non qualitatem, & accidens, cum componat corpus humanum & ejus spiritũ motus & actionis omnis principiũ, qualitas en. & accidens non componunt, & constituunt substantias, sed substantiæ componunt, & constituunt accidentia, & subsistere ipsa faciunt.

Ex his rationũ momentis concludimus, spiritum humanum ex iisdẽ principiis naturalibus cõpactũ esse, ac corpus humanũ compactũ est, & cũ corpus humanũ cõpactũ sit, ex indistinctis, et confusis totius naturæ creatę elemẽtis, quę in limo terræ inerant, quo factũ est corpus humanũ manu, et voluntate divina, sic et spiritus humani corporis vna cũ corpore suo, ex iisdem naturæ elementis conflatus erit, quæ deinde virtute seminis humani in quo latitant ipsamet principia, & elementa in nos ipsos propagata sunt, et à nobis ipsis per

omnia vegetantia animantia, & mineralia, quæ in natura illa confusa erant, & indistincta, & dum solum separata sunt manu, & voluntate divina, tunc distinctioné ex separatione acceperunt sic spiritus rerum omnium, qui vnus, & isdem erat in abysso seu materia prima, distinctus fuit, & separatus, dum genera, et species, & individua, distincta fuerunt, & separata ab ipsamet abysso, seu natura prima: itaq; animantia, vegetantia, et mineralia, distinctú, et separatum inter se habent spiritú particularem & peculiarem, hoc est animantia habent suum peculiaré spiritum distinctum, ab spiritu vegetátium, mineraliú, & vegetãtia itẽ habent peculiaré: sibi propriú spiritum distinctum ab spiritu animantium, & mineraliú & sic mineralia etiã habent peculiaré et distinctú spiritum ab spiritu vegetantium, et animantium sic singula hęc genera distinctú, et separatú habẽt spiritú vt ipsamet rerú anatomia et dissolutione fit clarú et manifestú.

Animantia, vegetantia & mineralia distinctú habent spiritum.

Singula etiã rerú individua singularé et particularé habent spiritum, quo datur, et in signitur rerú singularum substantia, et vt corpora, et formæ inter se individualiter differunt, et distinguũtur, sic et earum rerú spiritus individualiter inter se differút, et distinguuntur vnde et particulares virtutes, et proprietates originẽ habent, sic salvia hęc distinguitur ab alia, et habet maioré vel minoré virtuté, quia ab spiritu particulari majore vel minori dotatur, et abundat. Sic certissime cõcludemus in rebus singulis, omnibus esse particularem et distinctum spiritum, à quo descendunt, et originem habent virtutes singulares et particulares majores vel minores rerum omnium, quod capite sequenti clarius discutietur.

Singula etiã indovidua particularẽ habent spiritum.

Vnde individua distinguũtur inter se.

An in omnibus hominibus sit particularis spiritus, à quo ingenii acumen dependeat.

CAPVT VI.

UT corpora singula, singulorum hominum, inter se differunt sic, et eorum spiritus singuli quibus dotantur, ipsa corpora distinguentur et non vnus, et isdẽ spiritus alioquin actiones omnes, et proprietates, et virtutes eædem essent, et prorsus similes cum ab vna, et eadem causa, individuali originem haberent. Videamus autem, et experientia quotidiana compertum est homines omnes et singulos actiones habere diversas et inter se distinctas, quod enim vnus amat, alter odit; si quis virtutem sequatur, alter odit, et vitium amore persequitur, si quis hominum acumine ingenij valeat prudentia, & sapientia, scientiisque navare operam cupiat et ardeat, alter est qui multo ingenii acumine præditus est, et multo minus sapientia, et prudentia dotatus est imo omnio stultus, et insipiens, et imprudens est et sciẽtias omnes abhorret, pigritiam colit, et amat; et vere jumẽtis, et equis ac multis insipientibus cõparatur, et est similis, et æqualis: si effectus hi sunt omnino differentes, et toto cœlo distinguantur, causæ horum

Vt corpora singula differunt sic & spiritus singulorum corporum.

Effectus diversi, anima diversos indicant.

horum effectum erunt etiam differentes, & toto cœlo distinguentur. Spiritus autem humanos, quo dotatur corpus humanum est vere causa horum effectuú diversorum qui in hominibus singulis repeniuntur, spiritus ergo humanus erit diversus, & non erit vnus, & isdem in singulis hominibus sed plane diversus & distinctus à quo facultates & actiones animæ humanæ nobiles & ignobiles ortum habent: si nobilis clarus, & candidus sit spiritus, nobiles erunt, & candidæ ejus actiones ex nobilitate enim, & claritate spiritus humani, dependent actiones claræ, & nobiles, si autem spiritus sit crassus, & elementorum infernorum spurcitis sepultus, & conspurcatus, actiones illius erunt in nobiles, & obtusæ, non secus ac lumen et ignis cornu opaco conclusius obtenebratur & lumine sui claritatem, et nitoré amittit, sic pariter, & spiritus humanus etsi sit ex luce cœlesti conflatus, si immergatur corpori crasso & opaco, elementorum infirmorum crassitis nimia conspurcàto, obtenebrabitur, et lucé suam radiantem, & nitentem amittit, vnde acti ones erunt hebetes vnde homines sunt hebeti ingenio, & obtuso, alii vero subtiles admodum & acuti, et hoc omne ex spiritu claro et nitido, obtuso, et opaco, dependet, et scaluriginem habet.

Spiritus humanus diversus, & distinctus in singulis hominibus.

Actiones nobiles ab spiritu nobili, & claro dependent

Concludimus ergo spiritum humanum particularem esse, et distinctum in singulis hominibus ex cujus subtili, et tenera substantiæ dependet acumen ingenii diversum, et varium, quod in singulis hominibus reperitur secundum enim majorem vel minorem subtilitatem, et crassitiem spirituosæ illius substantiæ dependet majus vel minus ingenii humani acumen.

Acumen ingenii dependet ex subtili spiritu.

Vndenam dependeat distinctio illa, & differentia spirituum humanorum.

CAPVT VII.

Corpora humana omnia suscipiunt differentiam suam ex semine vario ac diverso ex quo cognomen habent semen autem variatur, et distinguitur, in vno, et eodem homine ex diversis alimentis quibus vtitur in vita sua, et ex variis astrorú influxibus, et radiis cœlestibus quibus dotantur hæc varia, et distincta alimenta, vt vnum, et distinctum fiat alimentum vltimum, ex quo partes omnes corporis humani, nutriantur, et ex quo vltimo aliméto partibus seminalibus demandato, fit semen deinde aptum, et capax progignendi, corpus humanum. Sic vt semen variatur, et distinguitur, tum ex influxu cœlesti cujus radiis impregnatur semen, tum ex variis alimentis, ex quo vltimum illud fit alimentum: quodque cum vnum et idem, et omnino simile esse nequeat, omnibus

Humana corpora vndenam suscipiant differentiam.

nibus in temporibus, sic, et semen inde productum, vnum, et idem esse non potest, sic corpora humana inde producta, vna et eadem esse nequeunt, et omnino similia, sic et spiritus humanus inde etiam productus, et ab hisdem causas dependés suscipiet, suam omnem differentiá, et diversitatem quo plus enim corpus humanum suscipit lucis cœlestis eo majori etiam, et copiosiori tunc cœlesti, dotatur spiritus vnde præclaras, et nobiles ac insignes actiones nobiliores, et præstantio res, esse asserimus, cum et substantia sua nobilior hinc exurgat tota ergo spirituum humanorum differentia dependet, ex luce cœlesti maiori vel minori, qua substantia eorum spiritum exornatur imo conflatur.

Vnde nam spirituum differentia.

Concludimus ergo tanquam verum, et certissimum, destructionem et differentiam spirituum humanorum quibus dotantur homines dependere omnino ex semine vario, & differenti humano, quo componitur spiritus humanus substantialiter, & semen humanum suam assumere differentiam, & distinctionem tum alimentis variis, & differentibus quibus vtitur homo; tum etiam ex variis, et distractis, planetarum, et aliorum astrorum influxibus, et radiis, quibus peculiariter dotatur, semen humanum vt hinc exsurgat spiritus varius ac distinctus qui corpus humanum eo semine fabricat, et constituit, quo constituto, et perfecte organizato Deus infundit sua benignitate, et misericordia immortalem et intellectualem animã vt ipsum corpus regat, et gubernet mediante illo spiritu quo solo depédent corporis humani actiones omnes, et facultates tanquam à vero et vnico, animæ humanæ instrumento sine quo anima humana agere non posset quod capite sequenti clarissime discutiemus.

Anima et corpus mediante spiritu.

An ab spiritu humano dependeant actiones omnes, corporis humani tum vitales tum morbosæ.

CAPVT VIII.

ASserunt omnes Philosophi, peripatetici actiones omnes corporum omnium dependere, ab ipsa forma, at si hoc examinetur, invenimus actiones non dependere immediate ab ipsa forma, eo quod ipsa forma, sit quid fixum, et radicatum in intimis materiæ thalamis, actio autem debet esse ab aliquo fluente, volatili, et non absolute fixo. Istud autem est spiritus qui est solus in corporibus omnibus volatilis, et non absolute fixus, habet quidem fontem, et permanentem, et perennem à quo fluit perpetuo, et perenniter. Ergo cum actio sæpe sæpius fit extra corpus, et externis ex interiori fonte, peragatur, et exeat forma autem nunquam exit

Omnes actiones immediate non dependent ab ipsa forma.

Principio cælum, & terras camposque liquentes,
Titaniaque astra spiritus intus alit.
Totamque infusa per artus mens agitat molem.

Cur spiritus sit principiũ motus, & actionis.

Spiritum & mentem omnia agitantem naturam, & spiritum illum vocarunt: & si materia, in rebus omnibus sit ille spiritus lucis, non ambigendum erit, spiritum in reb9 omnibus esse principium actionũ omnium, quod si sit principium origo, & fons actionum, in rebus omnibus naturalibus, erit etiam fons & scaturigo actionum omnium, in homine ipso, unde actiones omnes vitales, & morbosæ dependent ab ipsomet spiritu: vitalis enim actiones, & morbosæ, habent unum, & idem principium, nec diversum, & distinctum habere possunt.

Spiritus humanus in corpore humano quam, & qualem suscipiat differentiam.

CAPVT IX.

Quare tri nus & unus dicatur spiritus in corpore humano.

TRinus, & unus est, in corpore humano spiritus unus in substantia trinus in qualitate, & operatione ac facultate. Vnus est in substantia, & essentia, quod ex luce mundana, & cœlesti, & elementorũ omnium tenui, & subtili substantia sit, compactus, & adunatus: trinus autem in qualitate, & facultate, quod tres facultates in corpore cõstituat, naturalem facultatem, in hepate vitalem facultatem in corde, & animalem facultatem in cerebro perficiat ac constituat unde naturalis vitalis, & animalis dicitur, & nuncupatur, propter illas diversas tres facultates quas perfecit in tribus diversis corporis humani partibus. Sunt autem hi tres spiritus ex una, & eadem substantia externa compacti, & differunt tantũ tenuitate, & subtilitate, essentiæ unde crassior est naturalis spiritus, vitali & animali: vitalis autem, qui in corde perficitur & elaboratur crassior est animali. Vnde animalis qui in cerebro perficitur est omnium subtilior & spiritualior ut ita loquar propter tenuitatem maiorem quam obtinet supra reliquos duos spiritus. Naturalis autem qui in hepate elaboratur est omnium aliorũ spiritum fundamentum, & basis, nam naturalis fit vitalis in corde, qui in corde magis ac magis attenuatur, & vitales facultates, in corde, & in toto corpore sua tenuitate perficit, & peragit deinde vitalis ad cerebrũ ascendit ibique miro modo attenuatur, & subtiliatur, & fit attenuatione illa ex vitali animalis qui facultates animales constituit, & sic subtiliatur spiritus naturalis in hepate constitutus, & sua sublimatione variatur quamvis in ventriculo ex cibis ordinariis primo originem habeat ultimo autem perficitur in hepate ut capite sequenti declarabimus, quia per multi medicorum spiritus naturales negant, & admittere nolunt, quod non impetum faciant

Spiritus cordicatur animalis vitalis naturalis.

Ex spiritu naturali alii omnes fiunt spirit9 & qua via fiunt & perficiantur in corde & cerebro.

ciant manifestum ut reliqui duo spiritus: sublimatur autem spiritus naturalis à ventriculo, & hepate, in cor, & à corde in cerebrum, ut sublimatione illa, & mixtione lucis cœlestis quæ una cum aere in has partes demandatur, ut subtilitatem & tenuitatem aequirat necessariam & convenientem ad facultates vitales & animales peragendas: non enim ex sua naturali constitutione, sufficeret ad vitales, & animales facultates peragendas: plus enim subtilitatis est opus ad tangendum olfaciendum gustandum audiendum videndum, & admemorandum ratiocinandum, & intelligendum, quam ad simpliciter vivendum. Vivunt enim plantæ, & arbores, sed non audiunt sentiunt, & undenam, ideo spiritus plantorum quibus vivunt, & attrahunt, & assimilant coquendo alimentum suum, & se multiplicant crassioris sunt substantiæ quā sint spiritus viventium vita sensitiva, propter enim subtilem & tenuē eorum spiritum substantiam in viventibus sensitivis datur auditus visus gustus odoratus, & tactus imaginatio conceptio, & memoria, quæ facultates, à nullo alio dependent quam tenuitate & subtilitate spirituum sensitivorum qui adhuc magis ac magis subtiliantur in maiori gradus subtilitatis in ipso homine propter rationem intellectum sapientiam, & prudentiam, quibus cætera animalia antecellit homo. Et qui inter homines sapientiores, & prudentiores habentur, eo magis subtiles, & tenues possident spiritus, alioquin homines essent omnes sapientia, & prudentia æquales: quod tamen experientia sola falsum videmus quodque omne ex subtilitate, & tenuitate spiritum majori vel minori originem habet, concludimus ergo spiritus humanos in corpore humano triplicem operatione, & facultate suscipere differētiam non essentialem sed accidentalem, quæ ex subtilitate, & tenuitate substantiæ dependet, est enim unus tantum in homine spiritus essentia, & substantia sed trinus est operatione, & facultate, scilicet naturalis vitalis, & animalis, naturalis, in vētriculo, & hepate ventris in corde, & animalis in cerebro sedem habet naturalis in ventriculo, & hepate constituit, naturalem constituit facultatem quæ in nutriendo crescendo, & multiplicando consistit. Vitalis in corde, vitalem constituit facultatem, quæ in concupiscendo crescendo, audendo odiendo, & amando consistit, animalis in cerebro, quæ animalem perficit facultatem, quæ in sensibus externis, & imaginatione conceptione memoria, in brutis sensibus internis consistit, & in homine intellectu, & ratione collocatur, & perficitur.

Plus subtilitatis requiratur ad intelligendū quam ad simpliciter vivendum.

Actiones sensitiva unde dependeant.

Homines sapientiores aliis unde sunt.

Differentia spirituum in homines est accidentalis non essentialis.

Naturalis facultas in quibus consistat vitalis & animalis.

Ar

An spiritus naturalis primo in ventriculo, ultimo in hepate perficiatur.

CAPUT X.

Qua ratione nutriamur ex semine.

POstquam corpus humanum productum est ex semine humano in utero materno, nutritur puro sanguine matris tanquam ex alimento ex quo factum est semen ut certum sit quod axiomate fertur nutrimur ex iisdem ex quibus componimur ex semine, ergo nutriamur ex semine necesse est: nutrimur autem ex semine dum sanguine nutrimur ex quo fit semen: semen siquidem est in sanguine proxima potentia. At postquam uterum maternum reliquerimus nutrimur lacte. & ultimo alimentis tunc temporis ventriculus utitur functione, & officio suo præparat lac, & alimenta in chylum; qui chylus habet spiritus naturales sunt enim in lacte, & alimentis omnibus, alioquin nutrire non possent nec mutari in nostram substantiam, quæ cum sit naturali spiritu conflata oportet inde alimentum, quo nutritur hæc substantia naturali etiam spiritu esse præditum. In utero materno ventriculus feriatur, & nihil agit, sed deportatur alimentum immediate per venam umbilicalem parietibus uteri materni ad serrentem in hepar ipsius fœtus: tunc temporis hepar est fons verus, & unicus spiritus naturalis at extra uterum maternũ dum homo utatur alimentis externis, tunc temporis dum alimenta præparantur, in ventriculo, & in chylum convertuntur, præparatur etiam tunc temporis spiritus naturalis alimentorum in spiritum chyli, qui deinde in hepate, una cum chylo ultimam suscipit præparationem in spiritum sanguinis, ut inde una cum sanguine nutriat omnes corporis partes, in partibus autem ipsis in suum alimentum, & ejus spiritus suscipit quandam præparationem & coctionem, antequam convertatur in partem, sed coctio, & præparatio hæc, non valde est insignis, in alteratione sua, & perinde non ipsam notant medici: nihilominus tamen in rei veritate, est consideranda: semper enim coquitur, & præparatur sangvis ipse extra venas transmissus ut convertatur in partes ad quas demandatur, ut ipsas nutriat, præcipua tamen alteratio, & præparatio alimenti humanarum partium sit in ventriculo, & in hepate, unde etiam præcipua, & principalis præparatio alimenti spirituosi sive spiritus alimenti, debet fieri in ipso ventriculo, & in hepate ut inde fiat laudatus sanguis.

Spiritus naturalis quando incipiat præparari in ventriculo.

Hinc concludere possumus spiritum naturalem, primum rudimentum primæ suæ perfectionis acquirere in ipso ventriculo, ultimam vero sui perfectionem in ipso hepate & ultimo adhuc in partibus ipsis quibus demandatur sanguis ad ipsas partes nutriendas. Alimenta enim omnia primo in ventriculo subigũtur

Rudimentum primum spiritus naturalis est in ventriculo ultimum in hepate.

& percoquuntur, & transeant coctione illa ventriculi in chylum, & tum alimentis omnibus sit spiritus ille cœlestis lucis creatio soboles & verus partus: spiritus ille alimentorum mutatur, & abit, coctione ventriculi in spiritum chyli, qui est peculiaris, & singularis spiritus humanus, ultimam sui perfectionem in hepate susceptas, & in partibus ipsis fit tandem verus, & legitimus humani corporis spiritus, qui in corde vitales perficit facultates, & in cerebro animales ut diximus capite superiori.

An spiritus humanus partibus externis, & internis adhærens spiritu lucis aereo augeatur, & crescat.

CAPUT XI.

Inferiora nõ possunt conservari nisi superiorum ope, & auxilio.

INferiora omnia quæcumq; sunt generis siue in genere animalium vegetantium sive in genere mineralium nullo pacto possunt conservari in esse suo, & subsistendi modo nisi superiorum ministerio: hinc creatum est cœlum, & terra in principio rerum omnium, cœlum ut infunderet lucem alimentum spirituosum rerum omnium, terra vero ut daret alimentum corporeum, & materiale, rebus omnibus. Itaque egent omnia irriguo superiori, & inferiori, & hoc certum ac verissimũ cum sit, nullo pacto in dubium est revocandum, quin spiritus human9 partibus omnibus [illegible]am externis quã internis adhærens, spiritu lucis aereo, augeatur & crescat, ille enim aereus lucis spiritus est irriguum superius quo foventur, nutriuntur, & conservantur omnia; nisi enim irriguo illo superiori perenni, & perpetuo, ex cœlis defluenti, spiritus rerum infernarum irrigaretur, cito evanesceret, & periret, quia perpetuo depascitur ab innato, & fixo calore rerum omnium, unde cum perpetuo depascatur perpetuo eget alimento, sibi simili, & cum spiritus non solum alimentis ordinariis, & quotidianis reparetur, ab spiritu illo, qui alimentis inest eget etiam alio alimento subtiliori & copiosiori ut copiose reparetur, ad vitam conservandam. Sic dentur necesse est duo alimenta, quæ perpetuo, & copiose regarent, & conservent nostros spiritus: unum dat terra per alimenta quotidiana, alterum vero dat cœlum mediante aere, aer enim est tantum vehiculum spiritus cœlestis, nobis ad vitam necessarii, nec intrat aer compositionem illius spiritus, quia non est elementum sed est tantum medium & vehiculum illius spiritus, ut videbimus capite sequenti. Cur autem nobis sint necessaria duo alimenta, prædicta, ad reparationem illius spiritus id clarum fit, & manifestum sequenti ratione. Spiritus cœlestis quocumque in loco sit radicatus, & implantatus eget alimento sibi simili, est autem spiritus duplex in rebus omnibus influens & fixus, in animantibus adesse spiritum influentem patet ex motu

Alimentum duplex superius, & inferius, cœleste & terreũ

Aer non intrat compositionem spiritus.

Quare duplici egeamus alimento.

motu arteriarum, qui per arterias communicatur partibus omnibus totius corporis: in vegetantibus autem, & minerabilibus corporibus, adesse spiritus influentes non patet manifesto, sed eos adesse necesse est ad actiones, & proprietates, & virtutes agendas, agunt quidem illa omnia, & præclare effluunt ex ipsis virtutes, & proprietates, quæ sine spiritibus influentibus effluere non possent sed permanerent fixæ, & permanentes in fixo, & permanenti spiritu, sed cum exeant foras necesse est, ut cum spiritu influenti exeant, & fiant manifestæ. Est ergo in rebus omnibus duplex spiritus influens, & fixus, sunt tamen eiusdem essentiæ, & substantiæ cum non differant nisi qualitate illa volatili, & fixa, si sit ergo duplex spiritus in corpore nostro & in rebus omnibus & egeat alimento ad conservationē sui ipsius, necesse est etiam duplex esse alimentum influens ut ita loquar seu volatile, & fixum atque permanens, quibus duplicibus alimentis, essentia tamen nullo pacto differentibus, sed qualitate distinctis nutriatur foveatur, & conservetur noster duplex spiritus, influens, & fixus, atque etiam rerum aliarum omnium duplex fovebitur, & nutrietur spiritus, Vnde necessarius est omnino spiritus cœlestis ex cœlo perpetuo descendens ad conservationem rerum omnium. His ita positis necessario concludemus spiritus humanos partibus omnibus externis, & internis adhærentes, spiritu lucis cœlesti qui per aera nobis communicatur augeri, & crescere tamquam ex suo proprio, & sibi simili alimento.

Duplex spiritus influens & fixus.

Spiritus crescit spiritu cœlesti.

An spiritus cœlestis qui per aera nobis communicatur, induat aliquid aeris ad ipsius essentiam constituendam.

CAPVT XII.

QVamplurimi sunt medicorum qui spiritus nostros, & rerum aliarum omnium vocant æthereos, & aeros, & perinde existimant hos spiritus aeris purissimi substantiam sibi innatam habere, & inde aerem compositionem spirituum intrare putant. Egoipse multis in locis librorum meorum, id ipsum tamquā verissimum asservi, sed prudentior, & senior factus, mutavi sententiā, ex ipsa rerum anatomia, ubi aerem non inveni tamquam partem essentialem compositi; sed poros tantum rerum omnium replentem, & spiritus cœlestis vehiculum esse, datus enim est aer in rerum natura non ut componat, cum reliquis elementis res naturales sed tantum ut sit vehiculum spiritus cœlestis, qui rerum omnium compositionem intrat, & ut sit medium conjungendi res superiores hoc est influxus cœlestes, cum inferioribus rerum elementis. Res superiores sunt quasi spirituales & ita tenues, & subtiles, ut nisi cum medio cum rebus infe-

Aer non intrat compositionem spirituum nostrorum.

Aer est vehiculum cœlestis spiritus.

Medius qualis & aer qualis esse debeant.

rioribus crassis, & corporeis coniungi nequeant, medium autem oportet, ut naturam participet, uniendorũ, nec tamẽ sit ex essentia uniendorum oportet, aer ergo perinde est subtilis; & tenuis valde, & sic naturam, & essentiam spirituum cœlestium quasi participat, & est corpus fluens, & mollis, & sic ratione corporis, inferiorum elementorum naturam participat, nec tamen est elementum infernum ut clarius demonstrabitur inferius sectione tertia libri tertii, huiusce voluminis, ubi corporis humani compositionẽ indagabimus, & sic rationem legitimã medii ipsius naturæ, & conditionem induet, aer. Et sic delusi sunt antiqui, & nos ipsi allucinati sumus, dum aerem elementum & principium naturæ fecerimus in compositione rerum, cum tamen non sit nisi medium coniungendi, elementa, volatilia cum fixis, & permanentibus, ut enim aer externus non est de compositione, mixtorum sic aer internus, qui replet poros mixtorum, ut sit vehiculum spiritus cœlestis ad compositionem mixtorum necessarii, non erit de compositione interna, mixtorũ, sunt enim aer externus, & internus eiusdem naturæ, & essentiæ, & si aliquot mixtorum imponatur retortæ vitreæ ut inde per artem resolvatur mixtum in sua principia, & elementa, non exibit inde aer, componens tale mixtum: imponitur autem mixtum retortæ, aere repletum in poris suis exit etiam ille aer, cum elementis omnibus quæ in resolutione mixti reperiuntur, singula elementa habebunt aerem permixtum in poris suis, nec inde erit, aer in poris elemẽtorum resolutorum repertus, elementum, & principium ipsius elementi, aut erit elementum illud sẽper compositum & elementatum, nec dari poterit simplex elementũ nec arte, nec ab ipsa natura, & perinde etiam non poterit dari resolutio mixtorum naturalium, in sua principia. quod tamen, falsissimum est: & ratione & perientia, & authoritate, Philosophorum omnium, qui asserunt mixta omnia posse resolvi in sua principia, & sic etiam invicem transmutari posse, modo resolvantur prius in sua principia, & elementa. Ratio autem quæ nos inducit ad resolutionem credendã, & confitendam est ipsamet compositio mixtorum, si mixta omnia componantur, & hant ex elementis naturalibus, simplicibus, resolvi etiam poterunt eadem mixta, in ipsamet elementa, ex quibus composita sunt nam antequam componant separata sunt, & dum componunt uniuntur, ut ergo in compositione uniuntur, sic & in resolutione, & rerum separatione disgregantur, & separantur, & sic ut est manifesta compositio mixtorum sic erit manifesta disgregatio & separatio elemẽtorum in resolutione mixtorum in quibus cum aer non reperiatur, de compositione corporum multo minus erit de compositione spirituum

Aer non est elementum.

Si aer esset elementum, non daretur resolutio in simplex elementum.

Si detur compositio datur etiam resolutio.

Quare aer non sit de compositione spirituum.

His

His itaque declaratis intrepide concludemus, spiritum cœlestem qui nobis ut cæteris rebus omnibus per aera communicatur, nihil aeris ipsius induere naturæ, & essentiæ, sed solum spiritus cœlestis esse vehiculum ut nobis cæterisque rebus omnibus communicetur.

An spiritus humanus rerumque aliarum corruptionis maculis infici queat.

CAPVT XIII.

Spiritus non corrumpuntur nisi. & corpora corrumpantur.

Impossibile est humanos spiritus aliarumque rerum posse corrumpi salvo esse ipsarum, & ipsius corporis humani salva compagine, spiritus enim est solus, qui nos, & res omnes alias à corruptione defendit si corrumpatur spiritus, & corpus suum corrumpi etiam necesse est, non dubito, quin spiritum humanum, aliosque rerum omnium spiritus posse corrumpi & alterari, sed dum corrumpuntur spiritus, & corrumpantur corpora horum spirituum necesse est: corrumpuntur autem spiritus, & alterantur, cum sint ex elementis sublunaribus, & cœlestibus compositi: nihil enim ibi est, quin alterationis, & corruptionis leges, & normas subire queat, lux enim ipsa præcipua pars ipsius spiritus corrumpitur, & alteratur, dum miscetur, in compositione, mixtorum generatio enim compositio vera rerum fieri non potest nisi præcedente corruptione: generatio enim unius corruptio alterius est & corruptio alterius est generatio alterius. At dum res ipsæ præsistunt in esse suo, & compositione quam obtinuerant per generationem, & corruptionem tunc temporis non corrumpuntur spiritus, persistente, & salva illa compositione; atsi pereat, pereunt, & alterantur seu corrumpuntur spiritus illius compositionis. Hinc colligendum est quam absurde errarunt medici, qui in diaria putrida admittunt alterari, & corrumpi spiritus vitales in corde impossibile enim est, vitales spiritus in corde ipso corrumpi, quin, & destruatur, & corrumpatur vita, Hoc tamen non fit, quia curatur diaria putrida ut videbimus tractatu nostro de febribus in libro 3. hujusce universalis sapientiæ, & sic curata illa febre persistit cor in suo esse, & spiritus etiam persistunt, quod est signum evidentissimum in febre diaria, nec in ulla alia febre, nec in peste ipsa nec in ullo alio morbo posse corrumpi spiritus nostros, quin pereat vita, & omnino destruatur: spiritus enim, est cordis verum balsamum à corruptione ipsum corpus defendens si corrumpatur. Balsamum, & ipsum corpus corrumpi necesse est.

Quare ratione corrumpantur spiritus.

In diaria febri non corrumpuntur spiritus.

His ita declaratis, & probatis faciliter concludemus spiritus humanos, nec aliarum rerum spiritus ullo modo posse corrumpi, & alterari salvo, & integro manente corpore humano aliarumque rerum corporibus illæsis, & permanentibus.

Qua

Qua ratione, & via morbi omnes corporis humani ab spiritu dependeant.

CAPUT XIV.

Vidimus capite superiori octavo hujusce tractatus actiones omnes tum vitales tum morbosas corporis humani dependere ab ipso spiritu nunc autem perquirendũ est qua via, & qua ratione id fieri possit ut una, & eadem causa sit causa vitæ, & mortis; nam si spiritus humanus efficiat morbos, & vitam, & sanitatem, erit etiam causa mortis, & vitæ quæ sunt omnino contraria una autem, & eadem non potest esse causa contrariorum effectuum contrariorum nisi objecta, & subjecta contraria illi objiciantur ut in illis contrariè agat, sic illa causa etsi sit unica & eadem, effectus parit contrarios, sic in corpore humano, subiectum vitæ, in quod agit spiritus ut vitam inde pariat, est omnino contrarium, & oppositum subiecto morbifico, nam subiectum vitæ est purum corporis humani, quod ex puritate alimentorum educitur, subiectum autem morbificum, ex quo spiritus educit, & parit morbos est impurum naturæ corporis humani, & purum excrementum unde subiecta sunt omnino contraria, unde etiam ex his subiectis contrariis spiritus humanus educit effectꝰ contrarios ex subiecto puro vitam, ex subiecto impuro, & excremẽtitio mortem, & morbos vitæ contrarios, efficit, sic spiritus humanus est unica, & eadem causa vitæ, & mortis, per suam præsentiam in alimento puro vitam, & sanitatem, per suam autem absentiam cum ab excrementis impuris, & fœculentis, foris abeat, & pellatur, morbos, & mortẽ ipsam parit. Sic spiritus humanus est via, & modus unicus morborum omnium, & ab ipso efficienter dependent omnes occasionaliter, & accidentaliter pendent morbi omnes ab excrementis alimenti quæ non rite separantur, & dum non rite separantur sed persistunt in corpore irritant spiritum, & spiritus agit in ipsa excrementa ut foris pellat ea, & actio ista istius spiritus in excrementa expellenda cum fortissima est, & extra vires suas ordinarias dicitur morbus, cum enim in articulos totius corporis decidit excrementum aliquod, quod ibi persistit, neque foras propellitur, ab actione naturali ipsius spiritus, sive læsione ipsius, tunc temporis, actio illa in illud excrementum cum passione, & læsione ipsius spiritus dicitur arthritis, & sic de aliis morbis qui nihil aliud sunt quam læsiones ipsius spiritus humani ab excrementis alimenti quæ naturali actione spiritus, non foras propelluntur à corpore humano, sed manent, & persistunt in corpore, & lædunt ipsum spiritum, & sunt causa materialis omnium morborum: spiritus autem est causa efficiens ipsorum morborum dum agit in ipsa excrementa, foras

Qua ratione spiritus sit causa vitæ & mortis

Obiectum vitæ quale.

Obiectum mortis quale

Spiritus qua via faciat morbos.

Artritis ut fiat.

Morbi quid sint propriè.

foras propellenda. Sic clarum est, & valde patens, morbos omnes dependere ab spiritu humano in corpore humano, & in reliquis animantium corporibus in quibus fiunt morbi fiunt etiam ab eodem eorundem animantium spiritu.

Morbi fiunt ab spiritu.

Sic concludemus fortissima cum ratione, morbos omnes corporis humani dependere ab spiritu humani corporis mediantibus excrementis, quæ foras non propelluntur naturali actione spiritus, sed defectu ipsius expulsionis in dies magis ac magis accumulantur, donec agere possint in ipsum spiritum, & tunc vice versa spiritus irritatus agit in ipsa excrementa ut foras ipsa propellere queat, & illud duellum ipsius spiritus cum excrementis expellendis est verus morbus, cum ibi lædatur spiritus, sanitatis nostræ, solus, & unicus œconomus in qua læsione consistit morbus.

Conclusio huiusce tractatus humani spiritus.

CAPVT XV.


Et ultimum.

HAbes amice lector quicquid de spiritu humano dici, & enarrari potest, secundum veritatem ipsius naturæ, quicquid autem aliud authores de spiritu in genere, & in particulari dixerunt, & scripserunt id partim verum est, partim falsum, pace eorum dixerim; non enim ipsos redarguo, ut illis doctiorẽ & acutiorem me ipsum faciam, sed quia ipsammet spirituum substantiam quotidie præ manibus habeam, cum quotidie resolutiones tum animantium tum vegetantium, & mineralium faciam. In ipsa siquidem resolutione harum rerum spiritus ipsorum apparent manifeste, & quid sint, & quali substantia includantur, & induantur manifeste patet: unde certius scribere possum quid sint spiritus rerum omnium quam alii omnes authores tum antiqui, & recentiores qui numquam, & nullam unquam fecerunt rerum resolutionem. Sed tantum fidem habuerunt primis authoribus qui de spiritibus scripserunt: fecerunt enim ipsos spiritus æthereos aereos igneos, elemento stellarum correspondentes, at neque sunt ætherei nec aerei nec ignei, elemento quidẽ stellarum correspondent sed non puro, & simplici elemento stellarũ, quia sunt quid crassius alioquin in substantiam, visibilem, & palpabilem redigi non possent si luci cœlesti puræ, & simplici corresponderẽt: sunt enim spiritus rerum omnium in rebus omnibus, unum quid ex simplicibus elementis, quæ res omnes componunt, & constituunt unũ elementum simplex in rebus omnibus, non tamen ut sunt in corpore mixto, non adhuc sunt elementum illud simplex quod dicitur spiritus, ex quo componitur corpus sed tenuissima corporis substantia mixta ex reliquis elementis omnibus: at in resolutione mixti, illa tenuissima corporis mixti substantia, reducitur

Vnde author maiorem cognitionem habuerit spirituum quã reliqui authores.

Spiritus est simplex elementum si simpliciter consideretur sed ut est in corpore humano est quid compositum ex omnibus elementis.

tur arte vel natura in ipsum spiritũ simplicem, & elementum simplex ex quo cum reliquis omnibus elementis cõponitur corpus, nec in aliam deinde potest, resolvi substantiam sed manet ipsa simplex, & omnino incorruptibilis, & inalterabilis substantia. Spiritus vero corporum mixtorum omnium quamvis dicatur spiritus, & tenuissima corporum mixtorum substantia potest adhuc resolvi, in sua elementa ex quibus componitur in spiritũ scilicet oleum seu sulphur, aquam seu Mercurium solem, & terram de quibus quinque elementis quæ in resolutione rerum omnium reperiuntur copiose dicemus sequenti tractatu de corpore humano, ubi compositionem ipsius corporis humani indagabimus Vulcani chymici ministerio, & industria. Deus faveat intentum detque vitam, & spiritum qui cum media natura sit in omnibus, ideo delusi fuerunt nonnulli chymici, qui ipsum spiritum, formã, & animam seusitivam dixerunt, quod facultates sentiendi præbeat in animantibus, nihilominus tamẽ est tantum organum, & instrumentum animæ sensitivæ.



DE



DE CORPORE HUMANO ANIMÆ HVMANÆ ET SPIRITVS HVMANI TEGVMENTO.

SEXTIO. III.

HVIVS SECVNDI LIBRI

Vniversalis Sapientiæ.

Corpus humanum quid sit.

CAPVT. I.

Corpus humanum quid sit.

CORPVS humanum est animæ humanæ rationalis, & intellectualis organizatum tegumentũ ex limo terræ primitus à Deo ipso rerum omnium creatore in gratiam hominis Protoplasti, fabricatum, & compactum deinde virtute seminis sui, in posteros propagatum.

Vel est animæ humanæ, partibus omnibus homini convenientibus exornatum vestimentum, & vasculum, ex limo cujusdam terræ rubræ in campo dameso à Deo ipso peculiariter fabricatum in gratiam hominis: Vnde corpus humanum cæteris omnibus rerum corporibus antecellit, tum quod à Deo peculiariter factum sit, tum propter animã immortalem, & intellectualem, quam recipere debet, tum etiam quod immortale, & æternum tandem esse, & Deo ipsi perenniter servire & coram ipso persistere debeat, & gloriæ ipsius æternæ, & divinæ particeps fieri etiam habeat. Vnde exhorrescere & contremiscere, deberent omnes homines, qui vitiis infinitis tanquam maculis indelebilibus, ipsum conspurcant corpus humanum, quod ex intentione divina ad tot, & tanta gloriæ mysteria destinatum est, si purum & immaculatum permaneat, ut nos omnes homines facile ex definitionibus superius allatis colligere possumus. De-

Corpus humanum ad quid destinatum.

us siquidem rerum omnium creator, peculiari amore, & diligentia & cura corpus ipsum humanum fabricavit, non ut tandem ut reliqua rerum omnium corpora periret, & in cahos rerum omnium iterum rediret, sed illæsum & incorruptum persisteret in centro ipsius corruptionis, ut hinc immortale & æternũ surgeret, & animæ suæ immortali, & æternæ nodo vere gordiano, & indissolubili tandem coniungeretur, & in æternum persisteret, & perenniter Deum creatorem suum laudaret, benediceret, & glorificaret, hinc summam, & absolutam corporis humani præstantiam, & nobilitatem arguimus, & si cœlum sol ipse, & planetæ omnes, & astra, cum stellis omnibus aurum, argentum, & Margaritæ, adamantes, & carbunculi, & lapides omnes pretiosi, habeant aliquid nobilitatis, & præstantiæ, ex parte corporis sui, quod ex pura elementorum materia facta fuerint, quid de corpore humano, suspicandum erit imo firmiter credendum quod de ipsa rerum omnium pura satis natura fabricatum fuerit nam limus ipse terrę si non luceat, & niteat tanquam sol, & carbunculus, in ipso tamen sunt scintillæ lucis micantes, & radiantes, æquali in potentia, & virtute, ac sunt scintillæ lucis, ex quibus sol ipse fabricatus est, & carbunculi omnes, & adamantes ipsi, quotidie ex ipsa natura conficiuntur: sed hac in vita necesse est ut homo humilis fiat ne supra conditionem suam sublimetur: necesse est inquam ut scintillę illæ lucis obtenebrentur, sed post mortem, & resurrectionem suam quam firmiter, & tutissime sperat tunc manifestæ erunt, & patentes scintillæ lucis ex quibus fabricatum est corpus humanum, tunc temporis lucebunt, & prælucebunt auro, argento, carbunculis, & soli ipsi Manifesta, & patens erit tunc temporis corpus humani nobilitas, & præstantia, corporis scilicet humani immaculati, & vitiis nullis conspurcati, nam quo magis hæc corpora immaculata fulgebunt, eo magis maculata, & vitiis conspurcata obtenebrabuntur. Hæc homo intimis cordis sui thalamis, & recessibus contemplari deberet cum naturali desiderio, lucem exoptet, & tenebras fugiat; nihilominus tamẽ tenebris dẽsissimis immergitur, dũ peccatis, & vitiis corpus suum, & animam inficit, & im̃aculat, peccatum enim lumen extinguit, nec certissime est lucis aliquid, in peccato, sed puræ, & opacissimæ tenebræ peccatorem involuunt & obtenebrant.

Præstantia corporis humani.

Corpus humanum post resurrectionem amplissime fulget & nitebit.

Peccatum omne lumen extinguit nã de corpora peccatorum tenebrosa erunt in resurrectione.

His ita positis intrepide concludemus, corpus humanum animæ humanæ rationalis, & immortalis vasculum esse, & organizatum tegumentum, & limo terræ eiusdam rubræ in campo damasci, primitus à Deo ipso fabricatum deinde virtute seminis sui propagatum in posteros homines peculiari cura, & amore

more in gratiam hominis ab Ipso Deo compactum, ut homo gratus tanta beneficia cognoscens, amoris etiam peculiaris flamma in Deum creatorem suum exardesceret, & conflagraretur; ut tandem divinæ gloriæ, particeps fieret ex intensione sui creatoris, qui hominem ad gloriam suam peculiari beneficio erexit, modo virtutem sequatur, & vitium fugiat, Deus enim vitium qualecumque nescit, & fugit, sic & homo ut Deo particeps fiat vitium omne fugere habet, & nescire debet & sic virtutem, & puritatem ac candorem amare, & persequi habet

Homo ad gloriam creatus.

Corpus humanum cur variis componatur partibus heterogeneis.

CAPVT. II.

Corpus variis operibus destinatum, variis, & etiam constat partibus.

TOt, & tantis operibus variis ac distinctis destinatum est corpus humanum, ut necessarium omnino fuerit, & valde oportunum variis ac distinctis partibus heterogeneis esse compactum: non poterat enim corpus humanum hæc omnia tam varia opera exercere, tribus aut quatuor vel quinque partibus compactũ. Quot sunt partes in homine, tot etiam sunt necessariæ, & omni ex parte oportunæ ad varia, & distincta hæc opera exercenda, habet homo linguam ut loquatur, & quod in ipsius intimis oclusum latet verbis, & loquela exprimat. & manifestet, habet oculos ut videat, & de coloribus indicet, & quæ illi imminent pericula evitet, habet aures ut audiat, & sonos varios distingat, & musicam discat, habet nasum, ut odores percipiat, & de his judicet, habet palatum ut gustet, & de saporibus, judicium afferat habet sensum tactus, per omnes corporis partes diffusum ac dispersum, ut de duribus mollibus asperis, & vellicantibus judicium ferat, habet cerebrũ, & caput ossibus præduris præmunitum ut ex eo intelligat, ratiocinetor; sapiat, recordetur rerum omniũ & scientias discat omnes, habet cor ut audeat, irascatur concupiscat, amet & odiat, habet hepar ut sanguis ibi elaboretur & fiat alimentũ commune partium omnium, & cresca & augeatur, habet ventriculum ad omnes cibos, & potus percoquẽdos, & in chylum transmutandos, habet brachia manibus exornata & manus digitis exornatas ut opera inde fiant mira stupenda, quæ sine brachiis manibus & digitis fieri nõ possent, habet pedes, ut ambulet, saltet, tripudiet, & textoriã exerceat artem, & reliqua multa pedibus exercet, quæ nos ipsos in admirationem rapiunt, totumque corpus flexibile & undique mobile, obtinet, ut mira opera, & motus miros hinc oriantur, quæ ex alio corpore firmo & solido educi non possent nihil ergo est, in homine nullaque pars adeo minima, quin valde sit necessaria homini, ad perfectionem humanam constituendam, & absolvendam. Pili, & ungues quæ videntur viliores, hominis partes non solũ ad orna-

Partes singula corporis humani ad quid destinata sint.

Omnes partes corporis sunt necessaria ad perfectionem corporis.

orna-

ornamentum necessariæ sunt, sed ad tegumentum ipsius capitis sed ut excrementa crassiora, & humidiora, attrahantur & ibi in alimentum convertantur harum partium, & sic corpus sarcina quodammodo excrementorum alimenti sui generalis sublevetur, sunt enim quædam excrementa necessaria ad ungues, & pilos corporis humani enutriendos & conservandos, ita ut nihil sit in homine superfluum, & inutile sed omnino necessarium, ad perfectionem illius constituendam.

Nihil est in homine superfluum & inutile.

Itaque hinc concludere possumus, corpus humanum variis ac distinctis partibus constitui debere ut absolutum, & perfectissimum sit corpus, ut varia, & omnia opera ad quæ naturaliter destinatum est exercere queat, & ad perfectionem deducere possit.

An corpus humanum quatuor vulgaribus constituatur elementis, & an plura sint alia elementa quibus componatur.

CAPUT III.

An quatuor vel quinque sint rerum omnium elementa.

ANtiqui fere omnes quatuor tantum elementa admiserunt in compositione rerum omnium, & perinde, etiam in compositione corporis humani constituerunt tantum quatuor elementa ignem puta aerem, aquam, & terram, & hæc vulgaria sunt quatuor elementa, quæ omnes communiter admittunt, & fatentur elementa, rerum omnium. Alchymia tamen experientia sua & resolutione corporum omnium quam facit ipsa, ut compositionem rerum omnium exploret, invenit hæc quatuor elementa; non siquidem invenit ignem nec aerem aquam quidem, & terram in resolutione corporum omnium adinvenit, & præterea reperit in eadem resolutione ultima rerum omnium, tria alia distincta elementa, quæ quidem tria elementa, cum duobus aliis elementis iuncta, & connexa, numero quinque constituunt elementa, quæ compositionem rerum omnium ingrediuntur, & perinde etiam corpus humanum hisce quinque elementis componetur, cum hæc quinque elementa sola reperiantur in resolutione ultima corporis humani, ut & in resolutione ultima rerum omnium, Quæ sunt autem ultima in resolutione eaque sunt prima in compositione, ex ipsomet Aristotele passim in Physicis: sunt autem hæc quinque elementa aqua terra sulphur seu oleũ, spiritus seu Mercurius, & Sal. Sal ergo Mercurius sulphur aqua, & terra res omnes component cum in resolutione ultima rerum omnium reperiantur & perinde etiam corpus humanum hisce quinque elementis componetur. Ad hanc autem compositionem rationibus, & experientiis confirmandam, & stabiliendã, infirmare primo oportet, primam antiquorum compositionem rerũ omnium, ex igne, & aere, ignis pri-

Ignis & aer non sunt elementa.

Quinque sunt elementa ex quibus res omnes cõponuntur

Quinque elementa reperiuntur in resolutione ultima rerum.

Sal Mercurius sulphur aqua & terra sunt quinque rerum omnium elementa.

mo nullo pacto esse potest elementum: quod enim, destruit unumquodque non componit, ignem autem omnia destruere satis experientia constat, ergo nulla componet, & perinde non esse poterit elementum enim elementat, fovet, conservat, nutrit, & alit res omnes quas componit, ignis autem ut experientia patet, nihil horum agit ergo nequit esse elementum. Elementū etiam nullo pacto nec natura nec arte, resolvitur, nec resolui potest, in res alienas, at ignis ipse materialis qui videtur, & palpatur, & vocatur nomine ignis, & nobiscum versatur resolvi potest imo naturaliter per se resolvitur in quinque alia prædicta elementa, in salem, Mercuriū, sulphur, aquam, & terram, ergo nō est elementum sed purum mixtum, & vere mixtum est & quid compositum, cum singulis diebus oriatur, & fiat, & progignetur ex rebus omnibus combustibilibus, variisque aliis modis producatur, ut ex frictione valida corporum duorū ex lumine cum speculis concavis dispersum lumen coarctatur, & ex pluribus lucis radiis fit unus radius compressus, & compactus, qui purus est ignis omnia comburens & omnia destruens. Ex phiala etiam vitrea aquæ plena, & radiis solis exposita ardentibus, stupis & rebus aliis facile combustibilibus suppositis producitur verus ignis, ergo cum quotidie producatur, & generetur ignis variis modis ac viis, non potest esse ullo pacto elementum; elementa siquidem sunt ingenerabilia & improducibilia. In resolutione ultima etiam rerum nullarum reperitur ignis ergo neque etiam reperietur in prima rerum compositione, & cum non reperiatur in compositione non poterit esse elementum. Reperitur quidem sulphur quod ab antiquis dicitur ignis sed improprie, & similitudinarie nec omnino habet proprietatem, & naturam ignis sed longe aliam, ignis etiam præterea nutritur ex quibus componitur, nutritur vero ut conservetur, ergo cum egeat perpetuo alimento non potest esse elementum, quia elementum non eget alimento, ut conservetur, sed a se ipso conservatur.

Ignis qua ratione non sit elemētum.

Ignis est quid compositum & quotidie producitur.

Elementa sunt ingenerabilia.

Ignis etiam non est substantia cum per se non subsistat, sed in substantiis conbustibilibus habet esse perinde non est elementum.

Videndum jam est an aer sit elementum: aer autem non potest esse elementum cum corpora rerum nō ingrediatur tanquam quid componens, & constituens essentiam rerū sed tanquam replens poros corporum ut sit vehiculum superiorum elementorum cum inferioribus & deferat spiritum lucis rebus omnibus necessarium ut probatum est, & demonstratum tractatu superiori de spiritu: cum ergo aer non ingrediatur compositionem sed tantum repleat poros ut deferat spiritum lucis, non potest esse elementum, sed vehiculum spiritus cœlestis; non potest esse etiam elementum aer, cum in poris elementorum omniū reperiatur aut elementa reliqua etsi ad

Aer non est elementum.

ad simplicitatem suam reducta erũt semper elementata, & composita nec unquam ad simplicitatem poterunt reduci, quod aer sua subtilitate, & simplicitate poros eorum repleat, quia autem hic aer replens poros non est pars componens, sic non erit elementum constituens eorum essentiam, & naturam sed replens eorum poros, ut tota natura sit inter se unita, & coniuncta; & ut aer externus non est de compositione rerum sic nec internus aer erit de compositione interna, rerum cum aer externus, & aer internus sint ambo ejusdem naturæ, & essentiæ, nec ullo pacto differant, & distinguantur inter se nec etiam erit aer elementum cum non reperiatur in resolutione ultima rerum tanquam quid resolutum sed tanquam quid exterius oppositum poros replens elementorum resolutorum ergo non erit aer elementum cum non reperiatur tanquam quid resolutum in resolutione ultima rerum ac perinde etiam non reperietur in compositione tanquam quid componens. Ex his omnibus patet, clarissime aerem non esse elementum, nec ignem: his ergo explosis, & expulsis elementis ex compositione rerum omnium, facillimum jam nobis erit, nostra confirmare elementa superius allata, aquam puta terrã sulphur salem, & Mercurium: hæc omnia, & sola reperiuntur elementa, in compositione, rerum omniũ, & in earundem rerum ultima resolutione, sic verissime sunt elementa, ex quibus res omnes componuntur Nam si mixtum aliquod quodcumque sit sive corpus humanum aut aliud includatur vasi distillatorio æneo vel ferreo, fortissimo, & vas illud optime clausum ne ullo pacto respiret imponatur furno, & supponatur ignis per gradus, ignis agens in mixtum vasi ferreo distillatorio inclusum, corrumpet mixtum, & resolvet in sua principia, & elementa primo per distillationem egredietur aqua, quæ si multoties rectificetur, distillando ultimam simplicitatem aquæ acquiret, nec amplius mutari poterit in aliam substantiã sed semper persistet, & permanebit, in substantiam simplicem aquæ, ergo erit simplex elementum aquæ, mixtum tale componens, quod resolutum est in talem aquam simplicem. Si feces istius aquæ reserventur, quicquid habet compositionis, ultimo in rectificatione ultima fœcum reperietur, continuetur autem distillatio egredietur, postquam aqua egressa fuerit, oleum quoddam, & spiritus egresso autem oleo, & spiritu separentur ambo, & in separatis vasis distillatoriis rectificentur, multoties, donec ad simplicem puritatem substantiæ simplicis reducantur, conserventur fœces, & reponantur cum fecibus aquæ superius rectificatæ, oleum istud, & spiritus erunt substantiæ, & inter se distinctæ ac differentes & postquam

Aer non reperitur in resolutione tanquam quid resolutum.

Elementa quinque quia reperiuntur in resolutione ultima rerum

ultimam

ultimam puritatem adeptæ fuerint nunquam amplius permutabuntur, in alias substantias sed immutabiles, & incorruptibiles permanebunt fixæ, & constantes in immutabilitate suæ, substantiæ sic erunt vera elementa quæ componebant mixtum, illud quod resolutum est, in hæc elementa Continuetur adhuc distillatio, & fortissimo igne igniatur vas distillatorium, ut omnino destruatur & resolvatur mixtum inveniemus nihil amplius distillari posse, si omnes partes olei, & spiritus sint egressæ, invenientur in fundo vasis distillatorii cineres omnino aridi sicci. & combusti albi coloris si sit absoluta, & perfecta distillatio. Accipiatur hic cinis, & bulliat cum aqua communi stillatitia per horæ quadrantem sufficienti in quantitate aquæ, ut quicquid est salis in ipso cinere, transeat in aquã distillatitiam, imponatur hoc omne super cartam bibulam infundibulo superpositam, ut quicquid est aquę per falsum illud trajiciatur in vas vilveum suppositum, & fœces remanebunt super cartam bibulam super fœces has trajiciatur adhuc aqua nova stillatitia, ut quicquid est salis in fecibus restitans dissolvatur, & transeat cum aqua in vas suppositum tantum aquæ novæ, & recentis stillatitiæ, imponatur donec dulcis omnino, & insipida per fultrum transeat. Tunc temporis distilletur hæc aqua omnis, & quod stillat reservetur ad de novo resolvendum quod in fundo alembici remanet satis succi, quod est de novo calcinandum, & igniendum fortissimo igne, in fine distillationis ut omnino [illegible]descat: & toties hoc est iterandum donec sal in fundo alembici, persistens nullas in sulatione, sua relinquat fœces, & purum omnino dissoluatur, in sua aqua distillatia, & colorem tandem rubeum acquirat: tunc temporis est absolutæ perfectionis, & simplicis elementaris substantiæ, fœces sunt conservandæ, & reponendæ cum reliquis omnibus fœcibus omnium reliquorum elementorum, & collocandæ in alembiro ferreo, & forti igne distillandæ, ut quicquid stillari potest ascendat, & quod erit ex natura aquæ, aquæ erit conjungendum post ultimam sui rectificationem, & quod erit ex natura olei spiritus Salis, & terræ, post ultimam sui rectificationem & purificationem & erit oleo spiritui Sali, terræ conjungendum. Et sic in resolutione, quæ hac arte elaboratur, nihil invenietur quod non sapiat vel aquæ vel terræ, vel salis, & olei, & spiritus naturam, & essentiam. Et sic clarissimum erit totum mixtum resolutum esse in hæc sola elementa, quæ cum quinque numero, tantum reperiantur concludemus omnino quinque tantum esse elementa. & reperiri in compositione, rerum omnium cum nulla alia reperiantur in resolutione ultima rerum omnium Sic corpus humanum etiam componetur

Quinque tantum elementa in resolutione rerum reperiuntur.

his quinque solis numero elementis, cum in resolutione ultima ejusdem corporis humani nulla alia reperiantur elementa. Et ut adhuc clarius hoc pateat, de singulis his quinque elementis nobis erit sermo, peculiaribus sequentibus capitulis,

De elemento aquæ ex quo componitur corpus humanum, quid sit, & quale sit.

CAPUT. IV.

Aqua elementum quid sit.

Elementum aquæ, ex quo componitur corpus humanum & reliqua cuncta naturalia mixta, est corpus naturæ simplex & homogeneum humidum, & frigido coagulabile, ad caliditatem, & frigiditaté indifferens: sed propria, & innata huius elementi qualitas, quæ illi soli convenit, & semper est coagulatio & congelatio à frigore externo, reliqua enim elementa frigido non congelantur nisi permixta sint reliquis elementis. Fecerunt antiqui philosophi ipsum elementum aquę frigidum, & humidum, & humiditatem fecerunt propriam, & innatam suam qualitatem, quod quidē pace antiquorum dixerim est prorsus à veritate alienum quod enim proprium est; & innatum unicuique elemento, est illi soli, & semper conveniens, & competens, humiditas enim soli aquæ non competit sed aeri, quem admittunt in numerum elementorum non autem deberet convenire elemento aeris, si humiditas esset propria, & innata qualitas elementi aquæ proprium enim est, ex definitione ipsius Aristotelis in Logicis quod uni soli, & semper competit & convenit: humiditas autem non solum aquæ cōpetit sed aeri, ergo inde concluditur, non posse esse qualitatem propriam, & innatam aquæ, cum & aeri competat. At congelatio, & coagulatio à frigore soli aquæ convenit, & semper illi competit, & quadrat; & aliis omnibus elementis nullo pacto, idonea est, ergo propria, & innata erit aquæ qualitas, & prima hujusce elementi, ut in Physicis nostris dilucidius demonstrabitur. Iam vero qua ratione, & via componat, corpus humanum, & res omnes alias nobis est demonstrandum una cum reliquis elemētis. Elementa omnia in centro terræ conveniunt, & fiunt quid unum quod dicitur semen seu alimentum generale mundi hujus, & naturæ, hoc semen & alimentum sublimatur calore suo naturali, & centro terræ pervenit ad matrices rerum omnium. Hoc est res omnes, & singulæ sugunt & attrahunt illud alimentū & convertunt in sui substantiam, & deinde dum nutritæ & saginatæ sunt illo generali alimento producunt ex sua substantia illud semen particulare sibi quod ad ipsarum rerum propagationem inservit, & sic res omnes fiunt ex illo generali mundi & naturæ alimento seu semine.

Proprietas aquæ qualis sit.

Humiditas non est propria qualitas aquæ.

Proprium quid sit.

Res omnes ut fiunt ex elementis.

Elementa in centro terræ conveniunt.

mine Conveniũt omnia elementa in centro terræ, & ibi permiscentur ut dictum est, & fiunt unum quid & adunatum ex quinque elementis, omnibus. Cœlum influxibus suis & radiis descendit in inferiora elemẽta, & permiscentur simul cum sint ejusdem essentiæ & sic superiora elementa, & inferiora in centro terræ conveniunt & permiscentur, & fiunt rerum omnium generale alimentum, & semen; quod ascendendo, & res omnes nutriendo, fit particulare semen, & sic res omnes propagantur, & multiplicantur, suo particulari semine; & sic homines omnes propagantur, & multiplicantur suo particulari semine, quod nutrimentum sumit, & conservationem suam ex semine illo generali ex quinque elementis cõpacto. Sic corpora humana una cũ rerum aliarum omnium corporibus, fiunt & componuntur, ex quinque nostris supradictis elementis, sic aqua elementum rerum omniũ compositiones, & corporis humani texturam ingreditur una cum reliquis elementis. Iam nobis terræ est disquirenda, secundum rerum omnium elementum, & qua via & modo rerum omnium compositionem ingrediatur, & corporis humani texturam faciat quod capite sequenti lucidilissime demõstrabitur in gratiam chymicæ artis candidatorum. Sic nobilissimæ huiusce artis candidati, ab erroribus ordinariis, & communibus, qui apud Vulgum versantur extricabuntur.

Homines omnes ex semine & illud semen ex semine generali.

De terra rerum secundo elemento, quid sit & qualis sit.

CAPUT V.

Terra in resolutione ultima rerum omnium ultimum reperitur elementum & tamen secundũ facimus nos rerum omnium elemẽtum, quod sit fundamentum aliorũ omnium & radix & quod visibiliter appareat, nam corpora omnia plus sapiunt ac redolent essentiam & naturam terræ, quam aliorum elementorum. Vt ergo penitus cognoscatur terra, jam nobis erit definienda, terra ergo est elementum spongiosum, rarum, leve, porosum, frigidum & siccum, atque friabile, radix & fundamentum compositionis rerum omnium in qua radicantur reliqua alia elementa, ut cũpositionem rerum omnium absolvant una cum ipsa terra.

Terra qualis sit elementis.

Terra quid proprie sit.

Hæc definitio absolute & perfecte, essentiam, & naturam, & qualitates ac proprietates innatas, & peculiares terræ ostendit ac demonstrat, quæ soli terræ competunt & illi semper quadrant, nec aliis elementis quadrare, & convenire possunt. Hinc clare, & manifestissime patet, quantum errarint Philosophi an qui in definienda terra, cum ipsi fecerint ponderosam solidam, & fir-

Terra non est ponderosa, nec solida & firma sed friabilis, & porosa.

mam; non potest enim terra ullo pacto esse ponderosa firma, & solida, cum sit per se rara, spongiosa, & poris plena, ac friabilis, & perinde levissima elementorum omnium, ut patet experientia ipsa, rerum omniũ magistra: nam pumex lapis est, lapis spongiosis rarus poris plenus, & perinde levissimus, & si comburatur, & reducatur in calcem, in illa calce reperietur plus terræ, quam reliquorum omnium elementorum, & plus erit terræ, in libra una ipsius lapidis pumicis, quam in libra una marmoris quod cæteros lapides pondere antecellit, in ipso enim marmore, erit minus terræ, quam in ipso pumice lapide, ergo inde concludendum erit terram ipsam esse principium levitatis, & raritatis; Vnde corpora omnia quæ plus terræ habent hæc leviora erunt omnibus aliis corporibus unde Suber quod levitate, & raritate vincit arbores omnes, plus habet terræ, quã reliquæ omnes arbores pondere præstantes, unde Buxus, & Hebenus minus habent terræ, & plus salis, & spiritus aridi, quam reliquæ arbores, etsi sunt ponderosæ arbores unde facili via conspiciemus, & manifestum habemus soliditatem, firmitatem, & pondus non à terra orginem habere, sed raritatem, levitatem, & porositatem, & friabilitatem ut ita loquar ab ipsa terra proprie, & innate dependere Ponderositatem autem firmitatem & soliditatem, ab aliis pendere elementis

Terra est principium levitatis.

nempe à sale, & ab spiritu arido, ut patet in metallis, & in lapidibus, qui sale turgent, & spiritu arido, unde cum hæc sint elementa pondere reliqua elementa superantia, ideo mixta corpora quæ hisce elementis turgent pondere etiam vincunt reliqua mixta corpora, ut inferius videbimus capite de sale, & spiritu.

pondus firmitas, & soliditas à sale spiritu & sulphure dependent.

Propria ergo, & innata qualitas terræ, quæ illi soli, & semper competit, non est frigiditas nec siccitas, quia hæ qualitates non illi soli elemento conveniunt neque illi semper competunt: frigiditas enim, & siccitas sali conveniunt æque ac terræ, friabilitas autem terræ soli convenit, quapropter erit propria, & innata ac peculiaris terræ qualitas quæ illi soli, & semper convenit, & conpetit. Hæc autem omnia quæ iam nova, & inaudita videntur antiqui Philosophi non cognoverunt, quia resolutioni corporum numquam nec ullam dederunt operam, nec unquam terram simplicem, & puram viderunt, & conspexerunt, sed tantum mixtam, & compositam cum reliquis elementis. Viderunt enim quo profundius, & altius foderetur terra, ipsam esse solidiorem firmiorem, & ponderosiorem itaq; imaginati sunt in centro terræ, purissimam ibi esse debere terram, & quatenus viderunt in profundissimis antris terram esse solidissimam, & marmoream, eamque puriorem, & cristallinam in quibusdam locis, & ponderosissimam nulla re alia consi-

Frigiditas & siccitas non sunt propriæ terræ qualitates.


Friabilitas est propria terræ qualitas.

Vndinam antiqui colligunt terram esse frigidam & siccam.

considerata & ponderata existimarunt exinde terram esse frigidam, & siccam ac pondere cætera elementa omnia vincentem inde suspicati sunt, & imaginati centrum ipsius terræ solidissimum esse quid cristallinum, & ponderosum, & virgineũ cum ibi propter soliditatem generationes, & corruptiones rerum pervenire non possent ibi in centro terræ, terram virginem collocarũt hoc est puram & simplicem nullius corruptionis, & generationis maculis infectam, & maculatam. At quantum aberrarunt antiqui per se satis notum est cum terra ubicũque locorum sive in superficie sive in medio, & in ipso centro sit semper destinata, & creata ad generationes, & corruptiones rerum, imo & in centro suo magis apta est ad generationes, & productiones rerum quam in alia parte, cum in centro suo conveniant, & concurrant omnia elementa ubi miscentur ad generale illud & universale alimentũ, & semen rerum omnium producẽdum, nisi enim hoc fieret in centro non posset illud generale alimentũ, & semen æqualiter distribui omnibus terræ, & aquæ partibus ut in his partibus quæ sunt nutrienda, & generanda, nutriat & producat, nutriat, ut alimentum, producat ut semen, Vt enim in homine, & in reliquis animantibus omnia alimenta conveniunt, & projiciuntur in unũ locum qui est quasi centrum corporis in hepate puta, ubi digeruntur, & percoquuntur in generale, & universale alimentum partium omnium; sic in magno mũdo oportet, ut omnia elementa, quæ ad generationem, & nutritionem rerum omnium necessaria sunt, projiciantur in centrum mundi hujus, & naturæ. Centrum autem mundi, & naturæ est centrum terræ ubi omnia elementa projiciuntur ut ibi misceantur, & mixta digerantur, & percoquantur in alimentum generale, & semen universale, ex quo res omnes, & nutriri, & fieri habent: Sic nullo pacto dubitandum est; quin terra quam calcamus sit ubicumq; partium suarum permixta, semine illo generali, & alimento, quod reliqua omnia continet elementa, terram vero simplicem elementarem, quæ in omnibus corporum resolutionibus reperitur, esse corpus simplex elementare, spongiosum tatũ leve porosum valde, frigidum, & siccum & potissimum friabile, quæ ultima qualitas est terræ propria, & innata, & illi soli, & semper convenit.

Terra ubiq; locorum est generationi apta.

Quare in centro terræ conveniunt omnia elementa ut fiant generale alimentum.



De spiritu tertio rerum omnium elemento, quid sit, & qualis sit.

CAPUT VI.

Spiritus ut est elementum rerum omnium quid sit.

SPiritus est corpus simplex elemẽtare, compositionem rerum omnium ingrediens calidũ, & humidum, & acetosum subtilissimæ substantiæ, & ponderosæ, distinguitur ab aqua quod aqua sit insipida, & nullius saporis, spiritus autem est acetosus, & ponderosus, & aquæ fundum petit, nec illi permiscetur nisi cum violentia, aqua etiam nullo pacto est penetrans ac dissolvens res omnes, spiritus autem omnia penetrat, & cuncta dissolvit in reliqua elementa convertit atque resolvit, permiscetur autem sali puro, & simplici deinde hæc duo permiscentur aquæ, & hæc tria oleo, seu sulphuri, & hæc quatuor terræ permiscentur & compositum perenne, & immortale producunt cuius effectus, virtutes, & energiæ sunt fere infinitæ, & præpotentes. Quod sic hoc compositum iterum spiritu suo addito dissolvatur in sua elementa, & hæc elementa distillatione rectificentur & post rectificationem & purificationem eorum iterum coniungantur modo prædicto igne levi & cõtinuo, fit inde, & exurgit compositũ spirituale perenne, & immortale quod ignis vulgaris corrumpere nõ potest, nec destruere infinitas habens energias, & virtutes prioribus longe majores, & efficaciores. Sic excogitarunt antiqui chymici metalla resolvere spiritu metallico, in sua elementa, & hæc omnia elementa purificare ab excrementis suis, & pura deinde hæc elementa coniungere, & metallum producere novũ quod auro fermentatum reliqua metalla imperfecta, & impura purificat, & ad naturam & essentiam auri reducit. Sic etiam animalium corpora spiritu animali resolvere, excogitarunt, & in animalium elementa reducere & reducta purificare, & purificata iterum conjungere in unum corpus purum adeo, ut virtutem habeat, purificandi cætera corpora animalium, & morbos omnes curandi, & sanitatem eorum prolongandi, & conservandi in multos, & longissimos annos, sic spiritus iste, in tria genera animantium puta, vegetantium, & mineralium habet potentiam miram & efficacem ut ipsa reducat in sua elemẽta, quæ deinde arte purificata, & iterum conjuncta faciunt mirum, & stupendum mixtum renovatum, & resuscitatum, perenne, & perpetuũ infinitas habens virtutes. Sic dixerunt antiqui naturam natura lætari naturam naturam continere, & naturam natura resolvere debere, & solutionem veram, & legitimam fieri debere à natura simili, & eadẽ quia debet fieri spiritu illo acetoso, qui in rebus omnibus reperitur tanquam proprium, & innatum elemẽtum. Hinc colligitur quam vere scripserunt antiqui chymici lapidẽ eorum

Differentia aquæ, & spiritus.

Novum metallum qua via fiat, ut reliqua metalla perficiat.

Philosophorum lapis qua ratione ubique reperiatur.

eorum in omnibus rebus, & ubique locorum reperiri quod spiritus iste sit lapis eorum, quia ipsum componit, & facit, & sine illo fieri nullo modo potest quia quamvis reliqua elementa, ingrediantur compositionem lapidis, nihilominus tamen si ne tali spiritu corpora metallica resolvi non possunt in sua elementa & si non resolvantur purificari non possunt, & si non depurentur, conjungi iterum non possunt in novũ, & resuscitatum metallum quocirca, spiritui huic qui hæc omnia solus facit debetur hic honos, & laus & nomen lapidis ipsi soli meretur cũ solus lapidem conficiat & peragat hic spiritus in cœlis est in aere in aqua, & in terra, & est nodus, & vinculum superiorum & inferiorum elementorum, estque ille solus de quo antiqui enarrant infinita ænygmata, & mercurium ipsum nuncuparunt, ab orco, & in orcum animas rerum omniũ ducens vel reducens, hic resolutionem, & compositionẽ rerum omnium solus faciat hic cõponit spiritus vitales animales, & naturales rerum omnium, hæ enim substantiæ quæ dicuntur spiritus in rebus omnibus, non sunt hic spiritus elementaris, & simplex sed sunt quid compositum, ex reliquis elementis, & hic spiritus elementaris abundat: & præeminet cæteris elementis & ideo hæ substantiæ dicuntur spiritus nihilominus tamen nõ spiritum elementarem, & simplicẽ nominari merentur, ut tractatu de spiritu humano superius allato satis clare, & dilucide demonstratum est. His ita positis jam concludere possumus spiritum, quo corpora omnia componuntur tamquam elemento simplici, esse corpus simplex elementare subtilissimum, & tenuissimum, acetosi saporis, quæ qualitas est illi propria, & innata illi soli & semper conveniens, qua sola differt ab aliis quatuor elementis. Est deinde secundario calidus, & humidus, sed hæc humiditas, & caliditas non est primaria sua qualitas sed secundaria, & dependet ab acetositate sua innata, quæ est illi prima, & innata sua qualitas, & in physicis nostris clarissime demonstrabitur.

Spiritus metallicus solus quare dicatur lapis philosophorum.

Qualitates propria & innata spiritus.

De oleo seu sulphure, quarto rerum omnium elemento quid sit, & quale sit.

CAPVT VII.

Sulphur Philosophorum chymicorum non est sulphur elementum.

DE sulphure multa dixerunt, & scripserunt chymici Philosophi, at illud sulphur de quo locuti sunt chymici non est rerum omnium elementum sed est quid compositum, ex quatuor aliis elementis, unde dixerunt sulphur eorum, & Mercuriũ numquam separari posse sed simul esse, & simul præparari quia virtutem tingentem, & coagulantem sulphur dixerunt quæ virtus semper conjuncta reperitur cũ sale chymico, & ejus humiditate, humiditatem spiritum dixerunt, & Mercurium, & corpus ipsius humiditatis salem nuncuparunt. Sic

ita

in corpore salis tria inclusa erunt sulphur puta Mercurius, & sal, quæ quidem ab invicem separari possunt & ad simplicem elementarem substãtiam possunt arte reduci nos autem hic, oleum seu sulphur ut est rerum omnium simplex elementũ, non dicimus esse quid coniunctum & adunatum cum Mercurio, & sale sed quid distinctum, & separatum & diversæ omnino substantiæ quod quidem sulphur ut est simplex elementum rerum omnium ita definire possumus. Sulphur est corpus simplex elementare inflammabile, & ardens, corporum omnium compositionem ingrediens, & suo glutine reliqua elementa ligans, & convigens in unum compositum. Propria & innata, qualitas huiusce elementi, est inflammabilitas, & quamvis inflammetur & comburatur non perinde resolvitur in aliam substantiam sed rarefit tantum, dum inflãmatur, & comburitur, & tandem redit in suam ipsammet substantiã primam, & quamvis centies, & milles igniatur, & inflammetur semper redit in suam primam substantiam sulphuream quod experientia comprobatur si eius flamma recipiatur intra recipiens vas aliquod, quæ flamma dum extinguitur redit in sulphur, & oleum primæ substantię simile omnino, ut aqua simplex elementaris dum resolvitur, & convertitur in vaporem. Vapor hic frigefactum recipientue vitrea inclusitus redit statim in aquam eandem, & similem, & spiritus itidem dum convertitur in vaporem vapor si retineatur statim redit in eundem, & similem spiritum, sic etiam fit de sulphure nostro, & oleo simplici, & elementari: ita omnia elementa post quam simplicitatem suam adepta fuerint immutabilia sunt, & incorruptibilia, quamvis rarefiant, & in vaporem convertantur, nihilominus maneat eadem rarefactio illa non mutat substantiam eorum sed tantum rariorem, & tenuiorem reddit, sed etiam postquam calor ille extraneus evanuit qui talia elementa attenuat, & rarefacit redeunt statim in eandem primam substantiam: inflammabilitas ergo est propria, & innata huiusce elementi qualitas quia semper illi, & soli convenit, & competit at datur sulphur incombustibile ut in metallis perfectis, auro & argento, & in lapidibus perfectis sulphur istud quod reperitur in hisce rebus est incombustibile, & inflammabile, ratio in promptu est quia in hisce perfectis metallis, & lapidibus pretiosis ita temperatur sulphur, & permiscetur aliis elementis, quæ sunt inconbustibilia sunt enim quatuor elementa incombustibilia, quæ dum permiscentur auro, & argento, & lapidibus pretiosis perfectis, conbustibilitatem sulphuris impediunt, & suis aliis innatis qualitatibus incombustibilibus, combustibilitatem sulphuris impediunt nihilomnius tamen in sua separata natura, semper sulphur est inflammabile,

Sulphur ut est elementum rerum omnium quid sit.

Propria qualitas sulphuris est inflammabilitas.

Elementa simplicia immutabilia sunt rarefiunt quidem ut perinde non mutantur.

Sulphur semper est combustibile, & inflãmabile.

mabile, & ardens. Vt apparet in ipso auro, dum enim aurum manet in sua compositione, auri elementa sunt in ipso auro constantia, & permanentia in igne, sed si resolvatur aurum in sua elementa, tum aqua, spiritus, & sulphur auri volatitia fiunt quæ tamen in ipso auro erant constantia, & fixe permanentia in quocumque igne. Et sulphur auri quod erat in ipso auro incombustibile postquam separatum est, fit combustibile: & inflammabile: ut apparet in auro tonanti, & fulminanti, quod æque est inflammabile & combustibile ac pulvis tormentarius, unde non immerito dicitur aurum fulminans, & tonans quod tonitrua, & fulmina ipsius naturæ fere imitetur. Ab inflammabilitate ipsius sulphuris, quæ est sua propria & innata qualitas, dependet, caliditas & humiditas, quæ sulphuris secundæ qualitates habentur; & ab his secundis qualitatibus dependet maturitas, in rebus omnibus, quæ perficitur à sulphure essentiali rerũ omnium simplici elemento, & à maturitate vel cruditate dependent colores omnes, qui in corporibus omnibus reperiuntur id omne à sulphure elemento originem habet, dum enim sulphur sua caliditate coquit & digerit mixta corpora, quæ componit, inter coquendum, & digerendum secundum gradus coctionis, & cruditatis apparent colores, varii, & distincti.

Caliditas & humiditas sint secundæ qualitates sulphuris.

Colores ut fiant à sulphure.

His ita declaratis jam concludere possumus sulphur esse elementum simplex inflammabile calidum, & humidum maturitatem, & coctionem in rebus omnibus efficiens, & secundum coctionis gradus varios colores, & distinctos in mixtis corporibus quorum compositionem ingreditur, efficiens, & componens, & similiter in corpore hæc omnia perficit & peragit dum corpus humanum tanquam elementum componit.

De sale rerum omnium quinto elemento, quid sit, & quale sit.

CAPVT VIII.

Principium & elementum non differunt.

SAlem antiqui Philosophi chymici fecerunt principium rerum omnium una cum sulphure, & mercurio, sic tria constituerunt rerum principia quæ originem habuerunt ex elementis. Fecerunt antiqui chymici, recentes aliqui ut Sendinogius distinctionem inter elementa, & principia, at pace eorum dixerim: principium est elementum, & elementum est principium, & nullo pacto differunt principium, & elementum. Perinde tamen non errarunt antiqui chymici nec recentes, sed confusum hoc, & obscurum nõ explicarunt: quia principium immediatum ex quo res omnes componuntur quale est semen potest dici principium & elementum proximũ & immediatum: quod quidem principium ut semen verum rerum omnium componitur ex quinque nostris elementis: Hoc enim

semen quod componitur ex puris nostris elementis in centro terræ, in naturam salis cuiusdam, convertitur, & apparet in corpore salis at in ipso sale sunt reliqua omnia elementa, ex quo sale mixto eructant vapores, & exhalationes, ex quibus omnia fiunt conservantur, & nutriuntur. Sed hi vapores, & exhalationes continent in se quicquid habet, & sal primum ex quo eructarunt: non potest enim sal sua densitate, & crassitie poros omnes terræ penetrare altiusque sublimari perinde resolvitur in vapores qui altius ascendũt & exhalationes & sic tandem ipse sal ab ipsamet sua natura, & essentia resolvitur, & attenuatur in exhalationes, & sic ascendit, & penetrat totum terræ corpus, & aquæ, imo & aeris ut ex eo semine res omnes fiant, & producantur. At istud semẽ est quid compositum ex quinque elementis, ut ex ejus anatomia, & dissectione patet, & ratione etiam convincitur manifesta, nam cum componat immediate mixta corpora sui generis, ut verbi gratia semen metallicum quod habet speciem salis unctuosi, & viscosi, producit, & generat metalla & cum metalla remote componatur ex quinque elementis necesse est ut semen metallicum componatur, ex quinque elementis. Non enim metalla immediate componuntur ex elementis sed ex semine suo quod est metallorum materia prima immediata, & non remota, & ulterum regenerẽtur metalla ut possint inter se transmutari necesse est ut reducantur in semen suum immediatum, ex quo immedia tum ortum habuerunt, & non in elementa sua ex quo remote originem duxerunt: hoc semen quidem potest dici improprie principium, & elementum sed non proprie & strictè loquendo, quia elementa non reducuntur in elementa, nec principia in principia, alioquin si reducantur non sunt principia nec elementa. Sendirogius cosmopolita doctissimus author chymicus hoc non ita stricte explicavit, sed principia chymica ex elementis composuit, ita ut principia sint mixta, corpora, cum ex elementis componantur. Nos illa principia, magis proprie loquendo dicimus semina rerũ & quia in his seminibus relucent potissimum sulphur nostrum sal, & Mercurius: quod quidem sulphur cum non ultimam resolutionem, & perfectam adeptum sit pariter sal, & Mercurius ideo dixerunt & imaginati sunt chymici nonnulli dari principia tria rerum ex quibus immediate res omnes componuntur, & hæc principia fieri ex elementis, cum possent resolvi in elementa, sed hæc tria principia sunt unum semen. Nam quamvis distinguantur aliqua ratione, quod natura sulphuris in aliqua portione istius seminis prævaleat ideo dicitur sulphur & quod natura Mercurii prævaleat in alia portione, hæc portio dicitur Mercurius & quod natura salis prava-

Sal terra ex quo eructant vapores non est quid simplex sed quid compositum.

Semen metallicum componens metalla quid sit, & quale sit.

Reductio metallorum in primam materiam qualis sit.

Qua ratione semen metallicum habeat in se quinque alia elementa.

Qua ratione semen metallicum cũ nomine sulphuris mercurii & salis afferatur.

prævaleat in altera portione seminis, dicitur hæc portio sal, sed singulæ portiones sunt compositæ ex aliis, & adhuc ex terra, & aqua unde sunt quinque elementa in singulis istis principiis, & suos unum, & idẽ semen, quod ratione prædominantis sulphuris, dicitur sulphur, & ratione prædominantis Mercurii dicitur Mercurius, & ratione prædominantis salis, dicitur sal, sed sunt unũ, & idem numero semen hoc male explicatum, & sic confuse intricatũ confundit, & intricat scientiam Alchymiæ, at cum authores chymici non studeant, & curam non habeãt Alchymiæ notificandæ, & clarificandæ sed potius obscurandæ, ideo nõ curant res ita explicare. Redeamus jam ad salem nostrum. Sal ergo est corpus simplex elementare, compositionem rerum omnium ingrediens in occulto sui calidum, & humidum & in manifesto frigidum, & siccum in humido resolubile, & in calido coagulabile quodque in ultima rerum omnium resolutione reperitur conjunctum cum terra elementorum omnium radice, & fundamento: hocque separatur à terra per aquam mundam, & nitidam stillatitiam, & postquam separatum est, & multis calcinationibus, & solutionibus ab omnibus suis excrementis terreis vindicatum est, tandem acquirit ultimam perfectionẽ per depurationem, & tunc temporis simplicitatem elementi salis acquirit, nec amplius mutari potest, & destrui in aliam substantiam: & sic completum est, & absolutum quod dixi de natura, & essencia salis, ut est simplex elementum rerum omnium, & præcipue corporis humani. Iam videndum est an quatuor humores vulgares qui per tot sæcula corpus humanum constituerunt ex galeno & hypocrate aliisque Medicis, jam constituant, & qua via, & ratione antiqui Medici, & Philosophi delusi fuerunt in compositione corporis humani.

Sal ut est es elementum rerum omnium quid sit.

Qua via sal separetur ab excrementis suis ut ad simplicem puritatem elementarẽ deveniat

An quatuor humores sanguis pituita, & utraque bilis constituant corpus humanum.

CAPUT IX.

Corpus humanum non resolvitur in quatuor humores ergo nec componitur.

Vidimus capitibus superioribus ex resolutione rerum omnium & perinde etiam ex resolutione corporis humani, corpus humanum nullo pacto constitui ex sanguine, ex pituita & ex utraque bile, flava puta, & atra, quia non resolvitur corpus humanum nec arte, nec ab ipsa natura, in sanguinem pituitam & utramque bilem; quæ sunt enim prima, in compositione, sunt ultima in resolutione, & vice versa, quæ sunt ultima in resolutione sunt prima in compositione ex ipsomet Aristotele, & ex omnium peripatheticorum sententia. Cum autem hi quatuor humores, non sint ultimi in resolutione corporis humani, nõ erunt etiam primi in compositione,

nec dicendum est, & objectandum corpus humanum immediate componi ex his quatuor humoribus & quæ immediate componunt non reperiuntur in resolutione ultima rerum, sed tantum ea quæ remote componunt ea sola in resolutione, ultima reperiuntur, nam corpus humanum non immediate. & proxime cōponitur ex his quatuor humoribus, sed tantum ex semine, humano in quo etiam nullatenus, reperiuntur quatuor hi humores, sed quinque nostra elementa, superius declarata; quia semen non nutritur immediate. & proxime ex quatuor his humoribus, sed immediate, & proxime nutritur ex unico alimento homogeneo, & similari, ut ipsummet semen est quid homogeneum, & similare, nutritur homogeneo, & similari alimento, nutrimur autem, ex ipsomet galeno. & hypocrate, ex iisdem ex quibus componimur, immediate, nutrimur autem homogeneo, & unico alimento, cōponimur etiam ergo ex unico, & similari semine, quod nutritur ex unico illo, & similari alimento, nam unicum illud, & similare alimentum in testiculis, & vasis spermaticis fit semen humanum, ex quo immediate, & proxime fit corpus humanum. Semen autem humanum non fieri, ex quatuor illis vulgatis humoribus ac decantatis in libris medicorum, patet evidentissime, quod alimenta omnia quæ suminus ad nutritionē convertantur in ventriculo nostro

Componimur ex semine quia nutrimur illo alimento ex quo fit semē.

in chylum homogeneum. & similare alimentum quod cum adhuc sit imperfectum, & non absolute coctum mittitur in hepar, ubi perfectissime, & absolute coquitur & ultimam veri alimenti perfectionem acquirit. Illud autem alimentum in hepate absolute elaboratum est etiam unicum homogeneum & similare alimentum, & non quatripartitum in quatuor humores: si ergo in chylo, nec in sanguine reperiantur quatuor illi humores, non reperientur etiam in venis in arteriis, nec in ipsis partibus, in quas demandatur sanguis, ut nutriat partes ipsas, & fiat tandē pars sanguine mutato tamquam alimento in partem ipsam. Sic videmus euidentissime humores galenicorum non reperiri in corpore humano, & perinde corpus humanum nullo pacto componi ex quatuor hisce humoribus, sed tantum immediate, & proxime ex semine humano, remote vero, & mediate ex quinque nostris elementis superius declaratis. Iam vero videndum est qua via, & ratione allucinati sunt Medici antiqui circa istos quatuor humores qui pura excrementa sunt humoris alimentitii, qui dum totus non facessit in partes quas nutrit, quod remanet ex digestione partis, aliquando sapit naturam aquæ compositæ, & vocant pituitam dulcem, si aquosum istud excrementum insipidum sit, & non acre, si vero sit acre, & mordax vocant pituitam salitam & salsuginosam

Semen non componitur ex quatuor humoribus ergo neque sem n fit ex hu moribus.

Humores galenicorum non reperiuntur in corpore humano.

Allucinatio galenicorum circa humores unde orta sit.

sam, dum vero excrementum sapit naturam atri cuiusdam liquoris, & acidi saporis, vocant melancholicũ humorem, dum vero eadem excrementa sapiunt essentiam alicuius liquoris amari, & flavi sunt coloris vel viridis vocant flavam bilem vel viridem & porraceam bilem sed sunt plura alia fere infinita excrementa, quibus scatet alimentum, quibus nomina non dederunt, & sunt nihilominus omnino ab his supra citatis excremẽtis quæ nullo pacto componunt corpus imo potius destruunt, & morbos pariunt omnes, quibus tandem corrumpitur corpus, & destruitur, & hac in parte valde allucinati sunt antiqui omnes Medici, quod excrementis corporis humani dederunt facultatem, & energiam componendi corpus humanum: imo adhuc turpius errarunt quod passiones & facultates animæ humanæ ab his excrementis dependere asseverint, quod valde est absurdum, dependent enim ab ipso spiritu vitali, sanitatis totius vero, & unico œconomo, ut tractatu peculiari de spiritu superiori probatum est, & clarissime demonstratum.

concluditur corpus humanum non componi ex quatuor humoribus, sed ex semine, & semen ex quinque elementis.

His ergo ita positis concludere possumus, nulla labyrintea difficultate detenti, corpus humanum nullo pacto componi nec mediate nec immediate quatuor humoribus vulgaris, sanguine puta, pituita & utraque bilie, sed componi ex semine humano immediate quod componitur ex quinque nostris elementis, ut superius demonstratum est, & rationibus multis comprobatum ut medicinæ, & Philosophiæ candidati facilius nunc adhæreant nostris opinionibus.

De sanguine qua ratione fiat & an istud nomen illi proprie conveniat

CAPVT X.

Sanguis fit in hepate, & incipit elaborari in venis messeraicis nam in ipsis venis incipit rubescere chylus, & ultimam, & absolutam perfectionem acquirit in ipso hepate, & in tali perfectione conservatur in venis, & in arteriis & in his spiritu naturali impregnatur, sola virtute, & energia hepatis dum coquitur, & digeritur chylus à ventriculo per venas messeraicas in ipsum hepar demandatus, rubescit, & propter rubedinem dicitur sanguis. Nihil enim aliud est sanguis, quam chylus perfecte coctus, & rubificatus in ipso hepate, qui chylus, & sanguis meretur potius nomen alimenti quam chyli, & sanguinis; nutrit enim, & fovet & conservat partes omnes corporibus humani, & perinde ab officio suo, & fine propter quem elaboratur ab ipsa natura meretur potius nomen alimenti, & an-

Sãguis quid sit & quo nomine insigniri deberet.

& nutrimenti, seu humoris alimẽtitii quam nomen sanguinis, quod est nomen accidentis, & qualitatis, non essentiæ & virtutis. At id parum inter est, si sanguis simplex, & homogeneus constitueretur in corpore, at quatripartitũ faciunt Galenici, & asserũt in massa sanguinis esse & latitare tres alios humores, pituitam puta, & utramque bilem quæ simul permixta constituunt massam sanguinis: nam dum sanguis emittitur ex venis videtur in hos tres humores facessere in pituitosum liquorem, & aqueum quem vocant pituitam, & in flavum liquorem quem vocant flavam bilem, & in atrum liquorem fundum vasis petentem, quem atram bilem vocant. Etsi non habeat qualitates atræ bilis Galenicæ, quæ acidi saporis debet esse, ut & flava bilis amari deficiunt hæ qualitates propriæ nam ambæ sunt dulcis saporis. & perinde deficiet substantia ipsa, cum propriæ, & innatæ qualitates deficiant, quæ numquam relinquunt suam substantiam, si propriæ, & innatæ sint qualitates quæ semper, & solis substantiis competũt quibus propriæ sunt, sic etiam pituita eorum, non semper dulcis est & acrimoniæ expers sed acris est & mordax, & salsa imo & amara, & omnis fere qualitatis unde pituitam Galenicorum esse diversi generis, & non eiusdem speciei evidentissime patet, cum modo sit dulcis, modo acris, & pungentis qualitatis, modo acida, amara, causticantis qualitatis, quod quidem arguit verum esse excrementum alimenti generalis corporis humani, quod secundum varias, & distinctas digestiones quas patitur in diversis partibus varias acquirit qualitates, & hoc etiam arguere possumus de bile utraque, quæ vera sunt excrementa alimenti corporis humani, ut inferius clarissime demonstrabitur suis singulis, & peculiaribus capitulis.

Flava bilis & melancholia deficit in qualitate propria.

Pituita diversæ est qualitatis & perinde est excrementum.

Humores sunt excrementa alimenti nostri

Concludimus ergo sanguinem simplicem esse, & homogeneum in corpore humano elaboratum ab hepate ut sit alimentum universale corporis humani & ita deferatur per venas, & arterias, tanquam tubos, & canales ad universas & singulas corporis partes & mereri potius nomen alimenti generalis, quã sanguinis titulum: nomen enim sanguinis est nomen qualitatis nomen autem alimenti est nomen essentiæ officii, & finis, propter quem creatus, & factus est sanguis.

Sanguis est verum alimentum generale & homogeneum.

De

De pituita qua ratione fiat, & quare non ingrediatur compositionem corporis humani quia est excrementum.

CAPVT XI.

Pituita ut fiat in corpore.

DVm sanguis tanquam verum, & unicum alimentum partiũ omnium mittitur in partes corporis humani in his coquitur, & digeritur ut transeat in substantiam partium. Quod relinquitur ex digestione, & coctione illa est excrementum quod quidem si sapiat naturam aquosi liquoris, & humoris, pituitam dicũt Galenici. Vt contigit in vẽtriculo in intestinis, in cerebro, sanguis & chylus qui ibi demandatur non omnis transit per venas mesaraicas in hepar ut fiat sanguis perfectus, sed multa remanens in ipsis intestinis, & in ipso ventriculo aquosa glutinosa, & viscosa, quæ per anum, & per vomitum rejiciuntur tanquam vera excrementa. In cerebro etiam sanguis qui ad cerebrum mittitur ad ipsum nutriendum, coquitur, & digeritur, & cum totus in verum alimentum, & substantiam ipsius cerebri transire nequeat, reliqua quæ supersunt, excrementa aquosa glutinosa, & viscosa, albi, flavi, & viridis aliquando coloris; quæ vera excrementa sunt cerebri, & etiam tanquam excrementa foras mittuntur, per emunctoria naturalia, nares scilicet aures, & palatum, non tamẽ hæc excrementa formaliter, & essentialiter erant in sanguine, sed cũ sanguis alteratur, & corrumpitur per coctionem, & digestionem partis ut transeat in partem, & fiat pars ipsa, fiunt tunc temporis illa excrementa, & facta separantur. Vt in vẽtriculo apparet; cibi omnes quæ mittuntur in ventriculum ut coquantur, & digerantur, non habent stercora, & excrementa fœtida illa, quæ per anũ foras mittuntur ab intestinis, & tamen reperiuntur in fine digestionis ipsius chyli. Sic & reliqua excrementa, quæ foras amandantur tum per poros corporis, tum per emunctoria ad hoc destinata, non sunt in sanguine realiter, sed fiunt, & producuntur ex coctione, & digestione sanguinis, & perinde sanguis seu alimentum generale partium, non componitur, ex his excrementis nã ridiculum est hoc cogitare, & anile commentum. Et perinde evidentissime patet pituitam galenicorum non ingredi ullo pacto compositionem corporis humani sed purum esse excrementum ex digestione, & coctione sanguinis seu alimenti generalis: nec objiciendum est pituitam alimentitiam quæ in sanguine latet, sapere & redolere naturam aquæ nam si sit aqua vera, tunc concedimus pituitam ingredi compositionem sanguinis, & corporis humani ut purum nostrum elementũ. Sed pituita non potest dici aqua elementaris, cum pituita sit quid,

Excrementa semper fiunt & facta foras amandantur.

Excrementa qua separantur à sanguine non sunt actu in sanguine.

Pituita non potest dici aqua elementaris.

compositum & non quid simplex, & etiam si pituita ista alimentitia esset aqua, cur nomen aliud illi imponitur, non sunt enim multiplicãda entia sine necessitate, una & eadem res haberet duplex nomen, tanquam esset ens duplex, & varium & distinctum.

Pituita est purum corporis excrementum.

Concludimus ergo pituitam esse purum corporis humani excrementum, quod producitur ex digestione alimenti generalis partium omnium corporis humani, & perinde cum sit verum excrementum nullo pacto ingredi compositionem corporis humani, nec partium eius.

De bile flava: unde fiat & quare non ingrediatur compositionem corporis humani.

CAPVT XII.

Bilis est purum excrementum non elementum corporis

Bilis hæc flava est purum excrementum, & meretur ejus nomẽ & fit ex digestione alimenti generalis dum alimentum coquitur, & digeritur in partibus singulis corporis humani post coctionem, & digestionem remanet aliquid quod non facessit omnino, nec facessere potest in substantiam partis illud verum excrementum illius digestionis quod si sit flavi aut viridis coloris, & amari gustus dicitur flava bilis, in ventriculo copiose generatur tale excremenũt nã vomitu sępè sæpius reijcitur, & vomitus violentos operatur nisi eijiciatur per intestina Et fit inde stercus liquidum flaui coloris ex quo tinguntur urinæ nam pars subtilior transit una cum sanguine in hepar, & si sit copiosum inficit sanguinem sua tinctura, & ictterum efficit, & producit & si non sit valde copiosum, tandem separatur una cum sero alimenti generalis, & fit urina quæ tingitur flavo illo colore ab stercore illo liquido flavi coloris, nec perinde asserendum est flavam bilem reperiri in corpore, tanquam quid constituens, & componens corpus humanum, nam corpus humanum, jam factum est, & compositum; & tamen cotidie producitur, & generatur flava bilis, illud excrementum generalis alimenti, non ut maneat in corpore tanquam quid constituens, & nutriens corpus, sed tanquã quid heterogeneum, & morbificum corpori, quod omnino separari meretur, ut siccitas corporis conservetur, & perinde hinc arguitur flavam bilem purissimum esse excrementum, & quid morbificum corpori humano, & male, & perperam alimenta nostra quibus nutrimur dici biliosa pituitosa melancholica, & sanguinea, eo quod hi humores non sint ullo pacto in alimentis nostris, & cibis sed fiant & producantur ex cibis illis coctione, & digestione illorum ciborum hinc etiam patet quam perperam, & imprudenter torquentur ægroti, & sani, à medicis chymicis, dum defenduntur & prohibentur hæc alimenta, & cibi, non nullis ægrotorum, & favorum quod hæc

Flava bilis quotidie generatur in corpore, & quotidie expellitur.

Male vocantur alimenta biliosa pituitosa, & melancholica.

hæc alimenta afferant esse magis pituitosa, biliosa, & melancholica, quam reliqua & perinde plus pituitæ, bilis, melancholiæ producere, quam electa sua alimenta, quæ minus pituitæ bilis, & melancholiæ producunt quam reliqua, cum hæc productio, pituitæ bilis, & melancholiæ non dependeat ullo pacto ex alimentis sed ex pura digestione, & coctione horum alimentorum in nutriendo, & alendo, ita ut unum, & idem alimentum in uno producet plus pituitæ bilis, & melancholiæ, quam ipsum idem alimentum in alio, unde etiam hæc prosunt uni alteri hæc eadem nocent & hoc omne dependet & originem habet, non ex alimentis, sed ex debili forti, & valida digestione, & coctione, huius alimenti, & hæc digestio ex calore nostro nativo ortum ducit itaq; omnibus, & singulis hominibus possunt omnia alimenta concedi, modo ea coquere, & digerere, possint expectanda est, & considerandus solus nativus calor, qui si fortis, & potens ac validus sit, omnia perfecte coquit, & purum ab impuro recte separat, & forti, robusto ventriculo omnia alimenta concedi possunt quia eius calor nativus fortis est, & potens omnia perfecte coquens, ac digerens, & in perfectissimum chylum convertens.

Excrementa dependent ex digestione

Forti ventriculo omnia concedi possunt.

Bilis ergo non producitur in corpore humano nisi tanquam excrementum quoddam, & revectaneũ quod foras amandari debet tanquã sanitati contrarium. Nec objiciendum est in Christi fellis reservari bilem tamquam sanitati necessariam, non enim fecisset natura vasculum proprium, & naturale, ad reservandam bilem, ni sanitati prorsus esset necessaria bilis, & perinde compositioni partium humanarum, huic obiectioni respondemus liquorem illum in chysti fellis reservatum nõ esse bilem, sed balsamum naturale sanguinis, quod per transudationẽ ab hepate in chystium felleam transcolatur ibique reservatur ut tenui suo odore, & vapore insensibili balsamet sanguinem in hepate contentum & ferventet, totam messam sanguinis suo balsamico odore, ne in venis, & arteriis corrumpatur, & alteretur sed persistat in sua integritate in ipsis donec partes ipsas nutriverit, & in ipsas conversus fuerit: quo circa enim tam pretiose conservaretur bilis hæc in corpore in vasculo proprio, & naturali nisi esset quid pretiosum, & corpori necessarium non solet enim natura conservare excrementa tam pretiose, sed ut sunt facta, illico rejicit, & foras amandat, ut patet ipsamet excremẽtis, ut nec unum, & idem, eidem subiecto, & corpori, potest esse excrementum & alimentum: quod tamen contingeret in bile hac flava, esset excrementum, & alimentum tanquam rejiceretur, & alimentum tanquam nutriret vel ipsum & partes alias corporis humani, quas componit quod

Bilis in chysti fellis reservata non est bilis sed balsamum.

Concluditur flavam bilẽ esse purũ excrementũ.

ridiculum est cogitare. His ita declaratis concludimus bilem flavam esse merum excrementum corporis humani, nec ullo pacto ingredi cõpositionem corporis humani, sed rejici omnino ab ipsa natura tanquã quid inutile & prorsus naturæ humanæ inimicum & hostile.

De atra bile, unde fiat, & quare non ingrediatur compositionem corporis humani.

CAPUT XIII.

Atra bilis seu melancholicus humor est purum excrementum.

Atra bilis, quam, & melancholicum humorem dicunt galenici, Medici vulgares, est merum corporis humani excrementum ex digestione, & coctione alimenti generalis ortum, & productionem habens, quod enim ex alimento generali relinquitur in partibus terreum & fœculentum, sordidum, & fœtidum nigri coloris & ponderosum dicitur atra bilis, & melancholicus humor, eis enim est humor, seu excrementum ex quo fiunt morbi curatu omnino difficiles, ut cancer lepra, febris quartana, scyrchi, & alii similes morbi, qui ab hoc excremento fœculento & ponderoso; & acri ortum ducunt materialiter, & occasionaliter: quod autem istud excrementum non possit compositionẽ corporis humani ingredi, probatu facillimum est: non enim tale excrementum est quid spermaticum, & seminale, nec ullo pacto sapit ac redolet naturam & essentiam seminis & spermatis humani, ex quo immediate fit corpus, ergo nullo pacto corpus humanum ex illo excremento fieri, & componi potest, nec etiam istud excrementum sapit naturam & indolem alicuius elementi simplicis, perinde etiam neque potest componere corpus humanum, non enim sapit naturam terræ ut ajunt Galenici quia istud excrementum est causticave, & adurens parit enim carbunculos gangrenas, & ulcera quæcumque unde ex effectibus colligimus naturam causæ, perinde non potest esse ullo pacto elementum, & principium corporis humani, neque etiam nutrit, & alit cum merum sit excrementum siquidem non alit, sed rejicitur tanquam quid inutile corporis.

Melancholicus humor non componit corpus humanum.

Nec est objiciendum ut capite superiori de bile flava, fecisse naturam in corpore humano melancholici humoris proprium, & naturale receptaculum nempe plenum in quo residet, & elaboratur melancholicus humor huic obiectioni similiter respondemus, splenem non esse receptaculum & sedem humoris melancholici, sed meri sanguinis imperfecti, & adhuc non perfecte cocti, elaborati. Unde dicimus, & asserimus cum ipsa veritate splenem esse vicarium, & vas subsidiarium hepati, ut si hepar non perficiat, & absolvat sanguinem splen perficiat, & absolvat copiosis suis arteriis quibus donatur, & ornatur, nam copioso suo spiritu vitali, & innato, coquit & perficit & corrigit vitia sangui-

Splen non est receptaculum melancholici humoris.

nis,

nis,&absolvit perfectissime sanguinem,& sic non est receptaculum humoris melancholici, cum vere non detur in corpore talis humor, & si detur meretur potius nomen excrementi, quam humoris alimentitii, & sic allucinantur medici vulgares medicando humorem melancholicum,cum non detur in corpore humano nisi tanquam aliquid excrementitii humoris, qui quotidie generatur ex depravata digestione generalis alimenti in partibus,& quotidie ex pellitur ab spiritu vivifico corporis nostri qui hæc excrementa & alia omnia quæ præter naturam in corpore producuntur curat expellere,& foras protrudere ne noceant sanitati,unde spiritus est totius sanitatis nostræ œconomus unde illi soli demandatur hæc cura expellendi hæc excrementa quæ ex depravatis digestionibus solent produci,& perinde non censentur partes corporis constitutivæ,& componentes sed excrementitiæ & reiectaneæ quæ si remaneant in partibus solent efficere morbos vanos ex varietate suæ substantiæ excrementosæ,quæ suis spiritibus innatis & propriis habent enim unaquæque excrementa suos peculiares spiritus quibus agunt in ipsum spiritum innatum nostrum,& ipsum lancinant & varie distorquent, & sic varios producunt morbos.

De vita humana tractatus novus & inauditus quid sit vita, & quibus fulciatur.

CAPVT I.

VIxerunt quatenus hippocrates, & Aristoteles, & Medici omnes tam antiqui quam recentes, sed quid eorummet vita fuerit penitus ignorarunt dixit enim Galenus vitam esse actionem animæ, Aristoteles asservit vitam esse radicationẽ humidi radicalis, & primigenii in calido innato,sed hæ non sunt definitiones vitæ, nescimus, perinde quid sit vita,in omnibus rebus quæ vita foventur arduum enim est, & certe herculeum opus definire vitam cum id quod vitam efficit sit valde occultum, & invisibile prorsus, non enim est anima rerum & forma distinctum, unde non recte definita est à galeno vita, actio animæ, nec ab Aristotele redicatio calidi innati cum humido primigenii redicatio enim illa constituit quidẽ spiritum vitalem à quo solo est vita, non vitam ipsam sed causam ipsius vitæ aliud enim est spiritus, & aliud est actio prima illius quæ est vita,unde recte definiri potest vita in rebus omnibus actus primus seu actio prima spiritus: spiritus siquidem in omnibus rebus ubi reperitur vitam agit primo, deinde quicquid ad vitam pertinet operatur, sed prima spiritus actio,est vita, est enim spiritus lucis cælestis plenus, & perinde sua

Vita quid esset,nescierunt antiqui Philosophi nec Medici.

Vita non est anima nec forma.

Vita quid proprie.

sua prima actio est vita, cum lux cœlestis vitam præster ex natura sua: elementa enim inferiora nihil habent vitæ, nisi in quantum spiritu cœlesti, & luce impregnantur, vita ergo est à luce, & perinde, est actio prima spiritus cum spiritus componatur, ex portione lucis cœlestis, & portione tenuissima elementorum inferiorum, & portio illa lucis superiorum elementorum quæ in spiritu reperitur, est pura vita, hoc est actio prima quæ dependet à portione illa lucis superiorum elementorum facit vitam & est vita, unde ubicumque reperitur spiritus, ubicumque etiam reperitur vita, unde mundus vivit, & tota natura creata est plena spiritu illo cœlesti nec esse potest sine tali spiritu, unde genera cuncta tum animantium tum vegetantium tum mineralium lapidum & metallorum vivunt, quia habent spiritum illum vitæ omnis causam unde antiqui philosophi non cognoverunt vitam omnino, nisi illam quæ manifeste apparet in animantibus & vegetantibus at illam quæ occulte relucet in lapidibus metallis & reliquis mineralibus, prorsus ignorarunt & sunt adhuc Philosophi, qui vitam in lapidibus & metallis reliquisque mineralibus non cognoscunt & tales Philosophi non sunt digni nominis Philosophi, nec merentur naturam scrutari, cum tota natura sit vitæ plena & vivat, & ea natura æque est in metallis, & lapidibus ac mineralibus, ac in animalibus & vegetantibus, fovetur autē vita hæc in omnibus, simili spiritu à quo dependet, in animantibus fovetur & reparatur spiritu vegetanti, & mineralibus refocillatur spiritu minerali, & hi omnes spiritus non sunt perinde substantia, & essētia diversi, sed sunt omnino similes & idem spiritus sed magis attenuantur in animantibus quam in vegetantibus, & in vegetantibus quā in mineralibus, & eorum attenuatio & subtilitas, est tota spirituum naturalium differentia seu distinctio: fovetur ergo, spiritus, spiritu & perinde restaurato spiritu restauratur & vita solius spiritus actio; fontes autem perennes restaurandi spiritus, latitant in alimentis quæ omnia scatent spiritibus, & restaurantur alimentorum spiritus ex fonte generali, spiritum qui in centro terræ sedem habet, ubi confluunt elementa superiora & inferiora omnia, ubi permiscentur digeruntur, & percoquuntur in spiritum generalem, mundi & naturæ: qui perinde est animalis vegetabilis & mineralis quatenus his omnibus inservit ut eorum omnium vitam foveat & restauret suo generali alimento, ut tractatu de spiritu ad latiotatem enarratum & probatum est.

Spiritus vitam agit ratione lucis cœlestis ex qua componitur.

Unde vivat mundus & tota natura.

Philosophi antiqui cursu non noverunt vitam eiusque causam.

Vita fovetur & restauratur spiritu peculiari quo producitur.

Quo-

Quotuplex sit vita in rerum natura.

CAPUT II.

Vita triplex ut & spiritus.

UT spiritus in rerum natura est triplex animalis vegetabilis, & mineralis, sic & mineralis, sic & vita triplex erit sumit enim differentiam, & distinctionem ab spiritu, sic & erit vita animalis, vegetabilis, & mineralis, in animalibus, spiritus ita alternantur, & subtiliantur ut lucis naturam & essentiam acquirant sic vita animantium quorundam est admirabilis & miratu dignissima quod actiones & facultates vitæ istius sunt admirabiles & stupendæ, non solum in homine, sed & in brutis ipsis in vegetantibus autem vita non adeo miranda, ac in animalibus, eo quod spiritus in vegetantibus non sit adeo subtilis, & tenus, ac in animalibus ideo vegetantium vita non habet facultates, & actiones adeo mirandas subtiles, & acutas ac habet animantium vita, quod in vegetantibus spiritus cracescat paulo magis quam in animalibus, ideo plus est terræ & aquę in spiritus vegetantium quam in spiritu animantium, cum inest plus Mercurii salis, & sulphuris unde est tenuior & subtilior, (subtilitas enim & tenuitas dependet ab his tribus elementis & crassities ab aqua, & terra: sic mineralium vita, non se manifestat nec in ipsius oculis apparet, sed occulta jacet: in centro sorum & est actio spiritus ventralis, qui cum sit crassus, & obtusus, & plus aquæ & terræ, & salis possideat adhuc quam vegetantium spiritus, ideo eorum mineralium vitæ non apparens est, perinde à Philosophis trivialibus mineralia non vivere asseritur quia eorum scientia est oculata, credit quod videt, nihilominus tamen æque vivunt mineralia ac vegetantia, & æque sugunt alimentum ex terræ viseribus, ac convertunt in sui substantiam coctione & digestione vera ac vegetantia faciunt: eorumque mineralium acrescio est per intus susceptionem non per appositionem ut somniant nonnulli quia si esset per appositionem essent entia per aggregationem, & non essent homogenea mixta, sed eterogenea, qui ex diversis omnino partibus componerentur, quia quod apponeretur non esset simile apposito, nisi converteretur, & non potest converti nisi coctione, & digestione vera, quæ calore naturali mineralium fit, & altuatione alimenti, aurum ergo, & argentum, & lapides omnes in fœderis suis, & uteris vere vivunt, & crescunt spiritibus mineralibus quos attrahunt, & quos coctione & digestione in sui substantiam convertunt.

Spiritus animantium quasi subtilissimus omnium est.

Mineralia vivunt per verā accrescionem & non appositionem.

Notandum tamen est spiritus animales vegetabiles, & minerales ex quibus vita animalis vegetabilis & mineralis dependet, non esse substantia, & essentia triplices differentes spiritus sed unū esse, & eundē

Spiritus animalis vegetabilis & mineralis accidentaliter differunt inter se.

ſpiritum ſubtilitate ſola & tenuitate differentem, & diſtinctum. Vt in ipſis animantibus apparet ipſamet experientia nam in ipſis animantibus partes ſubtiles, & tenuiſſima ſpiritu tenui & ſubtili, qui animalis dicitur impregnantur, partes vero craſſæ ut oſſa, vivunt quidem eodẽ ſpiritu nihilominus ille ſpiritus quo oſſa vivunt, imitatur naturam & eſſentiam ſpiritus mineralis aut vegetabilis, ita ut in uno & eodem obiecto videmus naturam, & eſſentiam ſpiritus animalis vegetabilis, & minerabilis, cum & lapides promeantur in ipſis animantibus itaque diſtinctionem horum ſpirituum manifeſte videmus in uno & eodem ſubiecto dependere ex tenuitate, & ſubtilitate atque ex craſsie partium tenuitatemque craſsitionem ſpirituum conſtituere differentiam & diſtinctionem triplicis vitæ, quæ in rerum ſerie reperitur,

Craſsities & tenuitas ſpirituum conſtituunt triplicem vitæ differentiã.

Vnde vita in quibusdam animantibus, & vegetantibus brevis, ſit in aliis vero longiſsima.

CAPVT III.

Vndenam vita brevis & longa ſit.

ADmiratu eſt dignisſimũ quod vitam brevisſimam in quibuſdam animantibus videamus longisſimam vero in aliis ut vermibus papilionibus, in tavis & ſimilibus, in cervis vero elephantibus & corvis longisſimam videamus, in homine vero mediocrem qui caput eſt omnium animantium, undenam hæc tam varia, & diſtincta vitæ duratio, & disſimile temporis ævum: pauci ſunt qui hæc ſciunt, & adhuc pauciores qui hæc inquirere tentent in vegetantibus pariter disſimile admodum eſt temporis ævum videmus ſiquidem flores pulchriores parum durare, arbores autem inter ſe vitæ duratione & temporis Ævo multum differre quercus enim, & primus ac laurus longisſimæ ſunt vitæ, ſalices vero populus, pomus, & prunus & ſimiles frugi feræ arbores brevisſimæ ſunt vitæ, inter homines autem alii diutius vivunt, & inter vitæ incommoda longius durant. Vt hæc omnia perfectisſime comprehendantur undenam hæc varia vitæ duratio provenire posſit conſideranda eſt compoſitio rerum ex elementis noſtris ſuperius enarratis, quæ enim elementa fortiorem, & compactionem rerum compoſitionem peragunt, ea inquam elementa ſunt illa ſola longiorem, & durabiliorem vitam peragunt, quam ea quæ minus fortiorem & compactiorem compoſitionem cõſtituunt, ut ſunt aqua & terra, quæ quidem dum prævalent cæteris tribus elementis flaccidam omnino, & labentem conſtituunt compoſitionem: dum vero tria hæc alia elementa nempe ſal ſulphur, & Mercurius prævalẽt aquæ, & terræ, fortisſimam conſtituunt compoſitione & difficilime labentem ut patet in metallis & lapidibus in quibus omnibus prævalent hæc tria elementa:

Vita diverſitas unde.

Sal ſulphur & Mercurius dum prævalent longiorem vitam faciunt

menta: sal sulphur, & Mercurius, unde etiam eorum duratio longissima est, in arboribus etiam quæ sunt longissimæ vitæ & durationis, quales sunt quercus pinus laurus cupressus, & similes aliæ arbores, plus est salis Mercurii & sulphuris quam aquæ, & terræ, ut ipsamet experientia compertum est ex eorum resolutione, in aliis vero arboribus brevissimæ vitæ & durationis qualeis habentur salices populi pomi pruni, & aliæ similes, plus in his est aquæ & terræ quam reliquorum elementorum, & perinde, minus durant & brevissimum est in his arboribus temporis Ævum sic est in animantibus, corvi enim aquilæ, cervi, elephantes, maximam habent copiam salis Mercurii, & sulphuris, & perinde diutius durant quam alia animantia.

Salices pruni & similes arbores quare sunt brevissima durationis & vita.

Corvi cervi aquila cur diutissime vivant.

His ita positis concludendum est longissimam vitam dependere ex sale sulphure, & Mercurio brevissimam autem vitam, ex aqua, & terra sic animantia quæ plus habent salis Mercurii, & sulphuris diutius vivere qua quæ plus habent aquæ, & terræ, ab his enim salis causis dependet longissima & brevissima vita.

vita longa unde dependeat.



Vita mundi unica, Cur triplici genere dividatur in animantibus, vegetantibus, & mineralibus.

CAPVT IV.

MVndus hic universus etsi sit unus, nihilominus tamen triplici rerum genere constituitur, sunt enim animalia, vegetantia, & mineralia, & nihil ultra est in tota rerum Serie: quicquid est, aut animal est, aut vegetabile, aut minerale necesse enim est in tota rerum serie virtutem essentiæ semper reperiri & trinitatem differentiæ seu distinctionis. Vt enim in Archetypo unitas essentiæ reperitur & trinitas in distinctione trium personarum divinarum: sic voluit, Archetypus in rebus omnibus creatis reperiri & trinitatem, & unitatem: ut imago, exemplar Archetypi, in omnibus creatis, & ab ipso Archetypo factis reperiretur: fecit enim omnia ad imaginem sui, & præcipuè hunc universum mundum, qui filius verus externus est Dei ipsius, cui potissimum notari potest & unitas essentiæ & trinitas distinctionis rerũ omnium: omnia enim sunt unum in essentia universali, cum vivant & subsistant ab uno, & eodem universali alimento, & illà etiam omnia tria sunt, cum distinguantur in animalia, in vegetantia, & mineralia: horumque omnium vita una. Cum tamen à triplici spiritu animali, vegetabili, & minerali, à quo dependet differentiam suscipiat, nihilominus

Cur mũdus unus triplici genere constituatur.

Mundus est filius Dei externus.

In omnibus unitas & trinitas.

nus hi tres spiritus, animalis vegetabilis & mineralis, ab uno & eodē spiritu generali dependent qui fieri potest ex suamet sua substantia, sola sui sublimatione & attenuatione, animalis, vegetabilis, & mineralis, & qui verè sua potentia est animalis, vegetabilis, & mineralis. Vnde ab uno ipso spiritu generali unitas, & trinitas in rebus omnibus observari potest, cum ipsemet spiritus sit unus, trinus, & veri Dei creatoris rerum omnium imaginem præ sese rat magis quàm cæteræ res creatæ: sic vita mundi huius, quæ ab hoc spiritu trino, & uno dependet trina etiam & una erit, & imaginem verā præseferet, veræ vitæ. Dei puta qui vera vita est, in rebus omnibus. His ita positis facile concludemus vitā mundi unicam triplici distinctione esse divisam, ut unitas Creatoris in mundo reperiatur, & sic mundus creatus erit ad exemplar, & imaginem sui Creatoris.

Generalis spiritus est unus & trinus.

Spiritus mundi & naturæ Dei imaginem vere repræsentat.

Mundus ad imaginem Dei creatus.

An vita in omnibus prorogari possit.

CAPUT V.

Vitam prolongari, & longius produci in multos annos in mineralibus, & metallis, ac vegetantibus parum curamus, cum per se ab ipsa natura in hisce rebus nimis quam par sit longissima sit. At in homine ut totius naturæ Coryphæo in longos extendi annos id utile esset, & multis consonum, cum brevissima hominis sit vita, & artes, & scientiæ, quæ homini sunt ornamento sint scitu, & cognitu longissimæ, ita ut homo non sit adhuc homō, & mori illi oporteat, & vitam finire conveniat, vitam autem in homine in multos & longissimos posse extendi annos, non solum possibile est, ima & facillimum ex virtute, & efficacia ipsius naturæ: si enim quod superius in Capitulis præcedentibus notavimus verissimum sit, vitam longissimam esse in metallis, & lapidibus ac vegetantibus ac in brutis nonnullis, quidni idem ipsum in homine fieri poterit, cum vita hominis ab iisdem, quibus metalla lapides, & arbores longissimæ vitæ foventur, & restaurantur, foveri, & restaurari queat: si enim alimentum quo foventur metalla & subsistunt homini præparentur deo ut, illud ipsum metallorum & lapidum alimentum in substantiam hominis converti possit, non est creditu difficile hominem durare posse & subsistere in mille annos, & ultra, cum vita hominis tali fotu restaurata & alimento, sit fere incorruptibilis aut saltem in longissimū ævum durabilis. At objiciet chymiæ ignarus & invidus, si hoc fieri posset cur patres alchymiæ & inventores ipsius artis non fuerint longissimæ vitæ, cum tamen ex ipsamet historia brevissimæ fuerint: respondemus authores ipsius alchymiæ quibus grata fuit hæc vita diutissime vixisse, inter quos fuit Hermes, & custos nemoris Britanni qui vngento perunctus tercentis vixit, & Artephius qui mille annis vixit Fuit & Almanus qui quingētis vixit solo

Vita in homine prorogari posse

Vita longa in homine qua ratione foveri possit

Artephius mille annis vixit arte chymica & Hermes longissimè vixit fuit & rusticus quidam qui invento vase aureo liquore nobili pleno lavit faciem & bibit & renovatus

est & quingenis vixit annis fuit & Ioannes de Levi armiger Caroli magni, qui tercentis vixit annis. unde Ioannes de temporibus dictus est.

solo liquore poto: quibus vero ingrata fuit vita hæc, & tædio, non curarunt hanc sibi vitam longam esse, sed brevem ut citius vita æterna, & futura fruerentur, dissolvi desiderarunt; & esse cum ipso Deo, quam diutissime subsistere, & esse cum serpentibus, & conversari cum brutis hominibus vere brutis. At quicquid sit longissime vixerunt nonnulli chymicorum. Et primi patres nostri arte chymica suam vitam longissimam fecerunt: & in rei veritate in longos & multos annos prolongari potest vita hominis etsi natura sua propter peccatum sit brevis. Hoc secretum prolongandæ vitæ naturale est, & in intimis naturæ thalamis est occultatum, & intimè sepultum, nec propter peccatum hominis est ab ipsa natura deletum sed tantum occultatum, & sepultum, ne omnibus improbis fiat manifestum, ne improbiores, & maligniores fiant, & iudicium Dei in seipsis aggravent. Vita siquidem malignantium, etsi brevis sit, nimis tamen longa est, & propter seipsos, & propter alios, quòd aliis sunt labori, & vexationi.

Vita malignantium nimis longa est



Quibus vita hominis prorogari possit in longos annos.

CAPUT VI.

Quibus vita prorogari possit.

MVlta sunt quæ conferunt ad prorogandam hominis vitā: imprimis est aer purus, & clarus, vaporibus & exhalationibus terreis: & aqueis minus quam fieri possit contaminatus, & infectis: secundo est regimen vitæ paucum & non multis, & cibis, ac potibus infertū, & infamatum: tertio regionis & climatis in quo vivimus temperamentum æquale, quod non est modo calidum, modo frigidum, multisque pluviis & siccitatibus distemperatum: quarto constitutio corporis sana, & fortis, non debilis & morbida, quæ resistere possit variis vitæ nostræ incommodis & aeris variis ac diversis intemperiebus. Quinto est secretum & arcanum vitæ in natura occultum, quo habito reliqua superius relata negligi possunt: nam hoc arcanum omnia vitæ incommoda corrigit, & humidum radicale nostrum cum calido innato suo ita roborat, & restaurat, ut hinc uitam nostram prorogari necesse sit, resistentibus aliis quatuor supracitatis vitæ longæ conditionibus: de quo solo arcano, tanquam vitæ prorogandæ soli homini necessario nobis est dicendum, cæteris neglectis, observato solo vitæ optimo regimine, gula siquidem plus

Arcanum vitæ prorogandæ in natura occultum.

Vita regimen ad vitam longam

occidit quam gladius: edendum ergo est & potandum ut vivamus, & non vivendum est, ut edamus & potemus hoc vitæ regimine parcè observato, & usu hujusſice arcani in longissimos annos prorogabimus vitam nostram: hoc autem arcanũ vitæ prorogandæ consistit in spiritu mundi fixo & perfectè coagulato, & ab omnibus spurcitiis quibus scatet vindicato: spiritus autem hic mundi in omnibus rebus reperitur, quia subsistere nequeunt sine tali spiritu at ex omnibus rebus arcanum vitæ prorogandæ extrahi nequit, quia in omnibus rebus naturalibus, hic spiritus, non est adeo copiosus, & turgens, ut præparationem legitimam ad hoc arcanum parandum subire queat, quod in quibusdam rebus inter ignes, & præparationes evanescat, & petat regionem suam idcirco quærendum est subjectum in quo turgeat hic spiritus, & non facile inter ignes evanescat & in quo partim sit fixus, & partim volatilis & perinde dicunt Philosophi; & asserunt eorum subjectũ cui insistunt, & operantur, habere corpus, animam & spiritum; ratione corporis fixum est illud subjectum, & ratione spiritus, est volatile, & ratione animæ est fixum, & volatile, quia anima illius nunquã deserit spiritum, neque corpus: unde pars illa animæ quæ residet cum corpore fixa est, & permanens; pars autẽ quæ residet cum spiritu est volatilis hoc autem sic esse verissimũ est, cum subjectum hoc dividatur in partem superiorem quæ sursum ascendit, & in partem inferiorem quæ deorsum fixi permanet in fundo à rembici hæ autem partes sunt ejusdem essentiæ & naturæ ex doctrina omnium chymicorum: unde patet corpus possidere aliquid spiritus, & animæ, & spiritum possidere aliquid corporis & animæ, & sic sunt hæ partes ejusdem essentiæ, alioquin unum, & idem subjectum fixum, & permanens fieri non possent, ut fiunt.

Arcanum vitæ prorogandæ in quo consistat.

Subiectum quod est prorogandæ vitæ idoneum constat anima spiritu & corpore.

Subiectum arcani vitæ prorogandæ qua via præparetur.

Vt autem hoc subjectum ex terra desumptum fiat arcanũ vitæ, summopere depurandũ est cũ spiritu roris ter aut quater distillato, deinde ex hac materia sic pura, & ab excrementis vindicata, extrahendus est ejus spiritus, & anima, cum sale plũbi aut stanni aut ferri, aut alicujus alterius metalli perfecti, sale addito æquali quantitate, & fortis simo cũ igne hoc peragendum est, spiritus siquidem, & anima non separantur ab hoc corpore nisi fortissimo cum igne: separatus spiritus, & anima purificanda sunt septemplici distillatione, & corpus item purificandũ est, cum spiritu superius allato in quo dissolvendum est multoties corpus, et desiccandum et coagulandũ, et filtrandum, ut deponat feces suas et una cum sale addito metalli purificetur summopere: hoc corpus deinde clarum, et candidum factum conjungendum est cum spiritu suo, et anima, et coquendum est donec omnia figantur, quod ut citius fiat auro fermentandum est hoc corpus

Cave hinc nam spiritum solum est necessarius cũ corpore metallico aliquo

cum.

Auro est fermentandum arcanum vitæ prorogandæ ut citius figatur.

cum anima sua, spiritu dissolutum, & sic citius fixantur auro naturaliter in se fixo, & sic perficitur arcanũ vitæ reparandæ & prorogandæ. Qua ratione autem id fiat ex tali, & non omni subjecto, peculiari sequẽti Capite discutiemus.

Arcanum vitæ reparandæ & prorogandæ quare fiat ex unico rerum subiecto.

CAPVT VII.

Materia rerum prima quare est vita plena.

MAteria rerum prima, & hyle est fons vitæ, & scaturigo, & si vita sit & reperiatur in omnibus, hoc est quod materia rerum prima sit radicata in omnibus, & implantata: materia ergo rerũ prima quod sit fons & scaturigo vitæ, sola est in rerum serie ex qua sola arcanum vitæ reparandæ, & prorogandæ fieri potest in eo siquidem est copiosa vita & spiritus est turgens & abundans qui nunquam deficit nec hoc vitæ subjectum deficit, nec inter ignes chymicos, & præparationes evanescit, imo crescit & multiplicatur eo quod pars eius volatilis qui est eius spiritus, & anima semper fixatur, & ex volatili fit fixa, & permanens dum à corpore suo proprio, & natura fixatur sola sui imbibitione, reliqua omnia evanescunt in igne: solo superstite eo, quod ex prima est materia, & si reliqua naturalia essent assumenda ad arcanum istud vitæ perficiendum essent qualiacũque sint, in primam materiam reducenda, & deinde ipsa in materiam primam reducta, essent peragenda, ut præparatur materia prima quod esset omnino, frustraneum, & labor inanis: Aurum quidem assumimus ad arcanum istud citius perficiendũ sed priùs reducendum est in materiam primam, cum ipsamet materia prima, ideo asserere possumus in arcano isto perficiendo nihil assumi quam solam, & unicam materiam primam, & perinde arcanum vitæ perficiendæ, & prorogandæ, fieri solum ex unica rerum materia prima, quæ est unicum, & solum subjectum ex quo fieri potest istud arcanum, cum spiritus vitæ omnis, sit in ipsa materia rerum prima copiosus & turgens, & perinde ex copioso illo vitæ spiritu solo præparari potest, & perinde ex unico præparari potest subjecto, cui copiosus, turgens est vitæ spiritus, vitæ quidẽ generalis, & universalis, non solum animalium, vegetantium, sed & mineralium, sed & mineralium & metallorum: quocirca istud arcanum, non solum erit arcanum vitæ animalium reparandæ sed & vegetantium, & mineralium, & metallorũ: hoc est erit arcanum reparandæ omnis imperfectionis quæ reperiri potest in hisce omnibus tribus generibus: morbus siquidem, & vita brevis, est summa rerum omnium imperfectio quæ ab impuritate dependet, & hoc arcanum cum sit ex puro naturæ purissimo confectum, omnes depellit naturæ universalis impu-

In arcano vitæ perficiendo nihil nisi materia prima assumitur, & si aurum assumatur reducendum est in materiam primam.

Morbus, & mors est summa rerum imperfectio.

impuritates, & purissimam reddit naturam, ac proinde longævam, & fere perennem, & incorruptibilem cum purum naturæ sit incorruptibile.

Quare arcanum vitæ prorogandæ sit naturæ de necessitate insitum.

CAPUT VIII.

Arcanum vitæ prorogandæ est de necessitate in rerum natura.

Insipientes quamplurimi ex plebe vulgi existimant arcanum vitæ prorogandæ vanum esse, & anile commentum, & chymicorum inventum ad emungendas argento senum crumenas, nihilominus si saperent, & naturam intimè cognoscerent, viderent illud arcanum esse ex necessitate naturæ insitum & implantatum, quod ex necessitate vita sit radicitus implantata naturæ, & quod ex necessitate potentiæ & facultatis suæ ipsius metallis tribuat & communicet, simul & lapidibus perpetuum quasi esse, quod est eorum vita; nihil enim habet esse quin vivat, esse enim vivere est, quod nihil esse possit sine spiritu naturæ, cui proprium est vivere & vitam in omnibus producere, ubi enim spiritus est, ibi etiam & vita est, ideo ex necessitate arcanum vitæ prorogandæ est naturæ insitum, & implantatum, quod natura esse nequeat sine spiritu isto qui naturam constituit omnem, ut patet ex definitione naturæ ipsius: natura siquidem nihil est aliud, quam spiritus elementorũ omnium tam superiorum quam inferiorum, unde tota naturæ quidditas & essentia est in ipso spiritu, & cum naturæ sit vitam producere in omnibus, inde patet arcanum vitæ producendæ & in multos annos prorogandæ esse in natura ipsa implantatum & radicitus insitum, & ex intimis naturæ thalamis esse desumendum, & in ipso spiritu ipsius naturæ esse quærendum, & investigandum hisque ita positis, & declaratis quæ in ipsa natura manifesta sunt intrepide concludendum erit, arcanum vitæ prorogandæ naturæ esse insitum & implantatum ex necessitate ipsa cum ipsa natura ex se ipsa vitam producat in omnibus & perinde Arcanum vitæ prorogandæ erit ex ipsa natura desumendũ in ipsis naturæ thalamis investigandum, scilicet in ejus spiritu, qui purus factus & ab excrementis omnibus vindicatus, congelatus, & fixus factus, est ipsummet vitæ prorogandæ arcanum.

Esse vivere tur sit.

Arcanum vitæ prorogandæ cur sit ex necessitate in rerum natura.

Arcanum vitæ prorogandæ est in solo naturæ spiritu.

Conclusio totius Operis.

CAPUT Ultimum.

Habes, amice lector, quidquid à me jamdiu expectatum erat: desunt tamen aliqui Tractatus, ut de excrementis, de usu partium & de partibus ipsius corporis humani. At hi Tractatus non valde sunt necessarii; satis enim arguitur manifeste, quid in his agendum esset & tractandum ex his omnibus quæ tradidi, & explicavi in præcedentibus Tractatibus, & ea quidem abunde sufficiunt ad medicinam omnem

reformandam, & penitus illustrandam secundum verum naturæ ipsius lumen, ex quo solo desumpsimus ea omnia quæ in toto hoc Opere nova & inaudita videntur, his solis, quibus latet illud naturæ lumen: quibus vero manifestum est, his etiam solis clara, vera, & manifesta videntur: hos etiam solos rogo & obtestor ut me tueantur ac defendant contra ipsas naturæ Harpyas, quæ naturæ dapes vere deturpant, cum ignorent ipsius naturæ lumen, sic me defendendo naturam ipsam ab injuriis vindicabunt, & me impellent ad philosophiam omnem & astrologiam renovandam, & reformandam, & puram putam ab omnibus anilibus, & quisquiliis veterum vindicatas in lumen dare. Sunt enim mihi ab ipso Deo concesso duo filii satis subtili ingenio præditi, qui jam literas humaniores præsenti anno addiscunt, quos volo ipse nova ista Philosophia vera & legitima, & secundum naturæ lumen reformata imbuere, ut deinde tali Philosophia delibuti, medicinam puram & putam addiscant, & assertiones meas & veras opiniones propagent & in universum orbem disseminent, modo illis longum Deus concedat ævum: & sic postquam filios meos nova ac recenti hac Philosophia imbutos viderim tunc ipsam Philosophiam omnibus disseminandam curabo, & filii mei ipsam tuebuntur & commentis novis, & explicationibus defendent & augebunt, &

Philosophiã & astrologiam novam & restitutam ac reformatam promittit author.

sic scientiæ naturales prodibunt in lucem reformatæ, & renovatæ ex vero, & legitimo naturæ lumine. Deus exaudiat omen, & preces meas, & chymicis hac in parte faveat omnibus: chimia siquidem perfecta & absoluta haberi, non potest nisi Philosophia communis, & vulgaris renovetur ac novis principiis restauretur, & novis axiomatibus illustretur; quod Deo dante, fiet brevi tempore in gratiam filiorum meorum, & chymicorum omnium ex falsis enim Philosophiæ principiis maxima nisi cum difficultate ad arcana chymica, vera, & absoluta pervenire possumus, nisi peculiari favore ac lumine divino mens chymicorũ illustretur, & decoretur, quo intimi naturæ recessus cognosci queãt ex Philosophiæ siquidem vulgaribus principiis occulta ipsius naturę cognosci nequeunt, & perinde arcana chymica perfecta, & absoluta haberi nequeunt, & hæc potissima est ratio, cur omnes qui navant operã alchymiæ raros, & felices successus habeant, cum naturam non cognoscant, & eam tractare, & cum ea agere legitime nequeant omnes, ignoratis naturæ principiis, & elementis, quibus arcana chymica constant. Vale igitur amice lector, & hisce contentus esto, & grata mente accipe, & reliqua futura exspectacum precibus Deo fusis ut supervivat author ut promissis suis stare possit.

Ex principiis corporibus Philosophia vulgaris alchymia perfici cum potest.

FINIS.

LAUS SIT DEO TRINO ET UNO, ET GLORIA SEMPITERNA.



DE EXCREMENTIS CORPORIS HVMANI UNDE FIANT, ET QVARE FIANT.

Excrementum in corpore humano quid sit & quale sit.

CAPVT. I.

Excrementum quid sit.

EXCREMENTVM corporis humani est, quicquid à coctione partium humanarum separatur tanquam quid inutile, & infructuosum corpori humano, quòd coctione nullà potest fieri pars corporis humani, sed tanquā quid inutile foras rejicitur, vel apparenter, vel per insensibilem transpirationem. Vnde quot sunt coctiones alimentis in corpore humano, tot sunt etiam excrementa quæ ab illis coctionibus separantur, non enim omne quod coctionem patitur in corpore humano fieri potest utile, & fructuosum corpori humano, sed manet, & superstes est aliquid semper quod coctioni resistit, & fit inutile, quod quidem cum non prosit corpori, separatur à corpore, & foras rejicitur: hoc autem fit in omnibus corporis nostri partibus quia in omnibus fit coctio alimenti, & in omni coctione, residuum quid est quod est excrementum illius coctionis, & hoc fitur purum alimentum quantum naturaliter fieri potest repertatur in corpore humano, & corpus sic nutriatur puro eoque foveatur conservetur, & cresscat non enim nutritur corpus excrementis suis, nec his fovetur nec conservatur, & crescit sed his destruitur, & invalescentibus vigentibus excrementis cum non rite separentur, & foras rejiciantur ægrescit corpus, & ab his destruitur. Non autem unum, & idem est excrementum sed varium distinctum ac multiplex secundum varias distinctas ac multiplices quæ in corpore elaborantur coctiones: in ventriculo siquidem particularis est, & peculiaris ciborum:

Excrementis corpus destruitur.

rum coctio, in eo etiam particulare & peculiare est excrementum in hepate est etiam peculiaris coctio, in eo etiam peculiari reperitur excrementum in liene. in cerebro in corde, & in partibus singulis est peculiaris coctio, in his etiam omnibus reperitur peculiare excrementum de quibus singulis peculiariter nobis est dicendum capitulis sequentibus ut tractatum de morbis subsequentem notum, & cognitum habeamus.

De excrementis ventriculi.

CAPUT II.

Quo modo separentur excrementa in coctione ventriculi.

DUm in ventriculo nostro, cibi omnes & potus quos assumimus ad nutriendum corpus, percoquantur naturali & innata ventriculi virtute & coctione interim permutantur in chylum & in transmutatione illa, purum & impurum permanent mixta, nullo modo adhuc separata, sed dum descendunt in intestina, venæ mesaraycæ tanquam sanguisugæ intestinis capita sua miscentes sugunt quod purum est chyli. quod autem impurum est & solidum descendit inferius ut tandem foras propellatur ab ano, fœtidum valde excrementum quod autem liquidius est, & excrementi redolet naturam una cum chylo per venas mesaraycas si copia non turgeat sua defertur in hepar, & una cum sero sanguinis defertur per venas totius corporis, & tandem separatur per venas emulgentes in renibus, & transcolatur in vesicam, & fit urina quæ per vesicam foras emittitur. si verò copia turgeat, obstruit hepar & venas mesaraycas, & inde fiunt in hepate & mesenterio varii morbi & symptomata varia. Hoc liquidius excrementum sæpe sæpius expurgatur medicamentis tum per vomitum tum per secessum, & est amari saporis, & coloris flavi & subrubei, & naturaliter expurgatur per urinas. Et si turgeat & amandetur ad cutem scabiem parit variam, & prutitum, & ulcera varia secundum gradum suæ acrimoniæ, quæ variatur secundum varietatem caloris partium, In ventriculo itaque duplicia reperiuntur excrementa, & sæpe sæpius triplicia quæ solent vomitu ejici & foras expurgari; aquosa scilicet & insipida, flava subviridia, & rubea amara valde; stercorea omnia liquida excrementa, quæ à coctione ventriculi ex puri & impuri separatione & chyli elaboratione proveniunt, quę ventriculo valde nocent nisi foras natura vel alte protrudantur. Eaq; ventriculi excrementa variis dotantur qualitatibus, secundum varia elementa quibus turgent; dum enim sal abundat in quibus horum excrementorum hæc salita sunt & pungentem habent qualitatem corrodentem & acrem dum verò mercurius in quibusdam turget, hæc arida sunt & dum sulphuris copia re-

Liquidius chyli excrementũ qua via expurgetur.

Quot excrementa ex coctione ventriculi causantur.

Excrementa ventriculi variuntur secundũ elemẽta varia quibus abundant.

dundant hæc calida sunt, & inflamāt & sic de reliquis excrementis asserēdum est, quæ qualitates obtinent elementorum, quibus turgent, vt videbimus Capitulis subsequentibus omnibus; quibus quidem nō agūt, sed spiritus quibus turgent? excrementa enim agunt spiritibus suis, quibus turgent, non qualitatibus.

De excrementis hepatis.

CAPVT III.

Excremēta hepatis varia sunt.

SAnguis perficitur in hepate, at in elaboratione, & confectione sanguinis vnâ cum sanguine multa excrementa quę separantur in quantū possunt à facultate expultrice; nec tamē sanguis perinde amittit homo genealem suam & partium suarum similitudinem naturalem, qua hæc excrementa non sunt de natura & essentia sanguinis sed extra illā collocata sunt perinde facilia sunt separatu. Primò adsunt fuliginosa quædā excrementa quæ naturam obtinent terræ siccæ & siccabilis, vnde etiam siccabilia sunt & sicca illa excremēta & per poros corporis humani exeūt, & foras protrudūtur, & sæpe sæpius habent aliquid salis, vnde cum acrimoniam habeat herpetes producūt & serpigines in cute corporis humani & scabiem & vlcuscula varia. si vero sicca sint & arida statim abeunt in surfura & fuligines pariūt in cute, & hæc excrementa communia sunt omnibus partibus corporis humani & præcipue capitis, habēt enim hęc excremēta fuliginosa partes omēs, antequam enim sanguis convertatur in partes & fiat pars hæc excrementa fuliginosa separantur, ab vltimo alimento per poros cutis, & cutem efficiunt fuliginibus, quæ scalpendo ab ipsa cute separantur & decidunt, vnde etiam est valde necessarius sanitati hic calus, separatio fuliginum ab ipsa cute quia si non separentur obstruunt poros cutis & calor naturalis non perflatur cutis poris non apertis sed obstructis vnde cumulantur & crescunt excrementa interna, vnde prodest sanitati cōservandæ cutanea frictio, & balneū, & lotio, corporis humani & natatio saltem in anno semel facta, quia sic excrementa illa fuliginosa separantur à cute & pori aperti remanent & calor naturalis eventilatur, & in æstate potissimū dū nō friget, prodest sumopere nudū corpus aëri tēperato exibere semel in die corpus ūguibus friacare, vt illa fuliginosa excremēta rite separētur ab ipsa cute, & eventiletur calor, & spiritus cœlestis essentiæ qui aeri incubat penetret corpus & jungatur nostro spiritui, qui partibus nostris adhæret, & sic fortius & potentius sanitas conservatur, & roboratur quia sanitatis cōservādæ scopus tutissimus est excrementorū horum fuliginosorū separatio quia per separationē illā cutis aperta manet & roboratur spiritus sanitatis œconomus, cumulatis autem hisce excrementis suffocatur & extinguitur spiritus, vnde sanitatis

Fuligines vnde fiant serpigines & herpetes vlcera in cute.

Cur prosit sanitati frictio corporis, balneum & lotio & nudum corpus aeri exponere æstate.

fit dispendium notissimum, & horũ excrementorum spiritus agunt in spiritum nostrum & eum inficiunt, & sic morbi fiũt Cælo spiritu nostro sunt etiam præterea in hepate multa alia excrementa consideratu dignissima, quæ vna cum sanguine ex hepate habent originem & potissimum flava quædam viridia & subjuga stercoracea quædam excrementa, quæ vna cum chylo à venis mesaraycis in hepar deferuntur, & in elaboratione sanguinis separantur, cum sero sanguinis, & per totum corpus deferuntur vna cum sãguine per venas, & tandem separãtur per venas emulgentes, vna cum sero sanguinis per renes, & vesicam, & deferuntur foras per vrinas, & hæc sunt excrementa quæ tingunt vrinas colora flavo, & variis aliis coloribus, nam sæpe subviridi, & nigro colore tinguntur vrinæ, ab his excrementis, variosque morbos pariunt in corpore, si copia turgeant vt sunt icterus, niger, & flavus, & obstructiones omnes, & lapides, & calculi etiã in partibus vbi turgent hęc excrementa, producuntur: nã hæc excrementa ab ipso sale quo turgent lapidescunt in renibus in vesica, & sæpe sæpius in hepate ipso, ventriculo, & intestinis, & in ipsa capacitate thoracis, in quibus omnibus locis solent vagari hæc excremẽta, cum inibi deferri soleant vna cum sanguino, & dum sanguis transit, & mutatur in alimentum, excrementum illud remanet purum sputum separatum à sanguine, & inibi nisi foras amandetur lapidescit sua peculiari siccitate terrestri quà pollet: hinc reperiuntur lapidea multis in locis in corpore humano extra vesicam, & renes, qui ab ipsis excrementis supracitatis trahunt originem, cum hæc excrementa vbique locorum deferãtur vna cum sanguine per totum corpus, vnde & calculi, & lapides possunt produci in omnibus corporis nostri partibus, & verè producti reperiuntur, vt apparet & experientia patet in arthritide vbi materia arthritidis in locis omĩbus, & articulis in medio artilationis ipsorum membrorum lapidescit, vnde ossa ipsa dislocantur, & destruitur articulatio, & motus lapidescunt autem hæc excrementa ab ipsis suis innatis spiritibus qui ea condensant.

Alia hepatis excrementa

Tincturæ varia vrinarũ vnde sunt.

Lapides & calculi unde fiunt in variis partibus

Lapides in omnibus partibus possunt produci.

Vnde in arthritide fiãt calculi & sophi.

De excrementis cerebri, & capitis.

CAPVT IV.

Cum multum sanguinis seu alimẽti generalis deferatur ad caput, & ad cerebrũ vt eo alimento nutriatur caput, & partes ejus, separatione puri alimenti facta, reperiuntur multa excrementa varii generis & speciei, quæ separari solent per emunctoria capitis, & cerebri, quę quidẽ emunctoria multiplicia sunt propter copiã excrementorum quæ in capite, & cerebro produci solent, separatione facta puri alimenti. Prudens, & sagax natura, multiplicia fecit in capite emunctoria, ad expellẽda illa multiplicia excrementa, fecit nares, fecit palatum, & poros capitis ãplos, & apertos, vt fuligines copiose exirẽt, & foras protruderẽtur. Per

Excrementa varia & multa cerebri & capitis.

nares

nares exeunt excrementa mucosa, spissa, & viscosa, glutinosa, & tenaria quæ sæpe sæpius salita sunt & amica, sæpe autem inspida, & aquosa, quæ in naribus multos producũt morbos, & varios secundum variis spiritibus quibus dotantur, per aures autem alterius generis foras protruditur excrementum flavi coloris, & amari saporis viscosum, & tenax excrementum, olei, & sulphuris elementi redolens naturam, & essentiam vnde etiam si non rite separetur hoc excrementum cumulatur in cerebro, & meninges efficit calore præter naturam & inflammat eas, vnde mania sæpe fit, & delirium ab inflammatione venarum quæ ab hisce excremẽtis flavis & subviridibus in cerebro retenta originem trahere solet vt libro de morbis peculiariter tractabitur. Per palatum autem protruduntur excrementa mucosa, & aquosa quæ per poros palati decidunt in ipsum os ginginas, & dẽtes, & in laringem ibique varios pariũt morbos, vcculcula varia, dolores dẽtium, fisuras labiorum, & linguæ ac inflammationes laringis, & gutturis cum variis tumoribus qui quidẽ variant, ac distinguuntur, ex vario & diverso spiritu excrementorum quæ in has partes decidunt easque diverso modo afficiunt per poros autem totius capitis protruduntur, & exeunt foras excrementa fuliginosa, sicca & arida, humidaque alia, & crassa pinguiaque quibus nutriuntur pili, & crescunt vera accretione cum suscipiant jusus illud excrementum & coquant ipsum ac dirigant, & sic permutant in se ipsos, reliquum abit in fuligines, & si humida illa pinguiaque excrementa aliquid salis participent fit scabies in capite, in pericranio capitis, quod corrodetur pericranium ab ipsis excrementis vnde vlcuscula fiunt illa quibus pueri, adolescentes humiditate salita excrementosa, & spiritu acri vigentes solent affici: pediculi hinc etiam solent produci, & generari in capite ab humiditate illa excremẽtosa insipida non salita, supra modum ex calore enim tepido ipsius capitis, cum humiditate illa excrementitia insipida, & spiritu ejus fiunt animalcula illa quibus pueri infestantur, & omnes qui humiditate illa abundant, facili enim via atomi seu partes minutissimæ illius excrementi animantur à calore nativo ipsius capitis, qui ipsius partes excrementitiæ humiditatis actuat & informat, spiritu suo nativo hinc surgunt, & fiunt pediculi, qui nunquã in capitis pericranio sicco, & arido fiunt, & generantur, sed in humido, & pingui illo excremento turgenti. Vnde qui pediculos enecare vult, siccitatem, & ariditatem inducat in pericranio necesse est, & sic pediculorum productionem impediet, vnde deraso capillitio sçpe sçpius perit, & destruitur illa productio, quod in renascendis capillis consumatur illud humidũ excrementosum, & sic pediculorũ materia consumitur, & pediculi non enascuntur sed evanescũt, & pereunt exsiccata eorum fodina.

Mania vnde & delirium.

Scabies in capite vnde.

Pediculi vnde fiunt.

Mors pediculorum vnde depẽdeat.

De excrementis pulmonis cordis & thoracis.

CAPVT V.

PVlmo nutritur sanguine puro, vt & reliquę corporis partes; & quia sanguis qui ad pulmonem demandatur ad ipsum nutriendum non est adeo purus, quin secum habeat multa excrementa quibus scatet, vt in cæteris corporis partibus ad quas enutriendas mittitur sanguis; ideo excrementa illa separãtur dum coquitur sanguis inibi missus ad pulmoné enutriendum, excrementa liquidé sanguinis vt sanguini heterogenea, non transeunt in alimentum partis alendæ, sed separantur ab ipsa parte, & ejiciuntur tanquam excrementa foras, & si retineantur copia crescũt, & efficiunt morbos varios, secundũ varietatem excrementorum, & spirituum quibus turgent excrementa illa: Excrementa autem multa in capacitate thoraci separantur ab ipso pulmone. Pulmo siquidem non solum sanguinem alimentitium suscipit vt ipso nutriatur, sed etiam accipit de foris aërem spiritu lucis plenum quem attrahit inspiratione, vt conjungat illum spiritum lucis cum spiritu naturali alimentitii sanguinis, vt hinc fiat spiritus vitalis, attractus hic spiritus lucis deforis adveniens replet arterias omnes pulmonis, ibique multa fiunt excrementa, quod enim aeris spiritu lucis repleri nequit, cum spiritu naturali alimentitii sanguinis ejicitur foras per expirationem, vnde & ab alimento naturali aquosa multa fiunt excrementa quę per tussim ejiciuntur foras ex pulmonibus, & ex capacitate thoracis; alioquin nisi ejiciantur replent poros pulmonis, & viscositatem acquirunt calore naturali partis, vnde inspirationem, & expirationem impediunt, & difficultates respirandi, & si acria fiunt, & salita vlcera pariũt in pulmonibus spiritibus suis acribus, & mordacibus vnde varia exoriri solent Cymptomata venarum ruptiones, & errosiones sputa sanguinis, & pura aliaque similia, quæ tabem tandem, & ipsam mortem inducunt & si pleuriam afficiunt inflãmationem in ea efficiunt & dolores ingentes & pleuritides operantur, & peripneumoniam vt libro de morbis subsequenti clarius fiet, capitulis propriis & particularibus. Si vero ventriculos cordis hæc eadem excrementa ingrediantur, nec saperétur à tanta nobili parte & viscere faciunt ibi tremores cordis palpitationes & syncoptes & si nimis turgeant & vigeant pariunt subitaneas mortes nam cor lesionem fortem & magnam pati non potest sine morte, cũ à lesione illa forti & magna suffocétur spiritus, & extinguãtur nimia copia excrementorum, vnde vitam extingui necesse est si spiritus vitales extinguantur: hæc autem excrementa in corde fiunt ex digestione aliméti cordis totum siquidem alimentũ non convertitur in substantiam cordis neque in spiritum vitalé vnde & ex alimentitio sanguine & spiritus lucis aereo vehiculo contrahuntur

Excrementa pulmonis morbos pulmonum pariunt.

Tabes vndi: & asthma.

Excrementa cordis morbos cordis efficiunt ratione spirituũ suorum quibus turgent & quibus agitur in spiritus vitales nostros.

excrementa maligna sæpe sæpius si malignis spiritibus afficiatur aerum qui spiritum lucis in cordis ventriculo affert, hinc afficiuntur excrementa illa malignis spiritibus & sic cor maligne afficiunt vnde & syncopes & subitaneæ mortes exoriri solent, & ex spiritibus malignis alimentitii sanguinis qui etiam solet infici hisdem malignis spiritibus. Vnde extra & intra latitant hostes nostri & vim vndique in nos inferunt, adeo vt in admirationem rapiar, quam maximam qua via & quo modo tamdiu vivere possit homo, tot hostibus circunductus & obsessus: Per poros etiam cutis ipsius quæ totum thoracem circundat, emittuntur foras excrementa fuliginosa, quæ ex reliquiis digestionis alimentitii sanguinis proveniunt, quæ si parietibus thoracis adhærescant morbos pariunt diversos excrementorum retentorum necesse est ad vitam vt illa omnia qualiacumq; sunt excrementa foras protrudantur vel per poros ipsius cutis fuliginis alicujus instar, vel per tussium patenti gutturis itinere, & via, sic enim expurgatur thorax ab excrementis suis, & partes que inibi continentur tuto & cum Cavitate integra & absoluta conservantur.

Excrementa illa interna sunt hostes nostri interni.

Tussis sæpe sæpius est sana cum expellat excrementa thoracis.

De excrementis fellis.

CAPVT VI.

Nobilitas fellis & laus ejus.

FEl est nobilissimũ viscus, ejusque officiũ, & nobilẽ vsum nõ noverunt antiqui, Chystis ejus adhæret hepati, vt sugat ex hepate alimentũ suum peculiare, & fotu suo conservet hepar & sanguinem ejus ?. est enim in felle naturale vitę balsamum quo conservatur hepar, & sanguinẽ & sanguis ejus intrinsecam suæ conservationis et durationis suscipit energiam et virtutem innatam et insitam ab ipso felle: fel ergo est viscus præpotens in natura liquoris primi genii apprime vitale et summopere vitæ necessarium, nullo modo excremẽtitii humoris plenum vt somniarunt antiqui Medici, sed vitalis omnino balsami, cujus virtute et proprietate ipsum hepar conservatur et ejus sanguis, et si quid est excrementitii liquoris in ipso balsamo felleo separatur per insensibilem transpirationem, et est quid aquosum vel fuliginosum, et si salis, vel ejus spiritus sapiat naturam coagulatur in ipsa theca fellis in calculos, et lapillos, vnde et qui calculosi sunt sæpe in felle eorum reperiuntur calculi, quia spiritus salis vrinalis, qui sero alimẽtitii sanguinis individuus comes est, balsamum illud felleũ etiã comitatur et vi separatur coagulatur in calculos vt in hepate in renibus et in vesica, aliisq; partibus solet coagulari, sic calculi qui reperiũtur in ipso felle fiunt ab excrementis ipsius fellis quæ spiritus salis vrinalis habẽt quorum virtute coagulãtur in calculos: reliquũ quod est in ipso felle purũ est et vitale et nõ est excremẽtum biliosi humoris quod separatur ab ipso hepate vt sõniarunt medici antiqui quod peculiariter in capite superiori de humoribus refutatum est et argumentis et rationibus confirmatum plurimis.

Vnde calculi in felle inesse cantur.

Alios sibi innatos & proprios spiritus quibus hae excrementa felle coagulãtur in calculos.

De excrementis lienis.

CAPUT VII.

Lienis officiū & laudes.

Lien est vicarius hepatis quod hepar perficere non potest demandatur lieni, vt perficiatur & perfecte coquatur & attenuatur sanguis crassus, qui coctione hepatis attenuari & perfici, & perfecte coqui non potuit vnde demandatur huic crassus & imperfectus lieni sanguis, vt inibi perficiatur, ideo lieni datæ sunt & à natura concessæ infinitæ arteriæ, vt calore vitali spirituum, qui in liene turget, perficiatur sanguis, qui absolutam & vltimam perfectionem habere non potuit, in hepate, vt calore vrgentiori lienis obtineat vnde lien est pars nobilissima & potentissima totius corporis, & nobilitate officii sui præstat, & excellit hepar, quod perficiat & absolvat, quod hepar perficere & absolvere nequit, ideo cum inibi perficiatur sanguis, multa in hac parte coctione sua separantur excreméta, & varia, fuliginosa sunt quædam sicca, & arida, quæ per poros cutis insensibiliter transeunt, & foras abeunt, quæ si non separentur & foras protrudantur obstructiones lienis faciunt, sunt & nigra quædam excrementa alia fœculenta & crassa quæ à puro sanguine separantur & expurgantur sæpe sæpius per vrinas, & vrinas tingunt colore atro, & nigro & sæpe sæpius expurgantur vomitu quia lien supersedens ventriculo & illi incubans deponit sua excrementa per cæcos ductus & canales & & per poros cutis, totum enim corpus porosum est, & perinde permeabile. Vnde etiam hæc excrementa lienis nigra & atra fuliginis modo per totum corpus diffunduntur, & cutem vniuersam corporis tingunt sua nigredine, & icterum nigrum cóstituunt, ab excrementis lienis ortū ducentem vnde expurgato liene curatur hæc icteri species, vt infra capite de ictero clarissimū fit, in libro 5. hujusce libri fiunt etiam, & calculi in ipso liene, ab spiritu salis vrinalis qui serum sanguinis lienosi comitatur, & excrementa lienis coagulat in calculos.

Cur tot & tanta sint excrementa lienis.

De excrementis renum: & de eorum effectibus.

CAPVT VIII.

Renum officium.

Facili via & modo obstruuntur Renes, à natura & à creatore sūmo dati sunt duo renes singulis animãtibus vt si vnus pereat & obstruatur alter fungatur officio suo, sanguis siquidē serositate abundat quę expurgari nó potest nisi renum officio, in sero autem illo sanguinis latēt quamplurima excrementa, quæ variis morbis ac multiplicibus officiūt renes imprimis adest vrinosa materia quæ expurgatur per renes & per vreteres in vesiccam & à vesicca foras emittitur in illa vrinosa materia sunt multa aquea excrementa terrea & salita, nec non sulphure & oleoginosa, quæ ex mixtione varia diversos & distinctos pariunt morbos; aquea & salita simul mixta calculos pariunt in renibus, & vlcera, præsertim si spiritus salis coagulet aqueam illam materiam cui incumbit, si vero non, vlcera parit, propriū enim

In vesicca quid faciat calculos & vlcera.

enim salis est, corrodere, propter acrimoniam quam habet antequam dulcescat, dulcis enim salis est conservare, vt illud sal elementare est & non excrementitium, & de excrementitio hic nobis est sermo, excrementa antè omnia possunt in sua elementa reduci sed dicũtur excrementa quod rejiciãtur à partibus, & quod coqui ac digeri perfecte nõ potuerit, quod remanet crudum, & incoctũ, dicitur excrementũ illius partis, quod percoqui nõ potuit ab illa parte, vt in renibus contingit sanguis serosus qui per venas emulgẽtes ad renes demãdatur & percoqui non potest à renibus & in renum substantiam converti nequit, dicitur excrementum renũ sic expurgatur alimentum generale partium à serositate inutili, renũ officio, et munere, et serositas illa inutilis, et materia vrinę, quę perfectionem vltimam suam et absolutam recipit in vesicca: nõ quod perinde in vrina censeamus nihil esse vtile vitę fouendæ et conseruandæ. Nã si iterũ potaretur vrina et iterũ coqueretur à ventriculo et hepate, et à reliquis partibus coctioni dicatis partes elicerent ex ipsa vrina aliquid vitæ proficiens et vtile, at dicitur vrina totaliter excremẽtitia, et inutile corpus, quod vltimas coctiones subierit, et à partibus coctioni alimentitiæ dicatis rejecta fuerit, nihilominus tamen est aliquid vitæ, et alimẽti in ipsa vrina, modo iterum coquatur. In vrinæ ergo separatione multa adsunt excrementa diversæ qualitatis et substantiæ, vt in anatomia ipsius vrinæ apparet, quæ per distillationẽ celebratur, primo adest aquosa et insipida omnino substãtia, quæ levissimo ignis calore ascendit, et in maxima copia reperitur in omni vrina, subsequitur spirituosa quædã substantia subacida, et pungens, deinde sal volatile ascendit vna cum oleosa substantia quæ vltimo ascendit magno cum igne, in fundo alembici remanet caput mortuũ in quo est sal fixum et terra fricabilis sicca et arida, ex aquosa illa substantia nihil fere mali exoritur in renibus, nisi cum aliis substantiis excrementitiis permisceatur, nam si cum sale volatili permisceatur coagulatur in calculos vna cum terra illa volatili, si cum acida substantia permisceatur dolores ingentes in renibus parit, si cum oleosa, et sulphurea illa substãtia permisceatur, inflamationes renum producit, item et dolores, quia semper adest cũ pingui et oleosa illa substantia, sed volatile à quo materialiter fluunt dolores, efficiuntur autem abs spiritu innato et insito renũ qui est verum et vnicum sensationis organum vt suse admodum alibi probatum est, si vero cum sale tum volatili tum fixo vniatur ita vt prævaleat sic in illa mixtione, fiunt vlcera in ipsis renibus ex quibus pus exoritur vna cum vrinis, si sal fixum calcinationibus multoties iteratis et solutionibus in aquosa illa substantia depuretur ad vltimam depurationem vt durescat tan-

Excrementum quid dicatur.

Excrementum renum quid dicatur.

In serositate latet aquũ dulce excrementũ quod remanet in poris partiũ accurrit in dolores & tumores vnde latex dicitur.

Vrina curdi catur totaliter excremẽtitia.

Calculi in vesicca vnde fiant.

A sale volatili dolores vesica & renum.

Arcanum curãdi morbos renum & vesicæ quale sit.

tandem erubeat, et circulatione pe reñi convertatur in oleum rubrum habes arcanum curandi morbos omnes renum, sed maxima est difficultas in eo purando oleo, propter longitudinem temporis quæ in eo conficiendo impendenda est.

De excrementis vesicæ.

CAPVT IX.

Vrina etsi excrementitia fere tota habet aliquid vitæ.

URina quę deportatur à renibus in vesicam tota vere excrementitia est, habet tamen aliquid vitæ & alimenti adhuc vt diximus capite superiori nec tamen plura reperiuntur nec pauciora reperiuntur excrementa, in ipsa vrina in vesicca reperta quam in renibus ipsis, et perinde etiam in vesicca efficiunt eosdem et similes morbos ac in renibus ipsamet excrementa, pariunt dolores vlcera tumores strangulias et disurias et calculos. Virtute et energia excrementorum quæ latent in ipsa vrina, sunt tamen quædam illorum excrementorum adeo vtilia in ipsa vrina ad impediendos saltem calculos, vt nisi turgeant ipsa excrementa calculosa fit vrina ea potissimum excrementa sunt liquida, illa excrementa flava quæ primo in ventriculo vna cum chylo producũtur et vltimo separãtur in intestinis, et ab intestinis percolãtur in hepar, et cum sero sanguinis permiscentur et tandẽ vna cum sero illo foras protruduntur benefico, et auxilio renũ et amandãtur in vesiccam vna cum vrina et tingunt suo colore vrinas, et hæc sunt excrementa quorum beneficio vrina præservatur a calculo, nam spiritus varinæ non potest coagulare materias viscosas & glutinosas quæ reperiuntur in vrina, si illud excrementum liquidum stercorarium turgeat in vrinis, cum impediat coagulationem virtute sui sulphuris & Mercurii soluti, & liquidi quæ in eo excremento copiose continentur vnde liquidum semper manet illud excrementum stercorariũ, vnde propter substãtias solitas quas secum continet, summe penetrans est, & permeat inde totum corpus: vnde in ictero nigro, & flavo, qui originẽ ducunt ab ipso liquido stercorario excremento, totum corpus inficitur illo excremẽto tum partes externas & internas propter subtilitatem & penetrationem illius excrementi, quæ originem ducit ex solutione suarum substantiarum quæ in eo continentur.

Quid impediat calculum in vesica.

Ictenus vnde ortum habeat.

Reliqua autem excrementa quæ reperiuntur & insunt ipsi vrinæ, si copia sua turgeant nocent valde ipsi vesiccæ, præsertim, si nimis abundẽt sale, & sulphure; vlcera enim & inflammationes faciũt in ipsa vesicca, quæ difficulter curantur, cum, & vrina acris & mordax qua semper madẽt vlcera hoc impediat causa enim vlcerum materialis, & occasionalis, semper persistit, & persistente causa materiali, necesse est, vt persistant & effectus ejus causæ, sunt, & alia excremẽta præter hæc prædicta quę veneno imperfectivo, & mortifero inficiuntur, vnde spiritus vesiccę stupet & sensationem amittet & paralysi afficitur vesicca, & ad vrinæ expulsionẽ

Vlcera & inflammationes in vesica vnde sint.

Paralysis in vesicca vnde

sionem non compellitur sed quasi mortuus manens non sentit vellicationem copiosæ & turgentis vrinæ, vnde remanet vrina, & non ejicitur & sic difficultas vrinæ ejiciendæ quã maxima producitur.

De excrementis partium in genere.

CAPVT X.

Singulæ partes corporis habent suũ excrementũ propter particularẽ suã digestionem.

SIngulæ partes totius corporis coquunt ac digerũt alimentũ suũ, quod in illas demandatur vt nutriantur, & perinde habent internũ ventriculum quo coquant ac digerant illud alimentum & cujus ope separentur excrementa illius alimenti & nisi fiat illa separatio excrementorum in singulis partibus, crescit excrementum, & multiplicatur donec noceat spiritui innato & insito partium vnde sit morbus secundũ quaslitatem & essentiam illius excrementi, quod spiritum agreditur, vnde necesse est vt fiat separatio excrementorum illorum cum ex necessitate fiant in singulis coctionibus partiũ; alimentum enim qualecumque sit nullo pacto coqui potest ac digeri in partibus, quin remaneant aliquæ partes illius alimenti crudæ & incoctæ, & ratione cruditatis illius fiant necesse est, excrementa quæ à partibus coctis & digestis debẽt separari, alioquin quod coctum est, & digestum perfecte & absolute, esset & permaneret permixtum cum crudo & indigesto, & totum sic noceret spiritui vitali, naturali & insito, partiũ & sic perpetuus esset morbus in corpore humano, nisi separentur excrementa, ab alimẽto cocto ac digesto: separantur autem illa excrementa cruda & indigesta facultate expultrice spiritus insiti & naturalis omnium partium & foras protruduntur per poros in fuligines & vapores quæ semper exeunt & exhalãt ex corporibus tum sanis tum morbo affectis, ibique in cute prurigines & scabiem producunt & pediculos, majores vel minores secundum majorem vel minorem dispositionem quam habent illa excrementa ad vitam pediculorum suscipiendam, & introducendam sunt autem hæc excrementa quæ plus aquę habent quam salis & sulphuris nã si sal aut sulphur præ valeat impedit, ne excrementa illa insipida, & aquosa, quæ ad cutem protruduntur actuentur forma pediculorum, si autem sal prævaleat in his excrementis scabies producitur, & pruritus, vlcusculorũ omnes species in cute fiunt, & in partibus, quas illa excrementa aquosa salita, & sulphurea demandantur.

Morbus quid proprie sit: est insultus excremẽtorũ adversus spiritũ.

Excrementa nisi separentur à corpore corpus perpetuo ægrotaret.

Excrementa aquosa in cute abeunt in pediculos.

An excrementa ita sint excremẽta, ut nihil puri habeant natura.

CAPVT XI.

Nihil est adeo impurũ quin aliquid habeat puri.

NIhil est in natura adeo impurũ fœtidum & corruptum quin in ipso sit naturæ purum alioquin ex ipso nihil generari, & fieri posset & natura nihil continet, quin sit ex ipsamet, & essentia sua vbique est, ita vt si reperiantur excrementa comparate dicuntur excrementa, quod vna pars naturæ, purior sit altera, impurior cõparate dicitur excremẽtũ

at hæc æque est naturę ac altera quę purior est, nihil est in tota natura quin coctione & digestione purissimum fieri possit, differt tantum purum & impurum coctione & digestione natura tota, homogenea est, & nihil habet heterogenei nisi comparate, itaque perpendant Philosophi sagaci animi lance, contemplentur naturam, & qua ratione sint illi annexa excrementa, quę nullatenus sunt excrementa, ratione ipsius naturæ, cum natura ipsa per resolutionem naturalem omnia illa excremẽta qualiacumque sint, & esse possint reducere queat ad summam puritatem & perfectionem elementorum suorum ex quibus iterum cõjunctis fieri possunt res purissimæ, & perfectissimæ, quo circa dum de excremẽtis nobis est sermo, ne existimet lector, hæc excrementa esse quid inutile naturæ, & arti, nam dicuntur excrementa, quod huic mixtioni vel generationi sunt inutilia, & supervacanea, reliquis autem possunt esse vtilia & vere sunt; nam iterum coquuntur digeruntur separantur, miscentur vniuntur, & conjunguntur & fiunt inde generata, & producta. Et sic nihil in rerum natura datur, & reperitur, quod sit verum & purũ excrementũ inutile omnino, supervacaneum omni generationi quod sequenti tractatu de puritate naturæ, dilucidius demonstrabitur chymiæ alumnis, vt illis sit nota & aperta in cute tota natura.

Omne impurum coctione fit purum & nitidum.

Excrementa quare dicatur excremẽtum.

Nihil est in tota natura quod sit purũ excrementũ inutile.

TRACTATVS ALIVS

inauditus & vere novus de puritate naturæ.

Quid sit naturæ purum in genere.

CAPVT I.

Mixta omnia & producta naturæ dici possunt in genere purũ naturæ, quod per productionem, & generationem separata fuerint, & selecta, ab aliis multis, quæ generationi, & productioni eorum, super fuerunt, nihil enim in generationibus, & productionibus rerum invenitur quod nõ sit valde vtile illi productioni itaque cum omnia sint valde necessaria & vtilia generationibus, & productionibus naturalibus, nihil erit in his superflui, & inutilis, vnde pura dicentur omnia generata, & producta naturalia, & hinc purũ naturæ generaliter possumus definire, id omne quod ex naturæ intimis seminibus & thalamis producitur & ortum habet, cum omnia pura sint naturæ mixta & composita, strictius autem potest definiri purum naturæ, id quod solum activum est, in natura, & seminis naturã & essẽtiam habet, in cuius centro vis et potestas ipsius naturæ, conseruatur quod in singulis elemẽtis in centro eorum tutissime conseruatur, et qui escit illæsum et incorruptum, in quo radicatur forma cuiuscumq; rei; nã sedes formæ, est totum mixtum, et into

Purum naturæ quid proprie dicatur.

Purum quid proprie sit.

in toto etiam mixto, residet illud purum naturæ, nam si nō resideret per singulas et omnes partes mixti, singulæ et omnes partes mixti nō essēt vt sunt coctionis capaces, cum actionis principium sit forma, & forma illa nō potest esse sine puro illo naturæ in quo radicatur forma, vnde et principiū actionis radicatur in ipso etiam naturæ puro.

Puri diuisio in tria genera.

Sed cum tota natura dividatur in tria genera, in genus puta animale, vegetabile et minerabile, natura perinde erit animalis vegetabilis, et mineralis, et perinde etiam purum naturæ diuidetur in similia genera, vnde purum naturæ animalis erit diuersum ac distinctum à puro naturæ vegetabilis, et purum naturæ vegetabilis erit distinctum à puro naturæ animalis, et purum naturæ mineralis erit etiam distinctum à puro naturę animalis et vegetabilis sic erunt tria pura naturæ inter se diversa ac distincta, de quibus singulis, capitulis subsequentibus nobis erit dicēdū

De puro naturæ animalis quid sit & quale sit.

CAPVT II.

Purū naturæ animalis quid sit.

PVrum naturæ animalis est semē animale in quo se conseruat ipsa natura animalis et se in eodem multiplicat, vnde definire possumus purum ipsum naturæ animalis, id ipsum in quo naturæ animalis seminalis virtus energia, et potentia illæsa conseruatur, et id solum est semē animale, quod quidem extra animale corpus viuens, et perfectum inveniri potest, quicquid garriant Philosophorum nonnulli, male explicantes chymicorum sententiam de Mercurio seu semine Physico metallico, quod quidem animale dicunt quod animalia hinc producantur, si tenuitas illius substantiæ ita graduetur vt ad formam animalem introducendam evehi et extolli possit nam natura animalis vegetabilis, et mineralis ab vno, et eodem fonte ac radice scaturiunt et destinguuntur tamē tenuitate substantiæ et coctione, et vnione principiorum in natura siquidem animali principia naturæ, et elementa, subtilissima valde sunt leviter cocta et vnita, vnde leui agente destruitur natura animalis quia ejus principia rara, et tenuissima leviter digesta sunt, et perinde nō perfecte vnita, vnde non diutissime durat, quia eius principia facillime ab invicem separantur ac dissolvuntur, in natura autē vegetabili eius principia, et elemēta fortius digesta sūt, et cocta, vnde et diutius durant quā ipsa animalia, in natura autem minerali principia, & elementa diutissime cocta sunt, & digesta & perfecte vnita, vnde diutissime durant, & præsertim ea quæ perfecta sunt, & quæ coctionem longam passa sunt, vt aurum & argentum, lapides pretiosi in quibus omnibus elemēta, & eorū principia perfecte digesta sunt, & perfecte vnita, vnde difficili via dissolvuntur, & separantur ab invicem & sic diutissime durant, & in esse suo perseverant, vt capi-

Animalia vnde facile corrumpantur & atterentur.

Vegetabilia & mineralia cur diutius durant.

tulis subsequentibus clarissime demonstrabitur natura autem animalis quia ejus principia, & elementa nō perfecte vnita sunt, & leviter digesta, ideo facili via inter se dissolvuntur, & separantur, & perinde corruptioni obnoxia sunt, & morti, nec perinde diutissime durant vnde colligere facillimum est arcana longissimæ vitæ non esse extrahenda ex genere animalium quia omne quod est in eo genere corruptibile est, nisi reducantur animalia ad suū primū principium, & ad primam originē, quod difficillimum est, & longissimum, sed in genere mineralium habemus primum genus rerum omnium ex quo cum sit incorruptibile possumus elicere, & extrahere illud vitæ longæ arcanum, vt clare admodum demonstratum est tractatu superiori de vita humana.

Vita longa arcanum unde extrahi possit.

De puro natura vegetabilis quid sit & quale sit.

CAPVT III.

PVrum naturæ vegetabilis consistit in semine vegetabili, nam virtus potentia & energia vegetantiū in eorum semine consistit & purum vegetantium est sola virtus & energia ac potētia vegetantium: cōstituitur autē purū istud vegetātiū ex puritate elementorum omnium tam superiorum quam inferiorum: quod quidem purum elementorū omniū quod proprio naturæ motu ad centrum terræ tendit atque cadit vt vbi tanquam in ventriculo naturæ, calore suo naturali & centrali digeratur ac coquatur, & in coctum ac digestum sublimetur per poros terræ, & vbi vegetabilia qualiacumque adinvenit, naturam particularem vegetabilium assumit, & fit ex puro vniversali totius naturæ, purum particulare naturæ vegebilis, quod quidem componitur ex eisdem partibus & naturis elementaribus, ac purum vniversale, suscipit tantum naturam particularem in natura vegetabili, quod ipsam ingrediatur, & ex digestione & coctione particulari quam suscipit in natura vegetabili, & sic genus vegetabile suscipit differentiam genericam in suo genere vegetabili, & differentiam specificā in specie sua, & differentiam individualem in individuis specierum, ex sola coctione ac digestione illius puri sic poma sic pyra sic nuces, sic rosę, & flores omnes suscipiunt illā suam peculiarem differentiam ex digestione, & coctione puri sui in visceribus suis vbi fit coctio illa ac digestio: & ex puro illo cocto ac digesto, producitur germen in vegetabilium fructibus, & seminibus in quo conservatur virtus, & energia vegetandi, & hæc est 180. pars ipsius germinis in qua conservatur illæsa illa virtus germinandi, & multiplicandi, pura omnino, & cœlestis essentiæ: nā omni ex parte, pars illa respondet elemento stellarū vnde illud Virgilii, igneus est ollis vigor, & cœlestis origo seminibus quod quidē purū dū spargitur per corpora, & poros vegetātiū sublimatione illa magis ac magis depuratur, quod est purissimū abit in flores & fructus quod est minus purum in me

Purum vegetantium quid sit & vbi consistat

Purum vniversale suscipit differentiam suam in locu vbi defertur.

Pars 180. seminu germinandi habet potentiam.

medullam, & lignum quod vero minus adhuc purum est abit in folia, et cortices et sic purum illud in tres partes distribuitur in corpore vegetantium, in flores et fructus, in medullam et lignum, et in folia et cortices, quæ omnes distinctæ partes ab vno, et eodem puro originẽ habẽt, et conservationem, et multiplicationem sui ipsius sic vegetantium purũ satis fuse demonstratum est, ex purissimo elementorum omnium componitur, et in elementa sua reduci potest quæ quidem depurata, et iterum in vnum conjuncta, producũt stupendum vegetantium arcanum quod virtutes omnes vegetantium in summo gradu possidet, et communicare potest vegetãtibus omnibus vnde liberari possunt ab ipso arcano, ab omnibus morbis suis, et defectibus, et summam obtinere perfectionem in genere suo, vnde fructificandi summam virtutem, et potẽtiam ter aut quater in anno obtinere possunt, et si senescant arbores, et ætate deficiant, possunt refici ac renovari earum virtus et facultas.

Fructificãdi virtus potest restaurari et renouari arcano vegetãtium.

De puro naturæ mineralis quid sit, & quale sit.

CAPVT IV.

PVrum naturæ mineralis fit im̃ediate ex puro naturæ vniuersalis hoc est ex puritate immediata elementorum omnium qua semen suũ in cẽtrum terræ projiciunt vt inibi coquatur, & digeratur, coctumque ac digestum à calore centrali terræ sublimetur per poros terræ ibiq; dũ mineralia primum invenit, ipsa ingreditur, fit alimentum peculiare mineralium in ventriculo cui mineralium calore naturali mineralium, qui generale illud alimẽtum coquit ac digerit, & in sui substantiam convertit hinc etiam fit semen particulare mineralium, ex digestione & coctione illius alimenti cujusque rei, fit, semen particulare cujuscumque rei, sic alimentum vniuersale seu semen rerum omnium quod in centro terræ ex elementis omnibus per coquitur fit semen particulare, seu alimentum particulare mineralium omnium dum mineralia ingreditur fit aurum, & argentum dum ad fodinas auri & argenti sublimatur: fit plumbum, & stannum, ferrum, & cuprum ac argentum viuum, si ad plũbi stanni ferri cupri ac argenti vivi fodinas perveneri, nam plumbum stannum ferrum cuprum, ac argentũ viuũ trahit ad se alimẽtum, generale illud alimẽtũ, & coquit ac digerit in sui substantiam, & sic crescũt, & vegetant fodinæ metallorum omnium. Et generale illud alimentũ nihil aliud est quam vapor, & exhalatio quæ exsurgunt ex elementis omnibus quæ suum purum projiciũt in centrũ terræ: ibique permiscetur coquitur ac digeritur, et per calorẽ centralem terræ sursum sublimatur, et fit vapor et exhalatio, de quibus nutriũtur omnia vegetabilia animalia, et mineralia, et sic ab vno et eodem fonte prodeũt, et scaturiũt omnia:

Purum minerale vnde fiant.

Ex puro cuiusque alimẽti fit semen.

Fodinæ venæ metallorum vnde fiant.

Omnia fiũt ex vno.

nia: valde enim mirum est in vaporibus & exhalationibus contineri omne illud, (quod in natura pretiosum est) aurum argentum, metalla omnia, & lapides omnes pretiosos adamantes carbunculos, & margaritas, sunt enim vapores elementorum omnium, thesauri pretiosissimi totius naturæ, ex quibus natura procreat & producit omnia in eis sunt principia omnia vnita, & conjuncta, quod Capitulis subsequentibus clarissime disquiremus.

Vapores, & exhalationes sunt thesauri Dei & natura.

An in puro naturæ mineralis sint elementa omnia simul coniuncta.

CAPVT V.

In puro natura mineralis sunt omnia elementa.

NVllo pacto dubitandũ est quin in puro naturæ mineralis sint elementa omnia simul mixta, & vnita tanquam in semine minerali, ex quo immediate fiunt mineralia omnia; nisi enim essent in tali puro naturæ mineralis, omnia elementa simul mixta, & vnita, non posset tale purum, producere, & generare mineralia cuncta: oportet siquidem vt omnia principia naturæ mineralis sint in tali puro seu semine minerali, vt hoc semen sit fons, & scaturigo mineralium omniũ principis siquidẽ mineralis naturæ sunt scaturigo generationis, & productionis mineralium omnium, virtus siquidem sola, & energia generationis in principiis naturæ solis reperitur Deus enim, & natura posuit hanc energiã, & virtutem in principiis dum dixit omnibus creatis, crescite, & multiplicamini, non dixit illud indiuiduis rerum quia corruptibilia sunt, sed principiis rerum, quæ in indiuiduis latitant, & occultantur, & in his in corruptibilia sunt vnde etiam virtus & energia multiplicandi conseruatur illæsa, & incorruptibilis in ipsis principiis, & elementis incorruptibilibus quæ illæsa, & incorruptibilia in ipsis individuis conservantur, nisi enim vere essent, & realiter in ipsis rerum indiuiduis non possent ipsa individua rerum in principia, & elementa sua reduci, vt vere & realiter reducuntur, corrumpuntur indiuidua, & in ipsa corruptione apparẽt & manifestantur principia, & elemẽta, ex quibus concreta sunt ipsa indi vidua.

Multiplicandi virtus in solis principiis.

Sic nullo pacto dubitandum est quin in puro naturę mineralis quod est semen mineralium, quodque est individvum quid minerale, sint elementa, & principia naturæ mineralis simul vnita, & conjuncta, ad constitutionem illius seminis naturæ mineralis quod est principium multiplicationis, & generationis mineralium, ratione, & ministerio principiorum, & elementorum mineralium quę sola conseruant energiam, & virtutem multiplicatiuam, & generatiuam illæsam & incorruptam.

Semini minerali sunt principia mineralium.

-∞(o)∞-

An

An mineralia omnia habeant in se, semen illud minerale in quo se multiplicant.

CAPVT VI.

Semen mineralium quid & quale.

PHilosophorum quamplurimi negant semen istud minerale, quia in ipsis mineralibus non apperte videtur ac conspicitur quia in centro eorum latitat, & occultatur, attamē solis manifestatur his qui lynceos habent oculos, aqua siquidem in cētro, & corde mineralium latitans est verum, & legitimum mineralium semen, in ea enim sola se multiplicant, & se producunt imo aqua elementaris pura est verum semen mineraliū omnium, ex ea enim sumunt omnia mineralia suam originem: nec aurum, & argentum & reliqua omnia metalla, nec lapides tā communes, quam pretiosi omnes aliam habent scaturiginem, quam ipsam aquam communem, & elementarem aqua sola coctione ac digestione fit aurū, argentum, & lapis pretiosus, adamas, & carbunculus quod mirum valde est, quod in subjecto tam molli, & vili, & liquido lateat durities aurea metallica, & lapidea tam pretiosa adeo vt thesaurus totius naturæ lateat, & abscondatur in ipsa aqua elementari, vulgari & communi non tamen intelligendum est aquam simplicem elementarem vt elementum est simplex, & principiū rerum omnium esse semen, & principium immediatum ex quo fiunt metalla, & mineralia omnia quia istud semen, & principium immediatum mineralium, est quid mixtum & compositum ex omnibus elementis, tam superius quam inferius, vt semen reliquarum rerum omnium, & aqua elemētaris est quid simplex. Sed dicitur aqua communis, & vulgaris quæ videtur & palpatur, esse semen mineralium omniū, eo quod ipsa aqua communis, & vulgaris cōtineat in se semen illud mineralium omnium, & sit vehiculum propriū illius seminis, defert enim aqua cōmunis & vulgaris semen illud minerale ad matrices minerales vbi digeritur, & coquitur in metalla, & mineralia varia ac diversa secundū varietatem, & diversitatem coctionis, perinde necessarium est vt in omnibus mineralibus adsit minerale illud semen vt digeratur, & percoquatur in minerali, alioquin enim nisi actualiter esset, non posset percoqui nec mineralia vlla crescere possent, & multiplicari digestione illa, & coctione, seminis illius mineralis vt vere crescunt, & multiplicantur concludimus ergo in omnibus mineralibus, & metallis, actualiter esse semen minerale, quo in fodidinis suis crescunt, & multiplicantur.

In aqua sūt omnia mineralia.

Aqua vt elementum simplex non est semen metallorum quia semen est quid compositum.

Concluditur in omnibus mineralibus esse semen.



An

An semine illo minerali summopere depurato & perfecte cocto omnia naturæ mixta defectum patientia possint restaurari.

CAPVT VII.

Senectus est defectus naturalis.

QVæstio hæc valde ardua est et sumi momenti an naturæ mixta defectum patientia possint restaurari; nam si natura sponte sua et naturali sua inclinatione defectum patiatur, senescunt enim omnia et senectus rerum omnium sit naturalis et spontanea, et impediri nequeat, quin natura sponte sua senescat, frustra quæritur in rerum natura medicamentum quo possit impediri senectus et defectus ille naturalis, nam inde concludi posset, si senectus impediri queat et instaurari omnino possit, mortem rerũ impediri posse et imortalia omia reddi posse, quod tamen in sensum et mentem sapientis cadere non potest; mors siquidẽ quamvis non naturalis sit ex necessitate tamen in natura ipsa introducitur, et fide catholica et christiana certum habemus omnia mori debere, nihilominus tamẽ quamvis mors impediri omnino nequeat, potest retardari et vita vt longius protrudi potest, et conservatio rerum prolongari, quod est species restaurationis: verissimum enim est restauratione rerum omnimodam et absolutam fieri non posse, adeo vt senectus omnio et mors rerum pereat et evanescat, verum potest fieri rerum restauratio fortior et potentior, quam ea quæ fit quotidie in rebus omnibus, nam nutriuntur omnia et singula suis peculiaribus alimentis, et perinde cum nutriantur restaurantur nutritio siquidem est vera et legitima restauratio et rerum renovatio, at hæc communis et vulgaris restauratio et renovatio, non est potentissima nec valde durat, quæritur hoc in capitulo, an dari possit fortior et potentior rerum restauratio et renouatio quæ quidẽ restauratio & renouatio in rerum natura vere est, et fieri potest ab alimento potentissimo et fere incorruptibili quod quidem alimentum est occultum in naturæ centro et potentissimum in centro naturæ mineralis, vnde vere et chymice quæritur an semen minerale summopere depuratum et perfecte coctum et tenuissimum factum et fixum, possit restaurare omnia naturę mixta, defectum patientia quod quidem facile admittimus cum in eo semine vita vere vitalis virtus et energię totius naturæ altissimo in gradu et potentissimo sit inclusa, et vere luceat, et reniteat, relucet autem vita potentior et virtus ac energia naturæ, in semine minerali, quam in reliquis naturæ seminibus, quod semẽ minerale propinquius fontem vitæ accedat, qui in terræ centro collocatur quam reliqua rerum semina quę in superficie terræ sedem habent et in ea conservantur et nutriuntur in centro vero terræ omnia elementa conveniunt et projiciunt suum purum et spiritus vitæ qui in eis latitat omnibus, in terræ etiam centro vitã cum

Mors ex necessitate in natura introducta ex peccato.

Nutritio est species restaurationis.

Semen minerale summopere depuratum est arcanum vitæ reparandæ.

Quare vita luceat magis in semine minerali quam in reliquis seminibus.

cum corpore suo elementari cōfluit & ibi vna cum purissima elementorum parte digeritur & coquitur & multoties inculcatum est in naturæ generale semen quod à centro terræ calore centrali terræ,& naturali suo calore sublimatur, & elevatur, per poros terræ & matrices terræ implet ibique fit sem n particulare cujuscumque rei secundum particulares rerum matrices, quas implet, vnde primo mineralia impregnātur quia circa centrum terræ circumponuntur mineralia etideo primo semine generali fœcunda fiunt & quia etiā fortius & potentius coquitur ac digeritur illud semen generale in mineralibus quam in vegetantibus & animalibus,vnde virtus potentia& energia vitalis potentior est, in mineralibus quam in reliquis; virtus enim & efficacia potentior est ab vnione & firma compagine elementorum quæ reperitur in seminibus rerum: vnde cum illa vnio & firma compago, fortior sit in mineralibus & metallis quam in vegetantibus& animalibus inde etiam virtus vitalis potentior est & efficacior est in mineralibus, quam in vegetantibus & animalibus,vnde etiam concludere possumus ex semine minerali sumōpere depurato & perfecto cocto ac digesto, posse extrahi arcanum vere vitale & vivificum cuius ope & ministerio omnia naturæ mixta defectum patientia possunt restaurari& reparari quod capite sequēti ex metallorum transmutatione& reparatione fiet clarius.

Vita fortior & potentior vbinam

Concluditur arcanum vitæ esse in semine minerali.

An ex semine minerali perfecte maturo ac digesto metalla impura possint perfici.

CAPVT VIII.

DIximus capite superiori & probauimus semen minerale perfecte coctum ac digestum ac purissimum factum energiam habere&potentiam tollendi omnes naturæ defectus,hinc metalla impuraperfecta fieri posse arguendum est, cum impuritas illa metallorum sit naturę defectus metallicæ, vnde autem hoc possit fieri à semine illo minerali jam nobis est disquirendum impuritas illa& imperfectio metallorum depēdet à cruditate seminis metallici, semē siquidem metallicum cum digeratur & percoquatur in venis & visceribus terræ, minus hic coquitur ac digeritur quam alibi quia calor ac digestio minor est in vno loco quam in alio, perinde cum metalla minus hic quam alibi coquantur ac digerantur ideo imperfectiora fiūt & impuriora in vno loco quam in alio, vnde cum metallorum imperfectio & impuritas dependeat, ab eorum cruditate, & immaturitate, semen minerale & metallorum perfecte purū & perfectissime coctū ac digestum & absolute maturum potest impurū deputare & incoctū ac indigestū coquere ac digerere & sic immaturū perfectissime maturare perfecta sua materitate & perfectissima sua coctione ac digestione.

Impuritas & perfectio metallorum vnde dependeat.

Crudū potest coqui & immaturū maturari vnde metalla possint perfici.

Sic nullo dubio concludere possu

mus semine minerali perfecte maturo, cocto ac digesto metalla omnia impura et immatura posse maturari et perfectissime coqui ac digeri, ita vt maturitate illa et coctione perfecta quam acquirunt semine illo minerali mature et perfecte cocto, metalla om̃ia impura et immatura perfectionem absolutam acquirant et sic in verissimum et naturale aurum et argentum transmutentur, sic lapis philosophorum quo metalla impura in aurum et argẽtum transmutantur non erit quid fictitium et à philosophis excogitatum figmentũ vt clamant nonnulli Philosophastri cum semen minerale sit quid reale, realiter in natura existens, et præparari possit arte in lapidem Philosophorum quod capitulo sequẽti fiet chymiæ alumnis clarissimum et manifestissimum;

Lapis Philosophorum est quid reale in rerum natura.

Semen minerale qua arte, & industria possit præparari in lapidem Philosophorum.

CAPVT IX.

Semen minerale qua arte perficiatur in lapidẽ Philosophorum.

ASseruimus capitulo superiori semen minerale perfecte coctum ac digestum, et simul perfecte purũ posse perficere metalla impura, et cruda, coctione ergo, et digestione; et depuratione indiget semen minerale vt ad perfectam illam energiã euehi possit, digestio autem, et coctio fit calore perenni, et continua, dum enim in visceribus terræ percoquitur ac digeritur, numquam esset calor naturalis, tum terræ, tum ipsius seminis mineralis in ipsũ semẽ agere donec perfecerit ipsum semẽ minerale in metallum perfectũ sequen da est ergo natura ipsa, in ipso semine perficiendo indagandus est, et reperiendus calor perennis, et perpetuus, qui perenniter, et continue agat in ipsum semen minerale, et excitet calorem suum naturalem in centro sui ipsius latitantem qui ipsum semen maturet, et perfecte coquat: et vltra deputandum summopere est ipsum semen vt puritate sua vigeat, et floreat energia et virtus sua, in metallis perficiendis. Depuratur autem semen illud metallicum et minerale ab ipsa natura solutionibus quam multis sæpius iteratis, et sublimationibus et distillationibus toties iteratis donec semen illud purissimum quiescat fixum, et firmum in visceribus terræ fodinariis in quibus dum purum est, sola coctione ac digestione perfectionem vltimam acquirit sic in semine illo perficiendo, imitanda est, et insequenda natura sola, est soluenda, est substantia ipsa ipsius seminis mineralis quæ cũ naturam salis habeat, facile soluitur, et in spiritu suo facile liquescit, et sic deponit sua excrementa, quæ insolubilia remanent, cum naturam salis non sapiant itaq; distillatione illa sæpius iterata summam puritatem, et tenuitatem acquirit, et sic corpus siccum fixum et permanens penitissime penetrat, et partes suas omnino tenues, et subtiles reddit, adeo vt corpus fixũ vna cũ spiritu suo subtilissimum, et tenuissimum reddatur, et sic

In semine minerali perficiendo natura est insequenda.

& sic ambo distillatione illa, & sublimatione purificantur, ad vltimum puritatis gradum, non potest autem spiritus ille suus à corpore distillari & sublimari quin corpus in fundo alembici remaneat siccum, & aridũ & sic calcinatur corpus dum separatur ab eo, eius spiritu distillatione, sic calcinatione illa & desiccatione corpus summopere depuratur attenuatur, & in corpus vere lucidum, & splendens carbunculi instar transmutatur, huic corpori sic præparato annectendus est eius spiritus, qui simul cocti ac perfectissime digesti donec duo fiant vnum, perfecte coctum, digestum maturum, perfectissime ac absolute fixum non possunt vnum fieri, quin perfectissime, & absolute pura fiant ambo, corpora, vnũ fixũ alterũ volatile & oportet vt coctione, & digestione volatilis, & fixi, fixũ fiat volatile, & hoc volatile iterũ coctione ac digestione fiat fixũ, & hoc fixũ iterũ volatile & hoc volatile iterũ fixũ, & sic tandẽ terna aut quaterna alteratiõe illa alterna, perficitur, & absoluitur totius naturę arcanum, defectus omnes naturales tollens, & ad perfectionem conducens ad hoc fieri non potest nisi volatile, & fixum seminis mineralis perfectissime, & absolute vniantur donec separari inequeant vlla virtute ignis, at maneant conjuncta simul in violentissimo ignis vigore volatile autem, & fixum hujus semini mineralis notissima habere debemus vt ea simul conjũgere valeamus quod capitulis sequẽtibus declarabimus

Volatile & fixum sunt connectenda ad arcanum vitæ perficiẽdum.

De volatili substantia seminis mineralis.

CAPVT X.

Semen minerale cum constet duplici substantia volatili vna, & altera fixa & constanti, nobis est demonstrandum qualis sit substantia illa volatilis, & an distinguatur ac differat à substantia fixa & constanti, quæ corpus ejus dicitur, volatilis autem est ejus spiritus, volatilis autem hæc substantia quæ spiritus seminis mineralis dicitur nullo pacto differt à substantia fixa, & permanẽti quæ corpus eius dicitur sunt enim corpus, & spiritus huius substantiæ vna, & eadem substantia differunt volatilitate, & cruditate, nam substantia volatilis coctione transit in substantiam fixam, & permanentem, & fixa & permanens hæc, eadem substantia, potest fieri volatilis, & cruda, additione crudæ & volatilis substantiæ, & sic inter se inuicem transmutari possunt, quod fieri non posset si inter se substantialiter differrent, & distinguerentur. Nullo pacto ergo differunt, & distinguuntur, componuntur siquidem hisdem, & similibus & elementorum omnium substantiis. At in fixa & permanenti substantia elementa fixa sunt, & constantia, in volatili vero volatilia [illegible] omnia elementa, quæ quidem co[illegible] & digestione fixa fieri possunt, & [illegible]nentia. Volatilis autem hæc sub[illegible] seminis mineralis apud chymicos [illegible]rius

Semen minerale constat duplici substantia volatili & fixa.

In semine minerali corpus & spiritus sunt vna & eadem substantia.

Volatilis substantia seminis mineralis est Mercurius.

nuncupatur, qui quidem Mercurius summopere debet depurari, & distillatione attenuari, & conjúctione cum corpore suo, etiã depurato, & tenuissimo facto debet fixari úde dicitur quod Mercurius debet fixari cum corpore suo fixo, & quod aliter fixari nequeat, quod tamen falsum est, nam coctione perueniri, & continua sine additione corporis sui potest fixari, nam partes volatiles Mercurii sunt ejusdem substantię ac partes fixæ, corporis sui, nec differunt nisi cruditate & coctione, vnde si coquantur, fixæ fiunt & perit cruditas quæ volatilitatem agit, & manifestatur maturitas quæ in fixione consistit, sic spiritus seminis mineralis fit corpus, & vice versa corpus fit spiritus. Spiritus autem huiusce substantiæ mineralis nihil aliud est quã subtilissima aqua quę reliqua omnia elementa in se continet, in gradu volatili, & in fixo, crudo & inmaturo, quæ quidem elementa si coquantur natura fiunt, & cruditatem amittút, & perfecte fixantur & constantia fiunt, & corporis naturam acquirút natura integra & vniuersalis in rebus perficiendis omnibus, semper occupata est coctione, digestione, & maturitate, & depuratione illius Mercurii qui nihil aliud est vt diximus quam spiritus aquæ, cui insunt reliquorum elementorum spiritus & tenuissimæ substanti[illegible] chymicis dicuntur spir[illegible] mercurii aliisque nomi[illegible] ...ugniantur variis ac div[illegible] Mercurii illius naturar[illegible] ...tiam non percipiant

Cruditas volatilitatem facit in omnire.

Quid sit Mercurius & spiritus in semine minerali.

vulgare Philosophi nam si penitus cognoscerent aliter de natura ipsa Philosopharentur, & non allucinarentur in compositione mixtorum, & in conservatione eorum at Deus ita permittit ne thesauri sui in natura occulti impiis manifesti fiant. Vt autem eius mercurii natura & essentia penitus cognoscatur eius corpus est inuestigandum postquam declaratus est eius spiritus, nam qui corpus illius mercurii ignorat, ignorat & eius spiritus & vices qui eius spiritus ignorat ignorat & eius corpus, sunt enim ambo vnius & eiusdem essentiæ, & perinde non esset opus capitulum particulare, de mercurii corpore hic inferrem cum noto mercurii spiritu, noscatur & eius corpus nihilominus tamen cum experiẽtia ipsa notum habeam, hæc omnia difficillima esse, & comprehendi non posse, sine manifestissima amici declaratione vel Dei ipsius reuelatione non timebo, vt antiqui Philosophi quibus hoc arcanum notum fuit, timuerunt hoc arcanum manifestare qua potest declaratione vt chymiæ alumni fructum Alchymiæ percipere queant qui totus & integer pendet ab hac declaratione.

Spiritu ignorato ignorãtur & corpus seminis mineralis.

Alchymiæ ratio vnde dependeat.

De corpore fixo & permanenti seminis mineralis.

CAPVT XI.

Corpus fixum, & permanens seminis mineralis est illud quod à chymicis antiquis dictum est sulphur Sol sal & aurum eorum, vnde clarum est, & manifestum aurum Philo-

Corpus seminis mineralis quid sit.

Philosophorum non esse aurum vulgi, nec sulphur nec Sol, nec eorum sal, esse sal commune & vulgare sed quid aliud diuersum, & distinctú ab aliis rebus vulgi communibus, nam hæc omnia scilicet sulphur Philosophorum, sal, Sol, & aurum eorum sunt vnum & idem, & inter se inuicem conuertũt hoc est sulphur est aurum, & aurum est sal, & sal est Sol, & Sol est sulphur sal & aurum, & sic vnum & idem sunt diuersis nominibus enunciatum & id omne corpus fixum, & permanens seminis mineralis constituit, quod quidem cõponitur ex omnibus elementis fixis, & permanentibus, aqua scilicet in eo fixa est & perfectissime congelata & constanter coagulata, spiritus est itẽ in eo perfectissime fixus, & congelatur sulphur, & oleum item est in eo absolute congelatum, sal item in eo perfecte coagulatum & fixum, & item terra in eo est absolute fixa. Et sic ex omnibus his quinque elementis, resultat corpus illud seminis mineralis quod constituit in rerum natura corpus fixum & fluens vt metallum, quia in eo sunt omnia elementa anatice mixta, & perfecte vnita, adeo vt terra nõ separetur ab aqua, nec aqua à terra nec à ceteris elementis supra citatis nec cætera elementa ab ipsa aqua, & terra; sed inuicem simul fixæ cohæreant itaque constituũt corpus minerale fixum permanens, & fluens at metallũ: fixa autẽ sunt elementa omnia in semine minerali, propter perennem, & continuam coctionem ac digestionẽ quãi perenniter passa sunt in eorum visceribus terræ omnia elementa, fixationem enim aquirunt sola perenni coctione, volatilia enim sunt, & vagãtur per aerem donec tandem digestione perenni, & continua in visceribus terræ figantur, & corporis suscipiant naturam, & essentiam, quod in genere mineralium dicitur sperma mineralium in centro sui semen continens quod tennue est, & subtilius ipso spermate, nam sperma se habet veluti corpus & semen se habet veluti anima, in spermate contecta, & conclusa, totum spermatis corpus viuificans, & ad germinationem & productionem excitans: cuius viuificationis ope, & auxilio metalla omnia ex semine illo minerali producuntur, nec vllo pacto dubitandum est semen istud minerale, in rerum natura vere existere, quamuis per se visibile non sit, & palpabile, nisi his solis qui naturam metallicã habẽt notam nam cum metalla per se visibilia sint, & palpabilia, & in fodinis suis per se realiter crescant, & multiplicentur, hæc accretio, & multiplicatio fieri nullo pacto potest, sine semine metallico, & minerali, cui soli debetur accretio, & multiplicatio, metallorum & mineraliũ omniũ, nec datur semẽ vllũ, sine spermate quod est seminis corpus: corpus ergo seminis mineralis, est minerale quoddam salis naturam, & essẽtiam redolens, fusibilis & fundentis sulphuris naturam habens & auri, vnde dicitur sulphur, & aurum Philosophorum, non vulgi.

Aurum Philosophorum, sal & sulphur quid sit.

Corpus seminis mineralis ex quinque elementis.

Corpus seminis mineralis quare sit fluens vt metallum.

Anima in semine minerali quid.

Accretio metallorum sine semine fieri non potest.

Corpus seminis mineralis quale sit.

tulis subsequentibus clarissime demonstrabitur natura autem animalis quia ejus principia, & elementa nó perfecte vnita sunt, & leviter digesta, ideo facili via inter se dissolvuntur, & separantur, & perinde corruptioni obnoxia sunt, & morti, nec perinde diutissime durant vnde colligere facillimum est arcana longissimæ vitæ non esse extrahenda ex genere animalium quia omne quod est in eo genere corruptibile est, nisi reducantur animalia ad suũ primũ principium, & ad primam originẽ, quod difficillimum est, & longissimum, sed in genere mineralium habemus primum genus rerum omnium ex quo cum sit incorruptibile possumus elicere, & extrahere illud vitæ longæ arcanum, vt clare admodum demonstratum est tractatu superiori de vita humana.

Vita longæ arcanum unde extrahi possit.

De puro naturæ vegetabilis quid sit & quale sit.

CAPVT III.

PVrum naturæ vegetabilis consistit in semine vegetabili, nam virtus potentia & energia vegetantiũ in eorum semine consistit & purum vegetantium est sola virtus & energia ac potẽtia vegetantium: cõstituitur autẽ purũ istud vegetãtiũ ex puritate elementorum omnium tam superiorum quam inferiorum: quod quidem purum elementorũ omniũ quod proprio naturæ motu ad centrum terræ tendit atque cadit vt vbi tanquam in ventriculo naturæ, calore suo naturali & centrali digeratur ac coquatur, & in coctum ac digestum sublimetur per poros terræ, & vbi vegetabilia qualiacumque adinvenit, naturam particularem vegetabilium assumit, & fit ex puro vniversali totius naturæ, purum particulare naturæ vegebilis, quod quidem componitur ex eisdem partibus & naturis elementaribus, ac purum vniversale, suscipit tantum naturam particularem in natura vegetabili, quod ipsam ingrediatur, & ex digestione & coctione particulari quam suscipit in natura vegetabili, & sic genus vegetabile suscepit differentiam genericam in suo genere vegetabili, & differentiam specificã in specie sua, & differentiam individualem in individuis specierum, ex sola coctione ac digestione illius puri sic poma sic pyra sic nuces, sic rosę, & flores omnes suscipiunt illã suam peculiarem differentiam ex digestione, & coctione puri sui in visceribus suis vbi fit coctio illa ac digestio: & ex puro illo cocto ac digesto, producitur germen in vegetabilium fructibus, & seminibus in quo conservatur virtus, & energia vegetandi, & hæc est 180. pars ipsius germinis in qua conservatur illæsa illa virtus germinandi, & multiplicandi, pura omnino, & cœlestis essentiæ: nã omni ex parte, pars illa respondet elemento stellarũ vnde illud Virgilii igneus est ollis vigor, & cœlestis origo seminibus quod quidẽ purũ dũ spargitur per corpora, & poros vegetãtiũ sublimatione illa magis ac magis depuratur, quod est purissimũ abit in flores & fructus quod est minus purum in me

Purum vegetantium quid sit & vbi consistat

Purum vniversale suscipit differentiam suam in loco vbi differtur

Pars 180. seminu germinandi habet potentiam.

medullam, & lignum quod vero minus adhuc purum est abit in folia, et cortices et sic purum illud in tres partes distribuitur in corpore vegetantium, in flores et fructus, in medullam et lignum, et in folia et cortices, quæ omnes distinctæ partes ab vno, et eodem puro originē habēt, et conservationem, et multiplicationem sui ipsius sic vegetantium purū satis fuse demonstratum est, ex purissimo elementorum omnium componitur, et in elementa sua reduci potest quæ quidem depurata, et iterum in vnum conjuncta, producūt stupendum vegetantium arcanum quod virtutes omnes vegetantium in summo gradu possidet, et communicare potest vegetātibus omnibus vnde liberari possunt ab ipso arcano, ab omnibus morbis suis, et defectibus, et summam obtinere perfectionem in genere suo, vnde fructificandi summam virtutem, et potētiam ter aut quater in anno obtinere possunt, et si senescant arbores, et ætate deficiant, possunt refici ac renovari earum virtus et facultas.

Fructificādi virtus potest restaurari et renouari arcano vegetātium.

De puro naturà mineralis quid sit, & quale sit.

CAPUT IV.

PVrum naturæ mineralis fit imediate ex puro naturæ vniuersalis hoc est ex puritate immediata elementorum omnium qua semen suū in cētrum terræ projiciunt vt inibi coquatur, & digeratur, coctumque ac digestum à calore centrali terræ sublimetur per poros terræ ibiq; dū mineralia primum invenit, ipsa ingreditur, fit alimentum peculiare mineralium in ventriculo cui mineralium calore naturali mineralium, qui generale illud alimētum coquit ac digerit, & in sui substantiam convertit hinc etiam fit semen particulare mineralium, ex digestione & coctione illius alimenti cujusque rei, fit, semen particulare cujuscumque rei, sic alimentum vniuersale seu semen rerum omnium quod in centro terræ ex elementis omnibus per coquitūr fit semen particulare, seu alimentum particulare mineralium omnium dum mineralia ingreditur fit aurum, & argentum dum ad fodinas auri & argenti sublimatur: fit plumbum, & stannum, ferrum, & cuprum ac argentum viuum, si ad plūbi stanni ferri cupri ac argenti vivi fodinas pervenerit, nam plumbum stannum ferrum cuprum, ac argentū viuū trahit ad se alimētum, generale illud alimētū, & coquit ac digerit in sui substantiam, & sic crescūt, & vegetant fodinæ metallorum omnium. Et generale illud alimentū nihil aliud est quam vapor, & exhalatio quæ exsurgunt ex elementis omnibus quæ suum purum projiciūt in centrū terræ: ibique permiscetur coquitur ac digeritur, et per calorē centralem terræ sursum sublimatur, et fit vapor et exhalatio, de quibus nutriūtur omnia vegetabilia animalia, et mineralia, et sic ab vno et eodem fonte prodeūt, et scaturiūt omnia

Purum minerale vnde fiant.

Ex puro cujusque alimēti fit semen.

Fodinæ metallorum vnde fiant.

Omnia fiūt ex vno.

nia: valde enim mirum est in vaporibus&exhalationibus contineri omne illud, (quod in natura pretiosum est) aurum argentum, metalla omnia, & lapides omnes pretiosos adamantes carbunculos, & margaritas, sunt enim vapores elementorum omnium, thesauri pretiosissimi totius naturæ, ex quibus natura procreat & producit omnia in eis sunt principia omnia vnita, & conjuncta, quod Capitulis subsequentibus clarissime disquiremus.

Vapores, & exhalationes sunt thesauri Dei & naturæ.

An in puro naturæ mineralis sint elementa omnia simul coniuncta.

CAPVT V.


In puro naturæ mineralis sunt omnia elementa.

NVllo pacto dubitandū est quin in puro naturæ mineralis sint elementa omnia simul mixta, & vnita tanquam in semine minerali, ex quo immediate fiunt mineralia omnia; nisi enim essent in tali puro naturæ mineralis, omnia elementa simul mixta, & vnita, non posset tale purum, producere, & generare mineralia cuncta: oportet siquidem vt omnia principia naturæ mineralis sint in tali puro seu semine minerali, vt hoc semen sit fons, & scaturigo mineralium omniū principis siquidē mineralis naturæ sunt scaturigo generationis, & productionis mineralium omnium, virtus siquidem sola, & energia generationis in principiis naturæ solis repetitur Deus enim, & natura posuit hanc energiā, & virtutem in principiis dum dixit omnibus creatis, crescite, & multiplicamini, non dixit illud indiuiduis rerum quia corruptibilia sunt, sed principiis rerum, quæ in indiuiduis latitant, & occultantur, & in his incorruptibilia sunt vnde etiam virtus & energia multiplicandi conseruatur illæsa, & incorruptibilis in ipsis principiis, & elementis incorruptibilibus quæ illæsa, & incorruptibilia in ipsis individuis conservantur, nisi enim vere essent, & realiter in ipsis rerum indiuiduis non possent ipsa individua rerum in principia, & elementa sua reduci, vt vere & realiter reducuntur, corrumpuntur indiuidua, & in ipsa corruptione apparēt & manifestantur principia, & elemēta, ex quibus concreta sunt ipsa indiuidua.

Multiplicandi virtus in solis principiis.

Sic nullo pacto dubitandum est quin in puro naturę mineralis quod est semen mineralium, quodque est individuum quid minerale, sint elementa, & principia naturæ mineralis simul vnita, & conjuncta, ad constitutionem illius seminis naturæ mineralis quod est principium multiplicationis, & generationis mineralium, ratione, & ministerio principiorum, & elementorum mineralium quę sola conseruant energiam, & virtutem multiplicatiuam, & generatiuam illæsam & incorruptam.

Semini minerali sunt principia mineralium.



An

An mineralia omnia habeant in se, semen illud minerale in quo se multiplicant.

CAPVT VI.

Semen mineralium quid & quale.

PHilosophorum quamplurimi negant semen istud minerale, quia in ipsis mineralibus non apperte videtur ac conspicitur quia in centro eorum latitat, & occultatur, attamē solis manifestatur his qui lynceos habent oculos, aqua siquidem in cētro, & corde mineralium latitans est verum, & legitimum mineralium semen, in ea enim sola se multiplicant, & se producunt imo aqua elementaris pura est verum semen mineraliū omnium, ex ea enim sumunt omnia mineralia suam originem: nec aurum, & argentum & reliqua omnia metalla, nec lapides tā communes, quam pretiosi omnes aliam habent scaturiginem, quam ipsam aquam communem, & elementarem aqua sola coctione ac digestione fit aurū, argentum, & lapis pretiosus, adamas, & carbunculus quod mirum valde est, quod in subjecto tam molli, & vili, & liquido lateat durities aurea metallica, & lapidea tam pretiosa adeo vt thesaurus totius naturæ lateat, & abscondatur in ipsa aqua elementari, vulgari & communi non tamen intelligendum est aquam simplicem elementarem vt elementum est simplex, & principiū rerum omnium esse semen, & principium immediatum ex quo fiunt metalla, & mineralia omnia quia istud semen, & principium immediatum mineralium, est quid mixtum & compositum ex omnibus elementis, tam superius quam inferius, vt semen reliquarum rerum omnium, & aqua elemētaris est quid simplex. Sed dicitur aqua communis, & vulgaris quæ videtur & palpatur, esse semen mineralium omniū, eo quod ipsa aqua communis, & vulgaris cōtineat in se semen illud mineralium omnium, & sit vehiculum propriū illius seminis, defert enim aqua cōmunis & vulgaris semen illud minerale ad matrices minerales vbi digeritur, & coquitur in metalla, & mineralia varia ac diversa secundū varietatem, & diversitatem coctionis, perinde necessarium est vt in omnibus mineralibus adsit minerale illud semen vt digeratur, & percoquatur in minerali, alioquin enim nisi actualiter esset, non posset percoqui nec mineralia vlla crescere possent, & multiplicari digestione illa, & coctione, seminis illius mineralis vt vere crescunt, & multiplicantur concludimus ergo in omnibus mineralibus, & metallis, actualiter esse semen minerale, quo in fodidinis suis crescunt, & multiplicantur.

In aqua sūt omnia mineralia.

Aqua vt elementum simplex non est semen metallorum quia semen est quid compositum.

Concluditur in omnibus mineralibus esse semen.



An ſemine illo minerali ſummopere depurato & perfecte cocto omnia naturæ mixta defectum patientia poſſunt reſtaurari.

CAPVT VII.

Senectus eſt defectus naturalis.

QVæſtio hæc valde ardua eſt et ſum̄i momenti an naturæ mixta defectum patientia poſſint reſtaurari; nam ſi natura ſponte ſua et naturali ſua inclinatione defectum patiatur, ſeneſcunt enim omnia et ſenectus rerum omnium ſit naturalis et ſpontanea, et impediri nequeat, quin natura ſponte ſua ſeneſcat, fruſtra quæritur in rerum natura medicamentum quo poſſit impediri ſenectus et defectus ille naturalis, nam inde concludi poſſet, ſi ſenectus impediri queat et instaurari omnino poſſit, mortem rerū impediri poſſe et im̄ortalia om̄ia reddi poſſe, quod tamen in ſenſum et mentem ſapientis cadere non poteſt; mors ſiquidē quamvis non naturalis ſit ex neceſſitate tamen in natura ipſa introducitur, et fide catholica et chriſtiana certum habemus omnia mori debere, nihilominus tamē quamvis mors impediri omnino nequeat, poteſt retardari et vita vt longius protrudi poteſt, et conſervatio rerum prolongari, quod eſt ſpecies reſtaurationis: veriſſimum enim eſt reſtaurationē rerum omnimodam et abſolutam fieri non poſſe, adeo vt ſenectus omnio et mors rerum pereat et evaneſcat, verum poteſt fieri rerum reſtauratio fortior et potentior, quam ea quæ fit quotidie in rebus omnibus, nam nutriuntur omnia et ſingula ſuis peculiaribus alimentis, et perinde cum nutriantur reſtaurantur nutritio ſiquidem eſt vera et legitima reſtauratio et rerum renovatio, at hæc communis et vulgaris reſtauratio et renovatio, non eſt potentiſſima nec valde durat, quæritur hoc in capitulo, an dari poſſit fortior et potentior rerum reſtauratio et renovatio quæ quidē reſtauratio & renovatio in rerum natura vere eſt, et fieri poteſt ab alimento potentiſſimo et fere incorruptibili quod quidem alimentum eſt occultum in naturæ centro et potentiſſimum in centro naturæ mineralis, vnde vere et chymice quæritur an ſemen minerale ſummopere depuratum et perfecte coctum et tenuiſſimum factum et fixum, poſſit reſtaurare omnia naturę mixta, defectum patientia quod quidem facile admittimus cum in eo ſemine vita vere vitalis virtus et energię totius naturæ altiſſimo in gradu et potentiſſimo ſit incluſa, et vere luceat, et reniteat, relucet autem vita potentior et virtus ac energia naturæ, in ſemine minerali, quam in reliquis naturæ ſeminibus, quod ſemē minerale propinquius fontem vitæ accedat, qui in terræ centro collocatur quam reliqua rerum ſemina quę in ſuperficie terræ ſedem habent et in ea conſervantur et nutriuntur in centro vero terræ omnia elementa conveniunt et projiciunt ſuum purum et ſpiritus vitæ qui in eis latitat omnibus, in terræ etiam centro vita cum

Mors ex neceſſitate in natura introducta ex peccato.

Nutritio eſt ſpecies reſtaurationis.

Semen minerale ſummopere depuratum eſt arcanum vitæ reparandæ.

Quare vita luceat magis in ſemine minerali quam in reliquis ſeminibus.

cum corpore suo elementari cōfluit & ibi vna cum purissima elementorum parte digeritur & coquitur & multoties inculcatum est in naturæ generale semen quod à centro terræ calore centrali terræ, & naturali suo calore sublimatur, & elevatur, per poros terræ & matrices terræ implet ibique fit sem n particulare cujuscumque rei secundum particulares rerum matrices, quas implet, vnde primo mineralia impregnātur quia circa centrum terræ circumponuntur mineralia et ideo primo semine generali fœcunda fiunt & quia etiā fortius & potentius coquitur ac digeritur illud semen generale in mineralibus quam in vegetantibus & animalibus, vnde virtus potentia & energia vitalis potentior est, in mineralibus quam in reliquis; virtus enim & efficacia potentior est ab vnione & firma compagine elementorum quæ reperitur in seminibus rerum: vnde cum illa vnio & firma compago, fortior sit in mineralibus & metallis quam in vegetantibus & animalibus inde etiam virtus vitalis potentior est & efficacior est in mineralibus, quam in vegetantibus & animalibus, vnde etiam concludere possumus ex semine minerali sumopere depurato & perfecto cocto ac digesto, posse extrahi arcanum vere vitale & vivificum cuius ope & ministerio omnia naturæ mixta defectum patientia possunt restaurari & reparari quod capite sequēti ex metallorum transmutatione & reparatione fiet clarius.

Vita fortior & potentior vbinam

Concluditur arcanum vita esse in semine minerali.

An ex semine minerali perfecte maturo ac digesto metalla impura possint perfici.

CAPVT VIII.

Diximus capite superiori & probauimus semen minerale perfecte coctum ac digestum ac purissimum factum energiam habere & potentiam tollendi omnes naturæ defectus, hinc metalla impura perfecta fieri posse arguendum est, cum impuritas illa metallorum sit naturę defectus metallicæ, vnde autem hoc possit fieri à semine illo minerali jam nobis est disquirendum impuritas illa & imperfectio metallorum depēdet à cruditate seminis metallici, semē siquidem metallicum cum digeratur & percoquatur in venis & visceribus terræ, minus hic coquitur ac digeritur quam alibi quia calor ac digestio minor est in vno loco quam in alio, perinde cum metalla minus hic quam alibi coquantur ac digerantur ideo imperfectiora fiūt & impuriora in vno loco quam in alio, vnde cum metallorum imperfectio & impuritas dependeat, ab eorum cruditate, & immaturitate, semen minerale & metallorum perfecte purū & perfectissime coctū ac digestum & absolute maturum potest impurū deputare & incoctū ac indigestū coquere ac digerere & sic immaturū perfectissime maturare perfecta sua materitate & perfectissima sua coctione ac digestione.

Impuritas & perfectio metallorum vnde dependeat.

Crudū potest coqui & immaturū maturari vnde metalla possint perfici.

Sic nullo dubio concludere possu-

mus semine minerali perfecte maturo, cocto ac digesto metalla omnia impura et immatura posse maturari et perfectissime coqui ac digeri, ita vt maturitate illa et coctione perfecta quam acquirunt semine illo minerali mature et perfecte cocto, metalla omia impura et immatura perfectionem absolutam acquirant et sic in verissimum et naturale aurum et argentum transmutentur, sic lapis philosophorum quo metalla impura in aurum et argētum transmutantur non erit quid fictitium et à philosophis excogitatum figmentū vt clamant nonnulli Philosophastri cum semen minerale sit quid reale, realiter in natura existens, et præparari possit arte in lapidem Philosophorum quod capitulo sequēti fiet chymiæ alumnis clarissimum et manifestissimum;

Lapis Philosophorum est quid reale in rerum natura.

Semen minerale qua arte, & industria possit præparari in lapidem Philosophorum.

CAPVT IX.

Semen minerale qua arte perficiatur in lapidē Philosophorum.

Asseruimus capitulo superiori semen minerale perfecte coctum ac digestum, et simul perfecte purū posse perficere metalla impura, et cruda, coctione ergo, et digestione; et depuratione indiget semen minerale vt ad perfectam illam energiā euehi possit, digestio autem, et coctio fit calore, perenni, et continua, dum enim in visceribus terræ percoquitur ac digeritur, numquam esset calor naturalis, tum terræ, tum ipsius seminis mineralis in ipsū semē agere donec perfecerit ipsum semē minerale in metallum perfectū sequenda est ergo natura ipsa, in ipso semine perficiendo indagandus est, et reperiendus calor perennis, et perpetuus, qui perenniter, et continue agat in ipsum semen minerale, et excitet calorem suum naturalem in centro sui ipsius latitantem qui ipsum semen maturet, et perfecte coquat: et vltra depurandum summopere est ipsum semen vt puritate sua vigeat, et floreat energia et virtus sua, in metallis perficiendis. Depuratur autem semen illud metallicum et minerale ab ipsa natura solutionibus quam multis sæpius iteratis, et sublimationibus et distillationibus toties iteratis donec semen illud purissimum quiescat fixum, et firmum in visceribus terræ fodinariis in quibus dum purum est, sola coctione ac digestione perfectionem vltimam acquirit sic in semine illo perficiendo, imitanda est, et insequenda natura sola, est soluenda, est substantia ipsa ipsius seminis mineralis quæ cū naturam salis habeat, facile soluitur, et in spiritu suo facile liquescit, et sic deponit sua excrementa, quæ insolubilia remanent, cum naturam salis non sapiant itaq; distillatione illa sæpius iterata summam puritatem, et tenuitatem acquirit, et sic corpus siccum fixum et permanens penitissime penetrat, et partes suas omnino tenues, et subtiles reddit, adeo vt corpus fixū vna cū spiritu suo subtilissimum, et tenuissimum reddatur.

In semine minerali perficiendo natura est insequenda.

et sic

& sic ambo distillatione illa,& sublimatione purificantur, ad vltimum puritatis gradum,non potest autem spiritus ille suus à corpore distillari & sublimari quin corpus in fundo alembici remaneat siccum, & aridũ & sic calcinatur corpus dum separatur ab eo, eius spiritu distillatione, sic calcinatione illa & desiccatione corpus summopere depuratur attenuatur, & in corpus vere lucidum, & splendens carbunculi instar transmutatur, huic corpori sicpræparato annectendus est eius spiritus, qui simul cocti ac perfectissime digesti donec duo fiant vnum, perfecte coctum,digestum maturum,perfectissime ac absolute fixum non possunt vnum fieri,quin perfectissime,& absolute pura fiant ambo, corpora, vnũ fixũ alterũ volatile & oportet vt coctione,& digestione volatilis, & fixi,fixũ fiat volatile,& hoc volatile iterũ coctione ac digestione fiat fixũ, & hoc fixũ iterũ volatile & hoc volatile iterũ fixũ, & sic tandẽ terna aut quaterna alteratiõe illa alterna, perficitur,& absoluitur totius naturę arcanum, defectus omnes naturales tollens, & ad perfectionem conducens ad hoc fieri non potest nisi volatile,& fixum seminis mineralis perfectissime, & absolute vniantur donec separari inequeant vlla virtute ignis, at maneant conjuncta simul in violentissimo ignis vigore volatile autem, & fixum hujus semini mineralis notissima habere debemus vt ea simul conjũgere valeamus quod capitulis sequẽtibus declarabimus

Volatile & fixum sunt connectenda ad arcanum vitæ perficiẽdum.

De volatili substantia seminis mineralis.

CAPVT X.

Semen minerale cum constet duplici substantia volatili vna, & altera fixa & constanti, nobis est demonstrandum qualis sit substantia illa volatilis,& an distinguatur ac differat à substantia fixa & constanti, quæ corpus ejus dicitur, volatilis autem est ejus spiritus, volatilis autem hæc substantia quæ spiritus seminis mineralis dicitur nullo pacto differt à substantia fixa,& permanẽti quæ corpus eius dicitur sunt enim corpus, & spiritus huius substantiæ vna, & eadem substantia differunt volatilitate, & cruditate, nam substantia volatilis coctione transit in substantiam fixam, & permanentem, & fixa & permanens hæc, eadem substantia, potest fieri volatilis, & cruda, additione crudæ & volatilis substantiæ, & sic inter se inuicem transmutari possunt, quod fieri non posset si inter se substantialiter differrent, & distinguerentur. Nullo pacto ergo differunt,& distinguuntur, componuntur siquidem hisdem, & similibus & elementorum omnium substantiis. At in fixa & permanenti substantia elementa fixa sunt, & constantia, in volatili vero volatilia [illegible] omnia elementa, quæ quidem co[illegible]e & digestione fixa fieri possunt, & [illegible]nentia. Volatilis autem hæc substa[illegible] seminis mineralis apud chymicos [illegible]urius

Semen minerale constat duplici substantia volatili & fixa.

In semine minerali corpus & spiritus sunt vna & eadem substantia.

Volatilis substantia seminis mineralis est Mercurius.

Philosophorum non esse aurum vulgi, nec sulphur nec Sol, nec eorum sal, esse sal commune & vulgare sed quid aliud diuersum, & distinctũ ab aliis rebus vulgi communibus, nam hæc omnia scilicet sulphur Philosophorum, sal, Sol, & aurum eorum sunt vnum & idem, & inter se inuicem conuertũt hoc est sulphur est aurum, & aurum est sal, & sal est Sol, & Sol est sulphur sal & aurum, & sic vnum & idem sunt diuersis nominibus enunciatum & id omne corpus fixum, & permanens seminis minerali constituit, quod quidem cõponitur ex omnibus elementis fixis, & permanentibus, aqua scilicet in eo fixa est & perfectissime congelata & constanter coagulata, spiritus est itẽ in eo perfectissime fixus, & congelatur sulphur, & oleum item est in eo absolute congelatum, sal item in eo perfecte coagulatum & fixum, & item terra in eo est absolute fixa. Et sic ex omnibus his quinque elementis, resultat corpus illud seminis mineralis quod constituit in rerum natura corpus fixum & fluens vt metallum, quia in eo sunt omnia elementa anatice mixta, & perfecte vnita, adeo vt terra nõ separetur ab aqua, nec aqua à terra nec à cæteris elementis supra citatis nec cætera elementa ab ipsa aqua, & terra; sed inuicem simul fixæ cohæreant itaque constituũt corpus minerale fixum permanens, & fluens at metallũ: fixa autẽ sunt elementa omnia in semine minerali, propter perennem, & continuam coctionem ac digestionẽ quãi

Aurum Philosophorum sal & sulphur quid sit.

Corpus seminis mineralis ex quinque elementis.

Corpus seminis mineralis quare sit fluens vt metallum.

perenniter passa sunt in eo in visceribus terræ omnia elementa, fixationem enim aquirunt sola perenni coctione, volatilia enim sunt, & vagãtur per aerem donec tandem digestione perenni, & continua in visceribus terræ figantur, & corporis suscipiant naturam, & essentiam, quod in genere mineralium dicitur sperma mineralium in centro sui semen continens quod tennue est, & subtilius ipso spermate, nam sperma se habet veluti corpus & semen se habet veluti anima, in spermate contẽta, & conclusa, totum spermatis corpus viuificans, & ad germinationem & productionem excitans: cuius viuificationis ope, & auxilio metalla omnia ex semine illo minerali producuntur, nec vllo pacto dubitandum est semen istud minerale, in rerum natura vere existere, quamuis per se visibile non sit, & palpabile, nisi his solis qui naturam metallicã habẽt notam nam cum metalla per se visibilia sint, & palpabilia, & in fodinis suis per se realiter crescant, & multiplicentur, hæc accretio, & multiplicatio fieri nullo pacto potest, sine semine metallico, & minerali, cui soli debetur accretio, & multiplicatio, metallorum & mineraliũ omniũ, nec datur semẽ vllũ, sine spermate quod est seminis corpus corpus ergo seminis mineralis, est minerale quoddam salis naturam, & essẽtiam redolens, fusibilis & fundentis sulphuris naturam habens & auri, vnde dicitur sulphur, & aurum Philosophorum, non vulgi.

Anima in semine minerali quid.

Accretio metallorum sine semine fieri non potest.

Corpus seminis mineralis quale sit.

An in semine minerali sit virtus, & natura auri communis & vulgaris.

CAPVT XII.

An natura auri latitet in semine metallico.

CVm aurum naturaliter per se ex semine metallico producatur, nullo pacto inferre debemus in semine metallico latitare naturam auri, aurum enim non inde produci posset si auri ipsius natura non esset in centro seminis metallici implantata, nam veluti natura hominis & essentia, est implantata in semine humano: natura bruti & animalis cujusuis in semine animali & natura vegetantis, in semine vegetanti, sic natura auri & essentia, est occulta in semine auri & puri omnino, nec claudicanti cum similitudine & quamuis animantium semina, diuidantur in masculina & fœminina, quæ ad conceptionem se conjũgi habent, vt inde animalia producantur, sic etiam pari omnino similitudine, semina metallica, diuiduntur in masculina, fœminina, quæ ad conceptionem metallorum se conjungi simul habent vt inde metalla producantur: semen enim masculinum in metallis est corpus illud fixum seminis metallici, & semen fœmininum est corpus illud volatile seminis metallici, quod spiritus dicitur qui vere fœminæ vices agit vt corpus aliud fixum masculi vices operatur, quæ ambo semina, masculinum puta & fœmininum debent cõjungi, vt inde metallũ producatur vel lapis inde Philosophorum qui ad similitudinem metallorum generari & produci debet, hæc omnia, ad similitudinem generationis, & productionis humanę vt moriemus ipsemet Eremita Romanus suo peculiari tractatu de lapide Philosophorum asserit, & testatur his omnino verbis; hæc est enim huius dispositionis directio, quæ scilicet hominis generationi assimilatur. Prima est coitus secũda cõceptio, tertia pregnatio quarta ortus, & quinta nutrimẽtũ: si nõ fuerit coitus nõ erit cõceptio et si nõ fuerit cõceptio nõ erit pregnatio, si nõ fuerit pregnatio, ortus vllo modo nõ sequetur, sic ex sẽtẽtia Monacui Romani videmus, hoc arcanũ in natura produci ad similitudinem generationis, & productionis ipsius hominis, et perinde in ipso arcana esse semina, tũ masculina tũm fœminina, quæ misceri interse habent vt simul coeãt & fiat inde cõceptio pregnatio ortus & inde nutrimẽtũ quod quidẽ arcanũ sic nutritũ verũ est aurũ Philosophorũ quod potentiã habet & virtutẽ cætera metalla imperfecta & impura, in verissimum aurum transmutandi, quod quidem fieri nullo modo potest, quin semen istud metallicum ex quo illud arcanum conficitur, habent in se naturam & essẽtiam veram auri, communis & vulgaris cum omĩa metalla imperfecta in auri naturam veram conuertat.

Omne semẽ diuiditur in masculinum & fœmininum.

Semen masculinum in metallis & fœmininum quale sit.

Generatio lapidis Philosophorum fit ad similitudinem generationis hominis.

In generatione lapidis est coitus conceptio pregnatio ortus & nutrimentum.

Vnde cõcludere possumus, semẽ minerale habere naturam & essentiã auri cõmunis & vulgaris, cum inde fiat aurũ cõmune & vulgare & inde etiam

Concluditur semen metallicum habere naturam auri & vuli:

quorum metallorum.

etiam fiat arcanum tantæ virtutis & energiæ, vt inde metalla impura & imperfecta in verissimum aurum trãsmutentur auro communi & vulgari melius, quia ad vltimum purificationis gradum metalla impura, ex arcano perducantur.

Quare ex semine minerali metalla impura producantur cum in se habeat naturam auri cur inde non semper fiat aurum.

CAPVT. XIII.

Nonnullis mirum videtur, cur ex semine minerali tum impura mineralia producantur & præsertim metalla cum in semine illo minerali lateat auri natura & essentia, quæ cum pura sit, puritatem spectat & perfectionem non imperfectionem, vnde aurum semper producere deberet. Hæc objectio optima esset si semen minerale & metallicũ nõ inficeretur locis impuris quibus inest, verissimum siquidem semen metallicum auri naturam in se habere, quæ semper pura est: at dum locis & matricibus includitur in quibus coqui ac digeri debet in aurum imperfectionem patitur, & impuritatem si matrix impura sit & infecta, matrix autem impura fit & inficitur ab excrementis elementorum deinde ab impura matrice, inficitur frelus qui in ea includitur, vnde semen minerale quãuis per se & sponte sua, tendat & inclinet ad aurum nihilominus tamen sæpe sæpius producit plumbum aut aliquid aliud metallum impurum & leprosum, quod leprosa & impura sit matrix in qua digeritur semen illud metallicũ quod quamuis purum sit, nihilominus tamen inficitur & contaminatur impuritate & leprosa producũtur ab vno & eodem semine metallico, quod variatur & distinguitur impuritate varia & infectione matricis in qua recluditur vt digeratur & percoquatur in metallum & secundum variã & distinctam matricis impuritatem & infectionem metalla varia impura & imperfecta producuntur, sic plumbum stannum ferrum cuprum & argentum viuum generantur & enascuntur in variis terrę fodinis impuris & infectis: at si purum semen metallicum matrici puræ includatur matrix ne impurum aliquid aliud ingrediatur tunc temporis semen illud purum in puro loco seu matrici digeritur & percoquitur in aurum purum, alioquin alteratur semen in impuris terræ locis & secundum variam & distinctam loci impuritatem enascuntur impura metalla: quod capitulis sequentibus fiet manifestum.

Cur ex semine auri impura sæpe enascantur metalla.

Omnia metalla ab vno & eodem semine producuntur & qua ratione varientur.

Qua ratione ex semine minerali fiat plumbum.

CAPVT XIV.

QVamuis in panchymico nostro peculiariter tractatũ sit de metal-

Cur hic de metallis agēdum sit.

metallis omnibus & singulis, nihilominus tamen hic etiam de necessitate iterum tractare debemus, de metallis cum inibi de semine peculiariter metallico tractetur tantum enim est ponderis tractatus hic de semine minerali & metallico, vt tota recte Alchymia ab hoc tractatu dependeat, qui enim recte nouerit semē minerale et metallicum et qui ipsum depurare nouerit, et ipsum purum factum percoquere ac digerere sciuerit, illi certe manifestissima est tota Alchymia, et eius secreta omnia sunt illi nota quo circa etsi repetatur multoties tractatus de semine minerali et metallico, semper aliquid noui declaratur, quod multum interest ad cognitionem illius seminis metallici et mineralis.

Tota Alchymia vnde dependeat.

Plumbū qua via naturaliter producatur.

Plumbum ergo peculiariter producitur dum semen minerale ingreditur locum vbi terra fœtida et nigra reperitur nigro sulphure ac fœtido impregnata, semen istud minerale permiscetur huic sulphuri nigro et fœtenti advenit his omnibus influentia Saturni quæ hanc terram et semē peculiariter disponit ad plūbi naturam induendam sic dum coquitur ac digeritur hoc semen metallicum et minerale sulphure fœtēti et nigro impregnatum influentia Saturni planetæ imbutum determinatur tandem in plumbum itaque prima seminis metallici digestio, et coctio, cum impuris et fœculentis sulphuribus est in plumbi generatione: si enim magis coquatur ac digeratur et digestione illa purificetur à sulphuribus fœculentis fit secunda digestio et coctio plumbi albi, quod dicitur stannum modo aduenīat his digestionibus Iouis influentia, quæ peculiariter disponit hanc materiā, et substantiam in stannum verum vt sequenti capite fiet clarissimum.

Stannū qua via ex plūbo fiat & producatur.

Quo modo ex semine minerali producatur stannum.

CAPVT XV.

Stannum & plumbū quaratione differant.

STañum ab eodem semine et spermate, metallico producitur ac plūbū, sed differūt puritate seminis metallici & influētia planetę, quę in plūbo est Saturnus in stanno vero est Iupiter, vnde stannum dicitur Iupiter, vt plumbum dicitur Saturnus, quod hi planetæ his metallicis productionibus dominentur, et peculiarem influxum suum et radium influant et impertiant, quod enim determinat et vt ita dicam indiuiduat, sunt influxus et radii peculiares planetarū et cœlestium stellarum hinc enim formæ peculiares et determinatæ oriuntur, vnde pendet determinatio, et indiuiduatio, et in physicis nostris amplius et fortius declarabimus: Iam vero stannum peculiariter producitur et determinatur ab influxu et radio Iouis, qui mercurium seu semen minerale metallicum peculiariter terræ introductum albę et sulphure albo impregnatæ, non fixo et non perfecte puro, peculiari lucis suæ radio determinat coquendo et digerēdo ipsum mercurium in stannum cū suo sulphure albo non perfecte puro,

Quare stannū dicatur Iupiter & plumbum dicatur Saturnus.

Stannum qua via fiat & producatur.

ro, ſed purius eſt iſtud ſulphur quod coagulat ſemen iſtud metallicum in ſtannum, quam ſit ſulphur album: quod coagulat idem ſemen in plumbum vnde differunt plumbum & ſtannum puritate & perfectione, non ſubſtantia radicali, materiali, prima nam formali differunt cum forma eorum metallorum ex fonte cœleſti vario ac diſtincto, ſcaturiginem habeat qui ex eadem materia diuerſas formas educit eandē ipſam vnicam & eandem materiam varie diſponendo & diſtincte agendo in ipſam nam ſic agentia varia ac diuerſa, ex eadem & vnica ſubſtantia et materia, varias educunt formas et indiuidua hinc diſtincta producuntur, ſic ſtannum et plumbum varia ac diſtincta metalla, ab vna et eadem materia et ſimili, et eodem ſemine metallico variis agentibus ac diſtinctis producuntur, et generantur, et ſi inter ſe naturaliter et artificialiter tranſmutentur, perit eorum forma, et introducitur et aduenit peculiaris forma tranſmutantis et perit forma tranſmutati, dum purificatur eius natura, & ad altiorem gradum aſcendit perfectionis, & ſic dū plumbum traſmutatur in ſtannum, perit plumbi forma, pereunt Saturni diſpoſitiones in tali ſemine: & materia, & introducuntur Iouis diſpoſitiones in eodem ſemine, & natura dum coctione ac digeſtione perficitur, & purificatur materia & ſemen metallicum in tali tranſmutatione, & è contra, omnia hæc contrario eueniunt dum ſtannum mutatur in plumbum pereunt Iouis diſpoſitiones in ipſo ſemine, & perfectiones, & introducuntur Saturni diſpoſitiones dum natura inficitur, & maculatur, indigeſtione, & cruditate, in iſta tranſmutatione.

Qua via metalla impura naturaliter inter ſe trāſmutētur

Quomodo fiat, & generetur ferrum naturaliter ex ſemine minerali & metallico.

CAPVT XVI.

FErrum generatur ac producitur virtute, & influentia martis planetæ dum ſemen minerale impregnatur illa influentia, & ſic impregnatum includitur in aliquo loco ſeu matrice vbi terra ſulphure albo impuro fixo impregnantur, & ſic coquitur ac digeritur ſemen illud minerale cum terra illa pingui impura, & ſulphure illo fixo impuro impregnata in ferrum ſeu in fodinam ferri, ex qua violentiſſimo igne eliquatur ferrum malleabile & ad vſus noſtros varios, & commodos aptum, ex quo tam varia inſtrumenta perficiūtur, vt majora, & vtiliora non poſſint perfici, ex vllo alio metallorum, ita vt vtilitate, & vſu humano vincat ipſum aurum, & argentum, & in Medicina multum prodeſt, ex illo ſiquidem parantur multa medicamenta, quæ ſanitati conſeruandæ ſummopere proſunt & per ſe etiam nulla præparatione quam limatura, & tenuitate ſuæ ſubſtantię ſummopere prodeſt, & confert virginibus menſtruas purgationes non habentibus, in quibus perſiſtere nequeunt mulieres in ſanitate, vnde dicere poſſumus mulieres

Ferrum qua via naturaliproducatur.

Vtilitas ferri ad vſus humanos.

Ferrū in cuprum facili via mutatur.

viuere non posse sine ferro, et marte, vnde fabulose narratur, martē amicū esse, et amasiū ipsius veneris, vnde etiam naturaliter et artificialiter facili via, et methodo trāsmutatur ferū in cuprū seu mars in venerē quod natura et essētia seminis ferrei facili via induat qualitates cupri & veneris, vt enim Mars, et Venus planetæ facile conueniunt, et amici sūt inter se, nec inter se contrariantur sed inuicem augent suas virtutes, et influentias, adeo vt efficaciores sint simul conjuncti quam separati, sic etiam ferrum ipsum in terris correspondet planetæ, mars facile conuenit, et amicatur vt ita dicam cum cupro quod terris veneri respondet, sic ferrum facile conuertitur in cuprum propter amicitiam quam inter se habent quare autem cuprum sympathiam habeat cū ferro sequenti capite demonstrabitur dum ejus generatio, & productio declarabitur.

Mars & venus amici planetæ.

Quo modo producatur ex semine minerali cuprum.

CAPVT XVII.

Cuprū qua via naturali producatur.

CVprum producitur in fodinis terræ dum semen metallicum in fodinis includitur in quibus reperitur terra vitriolata, quæ est sulphure viridi impuro impregnata, cui superuenit influētia veneris planetæ cœlestis, qui radiis suis et influētiis terram hanc vitriolatam sulphure viridi impregnatam digerit ac coquit vna cum naturali terræ calore in cuprum seu in fodinam terream cupri, vbi clarissime conspicitur viriditas illa sulphuris vitriolati, et vitriolum ipsum. Vnde ex sulphure communi adustibili lapides ipsi, et ipsum ferrum si cū sulphure illo cōmuni adurantur, et calcinentur, inde fit vitriolum verum, & laudabile: quod si fortissimo igne fundetur verum, et legitimum cuprum: quod quidem testatur, et confirmat, generationem, & productionem cupri fieri ex terra vitriolata sulphure viridi impuro impregnata, adueniente veneris planetæ influentia, quæ semper præsto est, modo materia sit disposita, ad qualitates illas venereas suscipiendas, disponitur autem hæc terra facili via ab influentia cœlesti veneris, cum sit vitriolata nam vitriolū habet omnes dispositiones quas habere debet ad cuprum producendum, nonnulli sunt chymicorū qui asserunt vitriolum esse semen immediatum cupri, ex quo cuprum naturaliter producitur in fodinis terræ: quod quidem verum est, modo semen minerale, et metallicum sit sēper materia immediate ex qua producitur vitriolum; nā primo oportet vt semen minerale fiat vitriolum et ex terra deinde vitrioli facile eliquatur cuprum, cum in terra illa natura cupri & essentia reperiatur, nā alioquin vitriolum esset semen metallicum, quod erroneum est imo vitriolum generatur ex semine metallico, & semen metallicum et vitriolū differunt, tanquam pater, & filius, nā vitriolum productum est, ex semine minerali, et metallico, et si ferrum, et cu

Vitriolum qua via sit prima natura & semen metallorum

Vitriolum generatur ex semine minerali.

et cuprum reperiantur in terra vitrioli, non inde arguitur vitriolum esse ferri, et cupri semen sed semen metallicum ad cupri & ferri naturam dispositum reperiri in terra vitrioli vnde eliquatur deinde forti igne ferrum, & cuprum, sic declarantur errores eorum & mei ipsius dum in palladio meo asserui vitriolum esse primam materiam, & semen metallorum omnium quod quidem falsum est, & erroris plenum, perinde jam senior factus muto sententiam & mecum quæso mutent omnes chymiæ alumni et candidati, et sic colligitur sympathia ferri et cupri cum vna natura vitriolata producantur.

Error authoru corrigitur.

Qua via producatur argentum vivum ex semine minerali & metallico.

CAPVT XVIII.

Argentum viuum vt producatur.

ARgentum viuum ex semine minerali, metallico producitur, et generatur dum semen minerale includitur aliquo terreo loco puro & limpido, humido, frigido vbi terra albissima est, et purissima sulphure albo puro impregnata, cum purissima aqua, ita vt teneant ambo pondus æquale in ipsa argenti viui compositione, et generatione, aqua non prævalet terræ, nec terra aquę, sic argentū viuū, nec humectatur vt madidet, sed fluit vt aqua, nec humectat et siccū est corpus, et tamen fluit, & currit superficialiter, superficiei non adhærendo, hinc materiæ sic dispositæ inter currit influentia cujuscūque planetæ qui hanc materiam, & substantiam disponit coquendo ac digerendo ipsam calori centrali terræ, vt sui ipsius in argentum viuum, quod quidē metallum est vt & reliqua metalla sunt, & eodem simili metallico semine productum ac generatum, et reliqua metalla producta sunt, nec est semen metallicum vt putant nonnulli chymicorum dum legunt in scriptis antiquorum Philosophorum argentum viuum esse materiam primā seu feluē metallorū omniū quod quidē argentū viuū non est istud argentū viuū de quo hic habetur sermo, sed est aliud quod vere nō fluit super planā superficiē superficiei nō adhęrendo, vt istud argentū viuū quamuis sit ex simili substātia producta, non tamen omnino simili, & eadem, nam in compositione istius Mercurii et argenti viui terræ qualitas et virtus vincit qualitatem, & virtutem aquæ vnde istud argentum viuum est quid siccum, & coagulatum & naturam salis cujusdam naturalis sapit, & redolet, vnde magna est differētia inter hunc Mercurium, qui verum est & legitimum metallorum omnium, & ipsius argēti viui semē, & inter argentū viuum quod mineratur inter metalla, quod generatur, & producitur ex semine communi metallico & minerali, sic qui nouit hanc differentiam non sumit semē metallorū pro argēto viuo communi & vulgari est enim istud corpus metallicū aliud vero spiritus verus habēs autē similē, et fere eādē generationem sed purius valde est semen nostrū istud ex quo cōponūtur

Argentum viuum commune non e semen metallicum.

Differentia argenti viui Philosophorum & communis.

Argentum viuum commune est corpus metallicum argentum vero viuum Philosophorum est spiritus.

metalla, quam argentum commune, & vulgare quod multum est impurius, dicuntur tamen ambo mercurius, & argentum viuum, sed hic noster dicitur mercurius & argentũ viuum Philosophorum, alius vero mercurius vulgi, & argentum viuũ commune, & vulgare. Quare chymiæ candidate, hic prudens esto, & cautus nam tota secreta Alchymiæ ab hoc argento viuo Philosophorũ dependent in electione ergo sis valde cautus.

Quo modo argentum commune & vulgare fiat ex semine minerali.

CAPVT XIX.

Argentum qua via naturali producatur.

ARgentum commune, & vulgare producitur, & generatur in fodinis terræ, quando semen minerale, & metallicum includitur in aliquo loco puro, & nitido vbi est terra pura sulphure albo puro & fixo impregnata, his omnibus aduenit influentia Lunæ cœlestis, quæ suis radiis, & influxibus, terram hanc coquit ac digerit ac digerendo disponit ad argenti naturam, & essentiã sic ex terra illa igne fortissimo eliquatur argentum, quod sæpe sępius habet admixtum plumbum, quod sulphur impurum, & infixum admixtum sit huic terræ, quod quidem sulphur successione temporis depuratur, & fixatur coquendo, & digerendo sic vena, & fodina illius terrę impure depuratur, & tandem omnino in purum argẽtum conuertitur sic varia & distincta metalla depurãtur, & fiunt tandem viuum simplex, & purum metallum vt quotidie experientia comprobatur, in fodinis quæ in principio dum aperiuntur imperfectæ sunt quęque si claudantur tandem successu temporis perficiuntur quia semper depurantur terrę & semel metallicũ etiam depuratur, ascensione, & sublimatione perenni, quam patitur in poris terræ, sic perficitur argentum via naturali ex semine minerali, & metallico, intra quingentos annos, quia leuis est & paruus calor terræ, & cœlestis, quibus decoquitur, & digeritur semen illud metallicum, ex quo progignitur argentum, quod si fortior, & potentior esset gradus caloris quo digeritur semen citius etiam, & fere intra decem annos perficeretur argentum, vt testari possunt qui coctionẽ seminis metallici perfecte depurati ad perfectionem cõducere norunt, vt eo perfecte cocto metalla reliqua imperfecta & impura & cruda perficere depurare, & perfecte coquere sciant.

Fodina terræ impura digestione purificantur & perficiuntur

Intra quingentos annos perficitur argentum in fodinis terra.

Impura metalla citissime perficiuntur lapide Philosophorum.

Quo modo aurum commune & vulgare producatur in fodinis terra ex semine metallico.

CAPVT XX.

Aurum commune & vulgare qua via naturali fiat

AVrum commune & vulgare in fodinis terræ producitur ex semine metallico, quando semen metallicum purum & summopere depuratum includitur loco aliquo puro & nitido, cui terra est pura & summopere depurata, cui inest sulphur rubeum fixum ac nitidum & radians, his omnibus aduenit influẽtia

Aurum perficitur fodinis terræ intra annos mille.

tia & radius solis, qui omia hęc pura & nitida coquit & digerit in puram ac nitidam substantiam auri, & sic aurum excoquitur ex semine metallico, in fodinis terræ aureis spatio vt termino annorum mille & sententia quorundam philosophorum & secundum alios intra quingentos, in locis vbi calor solis viget, vt in zona torrida vbi calor solis & influentia fortior est, quam in aliis terræ locis vbi radius solis indirecte vbiratur in terram vt in zonis temperatis & frigidis, in zona vero torrida perpẽdiculariter descendunt radii solis in eam, in eaque, etiam zona torrida citius excoquuntur metalla in eius fodinis, quam in reliquis terræ locis vnde etiam copiosiora exportantur metalla. & præcipue aurum quam ex reliquis omnibus terræ fodinis, vnde excogitarunt antiqui chymici semen metallicum purum & nitidũ ab omni excremento metallico liberatum auro communi impregnatũ & in eo solutum citius excoquere, aucto calore artificiali adeo vt naturalem non excedat & æquipolleat calori solis in mense Iulii, eo ipso naturali calore & vitali semen istud metallicum purum factum & auri communis essentia delibutum intra aurum coxerunt & perfecerunt non in aurum commune & vulgare, sed in aurum Philosophorum quod habet potentiam & energiam cætera metalla impura & imperfecta perficiẽdi, in verum aurum & habet adhuc potentiam & virtutem, omnes naturæ defectus tollendi tam in animali genere, quam in vegetabili & minerali vnde non solum metalla & lapides impuri & imperfecti, perficiuntur, & conducuntur ad perfectionẽ vltimam sui generis sed etiam animalia omnia & vegetabilia. ad vltimam perfectionem conducuntur & sic curantur perfecte ab omnibus morbis suis, & defectibus eo ipso arcano minerali. quod semine minerali seu metallico perfecte depurato & auro communi in eo semine soluto constat. & perficitur his solis duabus substantiis, ex vnica radice & forte exortis & haustis ita vt duę hæ substantiæ, vnam tantum constituant substantiam, & vere coctione sola in vnam substantiam reducantur.

In zona torrida citius perficiuntur metallã quã in reliquis terræ locis.

Auri Philosophorũ vires & proprietates.

Arcanũ minerale quibus constat.

Conclusio huiusce tractatus.

CAPVT Vltimum.

TRactatum hunc peculiarem de semine minerali & metallico, hic apponendum & collocandum censuimus, quod chymiæ candidati & alumni absque ipso perfectissime noto semine minerali, & eius virtute & energia perfectissime nota. tractatum sequentem de morbis curandis intelligere nequeant neque ad effectum & practicam reducere queant cum ex seminis mineralis virtute & energia morborũ omniũ cura dependeat, tanquam ex fonte naturæ ex quo solo curas defectum totius naturæ dependere asserimus nõ solùm hoc in tractatu sed passim in omnibus libris nostris, quandiu

Cur tractatus de semine minerali hic apponatur.

Cura morborum vnde dependeat.

typis excusis & in lucē editis quod si metallorū omnium naturas & essentias hoc etiam in tractatu peculiariter apposuerimus, hoc consulto factum est vt chymię candidati metallorum essentias virtutes & energias extrahere & eligere sciant ac pernoscant nam in metallis & lapidibus pretiosis & aliis natura fortior est, & potentior, quam in regno animali & vegetabili vnde ex metallis & minetalibus omnibus elici possint medicamenta fortissima & potentissima ad curandos omnes morbos, hæ autem essentiæ, & medicamenta ex metallis & mineralibus extrahi & elici nequeunt nisi simili, & radicali substantia, ex qua conficiuntur, & componuntur ipsa metalla, & mineralia in vtero materno, his ita de causis declaraui manifestissime metallorum & mineralium omnium semen, & primam materiam ex qua natura in terræ antris componit hæc metalla, & minetalia, vt inde nota eorum omnium prima materia, & semen sciant chymiæ candidati, et discant, qua via, et methodo reducēda sint metalla et mineralia cuncta, in primam materiam, cum ipsorum prima materia, nam alia via eorum essentiam virtutes, et proprietates ex orco in lucem educere non possumus, quia semper remanent in eorū corpore, tanquam in tenebris, et orco sepultæ: gratias enim quammaximas mihi agere debent Alchymiæ candidati et alumni cum nemo ante me clarius hæc docuerit, et demonstrauit: tractatum de lapidibus pretiosis hic etiam apponere poteram, sed tractatus hic de metallis sufficit, nam eodem constant semine metalla, et lapides, hæc sola est differentia, inter lapides, et metalla, quod plus salis, et terræ sit in semine lapidum quam in semine metallorum, et plus olei spiritus et aquæ in metallis quā in lapidibus. Et sic facillime colligēt Alchymię alumni qua via reducendi erūt lapides pretiosi in materiam eorum primum ex semine minerali, quia lapidum omnium prima natura latet in semine minerali, & et cum eo omnes lapides pretiosi vere reducuntur in primam materiā, sic lapidum omnium virtute, et proprietates manifestæ fiunt: et sic habetur arcanum lapidum omniū pretiosorum quo miranda fiunt in curandis morbis omnibus, et quo nihil est præstantius in vita proroganda, vt enim humidum radicale lapidum perenne est, et incorruptibile, si nostro humido radicali alterabili, et corruptibili associetur, durabilius, et perennius efficitur sic vita nostra in longissimos annos protrahitur inalterabilis, et incorruptibilis, et sic à morbis fere omnibus litera conseruatur. Et sic habes amice lector quod desiderari et haberi hac in vita potest vt vita humana fœlicissime, et tutissime ac jucundissime transigi queat qui enim à morbis liber est omnibus, et longissime viuit, et diuitias possidet ingentes, et inexhaustas et Deum noscit et amat fere fœlix, et beatus est in hac rerum serie, hæc autem habet, et possidet qui

Ex metallis & lapidibus eliciuntur mira medicamenta.

Nemo perfecte declarauit chymiæ subiectum.

Quæ differentia sit inter metalla & lapides.

Lapidem omnium prima natura qualis.

Quare arcanum metallorum & lapidum valeat ad vitam prorogandā.

Fœlix & beatus qui in hac vita habeatur.

qui semen minerale seu metallicum notum habet, & ad perfectionem conducere nouit quod solo hoc in tractatu perdocetur et perfectissime declaratur, vt chymiæ alumni, & candidati percipiant quantum valeat, & possit Alchymia, ad beandam vitam humanam super omnes alias scientias naturales, & nihilominus tamen vilipenditur à multis qui se Philosophi, & docti in cognitione naturæ se existimant, in rei veritate tamen ignarissimi sunt et indocti, et hac in parte vulgares oculos habent et mentem ac judicium vulgare cũ nihil extra vulgi mentem sapiant ac percipere queant: quicquid enim occultum est in rerum natura, & oculos vulgi fugit, asserunt non esse nec existere in rerum serie, quia non est visibile, & palpabile, & perinde secretiora & pulchriora naturæ ipsi negant cum illis visibilia non sint, & palpabilia, quod tamen eorum arguit insipientiam, cum secretiora, et pulchriora naturæ occulta sint & perinde inuisibilia sint, & impalpabilia, et solis oculis mentis percipiũtur cum in spiritu eorum naturali, qui omnino inuisibilis, & impalpabilis est, consistat eorum omnium virtus, proprietas, & energia, & non in eorum corpore, quod tegumentum est & vmbra illius spiritus, quod quidem corpus sine spiritu mortuũ est omnino, & solus spiritus est actionis principium, & cum est solus et separatus à corpore, & subtili inclusus, habet energias infinitas & incredibiles, vnde credere nõ possunt qui hæc ignorant sed vos chymiæ candidati credite, operamini, gaudebitis & finite alios errare.

FINIS.

